ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN IV
PERIODUS QUARTA

PARS V

CONGREGATIONES GENERALES CLI - CLV
SESSIO PUBLICA VII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXVIII

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS CLI
16 octobris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLI

16 octobris 1965

Exc.mus D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregatio generalis 151, quam moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Crastina die, Patres venerabiles, erit hic in Basilica S. Petri, sollemnis beatificatio Beati Iacobi Berthieu, Martyris, e Societate Iesu. Mane, sollemnis ritus incipiet hora decima, et vespere, cum adsistentia Summi Pontificis, hora decima sexta cum dimidio. Patres, qui interveniunt, induant rochetum et mantelletam.

Circa schema *de ministerio et vita presbyterorum,* loqui petierunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Lefèbvre, arch. Bituricensis (Bourges) in Gallia; Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaënsis in Tanzania; Mauritius Roy, arch. Quebecensis in Canada; Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia; Ioannes Heenan, arch. Vestmonasteriensis in Anglia; Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Agnellus Rossi, arch. Sancti Pauli in Brasilia; Augustinus Bea; exc.mi ac rev.mi DD. Gerardus Coderre, ep. Sancti Ioannis Quebecensis in Canada; Ioannes Klooster, ep. Surabaiaënsis in Indonesia; Ioannes Bánk, ep. aux. Iaurinensis in Hungaria; Stephanus Leven, ep. aux. Sancti Antonii in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Franciscus Žak, ep. Sancti Hippolyti in Austria; Emmanuel Fernández-Conde, ep. Cordubensis in Hispania; Stephanus Barela, ep. Czestochoviensis in Polonia; Sebastianus Soares, ep. Beirensis in Mozambico; Albertus Ndongmo, ep. Nkongsambensis in Camerun; Franciscus Jop, ep. tit. Dauliensis in Polonia; Eduardus Pironio, ep. aux. Platensis in Argentina; Armandus Fares, arch. Catacensis (Catanzaro) in Italia; Michaël González, ep. Rivoriensis in Mexico (Autlán); Hieronymus Podestá, ep. Avellanediensis in Argentina; Eduardus Néczey, adm. ap. Nitriensis in Cecoslovachia.

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. LEFÈBVRE
Archiepiscopus Bituricensis

Venerabiles Patres,

Textus « recognitus » schematis decreti *de ministerio et vita presbyterorum* qui nobis nunc proponitur, perfectior est quam prior. Laetari debemus, necnon gratias permultas agere illis qui patienter in eo conficiendo sunt cooperati.

Simul ac libenter textui in genere assentior, non possum tamen non dolere quod, dum munus presbyterorum exponit, paternitatem spiritualem praetermittit, in qua tamen constat altum eius pretium et finis eximius.

Modo enim classico, describuntur variae activitatis formae quas induit presbyterorum ministerium: munus nempe docendi, munus sanctificandi per Eucharistiam et sacramenta, et munus regendi; sed non sufficienter definitur quoad seipsum et quoad finem quem intendit.

Plus quam quaelibet alia, ministerium sacerdotale in Ecclesia a Christo ordinatum est, iuxta quae scribit Paulus in epistola ad Ephesios ...[1]: « ... in aedificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi ».

Huiusmodi est, ante omnia, proprium munus presbyterorum: ad vitam Christi generare, Christo membra nova incorporare, Christo quasi novam humanitatem addere, in qua et per quam opus salutis hominum totiusque mundi perficiat.

Praecipuae ministerii sacerdotalis partes in illa paternitate culmen obtinent, quae in redemptionem hominum et in gloriam Dei, in Ecclesia et per Ecclesiam, Christum totum exstruit.

Quid enim intendit ministerium verbi, nisi ut hominibus proponat, in lumine Verbi Dei, cognitionem Patris et Christi Eius, necnon divinae caritatis sensum, ut « Christus habitet per fidem in cordibus eorum, et sint in caritate radicati et fundati »? ...[2]

Quisnam fructus ministerii Eucharistiae et sacramentorum, nisi homines ad ordinem supernaturalem elevare, et Christo vitaliter unire? Quid intendit nisi ut vitam Christi in illis crescere faciat per gratiam Spiritus Sancti, ut plene respondeant, mysterium paschale vivendo, dono plenario quod « in finem » perfecit Christus in Cruce et in Eucharistia?

Quid intendit ministerium regendi, nisi ut homines adiuvet in seipsis

ad Christum sensim configurandis, quoad cogitationes, intentiones et actiones, ut magis ac magis fiant in Illo et per Illum « imitatores Dei sicut filii carissimi »? ...[3]

Ad hanc paternitatem spiritualem et sanctam, totum presbyterorum ministerium tendit. De ipsa ad Galatas scribebat Paulus: « Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis » ...[4]; in ipsam conveniunt et finis et fructus et sublimitas presbyterorum ministerii.

Si haec, saltem breviter, in textu conciliari recolerentur, ad eius animam et flammam nonnihil conferrent.

Ut fortiter exerceant munus et generose ferant austeritates vitae, presbyteri haurient, meo quidem iudicio, ex illo lumine, virtutem, gaudium et gloriam.

Qui ineundo coniugio renuntiant, nullo modo christiani matrimonii dignitatem parvipendunt; sciunt enim quod in matrimonio agitur de « sacramento, quod est magnum, in Christo scil. et in Ecclesia » ...[5]; sed multo maiorem ducunt suam cum Christo unionem, in Ecclesia, ut Ecclesiae nova membra praebent, quae crescere faciant in Christo per gratiam Eius, et in Corpus mysticum totam humanam familiam congregent?

Dum cuilibet coniugali amori renuntiant presbyteri, ad ampliorem plenioremque amorem tendunt, scil. ut summo Christi amori semetipsum tradentis omnibus in Cruce, necnon singulis per Eucharistiam, respondeant, amorem summum praebentes ex quo seipsos Christo tradant, et in Christo omnibus quos Christus dilexit usque ad mortem.

Dum paternitati secundum carnem renuntiant presbyteri, generare intendunt, in Ecclesia et per gratiam Spiritus Sancti, filios Dei, qui ex Christo in Christo vivant, ut in ipsis et per ipsos, opus salutis mundi permaneat et amplificetur.

Dum actioni quoad temporalia exercendae plerumque renuntiant, non intendant ut illa quolibet modo spernant, quorum momentum agnoscunt, sed ut excelsius ascendant, scil. ut personas humanas donis Dei ditescere faciant, atque nobilitent; ut ex nativo egotismo eruant, et caritate divina vivificent, capacesque faciant efficaciter cum Christo adlaborandi ut restauretur in iustitia et caritate ambiguus mundus creaturae, quae ingemiscit redemptionem exspectans ...[6]

Cum vero totum opus eorum parturitio quaedam sit et amor, presbyteri non mirantur, difficultates aerumnasque in eo adimplendo invenientes; e contra huiusmodi cruces sustinentes, quae genuinum amorem suum ostendunt, et quas Christus Ipse assumit, habent fundamentum quo firmissime eorum spes innitatur.

Ita in ministerium et vitam presbyterorum, meo quidem iudicio,

contemplatio spiritualis paternitatis qua gaudent, « lucens et ardens » lumen effudit.

Quapropter, concludens, vehementer exopto ut ad honorem et solamen et gaudium presbyterorum Iesu Christi, aliquot huius luminis radii illustrent textum in quem intendimus.

Ad hunc finem meas suggestiones secretariatui tradam. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] 4, 12-13. [2] (cf. *Eph.* 3, 17). [3] (*Eph.* 5, 1). [4] (*Gal.* 4, 19). [5] (cf. *Eph.* 5, 32). [6] (cf. *Rom.* 8, 22-23).

Animadversiones additae:

Pag. 12, lin. 6 textus impressi: « Christus Dominus, ad Corpus suum mysticum aedificandum usque ad mensuram suae plenitudinis, in Ecclesia... » vel, lin. 12: « inservirent ad Corpus suum mysticum aedificandum usque ad mensuram plenitudinis eiusdem Christi » (sed sic sententia nimis onerosa evaderet...).

Pag. 14, post, lin. 18 textus impressi (pag. 6 Emendationum ab episcopis Galliae propositarum): « Haec missio presbyterorum, missioni episcoporum coniuncta, erga omnes homines multis modis perficitur, praecipue vero munera verbi, sanctificationis et pastoralis regiminis exsequendo: quibus sacerdotes curant et ministrando efficiunt ut Christus formetur in hominibus quos sibi incorporare intendit ». *Ratio*: ut transitus fiat ad capitula sequentia, quae revera annuntiari debent aliquo brevi prologo.

Ad pag. 18 Animadversionum episcoporum Galliae, lin. 8 incipiendo a calce (animadversio haec refertur ad pag. 35, lin. 37 textus impressi): « (*Io.* 1, 15), accipit et habet. Haec est nova, spiritualis et suprema paternitas, Christum nempe in hominibus formare, qui semel in sinu Virginis Mariae de Spiritu Sancto carnem nostram assumpsit. Presbyteri ergo... ».

2

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA
Episcopus Bukobaënsis

Venerabiles Patres,

Schema placet, et liceat mihi gratias agere membris et peritis commissionis, quae *commissio* [1] textum huius schematis parare debuit in adversis rerum adiunctis ... Textus, quamvis bonus, adhuc in paucis melior reddi potest.

Imprimis clarius exponi debet quid sit sacerdos et quomodo referatur ad sacerdotium Christi Iesu transmissum per episcopum. Si enim quivis christifidelis ex ipso Baptismate de sacerdotio, regno et actione prophetica Christi participat, quid prae ceteris habent presbyteri? Sa-

cerdotium ministeriale presbyterorum, sicut sacerdotium episcoporum, oritur ab ipso sacerdotio Christi Verbi Incarnati, ad laudem gloriae gratiae ipsius et ad salutem humani generis usque ad recapitulationem omnium creaturarum in Christo: quoniam per ipsum accessum habemus in uno Spiritu ad Patrem ...[2]

Per ordinationem, qua sacerdos fit particeps ordinis episcopalis, ad missionem in bonum totius Ecclesiae adimplendam ordinatur; ineffabili et indelebili modo Christo concorporatus, sacerdos vitam intimam Domini Iesu in dies magis vivere et, sicuti episcopi, educatorem fidei, largitorem doni vitae divinae et rectorem populi, familiae scil. Dei sese exhibere debet.

Tria praesertim clarius commemorentur:

1. Cum sacerdos ordinetur in bonum universae Ecclesiae tamquam cooperator apostolorum et episcoporum in labore missionali, in nostro schemate magis illustrari debet officium missionale sacerdotum.

2. Ipsa vita sacerdotalis, per fidem ardentem enutrita et unita, est efficacissima et eloquentissima methodus missionalis, qua sacerdotis lux lucet coram Deo et hominibus, sine dolo, sine arte, sine diplomatia, sed in simplicitate, in veritate et amore spiritus. Ex huiusmodi fide et vita, cetera sequentur.

3. Methodi pastorales tempori nostro accommodandae sunt. Etenim in praerapidis hodiernis rerum commutationibus non possumus nec debemus methodos servare, quae antea bonae fuerunt, nisi etiam in posterum efficaces sint futurae.

Communis ergo actio pastoralis in conventibus fraternis — in presbyterio coadunato cum episcopo — critice diiudicetur coram Deo, et nova incoepta collaboratione lucida et strenua praevideantur.

Quae omnia supponunt aptam educationem fidei, vitae, collaborationis, inde a primis annis formationis; praeprimis necessaria est personalis persuasio de sacro ministerio sacerdotali, profunda educatio fidei et caritatis, sine qua novae methodi et artes sunt « velut aes sonans aut cymbalum tinniens » ...[3]; exercitium ad ministerium est exercitium ad imbuendam totam vitam sacerdotalem spiritu vere sacerdotali. Quae formatio etiam post ordinationem iugiter continuari et perfici debet studio, personali cogitatione et experientia communibus congressibus et sessionibus aliisque similibus mediis, quae hodie necessaria sunt ad renovandum vigorem spiritualem et efficientiam apostolicam.

Sicut iam optime dictum est in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis,* homines nostrae aetatis aspirant ad ea quae sunt vera et genuina. Tamquam mendacia et hypocrisim repellunt formalismum, fucum,

vanam urbanitatem. Iuvenes nolunt accipere res unice propter traditiones antiquas, sed rationes obiectivas et concretas exigunt. Non recusant sacrificia necessaria ad dedicationem vitae, sed strenue contemnunt et respuunt ea quae videntur esse inutilia. Non a priori sunt contra observationes antiquitus traditas, sed non sufficit eis appellatio ad motivum traditionis. Eiusmodi mens et animus nec fidei nec christianae spei opponuntur, sed supponunt maturiorem inquisitionem.

Instaurandae sunt igitur condiciones quae foveant hodie et in posterum ministerium Ecclesiae in mundo moderno. Ecclesia non est museum nec archivum, sed mater vitae, memor verbi Domini: « Veni ut vitam habeant et abundantius habeant » ...[4]

Concludendo pressius tres nostras sententias notare possumus:

1. Per ipsam Ordinationem sacerdotalem presbyteri ad missionem universalem corporis episcoporum referuntur, ideoque animus missionalis omnibus et singulis sacerdotibus est necessarius.

2. Propter unitatem vitae sacerdotum, qui in omni re se exhibere debent sicuti Dei ministros ...[5], admitti nequit dichotomia vel separatio inter vitam spiritualem et ministerium et ceteras activitates sacerdotum.

3. Presbyteri ne sint homines temporis acti, sed mundum nunc orientem quasi ab intra animent et salvent in nomine Domini. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Eph.* 2, 18). [3] (*1 Cor.* 13, 1). [4] (*Io.* 10, 10). [5] (*2 Cor.* 6, 4).

3

EM.MUS P. D. MAURITIUS CARD. ROY
Archiepiscopus Quebecensis

Venerabiles Patres,

1. Schema in genere placet. Optandum tamen videtur ut magis theologice ac profundius agetur de sacerdotio presbyterorum, de eorum proprio munere in Ecclesia et in mundo, necnon de sanctitate quae in eis elucere debet. Assentio his quae a cardd. Colombo, Léger, Döpfner, Suenens aliisque iam dicta sunt *de hoc puncto*.[1]

2. Mihi liceat quaedam addere circa n. 7. Hic optima quaedam dicuntur de fraterna coniunctione inter sacerdotes in presbyterio dioecesano; attamen, non sufficienter in luce ponuntur recentiora elementa diversaeque formae pastoralis navitatis quae sat generaliter iam accepta

et stabilita sunt ac in futuro ut necessaria universim habebuntur. De his igitur praesentibus ministerii formis necnon de proxime futuris, schema distincte loqui deberet.

De cooperatione inter presbyteros textus sane non silet; loquitur tamen ac si intra ipsam paroeciam vel inter vicinos parochos eam instituere satis esset. Conspectum dioeceseos nimis staticum proponit, in quo vita pastoralis tota reduci videtur ad relationes quae occasione data vigent inter episcopum et individuos presbyteros necnon ad conventus quibus parochi vicariique paroeciales aliquando invitantur *studii vel etiam prandii causa.*[2] Quae omnia certo optima sunt, hodie tamen amplius non sufficiunt; ideoque figura dioeceseos ita delineata omnino deficiens apparet.

Indubium est paroeciam remanere indispensabilem cellulam necnon centrum vitae liturgicae et caritativae quae momentum suum usquedum servavit et in futuro servabit. Sed concurrenter largiores quaedam communitates ortae sunt, quae supra- vel inter-paroeciales dici possunt. Paroecia amplius considerari nequit sicut parva civitas, muris suis circumsepta, quae ianuis clausis sicut quoddam medievale monasterium exsistere valeret. Accedunt enim hodie, tamquam necessarium paroeciae complementum, aliae spirituales familiae seu coetus qui limites paroeciales undequaque excedunt. Tales sunt apostolatus consociationes, ut coetus Actionis Catholicae variaque opera, quae magis numerosae et actuosae iam a pluribus annis factae sunt; tales etiam sunt divisiones seu regiones quae recentius institutae sunt, spectata sociologica distributione civium, ad hoc ut pastoralis navitas aptius respondeat conditionibus loci, artis, commercii necnon culturae. Inde oritur nova ordinatio totius dioeceseos, limitibus paroecialibus quasi superimposita, novaque munera selectis presbyteris concredita: qui presbyteri, quamquam ipsi parochi non sint, nihilominus plurium parochorum activitates non tantum adiuvare, sed etiam ordinare et dirigere debent. Talia munera, quae quodammodo praefigurabantur in facultatibus vicariis foraneis concessis, nondum expresse a Iure agnoscuntur, ac si essent elementum quoddam extraneum, corpori dioeceseos vi vel casu insertum. Ipsi autem presbyteri, in dies numerosiores, quibus haec gravia ac difficilia munera concreduntur, plus minusve aliis videntur ac si nullibi locum proprium haberent, ipsique seipsos fingunt sicut pisces extra aquam palpitantes, vel operarios hora undecima vocati semperque in agro alieno et quasi ex tolerantia *quadam* [3] laborantes.

Revera, actionum et operum consociatio necnon auctoritatis episcopalis delegatio, quae exiguntur ab illa nova ordinatione apostolatus, tam pro cleris quam pro laicis, haec omnia non sunt quid superfluum vel

quasi per accidens adiunctum, sed e contra omnino requiruntur ut in hodierna societate et cum pleno gratiarum et charismatum usu, dioecesis ut corpus vivens, organicum et actuosum exsistere possit.

Ideoque opus est ut, haud secus ac pro parochis et vicariis paroecialibus iam actum est, clare et expressis verbis agnoscantur munera presbyterorum qui novis illis coetibus sub episcopo praesunt. Ad illos enim pertinet actuose moderare diversa apostolatus opera, missiones regionales et dioecesanas necnon generalem pastoralis activitatis ordinationem (vulgo: zones pastorales, grandes missions, pastorale d'ensemble): in his non tantummodo iuxtaponuntur individui presbyteri, sed ipsum presbyterium plene sese exprimit et fructuose operatur.

Optandum est ut omnes presbyteri a quibus tanta munera assumuntur, ex nostro textu certiores fieri possint seipsos pleno iure episcopo sociari ad implendum opus, non vagum et incertum, sed ab Ecclesia commendatum et authentice sancitum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest.

4

EM.MUS P. D. HERMENEGILDUS CARD. FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

Venerabiles Patres,

...[1] Peculiarem laudem ...[2] meretur *schema praesens* [3] quia:

1. Illud inter episcopum et presbyterum vinculum clarificat, quod ex unico Christi sacerdotio promanat, quodque ipsas naturae humanae necessitudines longe superat; et sic plenius ontologiam praebet sacerdotii eiusque ministerii.

2. *Urget Pastori, istud schema,*[4] urget « Pastori bono » quaerendum esse in ipso caritatis pastoralis exercitio vinculum perfectionis sacerdotalis et principium *unificans* [5] presbyterorum vitam et actionem ...[6]

3. Peropportune extollit characterem libertatis apostolicae paupertatis et aspectum soteriologicum oboedientiae (oboedientia collocatur in corde ipso oeconomiae salutis, sicut recapitulatio — *ut adhibeamus verbum paulinum* [7] — deoboedientiae protoparentis).

4. Denique presbyteros admonet — *et quidem sapienter* [8] — ipsos non esse ministros alicuius ideologiae vel factionis sed unius Evangelii, ut sic indoles evangelica eorum ministerii intacta servetur.

Problematica presbyteri hodierni — *de qua multum discussum fuit hesterna die — problematica presbyteri hodierni,*[9] praesertim crisis oboedientiae, et auctoritatis, solitudo qua vivit in medio multitudinis quae est « dechristianizata » et videtur non amplius Deo indigere, difficultas inveniendi novas vias per quas in mundo inserantur presbyteri (praeter illas traditionales proprii ministerii), talis « problematica », dico, resolvitur fundamentaliter tantum per fidem et profundiorem in dies vitam gratiae. Minime contingit contrarium, quod nempe sistendo in pura et simplici problematica et in eius ambitu exclusivo, per ipsam perveniatur ad fidem et ad *augendam gratiam.*[10]

Evidens fit ergo necessitas tradendi principia theologice valida pro vita sacerdotali. Quod mihi videtur inveniri in schemate. In eodem tamen praecipiantur *directoria* practica vitae et ministerii sacerdotalis, praeparanda a commissione postconciliari vel a conferentiis episcopalibus. Revera problematica hodierna vitae presbyteralis, etsi habeat substratum commune, quod oportet innuere in schemate iuxta indicationes Patrum qui *locuti sunt praesertim hesterna die,*[11] praeseferunt tamen aspectus et necessitates diversas secundum varias mundi regiones. *Haec quidem in genere.*[12]

In particulari, nonnulla haberem dicenda, sed sufficiant duo[13]:

In ...[14] n. 3, ubi de presbyteris Eucharistiae ministris *sermo fit*[15], desideratur firma declaratio de presbyteri coniunctione cum sacrificio Christi. Sublineatur quidem aspectus communicationis Corporis et Sanguinis Christi seu Coenae, at non iam aspectus sacrificii. Eadem lacuna reperitur etiam in n. 13, ubi de unitate et harmonia vitae presbyterorum *sermo fit*[16]: multa, et optima quidem, proferuntur *ibi*[17], sed non effertur sicut oporteret valor Crucis et necessariae coimmolationis cum Christo. Ad hanc utramque lacunam complendam provocari posset ad verba Ioannis in 17 cap., versu 19: « Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate ». Sub luce enim legislationis sacrificalis Veteris Testamenti, haec verba, quae non tantum de apostolis sed etiam de presbyteris qui eis in sacerdotio per episcopos succedunt, valent, *haec verba, dico,*[18] ita intelligi debent, ac si Christus dicat: Ego immolo me pro ipsis, ut et ipsi reapse una mecum immolentur. Quodsi hic aspectus sacrificalis in debita luce ponatur, tunc vita et ministerium presbyterorum sua dimensione christoconformi ditabitur.

Ad n. 14 ...[19]: Iure merito extollitur paupertas presbyterorum, iique ad illam exercendam sapienter admonentur. Quantopere praesens Concilium paupertatem evangelicam et Ecclesiam pauperum exaltaverit sat superque liquet. Nimis parum tamen obtineretur, si cras de nostro

Concilio tantum diceretur: Bene locutum est de paupertate, sed praedicata paupertas adhuc in votis manet!

Opportunum ergo esset aliquid concrete statuere ad fovendum spiritum paupertatis eumque, ex parte presbyterorum, in praxim incunctanter deducendum. Vellem igitur proponere, ut, in Ritu ordinationis sacerdotalis, qui certe recognoscendus *est,*[20] una simul cum promissione oboedientiae includatur etiam promissio paupertatis. Ex nunc autem in schemate duo clare essent affirmanda, videlicet: 1. spiritum paupertatis habendum esse ab omnibus et singulis presbyteris tamquam gravem conscientiae sacerdotalis obligationem; 2. spiritum paupertatis ab iisdem excoli debere non ex quibusdam in paroecia, cui praepositi sunt, contingentibus, ut *v. g.*[21] praesentia pauperum, quae illos ad bonum exemplum dandum procul dubio urgeret — *posset esse potius paupertas quae sapit classismum*[22] —; immo vero ex valore obiectivo evangelicae paupertatis, qui in quacumque — *qui valor* — *in quacumque*[23] situatione ad eam amplexandam presbyteros cunctos urget, ratione ipsius sacri ministerii ad quod consecrati sunt; etenim, etiamsi in quadam paroecia omnes divites essent, saltem unus pauper adesse deberet, scil. parochus, qui, vi vocationis suae, vitam Christi pauperis in se reproducere debet.

Faxit Deus ut hoc schema ulterius et finaliter emendatum constituat documentum praeclarum nostrae dilectionis erga nostros presbyteros![24] Satis! Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Textus recognitus plerumque placet quoad argumenta selecta et quoad doctrinalem eorum expositionem necnon practicas quae inducuntur applicationes. [2] vero. [3] deest. [4] deest. [5] redigens in unitatem. [6] (n. 13). [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] augmentum gratiae. [11] in hac aula locuti sunt. [12] deest. [13] Quasdam tamen animadversiones faciendas habeo ad id intendentes, ut schema hinc inde perficiatur vel etiam compleatur: Ad n. 2, pag. 14, linn. 23-25: Adesse videtur aliquis defectus proportionis doctrinalis. Ibidem enim duplex ponitur affirmatio circa fidei effectum; videlicet: per fidem « congregatio fidelium coalescit »; per eandem fidem « Christo incorporari incipimus ». Defectus proportionis in hoc consistit, quod fidei duo diversi videntur tribui effectus, ex quibus duae etiam diversae realitates profluerent, i. e. effectus plenus creandi fidelium congregationem, et ipsam plenam; et effectus incorporationis Christo in statu solummodo incipiente. Exinde consequeretur quod possit simul haberi congregatio fidelium plene constituta et incorporatio Christo tantummodo inchoata. E contra admittendum est quod utraque res ponitur in eodem plano seu prospectu; ideoque: aut utraque completa, aut utraque inchoata tantum. Cum vero heic agitur de *sola fide,* praedicatione verbi Dei suscitata, rectius diceretur quod etiam « congregatio fidelium coalescere incipit », eodem modo quo dicitur « Christo incorporari incipimus ». Ad n. 3, pag. 16, linn. 22-27: Quae dicuntur de liturgicis ritibus, intel-

ligi possent in sensu falsae doctrinae de relationibus inter liturgiam et orationem, immo vitam contemplativam, et in sensu falsae notionis orationis « mentalis ». In sensu nempe: *a*) acsi liturgia esset solum aliquid externum, « sincera vero oratio » non pertineret ad ipsam liturgiam, sed esset medulla requirenda *sub* liturgia; *b*) acsi « oratio mentalis » non posset pertinere ad liturgiam, sed esset necessario aliquid a participatione activa in liturgia seiunctum; et liturgia esset pro imperfectioribus, oratio vero mentalis pro perfectioribus. Quae omnia supponunt haud rectum conceptum tum liturgiae tum orationis mentalis. Distinctio non est facienda inter orationem « mentalem » et orationem « vocalem seu liturgicam »; sed inter orationem mentalem et vocalem simul et liturgicam ex una parte, et orationem solum mentalem et privatam extra liturgiam ex altera parte. Propono igitur ut textus ita compleatur: « Presbyteri fideles doceant ipsis sacris liturgiae celebrationibus ita plene animo participare, ut etiam profundiorem sinceram orationem in eis attingant; eos ad spiritum orationis, etiam in gradibus perfectioribus, per totam vitam exercendam, pro uniuscuiusque gratiis et necessitatibus, manuducant, et perfectiores ad consilia evangelica alliciant modo cuique congruo exercenda ». [14] eodem. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] (et etiam n. 17). [20] deest. [21] deest. [22] deest. [23] deest. [24] Hac in perspectiva testimonii evangelici et fraternae dilectionis, praeter fructum assimilationis cum apostolis et cum Christo Domino, inseritur quoque problema, solvendum sane a commissione postconciliari, remotionis inaequalitatis distributionis bonorum inter clerum et necessariae aequae distributionis eorundem inter eos qui de altari vivunt, iuxta verba Pauli.

5

EM.MUS P. D. IOANNES CARMELUS CARD. HEENAN
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Venerabiles Fratres,

Dicamus imprimis quantas meruerint gratias membra commissionis, qui priore ex documento sacerdotii haud digno schema hoc pulcherrimum confecerint.

Problema quam maximum in documento conciliari conficiendo est hoc: ita principia formulare ut nihilominus consilia utilia dari possint. Hoc praesertim verificatur in casu. Ars enim pastoralis a Gregorio Magno ut ars artium regimen animarum describitur; in diversis nationibus non possit esse nisi diversa. Attamen aliqua consilia pastoralia omnibus in terrae partibus valida enuntiari et possunt et debent. Omni ergo quo par est obsequio sequentia additamenta audeo proponere.

1. Quamvis in aetate simus apostolatus laicorum, incepta laicorum vix umquam prospere procedunt nisi ducibus sacerdotibus zelo plenis. Dicit autem nostrum schema: « Presbyteri semper memores sint se cum Christifidelibus esse fratres inter fratres ». Optime quidem! Sed non

tantum fratres sed etiam patres et duces requiruntur. Pastores animarum bene sciunt — et in decreto de apostolatu laicorum iam est statutum — laicos opus apostolicum perficere non posse nisi formationem spiritualem acceperint. Liceat mihi exemplum dare. Hodie inter faustissima apostolatus laicorum opera absque dubio numerari meruit Legio Mariae — cuius fundator, Dominus Franciscus Duff, hac in aula apud auditores locum iure optimo, merito occupat [*plausus*]. In regula Legionis Mariae haec de moderatore spirituali statuuntur (de Manuale Legionis Mariae cito): « Sacerdotis est membris rectum dare spiritum. Ipse sacerdos veluti vis centralis totius Legionis agnosci debet ».

2. Dicit schema (pag. 25): « Se sciant presbyteri obligatos erga eos quoque qui in quibusdam defecerunt, quos igitur misericordia atque magna caritate semper prosequantur ». Hoc dicere vix esset necessarium. Mos enim iam ubique est inter sacerdotes fratres delinquentes summa compassione tractare. Hoc autem minime sufficit. Enixe rogo ut verbulum saltem de correptione fraterna addatur. Saepe post naufragium alicuius sacerdotis, fratres negare solent se mirari. Nonne autem munus est sacerdotis episcopum vel vicarium generalem certiorem facere ita ut ille frater a tentatione removeatur? Norma esse debet « Principiis obsta: sero medicina paratur ». Sed, proh dolor! plures sacerdotes ut pueri hac in re agunt. Numquam ut delatores reputari volunt. Hinc illae lacrimae. Aliquid de huiusmodi correptionis fraternae obligatione dicatur. Nemini enim licet inter clerum dicere: « Num custos sum fratris mei? ».

3. Optime in schemate invitantur presbyteri inter se hospitalitatem colere, et ad relaxandum animum convenire. Nullo modo tempus terere dicendi sunt sacerdotes qui coniunctim pila ludunt (vulgo: over lawn of golf). Societas sacerdotalis est in se quasi benedictio. Textus autem aliquantulum per defectum hac in re errat. Moneat Concilium presbyteros de necessitate consortii sacerdotum cum sacerdotibus. In illis regionibus ubi operarios Ecclesia minime amisit, sacerdotes multum cum laicis conversantur et in domos fidelium recipiuntur. Immo magnam partem muneris pastoralis est visitatio ordinata domorum. Hoc modo divisiones inter fideles et sacerdotes evitantur. Vitium quod anticlericalismus nuncupatur prorsus abest. Attamen huiusmodi domorum visitatio non semper absque periculo geritur. Amicitiae nocivae facile nutriuntur. Exhortandi ergo sunt sacerdotes, praesertim iuvenes, ut amicos vere coniunctissimos inter solos collegas sacerdotales faciant. Sacerdotes qui fratres evitant — lupi solitarii vocari solent inter cleros — rarissime opus Dei perficiunt. Nostra cum laicis conversatio fructuosior eveniet si

tam episcopi quam sacerdotes, cum seniores tum iuniores arcte et amanter in uno presbyteratu constituentur.

4 et ultimo. Schema nostrum etiam de apta presbyterorum distributione tractat. Iam in Litteris Encyclicis *Fidei donum* Summus Pontifex Pius XII sacerdotes dioecesanos ad opus missionarium ut se offerrent exhortavit. Nunc in schemate nostro invitatio ista fortiter est amplificata. Episcopi autem sacerdotibus suis in Africam, Americam Meridionalem aliove terrarum proficiscendi licentiam libentius sint daturi si sacerdotes indigenas munus pastorale plene exercere sibi sit persuasum. Attamen aliquibus in regionibus, ut fertur — dico: ut fertur — dum fideles sine pastoribus relinquuntur, sacerdotes in monasteriis et domibus religiosis, licet valetudine robusti, in adiutorium episcoporum venire prorsus recusant. Constitutiones Ordinis ut impedimentum operi pastorali suscipiendo citantur. Pueris electis disciplinas profanas tradere — quod ceteroquin a laicis optime fieri possit — vel monialium exercitia spiritualia moderari, omnino licitum est. Rudes autem instruere et Panem vitae pauperibus proferre contra regulam sacram reputatur. Nescio — prorsus nescio — an fama huiusmodi sit vera. Hoc autem pro certo habeo — in mundo hodierno dum dolorosa exstat sacerdotum penuria, omnes monachi et fratres, claustratis — ut patet— exceptis qui contemplationi sint addicti, ad fungendum omni opere pastorali prompti esse debent. Dicit auctor libri *de Imitatione Christi*: « Melius est placere Trinitati quam de Trinitate eloquenter loqui ». Simili modo melius est populo Dei praedicare Evangelium quam domi libros et articulos scribere de populo Dei. Hortandi ergo sunt religiosi in schemate ut succurrant fidelibus qui sine pastoribus languent. Proverbium bene notum sic sonat: « Sese adiuvantes et Deus adiuvabit ». Missionarios laeto animo mittemus ad regiones istas ubi omnes religiosi iamdudum invitationem acceperint episcoporum cooperandi cum clero dioecesano in Evangelii opere. Dixi.

Textus scripto traditus:

Dicamus imprimis quantas meruerint gratias membra Commissionis, qui priore ex documento mediocri et sacerdotii haud digno schema pulcherrimum confecerint. Si post discussionem amplissimam de episcoporum regimine Concilium nostrum festinanter de sacerdotibus esset locutum, certo certius presbyteri nostri iusta de causa dolore fuissent affecti. Grato ergo animo schema novum accipimus eique plaudamus.

Problema quam maximum in documento conciliari conficiendo est ita principia formulare et particularia vitare ut nihilominus consilia practica et utilia dari possint. Hoc praesertim verificatur in casu, cum praxis artis pastoralis — a Gregorio Magno ars artium regimen animarum nominatur — in diversis nationibus

non possit esse nisi diversa. Modus agendi sacerdotum in Europa adhibitus ab illo, verbi gratia, in Asia vel Africa adhibito valde discrepare patet. Etiam inter Europae nationes praxis pastoralis multam varietatem prae se fert. Attamen aliqua consilia pastoralia pro sacerdotibus omnibus in terrae partibus degentibus valida enuntiari et possunt et debent. Omni quo par est obsequio sequentia additamenta audeo proponere.

1. Quamvis in aetate simus apostolatus laicorum, ut bene omnibus catholicis notum est incepta seu proposita laicorum vix unquam prospere procedunt nisi ducibus sacerdotibus zelo plenis. Quamobrem in textu sub titulo « Presbyterorum cum laicis conversatio » (pag. 25) de munere ducendi loqui debemus. Dicit enim schema « Presbyteri ergo semper memores sint se cum christifidelibus esse fratres inter fratres ». Optime quidem! Sed non tantum fratres sed etiam patres et duces requiruntur. Pastores animarum bene sciunt — et in decreto de apostolatu laicorum iam est statutum — laicos opus apostolicum perficere non posse nisi formationem spiritualem acceperint. Opera vero apostolatus florescere videmus quando prudens quidam et sanctus sacerdos illa moderatur. Liceat mihi exemplum dare. Inter faustissima apostolatus laicorum opera hodierna absque dubio numerari meruit Legio Mariae — cuius fundator, Dominus Franciscus Duff, hac in aula apud auditores locum iure optimo, merito occupat. Ut regula Legionis Mariae haec de moderatore spirituali statuuntur (de Manuale Legionis Mariae cito paragraphum), « sacerdotis est membris rectum dare spiritum. Ipse sacerdos veluti vis centralis totius Legionis agnosci debet » (Handbook, pag. 187).

2. (Pag. 25). In fine sectionis de fraterna coniunctione inter presbyteros haec scribuntur: « Se sciant presbyteri obligatos erga eos quoque qui in quibusdam defecerunt, quos igitur misericordia atque magna caritate semper prosequantur ». Hoc dicere vix esset necessarium. Mos enim iam ubique est inter sacerdotes fratres delinquentes summa compassione tractare. Hoc autem minime sufficit. Enixe ergo rogo ut verbulum de correptione fraterna hic addatur. Saepe post naufragium alicuius sacerdotis nonnulli inter fratres negare solent se mirari. Nonne autem munus est sacerdotis episcopum vel vicarium generalem certiorem facere ita ut ille frater a temptatione removeatur? Norma esse debet « Principiis obsta: sero medicina paratur ». Sed, proh dolor! plures sacerdotes ut pueri seu tirones hac in re agunt. Nunquam ut delatores reputari volunt. Hinc illae lacrimae. Aliquid saltem de huiusmodi correptionis fraternae obligatione dicatur. Nemo inter clerum dicere debet: « Num custos fratris mei sum » (*Gen.* 4, 9).

3. Optime in schemate invitantur presbyteri inter se hospitalitatem colere, et ad relaxandum animum convenire. Minime tempus terere dicendi sunt sacerdotes qui coniunctim pila ludunt (vulgo: golf). Societas sacerdotalis in se est quasi benedictio. Textus tamen etiam hic aliquantulum per defectum errat. Moneat Concilium presbyteros de necessitate consortii sacerdotum cum sacerdotibus. In illis regionibus ubi operarios Ecclesiae minime amisit, sacerdotes multum cum laicis conversantur et in domos fidelium recipiuntur. Immo magnam partem muneris pastoralis constituit visitatio ordinata domorum. Hoc modo divisiones inter fideles et sacerdotes evitantur. Vitium quod anticlericalismus nuncupatur prorsus abest. Attamen huiusmodi domorum visitatio non semper absque periculo geritur. Amicitiae nocivae facile nutriuntur. Exhortandi ergo sunt sacerdotes, praesertim iuvenes, ut amicos coniunctissimos inter solos collegas sacerdotales faciant. Sacerdotes qui fratres evitant — lupi solitarii vocari solent inter cleros — rarissime

opus Dei perficiunt. Nostra cum laicis conversatio fructuosior eveniet si tam episcopi quam sacerdotes, cum seniores tum iuniores arcte et amanter in uno presbyteratu constituentur.

4. Schema nostrum etiam de apta presbyterorum distributione tractat. Iam in Motu Proprio *Fidei Donum* Summus Pontifex Pius XII sacerdotes dioecesanos ut se ad opus missionarium offerrent exhortavit. Nunc in schemate invitatio ista fortiter est amplificata. Episcopi vero sacerdotibus suis in Africam, Americam Meridionalem aliove terrarum proficiscendi licentiam libentius sint daturi si sacerdotes indigenas munus pastorale plene exercere sibi sit persuasum. Attamen aliquibus in regionibus, ut fertur, dum fideles sine pastoribus relinquuntur, sacerdotes in monasteriis et domibus religiosis degentes, licet valetudine sint robusti, in adiutorium episcoporum venire prorsus recusant. Constitutiones Congregationis Religiosae ut impedimentum operi pastorali suscipiendo citantur. Pueris electis disciplinas profanas tradere — quod ceteroquin a laicis optime fieri possit — vel monialium exercitia spiritualia moderari, omnino licitum ducitur. Rudes autem instruere et Panem vitae pauperibus proferre contra regulam sacram reputatur. Nescio an fama huiusmodi sit vera. Hoc autem pro certo habeo — in mundo hodierno dum dolorosa exstat sacerdotum penuria, omnes monachi et fratres, claustratis exceptis qui contemplationi sint addicti, ad fungendum omni opere pastorali prompti esse debent. Dicit auctor libri *De imitatione Christi* melius esse placere Trinitati quam de Trinitate eloquenter loqui. Simili modo melius est populo Dei praedicare Evangelium quam domi libros scribere de populo Dei. Hortandi ergo sunt religiosi in schemate ut succurrant fidelibus qui sine pastoribus languent. Proverbium bene notum sic sonat: sese adiuvantes et Deus adiuvabit. Missionarios laeto animo mittemus ad regiones istas ubi omnes religiosi iamdudum invitationem acceperint episcoporum cooperandi cum clero dioecesano in evangelii opere.

6

EM.MUS P. D. LAURENTIUS CARD. SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

Venerabiles Patres,

Textus recognitus huius schematis in genere placet et meo ...[1] iudicio recipi debet tamquam basis documenti conciliaris perficiendi ...[2]

In ordine autem ad schematis ulteriorem perfectionem liceat mihi duas proferre observationes necnon aliquot proponere emendationes.

Prima observatio. Scopus pastoralis huius schematis certe laudabilis est. Exinde textus magni facit ministerium presbyterorum ad populum Dei et homines. Ratione autem huius emphasis, schema mihi videtur aequo iure non disserere de plenitudine ministerii presbyterorum. Quae plenitudo in eo est quod, secundum imaginem Mediatoris Unius et Unici, Iesu Christi, omnis sacerdos, in sensu sibi proprio, mediator inter Deum et hominem sit, et actu esse debeat. Virtute illius muneris, omnis pre-

sbyter duplicem habet relationem specialem et dynamicam, nempe: ad hominem et ad Deum. Relatio autem dynamica ad Deum mihi videtur perparce tractari in schemate ...[3] Exempli gratia: schema tantummodo passim et quasi per transennam mentionem facit de presbytero quatenus Deo consecrato ad Ipsius gloriam et servitium ...[4]. Quandoque autem schema verba facit de consecratione presbyteri, loquitur de eiusdem consecratione ad Evangelium praedicandum, ad fratrum servitium et ita porro ...[5]

In schemate nuper approbato, i. e. *De institutione sacerdotali,* cum agitur de vocationibus sacerdotalibus, dicitur: « ... et Sancti Spiritus sigillo Dei cultui et Ecclesiae servitio consecrent » ...[6]. Sic rite exprimuntur conceptus consecrationis sacerdotalis et conceptus duplicis motionis in illa consecratione inventae nempe: ad Dei cultum et ad servitium Ecclesiae.

Pariter constitutio dogmatica *Lumen Gentium,* sive de communi sacerdotio fidelium sive de sacerdotio ministeriali disserens, semper, mutatis mutandis, loquitur de consecratione et de sacrificio ad Deum colendum offerendo ...[7]

Cum requiratur ad restaurationem vitae et *ad ministerialia*[8] presbyterorum sensus renovatus apud ipsos presbyteros consecrationis eorumdem ad Deum et Christum, omnino optabile mihi videtur ut decretum de quo agitur magis fieret *theocentricum* ita ut demum doctrina de presbyteratu integre enucleetur ...[9]

Ex eo quod schema nimis aestimat servitium hominum (populi Dei), quasi parvipenso servitio Dei ipsius, non omnino falsum videretur eum fere sapere id quod Pius XII, per dictum quidem metaphoricum, vocabat haeresim activitatis.

Secunda observatio. Tum in genere tum in aliquibus locis particularibus textus recognitus mihi videtur laborare defectu claritatis circa fundamentum relationis inter episcopos et presbyteros. Propter hunc defectum finis praestantissimus ipsius decreti in discrimen vocari possit, nempe ut, omni infausta separatione demum superata, vera unio arctissima inter episcopos et presbyteros rite foveatur. Propter duas rationes, fundamentum illius relationis inter episcopos et presbyteros adumbrandum est:

1. Doctrina de sacerdotio, episcopis et presbyteris communi, quae in constitutione dogmatica *Lumen Gentium* splendide enucleatur, in schemate huius decreti fideliter et adamussim est tenenda.

2. Ad unionem restaurandam quoad missionem, opera et vitam inter episcopos et presbyteros, omnis species falsi « episcopalismi » est evi-

tanda, ne presbyteri se gerant ac si episcopi essent domini dominantes qui in eos meram exerceant potestatem, potiusquam veri sacerdotes, ministri et collaboratores in ministerio et missione Iesu Christi, salva semper distinctione Ordinis, qui, idem manens, plene episcopis, minus plene quidem, sed vere et realiter, presbyteris competit.

Secundum doctrinam de sacerdotio in constitutione dogmatica *Lumen Gentium* expositam ...[10], vinculum fundamentale inter episcopos et presbyteros in eo est, quod tum episcopi tum presbyteri participes sunt unius, unici et indivisi sacerdotii Iesu Christi. Dilucide in illa constitutione affirmatur presbyteros « in exercenda sua potestate ab episcopis » pendere, exinde vere episcopis subordinari, praecise quia minus plene quam episcopi in Sacerdotio Christi participant sed « cum eis (i. e. cum episcopis) ... sacerdotali honore coniuncti sunt ... vi sacramenti Ordinis » cuius minister est episcopus. Per sacramentum Ordinis episcopi tradunt presbyteris, in gradu ipsis proprio, veram participationem Sacerdotii Christi quod unum est et unicum ...[11]

In textu *emendato* dicitur ex eo quod presbyteri speciali modo, quamvis subordinato, Sacerdotii Christi sunt participes et Christo Capiti consecrantur, eosdem presbyteros participes esse missionis episcopalis quippe quae nihil aliud sit quam missio apostolica, missio Ipsius Christi ...[12]

Argumenta alia et emendationes etiam his argumentis pertinentes Secretariatui tempore opportuno tradam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] humili. [2] Imprimis placet quia tandem aliquando dynamice tractatur de subiecta materia — adhuc quidem non sine aliqua haesitatione. Ratione autem huius dynamismi, omnino diversimode et multo melius doctrina nunc exponitur quam in textibus prioribus, praesertim propositionibus anni praeteriti. Certe textus recognitus dignior est presbyteris, dioecesanis et religiosis, quibus spes pro « aggiornamento » nititur secundum illud quod Ioannes Papa XXIII, beatae memoriae, dicebat in allocutione ad alumnos seminarii: « aggiornamento » praeprimis esse penes presbyteros sanctos. [3] Exinde schema evadit plus aequo anthropocentrica. [4] Configuratio ad Christum quae virtute sacramenti Ordinis efficitur, est unio cum Christo in ordine reali et ontologico propter quam sacerdos fit sacer, Deo consecratus ad laudem et gloriam Dei. [5] (cf. nn. 1, 3, 14). [6] (pag. 7, linn. 3-4). [7] (cf. nn. 10, 28, 31, 34, 40). [8] ministerii. [9] Sicut enim gloria Dei *et* salus animarum simul volendae sunt qua finis sacerdotii in ordine intentionis ut vera habeatur vocatio sacerdotalis, pariter gloria Dei et salus animarum simul volendae sunt qua finis sacerdotii in ordine actionis ut recta habeatur vita et ministerium sacerdotale. [10] (in n. 28 cap. III). [11] Mirum est hanc doctrinam clare affirmatam in textu emendato (cfr. pag. 13 fasciculi linn. 20-38) *ante* promulgationem constitutionis dogmaticae *Lumen Gentium* edito,

nunc in textu recognito *post* praelaudatae constitutionis promulgationem, saltem obnubilatam ne dicam in deterius mutatam inveniri. [12] In textu autem *recognitio* dicitur presbyterorum sacerdotium « ... initiatione sacramentali indiget, qua presbyter speciali modo Christo sacerdoti configuratur, ita ut missionis episcopalis particeps factus in persona Christi Capitis, Magistri, Pontificis et Rectoris agere valeat ». Propter rationes iam prolatas quas magis elaboratas secretariatui tradam in scriptis, haec mutatio in textu recognito mihi non placet. Haec mutatio est quasi idearum reversio, sic dictum *hysteron-proteron,* quae mihi videtur ansam praebere erroris vel speciei erroris. Presbyter particeps est missionis episcopalis quia in actu primo est particeps sacerdotii Christi et non, ut mihi videtur, viceversa, nempe particeps sacerdotii Christi quia est particeps missionis episcopalis. Cum textus recognitus in hoc loco minus conformis constitutioni dogmaticae *Lumen Gentium* esse videatur, et cum speciem falsi « episcopalismi » praeseferat, idem textus recognitus in hoc loco recipi non debet. Error enim, vel etiam species erroris, in principiis, quamvis minimus, reiciendus est ne in particularibus ab illis principiis derivatis, glissendo fiat magnus.

Animadversiones additae:

Tum episcopi tum presbyteri, ordinibus sibi propriis, participes sunt ipsius missionis Christi nam sacerdotio et ministerio Christi gaudent, episcopi quidem modo pleno, presbyteri autem minus pleno. Praeprimis et fundamentaliter, presbyter in persona Christi agere valet quia sacerdotii Christi particeps factus est sacramento Ordinis et deinde eo ipso in missione episcopali quae Christi missio est partem habet.

In Novo Testamento nemo nisi Christus Ipse sacerdos appellatur. Revera Christus apostolos eorumque successores suo ditavit ministerio. Exinde in contextu ministerii evoluta est hierarchia episcoporum, presbyterorum et diaconorum. Exinde etiam sacerdotium et ministerium prorsus idem significabat et significat. Cum ergo textus recognitus affirmat presbyteros participes esse *ministerii* episcopalis, simul affirmat presbyteros participes esse *sacerdotii episcopalis.* Maius praecise tum episcopi tum presbyteri, *modis sibi propriis,* uno eodemque sacerdotii *Christi* participes sunt. Propter hanc rationem schema non perfecte congruit cum doctrina in constitutione *Lumen Gentium* exposita.

Presbyteri quoniam modo speciali sibique proprio de Sacerdotio Christi participant, quamvis minus plene et in se episcopis subordinate, schema tractare debet de relatione inter episcopos et presbyteros, de unitate missionis et de dependentia presbyterorum ab episcopis, in contextu mutuae participationis in sacerdotio et missione *Christi.*

Propterea sequentes emendationes propono:

1. In pag. 13, linn. 1-9, aut legatur sicut in textu emendato habentur aut sic reemendetur textus recognitus: « Sacerdotium enim presbyteri non tantum in initiationis christianae sacramentis fundatur, sed etiam peculiari initiatione sacramentali indiget, qua presbyter speciali modo Christo sacerdoti configuratur, ita ut in persona Christi Capitis, Magistri, Pontificis et Rectoris agere valeat. Quae initiatio, ope specialis participationis sacerdotii Christi, ut quaedam incorporatio missioni episcopali describi potest. Quapropter, sicut in episcopis plenitudo sacerdotalis missioni apostolorum continuandae referri debet, ita in presbyteris sacerdotium a missione apostolica episcoporum rite explenda non est seiungendum. Huiusmodi ministerium presbyterorum etc. ... ».

2. In pag. 21 propono ut Textus emendatus substituatur a lin. 10 ad lin. 16, retinendo, tamen, a Textu recognito verba in lin. 15, « cum ordine episcoporum » loco verborum « cum collegio episcoporum » vel si retineatur Textus recognitus substituantur in lin. 12 verba « cum episcopis » loco verborum « per episcopos ». *Ratio emendationis.* In pag. 54, Nota A explicat « per episcopos » in textu esse insertum « ad indicandam causam instrumentalem ». Hoc autem verum et conveniens est si per causam instrumentalem significetur episcopum esse ministrum sacramenti Ordinis quo presbyteri realem participationem immediate recipiant de sacerdotio *Christi.*

3. In pag. 22, n. 6, linn. 19-22, textus emendatus pro textu recognito recipiendus est. *Rationes emendationis.* Mens textus emendati est — « Ex eo quod presbyteri specialem habent participationem Sacerdotii et Ministerii Christi, quamvis minus plenam quam habent episcopi, exinde missionis episcopalis participant, missionis sc. apostolicae, missionis ipsius Christi ». In hoc contextu oboedientia presbyteris convenienter intelligi debet. Sic oboedientia presbyteri unitur oboedientiae episcopi in mysterio totali Christi eiusque Sacerdotii. Sic congruit quod in hoc loco dicitur cum iis quae dicuntur in n. 14, pag. 36; linn. 14-30 ubi agitur de coelibatu et cum iis quae dicuntur in pag. 37, linn. 28-36, praesertim in lin. 30.

Textus autem recognitus in pag. 22, linn. 19-22 eandem exhibet confusionem de qua supra. Ministerium episcopale videtur aliquomodo seiungi a ministerio Christi Sacerdotis — quod absonum est.

Tum episcopi tum presbyteri, secundum ordines sibi proprios, plene et minus plene, participes fiunt, virtute sacramenti Ordinis, Ministerii Christi Sacerdotis, Magistri et Pastoris et, exinde, eius Missionis. Sic fundata est missio canonica in missione iam recepta Christi quae cum ministerio et sacerdotio ipsius tradita est a Christo ad apostolos, ab apostolis ad episcopos, ab episcopis ad presbyteros.

7

EM.MUS P. D. AGNELLUS CARD. ROSSI
Archiepiscopus Sancti Pauli in Brasilia

Venerabiles Patres,

Nomine 46 episcoporum brasiliensium loquor. Schema nobis placet. Laudatur reformulatio theologica primae partis schematis et connexio vitae personalis et spiritualis presbyteri cum ipso ministerio.

Licet ea pars schematis, quae de vita spirituali presbyterorum agit, plura contineat laude digna, tamen quaedam sunt ibi melius disponenda, ut votis a carissimis Ordinis nostri collaboratoribus expressis plene respondere possit. Haec animadvertenda videntur:

1. ...[1] Tonus est nimis exhortativus et aliqualiter consolatorius, quasi tota vita presbyterorum sit posita in continua tribulatione et in ardua pugna qua se defendant contra mundi tentationes. Gaudium in Spiritu

per caritatem erga Deum et proximum necnon dynamismus vitae sacerdotalis in firmissima spe vocationis apostolicae deberent magis explicite poni.

2.[2] Schema in hac parte non videtur satisfacere promissioni in ipso prooemio expressae « fusius et profundius de presbyteratu tractandi, ut vita sacerdotum aptius ordinetur ». Revera doctrina spiritualis quae sacerdotibus offertur principio unitatis caret. Repetitiones et nimis breves enuntiationes infirmam reddunt totam expositionem. Nec satis apparet inspirationem sumi ex profunda doctrina ipsius Concilii de hac re in constitutionibus *de Ecclesia* et *de Sacra Liturgia* iam promulgata.

In votis est ut etiam vita spiritualis sacerdotum sub lumine doctrinae de Mysterio Christi et Ecclesiae et in contextu Historiae Salutis tractetur.

Ubi de obligatione ad sanctitatem sermo est (n. 11), in memoriam essent revocanda ea quae in constitutione *de Ecclesia* habentur de vocatione universali ad sanctitatem, et aliquid dicendum de nexu sanctitatis, quae maxime in caritate consistit, ad Mysterium Christi et Ecclesiae.

Presbyteri, quia speciali modo Mysterio Christi et Ecclesiae adnectuntur, ideo peculiariter ad sanctitatem vocantur. Quae de unitate et harmonia vitae presbyterorum (n. 13) dicuntur melius ponerentur immediate post doctrinam de vocatione ad sanctitatem et de essentia huius sanctitatis.

Relatio exercitii muneris sacerdotalis ad vitam spiritualem non est solum exigentiae et stimuli, sed talis ut sacerdos in actu proprii Ordinis attingere valeat et debeat ipsum culmen propriae vitae spiritualis, et ad fontem e quo divinam energiam hauriat ad vitam illam in omnibus manifestandam et irradiandam.

Per propheticam vocationem invitantur ministri Verbi ut vivant in intimo dialogo cum Domino in Spiritu. Dominus enim sic eos allocutus est: « Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis ». ...[3]

Pariter quoad ministerium liturgicum omittendum non est sacerdotem in celebratione Sacrificii Eucharistici non solum Mortis et Mortificationis Domini memoriam facere et ideo eam in seipso praesentem reddere debere, sed etiam Eius resurrectionis et vitae novae in Spiritu ...[4]

Mirum est quod de spiritualitate muneris pascendi disserens, schema nihil dicat de amore illo quo Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis ...[5]. Qui amor est proprie id quo Bonus Pastor a mercenario distinguitur.

Quae de subsidiis ad vitam interiorem fovendam ponuntur (n. 15)

ita complenda sunt iuxta doctrinam constitutionis *de Sacra Liturgia,* ut dicatur non solum quod ipsa exercitia debeant cum cultu publico componi, sed etiam quod debent quodammodo a Sacra Liturgia derivari et ad eam manuducere. Quod quidem si pro omnibus fidelibus dicitur, multo magis valet pro ipsis ministris cultus publici. Participatio activa, conscia cultus publici ab ipso ministro centrum unitatis eius vitae spiritualis constituat. De subsidiis illis melius esset loquendum immediate post ea quae de vita spirituali in triplici muneris sacerdotalis exercitio ponuntur.

Demum quantum ad consilia evangelica, censeo de paupertate et oboedientia amplius et profundius esse disserendum, quippe quae sunt condiciones necessariae ad evangelicam vitam ducendam et servitium ministerii sacerdotalis in Ecclesia exercendum.

Paupertatem dico quae vera humilitas est et perfecta sui disponibilitas. Quae nota est distinctiva totius renovationis Ecclesiae. Quam amplecti debent, ut renoventur spiritu, presbyteri omnes cum sacra hierarchia. Humilitatem dico quae proprios limites coram Deo et mundo agnoscat, et quidem limites etiam humanitatis Christi et Ecclesiae, quam Dominus scienter assumpsit ex amore, ut cum hominibus humanitus conversari posset. Humilitatem dynamicam dico, quae aditum aperit ad intimam cum Deo unionem, qui humilium est visitator, et ad perfectam erga omnes pastoralem caritatem. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Primo. In hac schematis parte non videtur satis rationem haberi situationis concretae plurium sacerdotum qui, in praesentia mutationum mundi huius temporis et renovationis ipsius Ecclesiae, gravi crisi affliguntur fidei, spei et etiam amoris. 2. Secundo. [2] 3. Tertio. [3] (*Io.* 15, 15). [4] Induat sacerdos caritatem Christi qua Patri seipsum donavit pro omnibus. [5] (cf. *Io.* 10, 11).

Animadversiones additae:

1. Laudatur reformulatio theologica primae partis schematis et connexio vitae personalis et spiritualis presbyteri cum ipso ministerio.

2. Toti schemati praemittatur concisa analysis situationis presbyteri in mundo moderno et in Ecclesia renovanda. Ad quem finem iuvabit elementa quaedam evolvere quae inveniuntur in nn. 13 (pag. 33 linn. 35-41, et pag. 34 linn. 1-6).

3. Ad n. 1, pag. 13-14. Optime quidem in textu celebratur Mysterium Incarnationis ad condicionem sacerdotis in mundo describendam. Aliquid etiam dicendum videtur de Mysterio Paschali et de consummatione eschatologica, quae maximi momenti sunt ad recte intellegendam missionem apostolicam (cf. Acta Apostolorum ubi apostoli exhibentur tanquam testes resurrectionis Dominicae).

4. Ad n. 3, pag. 16, lin. 27. Loco « nec praetermittant ipsi presbyteri actiones sacras orando perficere », dicatur « Laudes et actiones gratiarum quas persolvunt in Eucharistica celebratione presbyteri ad diversas diei horas dilatent in

Divino Officio persolvendo, quod nomine Ecclesiae recitant, non tantum pro seipsis sed etiam pro toto populo sibi concredito ». *Ratio*: ut ostendatur nexus Divini Officii cum ipsa celebratione eucharistica. Praeterea melius exprimitur excellentia Divini Officii si dicatur id a presbyteris recitari nomine Ecclesiae.

5. Ad n. 3, pag. 16, linn. 35-42. Quae hic commendantur opportune quidem dicuntur, sed cum hoc in numero de theologia presbyteratus agatur, non videntur in loco apto poni. Item quae de studiis liturgicis dicuntur melius ponerentur in n. 5.

6. Ad n. 8, pag. 26, linn. 32-38. Addantur haec quae in constitutione *de Ecclesia* habentur: « cum fiducia eis in servitium Ecclesiae officia committant, et eis agendi libertatem et spatium relinquant, immo animum eis addant ut etiam sua sponte opera aggrediantur » (*Lumen Gentium,* n. 37).

7. Ad n. 9, pag. 27, lin. 32. Post verbum « nationis » addatur « culturae ».

8. Ad n. 10, pag. 30 in fine. Addatur quod exemplar vitae sacerdotalis et spiritus vere christianus totius communitatis maximas habet partes in excitandis sacerdotalibus vocationibus.

9. Ad n. 11, pag. 30, linn. 32 ss. Antequam de exigentia sanctitatis in vita sacerdotum sermo sit, aliquid fusius dicendum est de communi vocatione ad sanctitatem iuxta doctrinam const. dogm. *Lumen Gentium,* praesertim in lucem ponendo eius nexum cum Mysterio Christi, quod est fundamentum sanctitatis sacerdotalis.

Suggeritur textus: « Christus, Dei Filius, qui cum Patre et Spiritu " solus Sanctus " celebratur, Ecclesiam tamquam sponsam suam dilexit, Seipsum tradens pro ea, ut illam sanctificaret, eamque Sibi ut corpus coniunxit atque Spiritus Sancti dono cumulavit, ad gloriam Dei. Ideo in Ecclesia omnes, sive ad hierarchiam pertinent, sive ab ea pascuntur, ad sanctitatem vocantur iuxta illud Apostoli " Haec est enim voluntas Dei sanctificatio vestra ". In omnes enim Spiritum Sanctum misit, qui eos intus moveat ut Deum diligant ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente et ex tota virtute sua et ut invicem se diligant sicut Christus eos dilexit. Quoniam vero presbyteri ratione Ordinis sacramentalis, per gratiam Spiritus impositione manuum eis datam, arctiore modo cum Christo Sacerdote coniunguntur, qui est sanctus... ad sanctitatem assequendam peculiari titulo vocantur ».

10. Ad n. 11, pag. 32, lin. 15. Hic aptius ponerentur ea quae in n. 14, pag. 34, linn. 6 ss. habentur:

Suggeritur ut textus ita disponatur: post verba « hortatur omnes Presbyteros ut » (quae in pag. 32, lin. 15 habentur) addantur ea quae sequentur pag. 34, lin. 6: « meminerint semper officium suum talis esse naturae ... superabundare gaudio ». (Quoad ea quae initio n. 13 habentur cf. animadv. 2).

11. Ad n. 12, pag. 32, linn. 19 ss. Addatur lin. 25 « immo in ipso muneris sui exercitio sacerdos per consciam, activam et personalem participationem Mysterii Christi attingere valet et debet ipsum culmen et fontem propriae vitae spiritualis ». Sic: « ideoque potens est presbyteros efformare ad sanctitatem sacerdotalem propriam », immo...

12. Ad n. 12, pag. 32, lin. 38. Aliquid addendum de intimo colloquio cum Deo in oratione quae pars est vocationis propheticae eorum quibus dixit Christus: « Iam non dicam vos servos sed amicos... vos autem dixi amicos quia quaecumque audivi a Patre nota feci vobis » (*Io.* 15, 15. 16).

13. Ad n. 12, pag. 33, lin. 6. Aliquid addendum de Mysterio Resurrectionis et Glorificationis et de vita nova in Spiritu ducenda. Eucharistia enim non solum Mortis Domini est commemoratio. Presbyteri hortentur ut suos faciant sensus amoris Christi Sacerdotis erga Patrem et erga homines.

14. Ad n. 12, pag. 33, lin. 20. Aliquid addendum de amore illo quo Bonus Pastor distinguitur a mercenario, quo scilicet paratus esse debet et animam suam ponere pro ovibus suis.

15. Ad n. 14, pag. 35, lin. 21. De paupertate et oboedientia esset fusius et profundius tractandum cum sint condiciones necessariae ad vitam evangelicam ducendum et servitium populi Dei exercendum.

16. Ad n. 15, pag. 38. Quae de subsidiis hic ponuntur aptiorem locum invenirent immediate post sermonem de sanctitate in ipso munere sacerdotali exercitandam, scil. post n. 12.

17. Iuxta doctrinam const. *de sacra Liturgia* dicendum erit exercitia illa se habere ad cultum publicum tanquam ad id ad quod manuducunt et a quo derivari debent.

18. Ad n. 16, pag. 40, lin. 23. Supprimatur verbum « stabiliter ». *Ratio*: ne tangatur quaestio sat difficilis definiendi istam stabilitatem requisitam ad officium.

19. Ad n. 17, pag. 41, linn. 4-6. Obliviscendum non est sacerdotem officia quoque habere erga illos quibuscum in societate vivit necnon et erga suam familiam. Ne igitur dicatur ea quae supersunt bona exclusive destinari in bonum Ecclesiae vel in opera caritatis, ut videtur affirmari in textu.

[*Adhaeserunt*] José de Medeiros Delgado, arch. Fortalexiensis; Austregesilo Mesquita, ep. Afogadensis de Ingazeira; Anselmo Pietrulla, ep. Tubaraoensis; José Medeiros, ep. Oliveirensis; Afonso Nihues, ep. coad. Florianopolitanus; João Batista da Mota Albuquerque, arch. Victoriensis; Nicomedes Grossi, ep. Spelaeopolitanus a Bono Iesu; José Tavora, ep. Aracajuensis; Eugenio de Araujo Sales, ep. S. Salvatoris in Brasilia; Gentil Diniz Barreto, ep. Mossorensis; José de Almeida Batista Pereira, ep. Guaxupensis; João de Souza Lima, ep. Amazonensis Manaensis; Vicente Matos, ep. Cratensis; José Maria Pires, ep. Arassuahyensis; José Brandão de Castro, ep. Propriensis; José Thurler, addictus Conferentiae Episcoporum Brasiliae; Manuel Pereira, ep. Campinae Grandis; Waldir Calheiros, aux. Fluminis Januarii; José Mauro, ep. Iguatuvinus; Oscar de Oliveira, arch. Marianensis; Augusto Petro, ep. Uruguaianensis; Augusto Carvalho, ep. Caruaruensis; Epaminondas de Araujo, ep. Ruibarbosensis; Helder Camara, arch. Recifensis; Joaquim Lange, ep. Photicensis; David Picão, ep. coad. Santensis; Gabriel Bueno Couto, ep. aux. Sancti Pauli in Brasilia; Bernardo José Mieli, ep. aux. Campinensis; Jorge Marcos de Oliveira, ep. Sancti Andreae in Brasilia; D. José Lamartine Soares, ep. aux. Recifensis; Jeronimo Mazzarotto, ep. aux. Curitibanus; Claudio Colling, ep. Passofundensis; João Hoffmann, ep. Westphalenianus; Walmor Battu Wichrowski, ep. tit. Felbes; Othon Mota, ep. Campaniensis in Brasilia; José de Castro Pinto, ep. aux. Fluminis Ianuarii in Brasilia; Avelar Brandão Vilela, arch. Terezianus; Newton Corrêa Pereira, ep. aux. Belenensis; Benedito Zorzi, ep. Caxiensis; José Bezerra Coutinho, ep. Stantianus; Aniger Melilo, ep. Piracicabensis; Walfrido Teixeira Vieira, ep. Sobralensis; Altivo Pacheco, ep. Barrensis de Pirahy; José Costa Campos, ep. Valentinus; Pedro Costa, ep. Caetetensis.

8
EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Venerabiles Patres,

Valde grati esse debemus commissioni, quae schema de re quae tanti momenti est in Ecclesia, magna diligentia paravit. Non est dubium quin sacerdotes doctrinam in schemate propositam grato animo accepturi sint, eo vel magis, quod nunc, ni fallor, prima vice in Ecclesiae historia Concilium aliquod modo tam positivo et tam amplo de sacerdotum vita et ministerio agit. Ut autem hoc melius succedat, enixe commendare liceat, ut schema in pluribus rebus ulterius perpoliatur. Quod votum partim etiam ad doctrinam spectat. Sed hanc provinciam aliis venerabilibus Patribus relinquo sive quantum ad doctrinam forte complendam sive quantum ad eamdem hodierno theologiae statui et sacerdotum problematibus ulterius aptandam.

Unum tantum punctum liceat tangere, de modo scil. quo in schemate agitur de coelibatu sacerdotum. Quae in n. 14 ...[1] exponuntur de motivis, praestantia, fructibus coelibatus sacerdotalis, optima sunt et omnino sine ulteriore disceptatione approbanda. Recte tamen ...[2] dicitur coelibatum « a sacerdotio suapte natura » non exigi. At quae sequuntur, tam absolute proponuntur, ut coelibatus videatur ex ipsa *sua*[3] natura sacerdotii sequi. De missione enim sacerdotis in genere — *sacerdotis in genere*[4] — dicitur ...[5] quod eadem « integra dedicatur servitio novae humanitatis », et concluditur: « Presbyteri *ergo* per coelibatum ... signum vivum efficiuntur illius mundi futuri ». Quid ergo de sacerdotibus orientalibus coniugatis? Num ipsi non sunt pleno sensu sacerdotes? Schema quidem concedit ...[6] in Ecclesiis *Orientalibus*[7] esse « optime meritos sacerdotes coniugatos », quasi hoc per exceptionem accidere possit. Ni fallor nostrum Concilium oecumenicum — *dico oecumenicum*[8] — agere deberet de *utroque* statu sacerdotali: de statu perfectae continentiae in coelibatu et de perfecto (quasi dicerem « ideali ») matrimonio sacerdotis coniugati, *quod exemplum perfectum pro Ecclesia Orientali est summi momenti.*[9] Ostendi deberet quo modo *utrique* ad suum quisque statum accurate seligi, educari, formari debeat ...[10] et *quomodo uterque discat quomodo*[11] contra pericula utrique statui imminentia efficaciter protegi debeat. Sic ...[12], Concilium nostrum etiam fratribus *nostris*[13] carissimis orientalibus summopere utile esset.

Alias observationes ad hanc partem de doctrina spectantes scripto proponam. Hic autem nonnisi duo alia puncta tangam quae quidem humiliora fere videri possent, sed suam quoque habent necessitatem.

1. Schema *propositum*[14] saepe saepius insufficienter ordinatum est. Res, quae ad unam schematis partem pertinent potius in altera tractantur, et viceversa ...[15]

Ubi agitur *v. g.*[16] de presbyteris, quatenus sunt sacramentorum et Sanctissimae Eucharistiae ministri, eis commendatur, ut fideles erudiant in Psalmis et hymnis et canticis spiritualibus canendis ...[17]. Hoc adhuc quodammodo intellegi *posset,*[18] etsi textus non agit de solis orationibus et canticis liturgicis. Sed statim additur « fidelibus ostendant presbyteri in ipsis liturgicis ritibus medullam sincerae orationis inveniri », et sacerdotes, dicitur, « qui magis in virtute profecerint, alliciant ad praxim orationis mentalis necnon consiliorum evangelicorum, modo cuique congruo exercendorum » ...[19]. Ut videre est, a divitiis, quae in textibus liturgicis continentur explicandis, transitus fit ad orationem mentalem in genere immo ...[20] ad consilia evangelica commendanda. Sic igitur res ipsa, scil. oratio mentalis et exercitium consiliorum evangelicorum, quae in ministerio sacerdotali sane summi momenti sunt, nonnisi *quasi*[21] per disgressionem et loco omnino inepto tractantur.

In eodem contextu immediate post sacerdotibus praeter orationem, Officium divinum etiam in memoriam revocatur et dicitur eos « obligatione teneri orandi et paenitentiam agendi non tantum pro se ipsis, sed etiam pro animabus sibi concreditis » ...[22]. Etiam hic ergo paenitentia pro fidelibus exercenda, quae sane magni momenti est in vita et activitate sacerdotali, in contextu et loco parum apto tractatur.

Similiter difficulter intelligitur de *officiis*[23] sacerdotis (I parte) ulterius studiis incumbendi tractari in prima parte schematis ...[24], ubi scil. sermo est de presbyterorum ministeriis, et non in secunda, ubi agitur de vita sacerdotali. Secunda ergo pars nihil continet de re tam fundamentali ut sunt studia *continuo*[25] a sacerdotibus ulterius prosequenda. Sed haec exempla sufficiant.

2. Valde doleo me hic quoque dicere debere stylum et linguam latinam in permultis casibus deficere.

Quoad singula tractabo in notis quas secretariatui generali *tradidi.*[26] Liceat tamen eo magis insistere in hac re, quod ipsa, uti ex experientia *Concilii*[27] constat, ab oratoribus in nostra aula minori attentione prosequi soleat. Utique omnino intelligitur maiore diligentia tractari rem et doctrinam. Ne tamen — *quaeso*[28] — neglegamus expositionis modum et ordinem, immo et linguam, quae tandem aliquando necessarium vehiculum sunt, quo res et doctrina ad eos perveniunt, ad quos Concilii documenta diriguntur.

Dum ergo — concludo — dum ergo commissioni pro laboribus in hoc schemate parando insumptis iterum gratias ago, enixe rogo, ut

schema quam diligentissime tum quoad materiae ordinem tum quoad stylum et linguam perpoliatur. Quod ut facilius fiat, alias observationes particulares *iam scripto tradidi.*[29] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 35 s). [2] (n. 14, pag. 35, lin. 36). [3] deest. [4] deest. [5] (pag. 36, linn. 14 ss.). [6] (pag. 35, lin. 7). [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] (apta scil. selectione et solida educatione). [11] discant quomodo uterque status. [12] agendo. [13] deest. [14] deest. [15] Unde rerum ordo minus perspicuus evadit et simul momentum rerum quae tractantur obscuratur. Liceat dare unum aliudve exemplum. [16] deest. [17] (pag. 16, linn. 18 s.). [18] potest. [19] (pag. 16, linn. 22 ss.). [20] etiam. [21] deest. [22] (pag. 16, linn. 31 ss.). [23] officio. [24] (n. 5, pag. 19). [25] deest. [26] trado. [27] deest. [28] deest. [29] scripto proponam.

Animadversiones additae:

N.B. Nisi aliter notetur, adnotationes semper referuntur ad « Textum recognitum ».

In genere dici potest schema optimam doctrinam theologicam de Presbyteratu continere et de ministeriis presbyterorum. Tamen materia aliquando minus perspicue est disposita et plura videntur esse permixta, ita ut vel non appareat clare structura totius vel res, quae ad unam partem pertinerent, ponantur in altera et viceversa. Item lingua saepe multo magis perspicua et praecisa esse deberet.

Pag. 11, lin. 19. « Synodus quae sequuntur *statuit* »: hoc iam nimis iuridice sonat et de facto non respondet textui ipsi, quippe qui non tam praescriptiones canonicas praebet, quam potius modo pastorali doctrinam exponit. Proinde dicatur: « Quapropter Sacra Synodus presbyterorum ministerium efficacius iuvare atque eorumdem vitam aptius ordinare intendit ».

Pag. 12, lin. 14. « Per ipsos apostolos, eorum successores »: ut hae expressiones clariores fiant, dicatur: « et eorundem apostolorum successores » (nisi enim repetatur vox « apostolorum » res valde difficilis intellectu est).

Pag. 12, lin. 31. Ordo verborum leviter mutetur ut res clarior fiat: « Non tantum ergo officium episcopatus ».

Pag. 12, lin. 34. « Corpus suum exstruit »: melius adhibetur vox ordinaria Vulgatae Novi... Testamenti « aedificat ». Haec vox etiam melius quadrat ad vocem « auctoritatem » lineae praecedentis.

Pag. 12, lin. 34. « Ideoque »: hic melius incipitur nova sententia, ne sententia nimis longa evadat. Proinde dicatur: « Unde ad sacerdotium... fidelium quidem ordinatur ».

Pag. 12, lin. 35. « ad sacerdotium... fidelium quidem ordinatur » (ita praeparatur « sed ad illud » lin. 38).

Pag. 12, lin. 36. « integrae suae vitae »: fortasse melius « integrae propriae vitae ».

Pag. 13, lin. 1. « quantumvis sublime sit ».

Pag. 13, linn. 2 ss. Hic fortasse plura clarius et concinnius exprimi possunt, fere ita: « non in solis... sed peculiari illa initiatione... indiget, vi cuius... ».

Pag. 13, lin. 8. Vox « Rectoris » neque usitata neque felix est. Nonne

posset dici « Pastoris » (eius est enim gregem regere et ducere), etsi fatendum sit, hanc minus praecisam esse.

Pag. 13, lin. 14. Haec sententia nimis longa est; proinde post « haurit » nova incipiatur sententia, fere ita: « Idem autem ministerium eo tendit, ut... ».

Pag. 13, lin. 24. Estne expressio « conversantur » clara? Fortasse dici potest: « vitam in terris degunt »; « unde imitentur oportet ».

Pag. 13, lin. 38. « in sinu populi Dei segregantur »: expressio non satis clara; nam quomodo segregantur, si, « in sinu », i. e. quasi in centro populi sunt? Fortasse omittatur vox « sinum » et dicatur: « in populo Dei e multitudine fidelium segregantur ».

« Non ut separentur... quovis homine »: fortasse melius: « non tamen ut separentur sive ab eo sive a quovis homine ».

Pag. 14, lin. 6. « Si eorum vitae... extranei... »: dicatur: « si ab eorum vitae condicioneque extranei... ».

Pag. 14, lin. 8. « Sicut et omnes quidem Christi discipuli, titulo tamen... ».

Pag. 14, lin. 12. « Sed simul tenentur »: fortasse non tam fortis oppositio exprimenda est; proinde dicatur « simul autem tenentur ». Hic fortasse ordo verborum leviter mutari potest: « ut oves suas, sicut boni pastores, cognoscant ».

Pag. 14, lin. 13. « persentiendo »: forte melius: « perspectas habentes ».

Pag. 14, lin. 21. « fas est requirere »?

Pag. 14, lin. 36. « Communicent fidem, gratiam et plenitudinem »: in praecedentibus sermo erat utique de fide, sed de gratia? Praeterea quid est « plenitudo »? proponitur: « communicent... et plenam doctrinam ».

Pag. 15, lin. 1. « utiliter »: forte melius « ad utilitatem » confer *Act.* 20, 20; *1 Tim* 4, 8; *Tit.* 3, 8.

Pag. 15, linn. 10 s. « Cum ipsa oblatione... Testamentum disponentis »: numquid Christus nunc disponit Novum Testamentum in sanguine Suo? Proponitur: « oblatione qua Christus Novum Foedus confirmavit in sanguine Suo ».

Pag. 15, linn. 14 ss. « Cui fideles... communicant »: cum haec vox referri possit, tum ad testamentum tum ad oblationem, melius vox oblatio hic repetitur et dicitur « cui oblationi fideles... ».

Pag. 15, lin. 23. « ministrante episcopo »: fortasse melius « per ministerium episcopi ».

Pag. 15, lin. 27. « Fidei Sacramenta »: fortasse melius omittitur « fidei » ad indicandum agi de sacramentis sensu stricto; nam expressio « fidei sacramenta » potius innuit ac si ageretur de doctrina et proinde vocem « sacramentum » adhiberi sensu usitato in Novo Testamento, (et in Liturgia) de fidei mysteriis in genere (cf. *Eph.* 3, 3; 5, 32; 3, 9; *Col.* 1, 27 etc.) et non specialiter de septem sacramentis.

Pag. 15, lin. 28. « et in quae virtus... derivatur »: derivaturne virtus *in* sacramenta vel *per* sacramenta in homines, qui ea recipiunt? Proponitur « quorum (i. e. sacramentorum) virtus salutifera... derivatur » (i. e. procedit).

Pag. 15, lin. 37. « omnia *tamen* »: non apparet cur adhibeatur coniunctio adversativa; ergo dicatur simpliciter « omnia *autem* ».

Pag. 15, lin. 39. « cetera sacramenta... ad eam (S. Eucharistiam) ordinantur »; scio agi de textu S. Thomae; tamen fortasse difficilius est, videre quomodo v. g. sacramenta matrimonii vel extrema unctionis ad S. Eucharistiam ordinentur, id quod etiam in sequentibus non explicatur.

Pag. 16, lin. 16. « cum ipso super omnia dilecto »; expressio parum felix; dicatur « eum super omnia diligendo cum ipso intime uniantur ».

Pag. 16, lin. 18. « ut possint » haec verba vere omitti possunt; si autem retinentur, melius dicitur, « sciant ».

Pag. 16, lin. 26. « Nec non consiliorum... exercendorum »: expressio valde dura; dicatur « nec non ad consilia evangelica exercenda modo cuique congruo ».

Pag. 16, lin. 28. « actiones sacras orando perficere »: quisnam est sensus: ut actiones sacras peragendo eas oratione comitentur vel ut actiones sacras perfectiores reddant per orationem, i. e. non mere externe peragant? In primo casu, qui videtur hic obtinere, dicatur: « actiones sacras simul orando peragant ».

Pag. 16, lin. 31. « memores se... teneri »: vel dicatur « semper memores » vel melius « in his omnibus (quae praecesserunt) semper memores sint se obligatione teneri ».

Pag. 16, linn. 39 s. « scientias et artes... »: cur est sermo in plurali de scientiis et artibus liturgicis? Non enim videntur dari plures scientiae liturgicae nec plures artes liturgicae.

Pag. 17, lin. 5. « munus... exercentes »: ordinarie dicitur potius: « munere aliquo fungi ».

Pag. 17, lin. 7. « ducentibus » ordinarie dicitur vel « sub ductu » vel « ducibus »; « ut fraternitatem in unum animatam »: cum hic constitutio *de Ecclesia* ad verbum citetur, hoc in textu indicari deberet ponendo scil. verba inter « virgolette ».

Pag. 17, lin. 11. « quae quidem ad »: melius « quae utique ad... ».

Pag. 17, lin. 14. Quid intellegitur hic nomine « dialogi »? Prima facie videtur hic « dialogus » opponi modo auctoritativo docendi, sed postea de facto opponitur « placitis hominum », i. e. doctrinae pure humanae. Ergo maximi momenti est ut clare intellegatur, quid veniat nomine dialogi et dialogum non afficere doctrinam ipsam, sed *modum* eam proponendi (cf. Encycl. *Ecclesiam suam, A.A.S.,* 56, 1964, 614); insuper dialogum non necessario esse dialogum formalem, sed haberi etiam dialogum sic dictum « virtualem »; hic in eo est, ut qui docet, vel aliquid exponit, rationem habeat mentalitatis hominum, quos alloquitur, eorum difficultatum etc. Ergo non excludatur forma docendi tam utilis ob aliquam falsam intellectionem termini « dialogus ». Quidquid est, res clarius dicatur.

Pag. 17, lin. 17. « Agere »: melius « procedere ».

Pag. 17, lin. 28. « fidei educatores »: fortasse melius « in fide educatores », i. e. educant homines ad fidem recte secundum propriam personalitatem exercendam.

Pag. 17, lin. 30. Quid est « evangelica fides »? fortasse melius « secundum evangelium » vel « secundum fidem », nam patet, de quanam fide agatur.

Pag. 17, lin. 32. « ad libertatem... »: clarius « ad illam libertatem, qua... ».

Pag. 17, linn. 35 ss. « si de educandis... studium habeatur »: melius vox studium non construitur cum « de », sed cum genitivo; ergo dicatur, « si insufficiens habeatur studium educandi homines... ».

Non apparet quid nota n. 23 huc referat, nam agit de operibus caritatis, non de educatione ad maturitatem.

Pag. 18, linn. 2-7. In his lineis videtur adesse aliqua inconcinnitas; nam primo agitur de officiis in communitate adimplendis; dein de Dei voluntate in eventi-

bus agnoscenda et demum de « perfectione christiana »; iamvero « perfectio christiana » certo latius patet, quam adimpletio officiorum in communitate. De qua ergo re agitur? Tantum de officiis in communitate humana perfecte adimplendis? Tunc fiat sermo de hac re et non de perfectione christiana ut tali, quae non convenit ad contextum et melius poneretur pag. 17, lin. 37.

Pag. 18, lin. 3. « quibus adsunt »: melius « quos adiuvant ».

Pag. 18, lin. 4. « in id nitentes »: « in id » forte omitti potest, nam sensus idem et clarus remanet.

Pag. 18, lin. 10. Non apparet cur hic mentio fiat pauperum et debilium? Fortasse res ita connecti posset: « qua in re (i. e. in adimplendis officiis in communitate hominum) peculiaris ratio et cura habeatur pauperum et debiliorum ».

Pag. 18, lin. 12. Cur adducitur hic *Mc.* 2, 16 s. de amore Iesu erga peccatores? Numquid hi etiam inter « debiliores » numerandi sunt?

Pag. 18, lin. 16. clarius: « iam *praesens* adesse videtur ».

Pag. 18, lin. 17. Iuvatne hic ita per digressionem mentionem facere illorum « amicalium coetuum »? Item quaeri potest, num conveniat illa praecedens fere simplex enumeratio variarum categoriarum fidelium.

Pag. 18, linn. 18 s. « christiane agere »?

Pag. 18, lin. 25. « in ipsa communitate spiritum vere catholicum et missionarium »: ne videatur addi nova materia, melius educatio ad catholicitatem et spiritum missionarium ut pars educationis ad spiritum communitatis proponatur et quidem hoc modo: « spiritum communitatis; qua in re non tantum ad communitatem localem vel Ecclesiam propriam particularem respiciant, sed fideles doceant spiritu vere catholico totam Ecclesiam amplecti, unde sponte etiam spiritus missionarius fluet ».

Pag. 18, lin. 27. « impossibile tamen... » fortasse melius modo positivo: « meminerint tamen communitatem radicem cardinemque proprium in SS. Eucharistiae celebratione habere ac proinde educationem ad spiritum communitatis hinc incipere debere ».

Pag. 18, lin. 31. « omnimodamque subministrationem ad invicem »: melius « mutuum adiutorium vel auxilium » (vel « ut invicem adiuvent »).

Pag. 18, linn. 34-38. Constructio valde infelix; proponitur: « insuper communitas ecclesialis per caritatem, orationes, exemplum, paenitentiaeque opera vere officio fungitur materno erga animas ad Christum adducendas ». (Vel « matrem agit » vel « vere officium exercet maternum »).

Pag. 18, lin. 39. « Ipsa... »: quid significatur hac voce?

Pag. 18, lin. 40. Qui sunt hi « debiliores »? Fortasse dicatur « spiritualiter debiliores », ut distinguantur a debilioribus supra lin. 10 commemoratis. Insuper in hac eadem linea omittatur vox « aluntur », quod non videtur praebere bonum sensum.

Pag. 18, lin. 42. « Nondum credentes... alliciuntur et fines Ecclesiae extenduntur »: hae expressiones minus bene sonant; nam « allicere » facile perperam intellegi potest de alliciendo cum aliqua, etsi parva, fraude; extensio autem finium Ecclesiae egoistice sonat (« proselytismus! »). Proponitur: « nondum credentibus via ad Christum eiusque Ecclesiam indicatur vel sternitur ».

Pag. 19, linn. 4 s. « sed evangelii... missos ab episcopo »: fortasse melius mentio fit Christi ipsius et quidem ita: « ... sed Evangelii Christi, neque nomine

suo agere sed per episcopum a Christo ipso missos esse, pro quo legatione funguntur » (cf. *2 Cor.* 5, 20) ».

Pag. 19, lin. 6. Non apparet quare hic mentio fiat SS. Eucharistiae.

Pag. 19, linn. 22-24. Iam in praecedentibus sufficientissime dictum est agi de scientia sacra et ad sacrum finem directa. Proinde linn. 23 s. facile omitti possunt et earum loco simpliciter sic dicatur: « Proinde maxime cordi habeant lectionem et meditationem S. Scripturae, iuxta illud... ».

Pag. 19, linn. 30 s. « Studio Patrum diversorumque... documentorum »: in documento tam sollemni Concilii potius sermo de *sanctis* Patribus esse deberet; insuper loco « diversorumque » dicatur « aliorumque » (uti habebatur in textu emendato!) ad indicandum agi etiam in scriptis Patrum de documentis *traditionis*.

Pag. 19, lin. 32. « sed etiam »: hic melius inciperet nova sententia: « Ad aptas autem responsiones... ».

Pag. 19, lin. 36. « consulant »: melius « studeant optimis et probatis... »; nam non agitur tantum de consulendis hinc illinc, sed de vero studio prosequendo auctorum hodiernorum.

Pag. 20, lin. 16. « creatio studiorum moderatoris »: expressio valde difficilis intellectu; potius aliquomodo describenda esset, fere ita: « institutio cuiusdam studiorum moderatoris, qui scilicet pro sacerdotibus totius alicuius territorii hanc partem concreditam habeat ».

Pag. 20, lin. 20. « pervestigandi »: deest obiectum; dicatur « ad pervestigandam... rem catecheticam aliaque id genus ».

Pag. 20, lin. 22. « Iis aliisque » melius « his aliisque ». « Iis »: potius « his ».

Pag. 20, lin. 23. « vigilanti cura adiuventur »: melius « peculiari cura iuventur ».

Pag. 20, lin. 26. « alicui alii operi pastorali speciali in dioecesi... », nam debet indicari ratio, cur specialis praeparatio requiratur; « addicantur »; addatur « comparando eis aptam ad unumquodque opus praeparationem ».

Pag. 20, linn. 29 ss. « facile utentes »: melius: « facile uti possint ut ita... cognoscere queant ».

Pag. 20, lin. 39. « singuli aut inter se »: melius « sive singuli sive inter se coniuncti (« uniti » facile de unione mentis intellegitur).

Pag. 20, lin. 40. Loco « sui » dicatur « eorum ».

Pag. 21, lin. 7. « in commodum fratrum » indicat ac si solum ipsi aliis commodum afferant, nihil ab aliis accipientes; proinde haec expressio omittatur et dicatur: « tum ad mutuo communicandas experientias apostolicas cum fratribus, qui eandem missionem... ».

Pag. 21, lin. 12. Agiturne de unitate in ministeriis vel de unitate omnimoda? (in hoc secundo casu evidenter res non pertineret ad hanc primam partem schematis).

Pag. 21, lin. 16. « in memoriam... revocantes »: melius breviter « memores igitur doni Spiritus Sancti... ».

Pag. 21, lin. 21. « Enixe »: melius « eloquenter, diserte, clare » vel similiter.

Pag. 21, lin. 27. « Spiritus... propagatus est »: expressio neque ordinaria neque felix: proponitur: « spiritus intravit »? « in eremo » melius: « in deserto ».

Pag. 21, lin. 31. « In sacerdotio Christi participationem »: in praecedentibus non erat sermo de tali participatione, sed tantum de dono Spiritus Sancti!

Pag. 21, lin. 34. « Spirituale, immo et materiale »: nonne melius ponitur « tam

spirituale quam materiale » quod magis caritati respondet, quae scilicet totius hominis curam agit.

Pag. 22, lin. 3. « Adiuvare possit »: melius « iuvet ».

Pag. 23, linn. 24 s. « specialiter... unum presbyterium efformant »: forte melius « in unaquaque dioecesi... speciali modo unum presbyterium efformant ».

Pag. 23, lin. 38 s. « illa nempe missione... continuatur »: non apparet clarus nexus cum linea praecedenti; nam certe Filius non est missus illa missione, quae nunc continuatur; potius e contrario haec ultima missio est continuatio missionis, qua Christus missus est.

Pag. 24, lin. 15. « In primis oneribus ministerii... »: ut res clarior evadat dicatur « in primis initiis »; fortasse melius rediretur ad textum « emendatum » « in primis difficultatibus et responsabilitatibus ministerii ».

Pag. 24, lin. 24. Latine rectius « hospitalitatis ne obliviscantur ».

Pag. 24, lin. 27. Melius latine « solliciti de iis... ».

Pag. 25, lin. 10. Melius latine « ob rationem... », vel simpliciter: « propter fraternitatem... ».

Pag. 25, lin. 13. Ponatur semicolon post « defecerint » ita ut postea incipiat nova sententia: « Quare eos misericordia... ».

Pag. 26, linn. 20-27. Textus hic valde contortus et minime clarus est. Simplicior evaderet, si primo necessitas officii Presbyterorum explicaretur, quatenus sine ipsis laici nec verbum Dei nec Corpus Christi haberent, et dein locus et officium qui spectant ad laicos efferrentur.

Pag. 26, lin. 23. « Presbyter non esset qui frangeret eis »: forte clarius: « si non exsisterent Presbyteri qui frangerent eis ».

Pag. 26, lin. 25. « Sed praeter hanc sollicitudinem »: clarius: « sed salva hac sollicitudine... ».

Pag. 26, lin. 28. Melius « Presbyteri sincere quoque laicorum... ».

Pag. 27, lin. 7. Melius « solliciti sint de iis ».

Pag. 27, lin. 14 s. Clarius « ut nemo eorum extraneum sese in fidelium... ».

Pag. 27, lin. 23. « ad limitatam quandam et coarctatam... ».

Pag. 27, lin. 26. Melius « nam quodlibet sacerdotale ministerium », ut detur ratio praecedentium.

Pag. 27, lin. 35. Loco « recolant » melius « meminerint ».

Pag. 27, lin. 39. « paratos praebeant »: melius « exhibeant vel ostendant » vel adhuc melius « parati sint ».

Pag. 27, linn. 39 ss. Clausula « permittente vel exhortante proprio Ordinario » melius ponitur post « ad suum ministerium ».

Pag. 28, lin. 3. Forte clarius « ut pervetere hoc instituto firmo manente, ipsum tamen hodiernis... ».

Pag. 28, lin. 40. Loco « praeparentur » melius dicatur « seligantur ».

Pag. 29, lin. 4. « exemplum sequi possint Pauli apostoli » nam ex eo quod cognoscunt, quae in praecedentibus memorata fuerunt, nondum sequuntur Apostolum, sed haec cognitio eos capaces reddit, ut sequantur.

Pag. 29, lin. 19. Addatur hoc modo: « populus quem elegit et acquisivit sanguine suo (cf. *Act.* 20, 28) ».

Pag. 29, lin. 20. Latine melius « habere deberet » (consecutio temporum!).

Pag. 29, lin. 21. Loco « sint » « essent » vel « evaderent » (consecutio temporum!).

Pag. 29, lin. 24. Forte melius « officium ducebant » (vel duxerunt).

Pag. 29, lin. 27 ss. Loco « quae ducit ad sollicitudinem » dicatur melius « unde oritur sollicitudo »; vel omittantur verba « et ad procurandum » et sequentia « ne in populo Dei... » immediate nectantur ad « Ecclesiae », nam explicant obiectum sollicitudinis Ecclesiae; textus ergo sic sonet: « ... missionis sacerdotalis, e qua oritur sollicitudo totius Ecclesiae, ne in populo Dei hic in terris operarii... desint ».

Pag. 29, lin. 35. « Ecclesia habeat sacerdotes quantum necessarii sint... ».

Pag. 30, lin. 1. Cum subiectum « Presbyteris » (pag. 29, lin. 37) in dativo est, loco « parcentes » dicatur « parcendo ».

Pag. 30, lin. 2. « adiuvare, ut se rite praeparent ac proinde aliquando... ».

Pag. 30, lin. 12. « respondere cum propheta... ».

Pag. 30, lin. 14. Loco « ut modo quodam » ... melius: « ac si modo quodam ».

Pag. 30, lin. 16. « Sed potius... »: cum sententia iam nimis longa sit, melius hic incipitur nova sententia hoc modo: « ipsa enim potius ex signis intellegenda et diudicanda est, quibus... ».

Pag. 30, lin. 21. Loco « aperte » forte melius « diserte ».

Pag. 30, lin. 24. Forte melius « quippe in quo tribulationibus tanta gaudia misceantur » (vel, « tribulationes etiam tanta gaudia sibi unita habeant »).

Pag. 31, lin. 1. Loco « arctiore modo » simplicius: « arctius ».

Pag. 31, lin. 4. « ad sanctitatem quaerendam », nam homo obligatur ad tendendum ad sanctitatem non ad ipsam de facto assequendam; praeterea dicatur « omnino peculiari titulo ».

Pag. 31, lin. 10. « Presbyter etiam pro populo Dei... » nam agitur de novo titulo ad sanctitatem tendendi; sed adhuc melius diceretur « Insuper Presbyter etiam pro populo Dei sanctificare se debet ».

Pag. 31, linn. 16 ss. Agiturne de novo motivo ob quod sacerdos ad sanctitatem tendere debet, in quantum scilicet hae actiones et ministeria vitae sanctitatem requirunt? An agitur de his ministeriis, inquantum sacerdotem iuvare valent ad se sanctificandum? Non videtur obtinere prius, nam hoc motivum ad idem rediret, quod iam memoratur supra, scilicet sacerdotem ad perfectionem tendere debere, in quantum est sacerdotii Christi particeps; si autem obtinet secundum, hoc clarius dicendum esset, fere ita: « Quinimmo per ipsas quotidianas sacras actiones, quas exercet, sicut et per integrum suum ministerium, sacerdos seipsum sanctificare valet, id quod totis viribus etiam ad effectum deducere studeat ».

Pag. 31, lin. 23. Omittatur phrasis nimis rhetorica « praeclare omnibus semper innotuit » et dicatur simpliciter « uti clare constat... ».

Pag. 31, lin. 27. Ad claritatem mutetur ordo verborum et quidem sic: « ordinaria lege, Deus potius per illos sua mirabilia ostendere praefert... ».

Pag. 32, lin. 12. Ad claritatem dicatur, de qua renovatione et diffusione agatur, fere sic: « ... pastorales renovationis Ecclesiae eiusque diffusionis in universum mundum ». Sed textus nimis contortus est. Cur hi fines aliunde noti enumerantur?

Pag. 32, lin. 16. Loco « qua possint esse » melius « qua evadant in dies aptiora instrumenta ».

Pag. 32, lin. 23. Adiectivum « potens » adhibetur potius de personis; in hoc loco autem refertur ad « exercitium » quod potius res abstracta est; melius eius loco adhibetur verbum « valere »: « ideoque presbyteros efformare potest ad... ».

Pag. 32, lin. 24. Loco « efformare ad sanctitatem » dicatur « formare in sanctitate ».

Pag. 32, lin. 35. Melius loco « dicentis » ponitur « loquentis » vel « praedicantis »?

Pag. 32, lin. 36. Loco « sic et » dicatur « insuper et »; nam non agitur de aliqua aequalitate, sed potius de novo motivo.

Omittantur verba « severissimis verbis » nam textus qui citatur minime severus, eo minus severissimus dici potest.

Pag. 33, lin. 2. Loco « merito ipsi recordentur » melius « oportet recordentur ».

Pag. 33, lin. 6. Loco « mysterio sanctae missae » adhibeatur traditionalis expressio « mysterio sacrificii eucharistici ».

Pag. 33, linn. 6-13. Sententia nimis longa. Saltem ea quae lin. 13 dicuntur statim initio dicenda essent. Ergo lin. 6 sententia fere ita incipere deberet: « Excitent vividum spiritum fidei et laudis in mysterio Sancti Sacrificii Eucharistici... ».

Pag. 33, lin. 7. Estne celebratio Sacrificii Eucharistici vere munus praecipuum sacerdotis? Quid de verbi Dei praedicatione, quid de fidelibus dirigendis? Nonne officium sacerdotale ordinarie describi solet tamquam secumferens duplicem potestatem: ex una parte in Corpus Christi physicum, ex alia parte in Corpus Christi mysticum? Ergo dicatur « in qua unum e muneribus suis praecipuis ».

Pag. 33, lin. 14. « impetret efficacitatem... »: cum in praecedentibus de celebratione S. Missae et de Sacramentis administrandis praecipue sermo est, quae ex opere operato agunt, haec conclusio non bene fundatur. Fortasse ita dici posset: « Simul a Deo in his actionibus impetrare curent pro omni activitate apostolica efficacitatem memores verbi Domini: Sine me nihil potestis facere » (cf. *Io.* 15, 5).

Pag. 33, lin. 18. Loco « imitentur » fortasse magis blande dicatur « imitari studeant ».

Pag. 33, lin. 21. « Peculiaremque ascesim pastoralem »: melius « peculiarem ascesim pastoris animarum propriam ».

Pag. 33, lin. 25 s. « ad novas vias... parati sint »: addatur « duce prudentia et propriis superioribus » ne haec exhortatio perperam intellegatur.

Pag. 33, lin. 40. Oporteret indicare, quo modo progressus scientifici efficiunt, ut interior vita difficilius cum exterioris vitae ratione componi valet? Saltem res explicanda est.

Pag. 33, lin. 41. « Quasi captivi fiunt » fortasse melius explicatur fere sic: « ad exteriora, immo et sensibilia trahendo... ».

Pag. 34, lin. 3. « permoti, periculo exponuntur... vocetur » fortasse melius « afficiunt etiam vitam presbyterorum eorumque vitam spiritualem in discrimen vocare possunt ».

Pag. 34, lin. 12. Fortasse ita compleatur « qui voluntatem Patris semper quaesivit (cf. *Io.* 5, 30) et adimplevit ».

Pag. 34, lin. 20. Omittatur vox « vinculum » (probabiliter expressio irrepsit ex epistola ad *Col.* 3, 14, sed hic non bene ponitur); dicatur simpliciter « perfectionem sacerdotalem... ».

Pag. 34, lin. 23. Potius adhibeatur lingua traditionalis; loco « sacramento Altaris » dicatur vel « a sacrificio Eucharistico » vel, magis generaliter, « a SS. Eucharistia ».

Pag. 34, lin. 36. Postquam unio cum SS. Trinitate memorata est, iam sermo culmen suum attigit. Proinde non convenit memorari tribulationes, quae insuper hic vix sunt ad rem.

Pag. 35, lin. 23. Loco « praxi consiliorum » dicatur « in consiliis exercendis » vel « in vita secundum consilia evangelica instituenda ».

Pag. 35, lin. 33. Fortasse clarius « simul signum est et stimulus ».

Pag. 35, lin. 34. « peculiaris... foecunditatis »: fortasse melius « spiritualis foecunditatis peculiaris fons ».

Pag. 35, lin. 35. Fortasse aptius et melius latine: « etsi autem illa ab ipsa sacerdotii natura non exigatur... ».

Pag. 35, lin. 37. Ad melius protegendam praxim Ecclesiarum Orientalium fortasse dicatur: « ubi semper habebantur et habentur Presbyteri coniugati, qui optime de Ecclesia meruerunt ».

Pag. 36, lin. 12. « Ut Dei familiae... ministrarent ».

Pag. 36, lin. 13. Quid significant verba « paternitatem in Christo plenius acquirant »? Fortasse agitur de sensibus paternis erga fideles habendis et ostendendis.

Pag. 36, lin. 22. « Qui in Ecclesia genus humanum... coniunxit »: ordinarie in S. Scriptura Ecclesia et non genus humanum ut sponsa Christi exhibetur (etsi apud aliquos Patres etiam « natura humana » ut talis exhibeatur). Cf. *Eph.* 5, 22-33; *2 Cor.* 11, 2; cf. *Io.* 3, 29; *Mt.* 9, 15; *Lc.* 5, 35. Genus autem humanum in Ecclesia et per Ecclesiam Christo coniungitur. Proinde dicatur clarius: « Qui in Ecclesia, sua Sponsa et per eam genus humanum... coniunxit... ».

Pag. 36, lin. 24. « signum vivum »; fortasse melius omittitur adiectivum « vivum », nam patet agi de signo vivo, cum sit sermo de praedicatoribus vel presbyteris; vel ergo dicatur simpliciter « signum » vel « signum eloquens vel manifestum... ».

Pag. 36, lin. 25. « Futuri, per gratiam... praesentis »: ad claritatem melius « futuri, qui per gratiam et fidem iam praesens est et in quo... ».

Pag. 36, lin. 35. « ob omnes has rationes ».

Pag. 37, linn. 3 s. Hic videtur admitti impossibilitas, saltem humana, coelibatum servandi, quod videtur nimis concedere. Fortasse melius diceretur « verum est perfectam continentiam... a non paucis ut impossibilem considerari » et dein continuare cum textu uti iacet.

Pag. 37, lin. 10. Si memoratur hic scientia psychologica, nonne memorari deberet etiam scientia medica, quae etiam multa auxilia praebere potest?

Pag. 37, lin. 11. Loco « inter illa vero reponi debent » dicatur « numerari ».

Pag. 37, lin. 22. Quid significant verba « ad optimam hominis formam assequendam »?

Pag. 37, lin. 23. Omittatur « cum » et dicatur « Christo... consociamur et conformamur » (haec verba enim cum dativo construuntur uti optime fit in sequentibus lineis schematis, cf. lin. 29).

Pag. 37, lin. 31. Cum textus *2 Cor.* 8, 9 potius agat de « paupertate » a Domino *per Incarnationem* assumpta, loco huius textus adducatur *Mt.* 8, 20: « ... filius autem hominis non habet ubi caput reclinet » (cf. *Lc.* 9, 58).

Pag. 37, lin. 32. « Testimonium gratuiti doni Dei reddiderunt »: expressiones valde obscurae; fortasse dicatur: « exemplo ostenderunt (vel testificati sunt) donum

Dei gratis dari (vel dandum esse) (cf. *Act.* 8, 18-25) et sciebant tam necessaria habere quam penuriam pati ».

Pag. 37, lin. 36. Fortasse clarius ita: « etiam presbyteri sciant... ».

Pag. 37, lin. 37. Fortasse explicandum est, quid hic intellegatur sub voce « vita apostolica ». Fere ita: « vitae apostolicae, quae scil. consistit in proventuum communi possessione ad instar bonorum communionis... » (cf. nota n. 55). Sed tota phrasis nimis contorta est.

Pag. 37, lin. 40. Fortasse melius omittitur vox « perfectio » et dicitur sic: « minime solis religiosis reservari: per eam enim sacerdotes vivendi formam... » (ita simul excluditur accusativus cum infinitivo et textus clarior evadit).

Pag. 38, lin. 1. « prae ceteris fidelibus »: cum ordinarie sacerdotes fidelibus opponantur vel omittatur adiectivum « ceteris » vel dicatur « prae ceteris Christi discipulis ».

Pag. 38, lin. 4. Dicatur melius « in suis rebus omnem speciem vanitatis fugiant »: secus enim de vanitate interiore (i. e. superbia) textus intellegi posset (insuper: fugere construitur cum accusativo!).

Pag. 38, lin. 7. Quid significant verba « libere facileque se habeant »?

Pag. 38, lin. 10. Fortasse melius « invitantur ut sentiant in se ».

Pag. 38, lin. 19. « momentum in Ecclesiae aedificationem huius oboedientiae quam imitantur »: constructio infelix et non clara; proponitur: « magnum momentum, quod in Ecclesia aedificanda (vel pro... aedificanda) habuit oboedientia Christi, quam imitantur ».

Pag. 38, lin. 28. Fortasse clarius « ad arctiorem cum Christo unionem oratione efficiendam (vel obtinendam) ... ».

Pag. 38, lin. 29. Fortasse ita: « oratione quae e fide viva fluit et sub inspiratione Spiritus Sancti procedit ».

Pag. 38, lin. 30. « cuiusque ope magis... intellegere valeant ».

Pag. 38, linn. 34-37. Fortasse melius et clarius ita: « iugiter persentiant necessitatem sibi incumbere ut pro animabus sibi concreditis apud Deum per Christum tum oratione tum mortificatione (vel paenitentia) intercedant ».

Pag. 38, lin. 38. Fortasse ita: « in eis (afflictionibus vel persecutionibus) crucem a Christo sibi oblatam cum eo ferendam agnoscant ».

Pag. 38, lin. 39. Clarius ita: « eamque in luce paschali cum spe tollentes fideliter Dominum sequantur ».

Pag. 39, lin. 1. Non est ratio cur mutetur modus exprimendi loci citati *Col.* 1, 2, proinde dicatur: « ut adimpleant in se quae desunt... ».

Pag. 39, lin. 3. « missionem... vivificari a Spiritu Sancto »: expressio minus usitata et non valde clara: fortasse melius et simplicius: « activitatem apostolicam vivificari... ».

Pag. 39, lin. 9. Omittatur vox « exercitium », nam patet agi de oratione exercenda; dicatur simpliciter « oratio mentalis ».

Pag. 39, lin. 19. Omittatur « ideoque »: non est necessarium et nexus Sacerdotii cum Apostolorum munere non tam immediate patet.

Pag. 39, lin. 26. Omittatur « dummodo cum legibus et normis Ecclesiae conformia sint » nam secundum linn. 21s agitur praecise de mediis « quae Ecclesia, decursu temporum, approbatione sua sancivit ».

Pag. 42, lin. 15. Nescio an « animo deprimi » sit expressio latina: posset dici, « animo deficiant ».

Pag. 42, lin. 19. Latine melius « cooperantur in exsequendo » (cf. textum emendatum!).

Pag. 42, lin. 28. « fide maxime percipi possunt »: ergo etiam aliis mediis? Etsi agatur de rebus supernaturalibus? Ergo dicatur « fide sola percipi possunt ».

Pag. 42, lin. 34. Corrigatur constructio fere ita: « homini in agro seminanti, secundum illud Domini: Sic est regnum Dei quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, et dormiat... ».

Pag. 43, lin. 5. « De quibus omnibus... universi orbis Presbyteris... grates agit »: cum inde a pag. 42, lin. 40 agatur, *non* de illis quae Presbyteri fecerunt, sed formaliter de iis, quae *Spiritus Sanctus* effecit, non est conveniens de *his Presbyteris* gratias agere. Proinde verba mutentur fere hoc modo: « Sacrosancta Synodus de cooperatione in hoc Spiritus Sancti opere praestita universi orbis Presbyteris... grates agit ».

9

EXC.MUS P. D. IOANNES KLOOSTER
Episcopus Surabaiensis

Venerabiles Patres,

In recognoscendo schemate *de ministerio et vita presbyterorum* munus commissionis conciliaris satis restrictum erat, quia de diversis aspectibus presbyteratus iam tractatur in schematibus *de Ecclesia, de educatione sacerdotali* et in Litteris Encyclicis, sicuti *Ad Catholici Sacerdotii* Pii Papae XI et *Sacerdotii Nostri Primordia* Ioannis Papae XXIII. Huius rei ratione habita atque elementorum, quae in textu recognito continentur, schema praeparatum iudicio *conferentiae* [1] episcoporum Indonesiae dignum videtur, ut habeatur tamquam basis disceptationis.

Ut textus de consiliis evangelicis magis persuadere possit sacerdotibus recentioris generationis eisque adiumentum sit, proponimus ut pericopae de ipsis consiliis, praeterquam rationibus e Sacra Scriptura etiam fundantur rationibus sumptis e scientia psychologica hodierna. *Item* [2] in eisdem pericopis sincere agnoscantur difficultates etiam in societate nostra catholica exsistentes quoad principia et praxim harum virtutum.

Praeterea [3] curandum est, ut hi loci concordent cum locis aliorum schematum, ubi idem modus Christum sequendi tractatur, nempe schematum *de Ecclesia, de accommodata renovatione vitae religiosae* et *de institutione sacerdotali.*

Quoad textum schematis in genere caveantur repetitiones atque elucidationes nimis elaboratae, ita ut textus magis vigorosus evadat et aptius ad persuadendum.

Pro tempore futuro in votis est, ut in campo theologiae sedulo incumbatur studio theologiae presbyteratus.

In specie vellemus, ut attendatur ad sequentia. Ad pag. 38, ubi agitur de oboedientia: hoc loco agnoscatur responsabilitas hominis pro actibus suis et deinde exponatur:

1. Quod oboedientia, ad maturam libertatem filiorum Dei adducens, minime impedit, quominus sacerdos in munere suo exercendo propria incepta suscipiat et consilia sua cum fiducia proponat.

2. Quod *sacerdos* [4] se subiciendo iudicio superiorum suorum perficit connexionem suam cum eis, quos Christus Dominus instituit rectores visibiles Ecclesiae suae, atque *item perficit* [5] solidarietatem suam cum eiusdem dioecesis fratribus in ministerio.

Ad *eamdem* [6] pag. 38, n. 15, ubi agitur de subsidiis vitae internae: mirum est, quod hic quidem sermo fit de lectione spirituali et de devotione erga B. Virginem Mariam, sed non de sacramento poenitentiae, quod sacramentum tamen credimus esse medium magni vigoris ad fovendum spiritum supernaturalem et fervorem in servitio Dei.

Textus emendationum, quas proponimus, scriptis tradetur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ... [2] Deinde. [3] Insuper. [4] deest. [5] deest. [6] deest.

Animadversiones additae:

Conferentiae episcoporum Indonesiae.

Prooemium, linn. 5-11: omittatur, quia nexum idearum perturbat.

Pag. 12, linn. 7-9: Scribatur: « Christus Dominus, ad divinum cultum celebrandum et ad populum Dei pascendum semperque augendum, in Ecclesia sua ministros instituit » etc.; linn. 27-29 tunc omitti possunt. *Ratio*: ita totum munus sacerdotis indicatur. Cf. *de Ecclesia* n. 28: « Ad Evangelium praedicandum fidelesque pascendos et ad divinum cultum celebrandum consecrantur, ... Muneris unici Mediatoris Christi participes in suo gradu ministerii, omnibus verbum divinum annuntiant. Suum vero munus sacrum maxime exercent in eucharistico cultu vel synaxi... ».

Pag. 12, linn. 17-18. Verba « subordinato tamen gradu » et item pag. 15, linn. 30-36, et pag. 21, lin. 12 et 37-38, omittantur, quia tenorem paternalisticum habent.

Pag. 14, lin. 20. Loco « constituitur » scribatur « formatur ».

Pag. 15, linn. 24-25. Scribatur « ... ut sint ministri Christi in Liturgia sacerdotale munus suum » quia ita magis apparet sententiam subordinatam reapse ad Christum referre.

Pag. 18, linn. 14-20. Omittantur, quia non est, cur omnes et singulae turmae fidelium enumerentur. Ipsae iam indicantur in linn. 8, 9 et 10.

Pag. 18, linn. 39-44. Omittantur, quia nihil novi afferre videntur.

Pag. 19, lin. 5. Dicatur « sed ut missos a Christo, in cuius persona munus suum exercent ». Tali modo melius fundamentum dogmaticum ponitur.

Pag. 20, lin. 4. Addatur « Studium autem theologiae semper habeatur ut sacerdotis proprium vel praecipuum ».

Pag. 20, lin. 13 - pag. 21, lin. 9. Servetur quoad substantiam, sed magis concinne exaretur.

Pag. 21, lin. 33. Scribatur « suos ut socios, immo ut fratres et amicos considerent... ». Quia semel saltem in toto schemate dicatur episcopos esse etiam fratres presbyterorum (cf. *Mt.* 23, 8 s.).

Pag. 26, linn. 7-11. Abbrevietur et mutetur ut sequitur « ... sed etiam illas virtutes ne negligant, quae praesertim hodie in humano consortio magni aestimantur... ». *Ratio*: etiam illis virtutibus, de quibus agitur in linn. 4-6, omnes christiani ornati sint oportet. In sequentibus vero lineis sermo est de virtutibus, quae in societate moderna praesertim aestimantur.

Pag. 27, lin. 35 ss. « Recolant igitur presbyteri omnium ecclesiarum sollicitudinem sibi cordi esse debere ut » addatur « sicuti unicuique episcopo, cuius sacerdotio presbyteri facti sunt participes, sollicitudine universae Ecclesiae cordi esse debet ». *Ratio*: facti sunt ut episcopo auxilio sint. Atqui episcopo sollicitudo omnium ecclesiarum cordi esse debet.

Pag. 32, linn. 11-19. Omittatur ut superfluum.

Pag. 33, post linn. 17-20 inclusive, i. e. « Demum, populum Dei regentes ac pascentes... et oves illum sequuntur » immediate scribatur « semper opus pastorale perfectius complendo et novas vias pastorales, ubi opus sit, ingrediendo » et nihil amplius addatur. *Ratio*: hoc modo tenor pastoralis magis concinne exprimitur.

Ad n. 13. Pag. 34, linn. 12-38 sic sonent: « ... qui in omnibus vitae eventibus voluntatem Patris semper adimplevit (cf. *Io.* 4, 34; 6, 38; *Hebr.* 10, 9) usque ad mortem crucis (cf. *Phil.* 2, 8), suae vitae unitatem quaerant in agnitione voluntatis divinae, quocumque modo ipsos vocet, sive in oratione, adoratione et gratiarum actione, sive in muneribus sacris rite implendis, fideles docendo vel oppressos visitando ac consolando, semper seipsos tradentes pro grege sibi commisso. In omnibus ergo rebus Deum eiusque voluntatem quaerentes invenient et vinculum perfectionis sacerdotalis et simul principium, quod in unitatem redigit ipsorum vitam et actionem quo fit, ut in tribulationibus consolatione repleantur et superabundent gaudio (cf. *2 Cor.* 7, 4) ». *Ratio*: sic tota pericope concinnior reddi posse videtur.

Ad n. 14. Pag. 35, lin. 40 - pag. 36, lin. 14 ita legantur: « In virginitate enim vel coelibatu propter Regnum caelorum servato presbyteri facilius indiviso corde (cf. *Mt.* 19, 11; *1 Cor.* 7, 32-33) soli Deo eiusque Regno se dedicant. Expressius tali continentia totalem significant personae suae donationem cordis nempe et corporis, soli Christo, respondentes apostolicae eius vocationi: " Relictis omnibus secuti sunt eum " (*Lc.* 5, 11). Liberius quoque in statu virginitatis ministrant Dei familiae, plenius paternitatem in Christo acquirunt et expeditiores fiunt ad servitium Regni Dei ». *Ratio*: tali modo ideae optimae in schemate allatae concinnius et clarius exprimi posse videntur.

Pag. 36, linn. 23-31, sic ordinentur: « ... testificantur aptioresque fiunt muneri sibi commisso disponendi fideles uni viro illosque exhibendi virginem castam Christo (*2 Cor.* 11, 2); insuper signum vivum efficiuntur illius mundi futuri, per gratiam et fidem iam praesentis, in quo filii resurrectionis neque nubent neque ducent uxores (*Lc.* 20, 36 ». *Ratio*: tali modo habetur ordinatio magis logica.

Pag. 36, lin. 39 - pag. 37, lin. 14. Sic scribatur « Presbyteri, ergo, gratia Dei vocati et confisi, secundum ecclesiasticam legem sacrum coelibatum libera voluntate accipientes, ei toto corde inhaereant, atque in hoc statu sincere et fortiter perseverent, agnoscentes magnum illud donum, quod a Patre eis datum est et quod a Domino tam aperte tollitur (*Mt.* 19, 12) et meditando prae oculis habentes praeclara mysteria, quae in eo continentur ac per ipsum significantur. Quo magis autem perfecta continentia in mundo hodierno a non paucis impossibilis consideratur eidemque permulta obstacula et pericula imminentur, eo humilius et perseverantius presbyteri a Deo gratiam ad illud donum integre custodiendum deprecentur oportet ». *Ratio*: occasione quaestionis coelibatus observandi pro generatione hodierna presbyterorum apertum verbum necesse esse videtur, coelibatum secundum Evangelium esse donum, quod a Patre quibusdam datur » (*De Ecclesia,* n. 42).

Pag. 38, linn. 13-26. Loco textus recogniti scribatur: « Itaque, ad sese Christo obedienti conformandos, voluntatem suam Regno Dei totam per obedientiam dedicantes, in spiritu fidei accipiant et exsequantur quae a Superioribus suis statuuntur vel commendantur. Tali enim modo perficiunt connexionem suam cum eis, quos Christus Dominus instituit rectores visibiles Ecclesiae suae, atque solidarietatem suam cum eiusdem dioecesis fratribus in ministerio.

« Quae obedientia, ad maturam libertatem filiorum Dei eos adducens, minime impedit, quominus in munere suo exercendo propria incepta (initiatives) suscipiant et consilia (idées) sua cum fiducia proponant parati ad illorum iudicio se subiciendos, qui supremum in Ecclesia Dei regendi munus exercent ». *Ratio*: ut in textu habeatur aliquid concretum, agnoscatur responsabilitas hominis pro sui ipsius actibus, scientia psychologica magis in lucem posita, et denique ut sit concordantia cum locis in aliis schematibus de eodem modo Christum sequendi tractantibus (cf. *de renovatione accommodata vitae religiosae,* n. 14).

Pag. 39, n. 15, linn. 20-30 omittantur. *Ratio*: est elucidatio nimis elaborata.

Pag. 39, inter n. 15 et n. 16, tamquam aliquis transitus e loco de rebus spiritualibus ad locum de rebus temporalibus inseratur textus ut sequitur: « Presbyteris prae ceteris fidelibus valet verbum Domini, ut qui sunt in mundo non sint de mundo (*Io.* 17, 15). Utentes ergo mundo tamquam non utentes (*1 Cor.* 7, 31) perveniant ad illam libertatem erga res creatas, qua docibiles fiunt ad vocem divinam in vita etiam quotidiana audiendam. Ex qua libertate ac docilitate crescit illa discretio spiritualis, qua in suo ministerio et in ordinanda vita propria ac habitudine ad bona terrestria opus habent. (Continuatur in pag. 4).

Quae habitudo pro presbyteris magni est momenti, quia salus nostra in medio mundo perficitur et bona creata profectui personali hominis prorsus sunt necessaria. Nihil solliciti (cf. *Phil.* 4, 6) gratias ergo agant pro omnibus, quae eis a Patre caelesti ad vitam recte peragendam donantur. Discernant tamen oportet in lumine fidei omnia, quae eis occurrant, ut ad rectum usum bonorum Dei voluntati respondentem ducantur et respuant, quae saluti suae sunt obnoxia ».

Pag. 42, n. 19. Initium a linn. 11-13 mutetur: « Sacrosancta haec Synodus omnes denique presbyteros invitat ut una cum episcopis sicuti cum fratribus in Domino in dies fideliores se praestent missioni Christi ac numquam... ». *Ratio*: ut magis benigne sonet et episcopi se ne exemptos esse ostendant a perfectione paulatim obtinenda.

Pag. 42 et 43, n. 19. Omittantur verba « Sacrosancta Synodus » quae hic ter repetuntur. *Ratio*: haec repetitio non est apta ad reverentiam erga S. Synodum fovendam.

Pag. 43, n. 19 a linea 7 mutetur: « Presbyteris, episcoporum fratribus in ordine sacerdotali, ... » ut benignius et intimius sonet.

10

Exc.mus P. D. IOSEPH BÁNK

Episcopus tit. Materianensis, aux. Iaurinensis

(Absentis exc.mi D. Bánk textum legit exc.mus P. D. Ioseph Ijjas, ep. tit. Tagaratensis, adm. ap. Csanadiensis in Hungaria, qui sic praeloquitur:)

Venerabiles Fratres,

Commissum mihi est ut textum interventus exc.mi D. Ioseph Bánk hac vice perlegam, quod fraterna promptitudine facio. En textus:

Venerabiles Patres,

In n. 16 schematis summam laudem merentur ea, quae de aequa presbyterorum remuneratione deque eorumdem praevidentia sociali sapienter statuuntur. Nemo non videt, quam maximi sit momenti, ut iustitia socialis ante omnia in nostro campo ecclesiastico perficiatur, ne cum eamdem aliis sollerter praedicaverimus, ipsi reprobi inveniamur!

Nunc liceat mihi quasdam modestissimas animadversiones facere in concreto.

1. *De munere verbum Dei praedicandi, ad n. 2 schematis*. Quae de hac re maximi momenti dicuntur, sicut iam aliqui innuebant, prorsus sunt omnino insufficientia. Necessarium censeo, ut Concilium nostrum heic vel alibi quaedam verba gravissima faciat de responsabilitate sacra deque novis omnino methodis verbum Dei digne et efficacius praedicandi. Praedicatio enim nostra, proh dolor! fere ubique in crisim, seu in discrimen vocata est: tum ratione materiae tum ratione formae. Totum ergo systema praedicandi quamprimum severissime revisioni subiiciendum est. Ordo seu ratio dicendi ab ipso Ordinario loci tamen praescribi deberet ita ut datis temporibus, v. g. omni triennio, praecipua fidei nostrae principia omnibus fidelibus nostris ad modum adultorum patefiant. Eloquentia ergo sacra ad pristinum splendorem restituenda est. Sermo sacer sit longa meditatione praeparatus, brevis, exemplis praesertim Sacrae

Scripturae munitus, stylo perpolito concinnatus, ad exigentias mundi huius temporis accommodatus, amorem Boni Pastoris resplendens et denique vita exemplari oratoris probatus.

Perutile esset si ad adiuvandos praesertim sacerdotes iuvenes Romae, vel alibi, Centrum vel Consilium quoddam de verbo Dei digne annunciando erigeretur, cuius esset in linguis diversis subsidia praestare pro praedicatione, v. g. edere summaria proverbiorum, citationum ex auctoribus classicis, vel breves adumbrationes facere de diversis materiis, item concordiam facere inter theologiam et scientias naturales ad usum oratorum.

2. *De munere populum Dei regendi, ad n. 4.* In pag. 17 haec leguntur: « Sed et iuniorum peculiaria urget cura et insuper coniugum et parentum ... » etc.: ad haec humiliter sequentia addere forsan iuvabit: « Specialis eorum sit cura, Boni Pastoris exemplum sequens, de iis fidelibus qui in matrimoniis invalidis Ecclesiae sacramentis orbati misere iactantur, et omnibus modis satagant ad divortia tollenda et praecavenda ».

En rationes. Venerabiles Patres! Si unam alteramque Civitatem excipiamus, divortium per portam matrimonii civilis late latiusque apertam in fere omne orbis regnum irrepebat, et nunc inter iuvenes praesertim coniuges incredibili modo grassatur. Multi fideles in matrimonio invalido viventes a Concilio nostro impossibile quid exspectant, suorum nempe coniugiorum convalidationem. Cum et ipsi sint fideles nostri, etsi errantes, Ecclesia: *a*) aliquo modo reddat eosdem certiores, sese ipsis condolere, sed contra ius divinum vinculum ligaminis eorum convalidare non posse; *b*) eosdem pie roget, animos ne perdant, peccataque sua cum educatione vere catholica puerorum expiare velint; *c*) cum permulti fideles nostri in matrimonio sic dicto mixto vivunt, a Concilio nostro suadendum esset Summo Pontifici, ut haec matrimonia ob defectum tantum formae canonicae saltem inde a quinque annis nulliter attentata in radice benignissime sanare dignetur. Hac enim paterna dispositione permultis in familiis pax domestica et animae tranquillitas reverteretur.

Sed in ipsa Ecclesia ad praecavenda divortia aliqua omnino facienda sunt: *a*) praeparatio ad matrimonium revera sit seria cum examine de fidei nostrae rudimentis coniuncta ...[1]; *b*) quotannis in qualibet parochia sic dictus dies matrimonii christiani cum triduo sacro introducatur. Sermones sacri sint separatim ad maritos, ad uxores et ad iuvenes nupturientes ...[2]; *c*) promissio seu sponsalitiae matrimoniales — si fieri potest — sint obligatoriae, ut una pars alteram interea cognoscere

valeat. Cum etenim in ordinibus religiosis vota perpetua praemissis novitiatu votisque temporalibus fiant, in matrimonio statim ad votum seu ligamen perpetuum devenitur! *d*) Statuatur iure positivo novum impedimentum matrimoniale erroris ex capite deceptionis in casibus determinatis (v. g. mores corrupti, praegnantia ab alio mulieris, etc.). Hoc modo coniuges iniuste et fraudulenter decepti praevio processu a vinculo absolvi possent, eorumdem matrimonia invalida declarando.

3. *Quaedam de oboedientia, ad n. 14.* In textu recolendum esset momentum quoddam pulcherrimum sacrae ordinationis, ubi Ordinario proprio pro tempore existenti oboedientia et reverentia promittitur. Revera non agitur heic de caeca oboedientia, de « Sic volo, sic iubeo », sed de rationabili obsequio, quod ex parte sacerdotum-filiorum patri-episcopo debetur. Item in aetate, ubi valor auctoritatis et iuris valde deficit, inculcandum foret, quod in Ecclesia sine iuris iustitiaeque respectu nunquam erimus « acies bene ordinata »! Legi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Saepe saepius sine prima Communione et sine Baptismo accedunt ad Matrimonium. Ergo instruendi sunt! [2] Card. Suenens simile quid iam optime commendabat.

11

Exc.mus P. D. STEPHANUS LEVEN
Episcopus tit. Buritanus, aux. S. Antonii

Fratres Concilio dedicatissimi et Filiae Auditrices carissimae!

Non habeo paginam ex libro precum [1]! Velim vocem meam levare et verbum proferre pro homine neglecto et oblito in schemate, nempe pro vicario cooperatore.

Hoc Concilium Oecumenicum multa perpulchra edixit de notione episcoporum, *etiam auxiliarium*,[2] multa de parochis, de religiosis, de fratribus seiunctis et de non-christianis. Impossibile videtur quod in textu nostro de ministerio et vita presbyterorum nihil prorsus invenitur de figura et apostolatu vicariorum cooperatorum. Quomodo eos praetermittere possimus? ...[3]

In multis archidioecesibus et dioecesibus plus quam media pars sacerdotum in apostolatu versantium vicarii cooperatores sunt. Certe inaestimabilem laborem in paroeciis perficiunt! Eis vero nullus definitur status iuridicus et eis vindicantur fere nulla iura. Ridetur semper quando dicitur vicarium nullum habere ius nisi ius ad sepulturam ecclesiasticam. Attamen non est causa ridendi pro vicario.

Vicarius a parochis et etiam non infrequenter ab episcopis habetur tamquam mere iuvenis, adolescens, valde immaturus. Si vita communis servatur, frequenter vicarius tamquam hospes aestimatur et *vitam, sicuti in seminario, ducit.*[4] Si, e contra, mos est quo singuli sacerdotes proprias domos habent, saepe vivit a parocho et a necessitatibus paroeciae fere isolatus. Revera autem vicarius nullo modo est iuvenis. *Si habet*[5] viginti quattuor annos vel quadraginta duo — vel plus, est vir, vir maturus, vir qui multos annos laboris et studii dedicavit ut necessitatibus populi Dei inserviret. Est vir pretiosis qualitatibus et charismatibus praeditus qui nullo modo debet isolari a regimine paroeciae ...[6]

Ad normam canonum parochus solus possidet statum proprie iuridicum, et ipsi soli competit decisio de omnibus rebus paroeciae. Praeterea in dioecesibus maioribus presbyter fit parochus solummodo quando vigor et vis fere evanuerunt! Insuper in iure, paroecia tamquam beneficium habetur — ac si esset praemium fruendum, non *munus*[7] implendum ...[8]

Nemo neget trauma, immo et frustrationem tot vicariorum cooperatorum in nostris diebus; est crisis valde gravis! Methodus antiquata et inefficax qua hodie reguntur persaepe prohibet exercitium charismatum quae habent. Immo propter praesentem frustrationem et abusum charismatum vicariorum saepe fit quod cum tandem aliquando parochi sunt constituti, incapaces sunt veri et fructuosi apostolatus.

Directores technologiae modernae eiusque negotiorum societatum tantas pecunias et tot annos non impenderent in educatione hominum et postea eosdem tam inepte, et tam inconsulte et tam infructuose adhiberent. Administratores moderni qui artem administrationis bene callent iam didicerunt quod si homines maturi tractantur tamquam verae personae humanae, tamquam viri responsabiles, digni reverentia et fiducia, non minuitur auctoritas ipsius administratoris, sed augetur et valde augetur efficientia hominum. In Ecclesia, proh dolor! haec notio responsabilitatis non universaliter recognoscitur. Schema nostrum eamdem proclamare debet.

Vicarii cooperatores una cum parocho debent efformare unam personam moralem, unum presbyterium, unum collegium servitii. Eorum est idem presbyteratus, ...[9] eadem missio ad docendum et ad pascendum populum Dei. Parochus ergo debet agere unacum vicariis, et vicarii *unacum*[10] parocho. Parochus debet vicariis consulere; eisque reverentiam et honorem et fiduciam et amorem exhibere. Simulque vicarii easque qualitates erga parochum ostendere debent. Vicarii, uti viri maturi, collaborare debent tamquam veri cooperatores, memores et necessitatum paroeciae et responsabilitatis ultimae quae apud parochum restat.

Processus quo iudicia bene formantur ...[11] idem est in paroecia ac in aliis circumstantiis complexis, puta in societatibus commercialibus et in rebus publicis moderandis. Habentur sane quattuor gradus: *a*) Congregatio seu computatio omnium elementorum quae ad certum modum agendi pertinent; *b*) aestimatio omnium possibilium optionum alternativarum vel contrariarum unacum effectibus possibilibus; *c*) conclusio logica de modo agendi qui in concreto melior videatur; *d*) *et tunc fine finaliter* [12]: sententia seu iudicium quo hic modus agendi seligatur secus ac ille. Solummodo in hoc ultimo gradu iudicii implicatur auctoritas. Auctoritas minime diminuitur quando sua functio proprie agnoscitur et observatur, immo crescit et honoratur.

Vicarius cooperator, ergo, perbene habeatur tamquam primus inter consultores parochi. Tamquam vir maturus et tamquam presbyter, vicarius proponat elementa necessaria pro iudicio in paroecia efformando. Unacum parocho partem habeat in aestimandis effectibus; unacum parocho laboret in prosequendo conclusionem meliorem.

Sed etiam in regimine dioecesis hi vicarii cooperatores meliore modo adhibendi sunt. Perbene dictum est in par. 6 schematis, lin. 40, post Concilium nos exoptare « coetum sacerdotum aptiore modo ac normis iure determinandis repraesentantium presbyterorum qui episcopum in regimine dioecesis efficaciter adiuvare possit ». Rogo ...[13] quod in textu de hoc coetu fiat mentio presbyterorum iuniorum, praesertim vicariorum cooperatorum ...[14]

Concludo.[15] Memores ergo simus vicariorum cooperatorum nostrorum. Sunt enim bene merentes, Deo et Ecclesiae valde devoti. Ordines sacros acceperunt ut sint veri cooperatores ordinis nostri. De illis, ergo, fiat tractatio — et propria et ampla — in textu emendato schematis nostri ...[16] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Nonne magni momenti aestimantur hi vicarii? nonne sunt viri bene merentes de Ecclesia Dei? Nonne investigare et renovare debemus eorum sortem et condicionem? et ea quae corrigenda sunt corrigere? [4] vita sicut in seminario ducitur. [5] Sive sit natus. [6] In paroeciis ubi haec isolatio verificatur et vicarii parvipenduntur, ministerium saepe fit inane et insipiens, depersonalizatum et dehumanizatum. [7] uti onus. [8] In multis paroeciis Europae et etiam in patria mea audivi multos vicarios dolentes quod sibi non conceduntur onera et responsabilitates vere maturae. Responsum feci: quare populum non visitas in domibus? quare non instituis coetus inter adultos pro doctrina sociali Ecclesiae discenda? vel inter pueros et iuvenes pro catechesi? His tamen vicarii respondent: Parochus non bene aestimat has novitates et eas nobis interdixit! [9] eorum est. [10] cum. [11] (anglice: decision-making). [12] deest. [13] quidem. [14] qui servata debita proportione partem habeant in coetu

proposito. Talis repraesentatio habeatur etiam in consilio pastorali quod in decreto de munere episcoporum commendatur. [15] deest. [16] Secundo, hoc schema debet commendare, et debet explicite commendare usum machinarum et methodorum modernorum in ministerio sacerdotali. Quis et ubi sit parochus qui possit personaliter cognoscere paroecianos iuxta verbum Boni Pastoris, Ego cognosco oves meas (*Io.* 10, 14)? Habentur sane machinae modernae quibus paroeciani individui enumerari possunt unacum eorum facultatibus, charismatibus et necessitatibus. Adnotari potest status educationis religiosae, an matrimonium contraxerint coram Ecclesia, et alia huiusmodi. Hoc modo et adhibens talem machinam pastor gregem suam optime cognoscere potest.

Forsitan obiciatur quod talis machina requirit artem seu sollertiam peculiarem. Bene, deinde acquiratur talis sollertia! aut melius, habeatur laicus hac in re peritus qui adiuvare possit. Forsitan etiam obiciatur quod expensa talis machinae immoderata essent, vel quod alius sacerdos in paroecia talem computationem reddere possit, — et quidem parvioris pretii! Sed respondendum videtur: sacerdotes etiam numerosiores nequeunt agere tali cum praecisione ac machinae modernae, et praeterea et fundamentaliter: sacerdos est praeco Evangelii, est alter ego ipsius episcopi in evangelizatione et sanctificatione animarum. Sacerdos neque est neque debet esse machina statistica! Insuper etiamsi illi apti essent ad hoc onus mere statisticum perficiendum sacerdotes in numero sufficientes omnino desunt. Adsunt vero machinae modernae, perutiles, et ad necessitudines paroeciarum nostrarum plene respondentes. Adhibeantur, ergo, in nomine Domini.

Moderator: Humanissime rogantur Patres ut velint redire ad loca sua. Interim loquatur exc.mus D. Franciscus Žak.

12

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ŽAK
Episcopus S. Hippolyti

Venerabiles Patres,

Textus recognitus schematis nostri in genere laudandus est tamquam vera emendatio prioris textus. Schema utique placet, tamen nonnulla, uti mihi videtur, abbreviari vel omitti possunt, imprimis ubi de rebus communiter notis et persaepe descriptis agitur. Speciali autem commemoratione digna sunt, quae potissimum nostris temporibus respondent ...[1]

1. Praemittere volo aliquam correctionem textus necessariam in n. 7, pag. 24, linn. 4 ss., ubi legitur: « Quapropter magni momenti est ut omnes presbyteri, sive dioecesani sive religiosi » etc. Divisio inter presbyteros dioecesanos et presbyteros religiosos inadaequata, uti dicam, mihi videtur et non correspondet iis quae v. g. in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* in n. 34 dicuntur. Ibi invenimus sequentia verba: « Religiosi sacerdotes ... vera quadam ratione ad clerum

dioecesis pertinere dicendi sunt, quatenus in cura animarum atque apostolatus operibus exercendis partem habent sub sacrorum praesulum auctoritate ». Divisio esse potest tantum inter presbyteros saeculares vel religiosos, qui omnes ad clerum dioecesanum pertinent, sicut Papa Ioannes XXIII, sanctae memoriae, non semel in suis allocutionibus explicavit.

Ea de causa dicatur in textu nostro: « Presbyteri, sive saeculares sive religiosi ... ».

Secundam animadversionem, circa n. 14, tantum in scriptis tradam ...[2]

Tertia animadversio: circa spiritum presbyterorum paupertatis. Quoad spiritualitatem laicorum in schemate *de apostolatu laicorum,* cap. I, n. 4, pag. 17, linn. 40 ss., optime dicitur: Laici « Iesum pauperem secuti, bonorum temporalium nec inopia deiciuntur nec copia inflantur; Christum humilem imitati, non efficiuntur inanis gloriae cupidi, sed placere Deo magis quam hominibus student, semper parati propter Christum omnia relinquere ». Si hoc iam pro laicis valet quanto magis valere debet pro sacerdotibus et quidem temporibus prosperis hodiernis satietate luxuque imbutis?

Nullo modo forsan falsam aestimationem bonorum temporalium vel ipse contemptionem eorum propagare volo; absit etiam omnino, ut sacerdotibus honesta sustentatio denegetur. Tamen homines, inter quos presbyteri habitant, attente animadvertunt immo exspectant discretionem spiritualem sacerdotum circa rectam habitudinem ad mundum creatum bonaque *huius mundi, sicut iam proposuit em.mus card. Döpfner.*[3] Hac in re sacerdotibus hodie munus speciale propositum est. Populus christianus praesertim iuvenes exemplo vivo quoad dictam discretionem spiritualem indigent. Ubi exemplum invenire possunt nisi in vita sacerdotali?

Pro sacerdotibus ulterius valet verbum Domini, ut qui sunt in mundo « non sint de mundo » ...[4]. Utentes ergo mundo « tamquam non utentes » ...[5] perveniant ad illam libertatem, qua indifferentes fiunt erga omnes res creatas ac proinde dociles ad vocem divinam in vita cotidiana audiendam. Ceterum de hac re maximi momenti hodie etiam inter sacerdotes saepesaepius discussio fit. Ergo schema nostrum clarius et fusius in hac materia loquatur oportet.

Venerabiles Patres! Nos in Concilio renovationem instaurationemque Ecclesiae et vitae christianae intendimus. Ista renovatio apud nos ipsos et sacerdotes nostros initium sumere debet. Nobis persuasi esse debemus, istam renovationem solummodo in spiritu Evangelii prospere procedere posse, i. e. in spiritu evangelicae paupertatis, caritatis et liber-

tatis filiorum Dei secundum illud pulcherrimum S. Francisci Assisiensis exemplum.

Imaginem sacerdotis perfectam non servabimus concessiones faciendo sed potius exemplum in vita cotidiana praebendo. Ad hoc schema nostrum presbyteros tamquam « providos cooperatores Ordinis episcopalis » magno fidentique animo exhortari debet et, uti mihi videtur, bene intendit. Exoptamus ut fructus in bonum totius Ecclesiae optimos proferat.

His breviter expositis proponere audeo ut textus noster in nn. 14 et 17 recognoscatur vel suppleatur. Quoddam specimen in scriptis secretariatui tradam. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Hac ratione liceat mihi duplicem animadversionem facere et quidem circa legem coelibatus et spiritum paupertatis. [2] Notum est, quod hodie saepe, tamen raro proh dolor! omni studio et responsabilitate, de coelibatu a sacerdotibus imprimis iunioribus discuttitur. Quandoque ipse animus assensionis internae deest. Lex coelibatus saepius tantum modo negativo consideratur. Ea de causa consideratio positiva in schemate omnino necessaria est. Coelibatus primum non significat aliquam recusationem, sed potius vacationem et quidem pro Regno Dei, qua in re sacerdos ex toto se Christo Domino tradit. Cura animarum eo magis nostris temporibus hanc consecrationem sacerdotis postulat, ut cum S. Paulo dicere possit: « omnibus omnia factus sum » (*1 Cor.* 9, 22). Demonstrari igitur oportet, Ecclesiam ius habere (sicuti in Ecclesia latina constat) ut sacerdotibus legem coelibatus imponat. Ecclesia ex mandato Christi sacramenta administrat et consequenter etiam condiciones statuit sub quibus aliquis sacerdotium accipere valet. Qui ergo sacerdotium libere suscipere vult, etiam condiciones libere affirmare et implere debet. Coelibatus est donum a Patre datum. Ecclesia firma spe exspectat ut Deus istud donum sufficienti numero vocatorum concedat. Sacerdos scire debet, in omni vita sacerdotali difficultates haberi, quae non mutari sed tantum tolerari possunt. Ad has difficultates afflictionesque saepe pertinet discrepantia quae semper habetur inter sanctitatem ipsam et eius perfectionem realem in vita sacerdotis. Haec discrepantia praesertim ab illo sentitur qui serio ad maiorem sanctitatem tendit. Hanc exspectationem non solummodo dies paucos sed totam vitam sine periculo alicuius minimalismi potius laeto animo comprobare, hoc certe virtute et magno robore indiget. Propterea mihi necessarium videtur, schema nostrum quoad legem coelibatus animum sacerdotum clarius vehementiusque confirmare et in eis fiduciam divini auxilii excitare debere, quia usu subsidiarum ad vitam interiorem fovendam — quae subsidia in schemate indicantur — a Deo illam perseverantiae gratiam accipient, ut omnes difficultates afflictionesque superare et ita animae aequitatem ac tranquillitatem consequi possint. Ut falsam spem exspectationemque praecaveamus omnino subscribere debemus quod in n. 14, pag. 36, linn. 38-39 dicitur: « Itaque legem coelibatus Sacrosancta haec Synodus iterum comprobat », cui addantur saltem verba « et confirmat », quia hac in re et sacerdotes et populus christianus a Concilio iudicium certum integrumque exspectant. [3] terrestria. [4] (cf. *Io.* 17, 15). [5] (cf. *1 Cor.* 7, 31).

Animadversiones additae:

De habitudine presbyteri ad mundum bonaque terrestria: Presbyteris prae ceteris fidelibus valet verbum Domini, ut qui sunt in mundo non sint de mundo (cf. *Io.* 17, 15 s.). Utentes ergo mundo tamquam non utentes (cf. *1 Cor.* 7, 31), perveniant ad illam libertatem, qua indifferentes fiunt erga omnes res creatas ac proinde dociles ad vocem divinam in vita cotidiana audiendam. Ex hac libertate et docilitate excrescit discretio spiritualis circa rectam habitudinem ad mundum creatum bonaque terrestria. Quae habitudo pro presbyteris magni est momenti, quia salus nostra in medio mundo perficitur et bona creata profectui personali hominis prorsus sunt necessaria. Nihil solliciti (cf. *Phil.* 4, 6) gratias ergo agant pro omnibus, quae eis a Patre caelesti ad vitam recte peragendam donantur. Discernant tamen oportet in lumine fidei omnia, quae eis occurrant, ut ad rectum usum bonorum Dei voluntati respondentem ducantur et respuant, quae saluti suae sunt obnoxia.

Moderator: Audiant Patres! Moderatoribus visum est tempus esse proponendi huic congregationi quaestionem: « An Patribus placeat finem imponi disceptationi super schema *de ministerio et vita presbyterorum?* »

Patres quibus finem item poni placet, velint surgere; alii maneant sedentes. [*Intervallum*].

Loquatur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, vobis proponitur nunc quaestio, cui respondendum est per schedulam, quae mox distribuetur: « An schema *de ministerio et vita presbyterorum* placeat ut basis ulterioris elaborationis, iuxta animadversiones Patrum? ». Repeto ... *Placet* an *non placet?* Per schedulam respondendum est.

13

Exc.mus P. D. EMMANUEL FERNÁNDEZ-CONDE
Episcopus Cordubensis

Venerabiles Patres,

Gaudendum quidem est quod schema in sua luce ponit excellentiam, naturam et missionem presbyteratus, necnon quia, sub aspectu practico, claram et efficacem solutionem praebet multis quaestionibus, quae vitam et ministerium presbyterorum afficiunt; proinde, ex parte mea laude dignum est.

Nunc vero, liceat mihi tamen quasdam animadversiones breviter proponere ...[1]

I. In n. 6 presbyteri merito vocantur « pretiosa spiritualis corona episcoporum », necnon « adiutores et consiliarii in ministerio et munere

docendi, sanctificandi et regendi populum Dei ». Statuit quoque schema, in hoc ipso numero, ut constituatur coetus sacerdotum presbyterium repraesentantium, qui episcopum in regimine dioeceseos efficaciter adiuvare possint. Totis viribus approbo constitutionem huiusmodi coetus, ex quo tot beneficia sequentur pro efficacitate et unitate actionis pastoralis, sed aliqua sunt notanda.

Primo quoad nomen: enixe postularem ut non vocetur simpliciter « Coetus Presbyterorum » quod est appellativum nihil fere significans, maxime si de eius translatione in linguas vernaculas cogitamus. Aptius vocari posset « Senatus Presbyterorum » quod verbum melius designat munus talium sacerdotum, et praeterea iam adhibetur a S. Ignatio Martyre, qui presbyteros appellat « senatum Dei et consilium apostolorum » ...[2] et legitur quoque in Codice Iuris Canonici, ubi Capitulum Canonicorum vocatur « senatus et consilium episcopi » ...[3]. Si ergo munus coetus fere idem futurum est in posterum, quia locum illius tenet, idem nomen adhiberi potest. In textu praecedenti seu recognito, hoc etiam nomen legitur; melius igitur esset ut restitueretur.

Quoad naturam: prout iacet textus natura huius coetus tantum impraecise et confuse exprimitur.

Cum hodie sit « Senatus Canonicorum », vel *coetus* [4] consultorum dioecesanorum, et cum sit instituendum Consilium pastorale, de quo in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* n. 27, a priore distinctum, nihil restat pro novo coetu, de quo agitur, nisi nova reordinatio consilii existentis quod episcopo iuvat in dioecesi administranda. De cetero consentio cum em.mo Card. Ruffini quoad munus consultivum istius coetus.

Sed adumbrari non possent quaedam veluti orientationes quae hanc novam ordinationem exponerent? Parte pastorali dempta, coetui, iuxta hoc schemate stabiliendo, pars minus apta labori cohaesionis sacerdotum cum episcopo remanet. Respondetne hoc illi coetui primorum saeculorum, aut *quod est* [5] grato et ...[6] animo erga episcopum exspectant sacerdotes? Ex alia parte, quousque exspectandum erit ut hoc institutum stabiliatur? Nonne urget eius erectio? Revera hoc praesumitur in fine n. 6 cum haec verba leguntur: « nullus ergo presbyter seorsum ac veluti singillatim suam missionem satis adimplere valet, sed tantum viribus unitis cum aliis presbyteris sub ductu eorum, qui Ecclesiae praesunt ».

II. In secunda parte schematis — ubi de vita presbyterorum est quaestio — semper procedendum esset in exponenda materia ut logicae consequentiae illarum rerum quae in prima parte dicta sunt. Ut vivere

debet sacerdos nisi congrue dignitati qua Dominus eum erexit ut ministrum Evangelii constitueret? Nonne ex ima re postulatur?

Liceat tamen mihi aliquas animadversiones facere: meo humili iudicio censeo quasdam inveniri lacunas quoad ea quae dicuntur in n. 15, circa subsidia ad vitam interiorem fovendam.

In n. enim 13: Sacramentum altaris optime dicitur « centrum ac radix » totius vitae presbyterorum, quae expressio concinna est et pulchra; et in n. 12 sacerdotibus commendatur cotidiana celebratio sanctae Missae, etiam non praesente populo, quod apprime congruit cum iis, quae dicuntur in Litteris Encyclicis *Mysterium Fidei,* quae saltem ad calcem in notula adduci debent. Sed ad pietatem personalem quod attinet, dicitur solummodo: « magni tandem faciant (presbyteri) cultum Sanctissimae Eucharistiae », quae minime sufficere videntur; aliquid amplius esset dicendum.

Bene quidem intelligo non expediri ut in schemate devotiones particulares commendentur in concreto, et ita plena conceditur libertas eas eligendi « iuxta inspirationem Sancti Spiritus et lumen gratiarum eius » ut legitur in pag. 39.

Sed fortasse aliquid esset pressius et explicitius affirmandum de pietate et spiritu liturgico post constitutionem *de Sacra Liturgia* cum fere tota ista ascetica vita sacerdotis ad altare exerceatur, ut schema ait de Christo « qui in Liturgia sacerdotali munus suum iugiter exercet » ...[7]. Cum vero agitur de devotione erga B. Virginem Mariam, cur non innuitur recitatio S.mi Rosarii, prima omnium devotionum erga B. Virginem?

Alios modos existimo etiam esse qui magno adiumento sunt ut vita interior vere foveatur. Optimum tamen iudico ut prudens moderatio schematis in hac parte non turbetur, quamvis haec pars ieiunior quam prima videatur, ut possibiles sint iusti conatus qui ubicumque oriri possunt.

Cur tamen significatio huius rei nulla fit? V. g. in pag. 39, lin. 21 — post « fovendam » — *posset addi*[8]: « fraternitas sacerdotalis, mutua inter sacerdotes fiducia, spiritus divinarum rerum cogitationis, labor apostolicus et studium continuum ».

Duo sunt peculiariter laudanda in schemate et, quae, in praxim deducta, magnum adiutorium erunt pro vita spirituali et pastorali sacerdotum: 1) Cursus, de quo in n. 5 schematis ...[9] 2) Corpora mobilia, de quibus in n. 9 quae ad plenam efficacitatem ministerii postulantur, cum impossibile sit universos sacerdotes habere particularem praeparationem ...[10]

Faxit Deus ut hoc schema, ex explicita voluntate episcoporum paratum ut amoris pignus erga sacerdotes significemus et a commissione

conciliari quidem peritia perpolitum, magnae utilitati sit ministerio et vitae nostrorum sacerdotum!

In textu scripto tradito: [1] quae fortasse utiles esse possunt. [2] (Trall. 3, 1). [3] (can. 391 § 1). [4] deest. [5] est quod. [6] magno. [7] (n. 3). [8] deest. [9] ut presbyteri conveniri possint praesertim paucis annis post ordinationem, ad pleniorem methodorum pastoralium et scientiae theologicae cognitionem acquirendam, necnon ad vitam spiritualem roborandam. [10] ad exercendas omnes et singulas species laboris pastoralis.

14

EXC.MUS P. D. STEPHANUS BARELA
Episcopus Czestochoviensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine episcoporum Poloniae.[1]

Schema, de quo nunc agitur, quoad doctrinam et indolem cum constitutione dogmatica *de Ecclesia* intime connectitur. In utroque textu unitas sacerdotii proclamatur, et quidem ratione habitudinis presbyterorum cum episcopo. Attamen praetermittitur fundamentum huius unitatis, quod scil. est immediata unio ipsius sacerdotis cum Christo — Capite Corporis Mystici et Victima, simul cum filiali unione ad Matrem Vicariumque eius. Haec omissio gravissima et valde periculosa mihi videtur tum propter rationes theologicas tum propter confusionem, quae ex hac omissione pro vita practica sacerdotum oriri possunt.

I – Textus schematis dicit quidem: « Quoniam presbyteri ratione ordinis sacramentalis arctiore modo cum Christo Sacerdote coniunguntur » ...[2], sed verba haec quasi in margine capitis De Presbyterorum vita, non vero in capite De unitate Sacerdotii ponuntur, sufficere non possunt. Vi enim consecrationis sacerdotalis per se et principaliter ordinati sumus ad Sacrificium divinum offerendum, in quo scil. ipse Christus offert seipsum, totumque Corpus suum Mysticum, et specialiter cum singulari amore suum ministrum, seu celebrantem. Ideoque ratione huius oblationis Christi sacerdos est non solum minister Eucharistiae, sed etiam quodammodo hostia, imperfecta quidem sed perficienda, informis si, quod Deus avertat, caritas supernaturalis in corde sacerdotis desit, formata vero si ille per Christum, cum Christo et in Christo seipsum offert in spirituale sacrificium, in « hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium » ...[3], maxime quando magna cum

caritate suscipit crucem, quam ipse Deus ei imponit sub specie tribulationum, laborum, aegritudinis, humiliationis, contemptus, paupertatis. Propter hanc unionem cum Christo victima quilibet sacerdos iam in die ordinationis debet generose omnem crucem acceptare, quam Providentia Dei ab aeterno voluit aut permisit, ut ei imponatur ad salutem animarum et ad vivam similitudinem cum Christo Crucifixo in illius persona efficiendam ...[4]

Praetermissio doctrinae de unione sacerdotis cum Christo-Victima in paragrapho de unitate sacerdotii valde periculosa mihi videtur, quia cum tacet de hac re, faciliter a quibusdam iudicabitur favere cuidam modernistarum conformismo. Si enim unio cum Christo-Victima fundamentum unitatis sacerdotalis sit, neglecta illa, tollitur haec vel totaliter vel saltem essentialiter ...[5]

II – Ex unione sacerdotis cum Christo-Victima tamquam essentiali fundamento unitatis sacerdotii, necessitas unionis presbyteri cum Maria Matre Corporis Christi Mystici, logice sequitur.

Schema nostrum bis de B. Virgine Maria mentionem facit, scil. exhortando ut sacerdotes « exemplum Domini eiusque Matris sequentes » sint ...[6], et monendo, ut ipsi « devotionem erga B. Virginem magni faciant. Ipsa enim est Mater Summi et Aeterni Sacerdotis ... » *etc.*[7] (pag. 39).

...[8] Omnis christianus, et praesertim sacerdos, matre spirituali indiget, ut crescat in eo fides, spes, caritas, simul cum humilitate et magnanimitate, puritate et fortitudine. Unde Dominus Salvator constituit Mariam, Matrem Ecclesiae, ut sit Mediatrix universalis omnium gratiarum. Haec Mater optima et amantissima, quae dedit nobis principalem Sacerdotem et Victimam sacrificii crucis et simul utpote Corredemptrix, cum Christo et per Christum incruentum sacrificium Christi obtulit. Insuper Maria non solum est Mater Summi Sacerdotis et Apostolorum Regina, ut admittit schema, sed insuper est mater spiritualis sacerdotum, ut communiter docent theologi ex verbis Christi morientis ad Ioannem: « Fili, ecce Mater tua ». Maria, utpote mater sacerdotum, specialiter invigilat super eorum sanctificatione et ministerio apostolico, et super intima unione cum tota familia sacerdotali, quia mater ex natura sua tamquam fons unitatis domesticae societatis communiter habetur.

III – Mirum est quod in nostro schemate *de ministerio et vita sacerdotum* de Vicario Christi nihil habetur nisi tria verba, ut scil. presbyteri noscant « Romanorum Pontificum documenta » ...[9]. Nihil nostrum schema dicit de filiali erga Sanctam Sedem devotione, de amore erga Vicarium Christi, de oboedientia eius praeceptis, ac de reverentia ei

debita. Christus enim sacerdotium pro Ecclesia instituit. Ecclesiae vero, utpote societati fidelium visibili suum vicarium visibilem praeposuit, ut sit ipse pastor omnium fidelium, ergo etiam sacerdotum, non solum mediantibus episcopis sed etiam immediate et directe. Potestas enim Summi Pontificis ...[10] est vere episcopabilis, ordinaria et immediata tum in omnes et singulas Ecclesias tum in omnes et singulos pastores et fideles.

Certum est etiam, quod unio omnium et singulorum sacerdotum cum episcopo suo ex unione cum Summo Pontifice vim habet, ita scil., ut haec conditio necessaria et essentialis illius est. Sublata unione episcopi cum Summo Pontifice, tollitur ratio unionis sacerdotum cum suo episcopo. Ratio enim cur sacerdotes suo Ordinario uniti esse debent haec est, quod simul cum episcopo uniuntur visibili Capiti Ecclesiae, seu Vicario Christi ...[11]

Conclusio. Supradicta unio presbyterorum cum Ecclesia practice fovenda et serio tractanda est, nempe per totam vitam sacerdotalem. Ut hic finis obtineatur, humiliter propono:

1. *Curam pastoralem erga presbyteros aspicere et eorum unionem cum Christi Ecclesia profundiorem et magis efficacem facere.*

2. *Ut natura unionis presbyterorum cum Ecclesia universali, sub aspectu theologico magis in luce ponatur.*

Particularia et observationes positivam cooperationem presbyterorum cum religiosis, scil. cum sororibus, in campo pastorali et apostolico respicientes secretariatui tradam.[12] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (n. 11, pag. 31). [3] (*Rom.* 12, 1). [4] Plures huiusmodi sacerdotes habentur, praesertim in his regionibus ubi privantur quidem non solum mediis communicationis socialis, e. g. televisione, diariis, scholis, sed etiam necessariis ad vitam, ita ut non nisi maxima generositate fidelium sustentantur, et tamen fere diu noctuque tanquam fortes milites Christi strenue laborant. De illis tamen schema nostrum omnino tacet, nec verba cuiusdam consolationis ipsis annuntiat, quibus in suo durissimo certamine et silentioso labore confortentur. [5] Non desunt hodie qui supprimere volunt crucem et spiritum sacrificii in vita sacerdotali, cui opponunt spiritum pseudolibertatis et licentiae in delectationes. Sed quia nihil magni fit sine spiritu sacrificii, fautores huius tendentiae sub aspectu supernaturali omnino steriles efficiuntur, non obstante eorum externa activitate. Quidam hanc sterilitatem videntes et vitam sacerdotalem exigentiis mundi moderni conformare volentes, putabant austeritatem eius minuendam esse, tempus orationis abbreviandum in favorem operum externorum, specialem vestem sacerdotalem auferendam et sic de ceteris. Sed haec omnia sterilitatem activitatis externae plurium sacerdotum non minuunt, quia haec ex defectu fidei supernaturalis frequentissime provenit. Nemo vero dat quod non habet. Solus spiritus sacrificii efficit ut in vita sacerdotali caritas prae-

valeat, ex qua zelus apostolicus simul cum pace et recto gaudio suiipsius diffusivo emanat. Sacerdos qui hoc spiritu sacrificii caret assimilatur potius ministris Pilati scil. militibus, qui Christum crucifixerunt. [6] (pag. 36). [7] ideoque et Regina apostolorum. [8] Redactores schematis ignorare videntur quod in ultima sessione Sacrosancti Concilii nostri B. Maria Virgo mater totius Ecclesiae declaratur, et quod ex hac maternitate tantae consequentiae pro unitate sacerdotali proveniunt. [9] Haec etiam dicere possint atheistae in eorum ratione studiorum! [10] ut dicit C.I.C. can. 218. [11] Ignorantia practica huius principii causa erat quod seiunctis ab Ecclesia catholica quibusdam episcopis, seiuncti sunt etiam eorum sacerdotes, aestimantes se esse directe et immediate unitos non nisi proprio episcopo, non vero Vicario Christi. Ne huiusmodi error repetatur qui tantas regiones ab Ecclesia catholica separavit, opus est ut in schemate decreti *de ministerio et vita presbyterorum* clare indicetur quod omnes sacerdotes immediate subduntur etiam et praecipue Summo Pontifici, ita quod unio cum ipso est ratio ac condicio necessaria unitatis cum proprio Ordinario et totius sacerdotii. [12] Denique humiliter propono ut decretum nostrum sermonem etiam faciat de cooperatione sacerdotum cum religiosis, et praesertim cum agitur de sororibus, adhortentur sacerdotes ut intelligere velint, quod labor illarum in tantum fructuosum erit, in quantum hae sorores, vero spiritu religioso animatae, secundum proprias Constitutiones et sub oboedientia propriae superiorissae in regulari observantia vivunt. Unde oportet, ut studeant non solum illas in propriae paroeciae commodum adhibere, sed maxime illas adiuvare ut « Caritas earum magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu ».

15

Exc.mus P. D. SEBASTIANUS SOARES DE RESENDE
Episcopus Beirensis

Venerabiles Patres,

Textus reemendatus *de ministerio et vita presbyterorum* in genere placet. Certissimum est Concilium Vaticanum II remanere in futurum praesertim ut Concilium episcopatus. Non autem remanebit, eodem modo, ut Concilium presbyteratus. Fortasse Concilium presbyteratus erit primum Concilium Oecumenicum post hoc praesens Concilium. Nolo autem tali expressione affirmare textum nostrum pulcherrimam doctrinam de presbyteratu non continere sed intendo dicere tantum theologiam presbyteratus sufficienter maturam non esse ut in textu actuali modo exponatur definitivo. Attamen quidquid in futuro addendum sit huic doctrinae mihi videtur quod Concilium nostrum aliquid profundius et aliquid novum de hac re affirmare debet in praesenti schemate. Ecce observationes meae:

1. In omnibus fere paragraphis nostri textus presbyter dicitur minister, missus ab episcopo sicut episcopus missus est a Christo, sacra

potestate pollens, providus cooperator episcopi, participans auctoritate Christi, etc., etc. Verumtamen expressiones istae per se non nobis demonstrant veram naturam et totam dignitatem presbyteri. Oportet ergo essentiam presbyteri evidenter referre ut omnibus facile appareat unde derivantur omnia attributa sacerdotalia et revera apprehendatur totus sensus illorum nominum quibus in schemate nostro presbyter designatur. Natura etenim presbyteri cognoscitur atque demonstratur per eius relationem ad Christum qui fons est atque causa omnis sanctitatis ontologicae creaturarum. Talis est lex generalis in theologia catholica. Ita dignitas B.mae Virginis Mariae tota consistit in relatione eius ad Christum cuius Mater est. Dignitas episcopi tota etiam reducitur ad eius relationem cum Christo, in quantum eius sacerdotio participat in illa maxima mensura quam Deus hominibus decrevit. Dignitas autem *sacerdotis* [1] similiter habetur in eadem relatione cum Christo quia eius sacerdotio participat sed non eadem mensura ac episcopus. Attamen sacerdotium presbyteri est specifice idem ac sacerdotium episcopale. Necessarium est ergo explicite referre quod participatio illa sacerdotii Christi fit per impressionem characteris a sacramento Ordinis communicati et ideo vi huius realitatis sacerdos est ille homo qui post episcopum et in linea sacramentali maiorem unitatem ontologicam habet cum Christo. Propterea presbyter non est simplex minister Christi, non tantum missus ab episcopo, neque auctoritate Christi pollens sed post episcopum maior ac realis repraesentans Christi in Ecclesia est. Sicut in linea Mysterii Incarnationis Verbum unctum est a Patre et Incarnatum est et factum est Christus, ita in linea sacramenti Ordinis homo unctus est a Christo, assumpsit characterem sacerdotalem et factus est presbyter.

Hoc in textu dicatur ut natura et dignitas presbyteri tota luce videantur et recognoscantur ab omnibus quia in presbytero realitas illa characteris sacerdotem facit et titulum constituit exigitivum fundamentale *omnis* [2] sanctitatis moralis sacerdotii.

2. Ego propono quod inter par. 4-5 introducatur nova licet brevissima paragraphus cuius titulus plus minusve sic sonet: Presbyteri sub ductu episcoporum communitatis christianae generatores. Nam vita trinitaria est vita communitaria. Vita Ecclesiae est vita communitaria. Ideoque Summus Pontifex non est sibi sed communitati. Episcopus non est sibi sed communitati. Presbyter etiam non est sibi sed communitati. Ergo tota actio pastoralis presbyteri servitium communitatis esse debet. In labore presbyterali nihil habetur individuale sed omnia ordinanda sunt ad communitatem efformandam christianam. Praeterea omne illud quod a Concilio iam dictum est, praesertim in constitutione Ecclesiae, in constitutione liturgica, in decreto de Oecumenismo, fundamentaliter

reducitur ad affirmandum quod Ecclesia communitas est fidei, cultus, caritatis et apostolatus. Oportet ergo quod in consonantia cum illis documentis *conciliaribus*[3] affirmetur dimensio communitaria Ecclesiae et simul bene determinetur natura ministerii sacerdotalis erga generationem illius communitatis.

3. In par. 6-8 in quibus loquitur de habitudine inter episcopos et presbyterium, de unione et cooperatione inter presbyteros et conversatione presbyterorum cum laicis mihi videtur esse omnino necessarium quod explicite dicatur de sacerdotibus agi sive dioecesanis sive religiosis. Nam valde oportet conceptum presbyterii attente considerare et profundius evolvere ut ab omnibus theoretice et practice recognoscatur familiam sacerdotalem esse unam. Fortasse de hoc presbyterio modo definitivo loquetur illud Concilium Oecumenicum futurum. Ideoque sacerdotes omnes, sive dioecesani sive religiosi, se habere debent sicut fratres quia sacerdotium eorum totum reponitur in linea sacramenti Ordinis et non in linea professionis religiosae. Ita sacerdos religiosus prior est sacerdos episcopi *sub quo apostolatum facit*[4] quam eius entitatis religiosae. Nonne presbyterium totum essentialiter *est unum*[5] ad episcopum, quasi sicut episcopatus totum est essentialiter erga Summum Pontificatum?

4. In par. 9 agitur de apta distributione presbyterorum et optime quidem. Attamen in expositione huius doctrinae silentium fit de duabus condicionibus quae in hac re valde desiderandae sunt, scil. una ex parte episcopi et alia ex parte sacerdotis. Disponendo de aliquo sacerdote in favorem alterius dioecesis, episcopus mittere non debet sacerdotem deficientem quoad qualitates humanas fundamentales vel quoad virtutes morales sacerdotales. In talibus circumstantiis dispensatio haec certe oblatio generosa non esset dioecesi alienae sed opportuna solutio difficultatis in dioecesi propria. Ex alia parte presbyter nolit praesertim in missiones proficiscere respiciens aliquem finem minus rectum sed tantum maiorem perfectionem sacerdotalem et salutem animarum.

5. brevissima et ultima. In par. 14 in quo agitur de consiliis evangelicis textus noster relate ad paupertatem citationes non habet selectas et sufficientes ex Sacra Scriptura. Quare non referuntur illa verba: « Et peperit filium suum primogenitum et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio »? Et alia illa: « Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet ». Talis est realismus vitae paupertatis Domini, *nostrae imitationi expositus.*[6] De paupertate in apostolatu etiam non citantur illa verba Domini ad discipulos: « Nihil tuleritis in via, neque virgam neque peram neque panem neque pecuniam neque duas tunicas habeatis ». Patres venerandi,

in mundo hodierno omnes pastores, scil. episcopi et presbyteri, respondere debent hominibus huius temporis sicut Petrus claudo respondit ad portam templi: « Argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do: in nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] sacerdotii. [2] deest. [3] conciliariis. [4] deest. [5] deest. [6] deest.

16

Exc.mus P. D. ALBERTUS NDONGMO
Episcopus Nkongsambensis

Venerabiles Patres,

Agere [1] sequitur esse, ait philosophus. Atqui in hoc schemate *de ministerio et vita presbyterorum,* ens sacerdotale vel presbyterale vix memoratum est et quasi transeunter in cap. I (pag. 12 et 13). Ergo necesse est ut Ens sacerdotale clarius definiatur et analytice praebeatur in aliquo capite primario et independente, ut non solum ministerium et vita presbyterorum ex hoc ente sacerdotali logice consequatur, sed etiam ut clarificentur et definiantur multiplices relationes tum inter presbyteros et episcopos, tum presbyteros inter et laicos, tandem ut penitus amoveatur quidam modus dicendi moralisticus et paternalisticus.

Quid est ergo ens sacerdotale vel presbyterale? Ens sacerdotale *theologice et* [2] ontologice constituitur per relationem particularem quae refert baptizatum quemdam ad Christum-Sacerdotem et Caput, « viam, veritatem et vitam » ...[3], et vertit eum totaliter ad Christum. « Sacerdotium, ait card. Suhard, non est aliquid quod efficitur; est aliquid quod est. Et quidem in aliquo sensu, non est aliquid, sed aliquis: Christus ». Christus est sacerdos eminenti gradu, et solus vere sacerdos: omnis vera mediatio Deum inter et homines necessarie (quamvis modo plus minusve longinquo) ad Eius Sacerdotium refertur. Ut hic loquamur solummodo de sacerdotio ministeriali quod confert sacramentum Ordinis, Ecclesiae fides iam ab origine maxima claritate ...[4] expressa est: presbyteri enim, secundum doctrinam Patrum, sunt ministri, vicarii, servi Christi qui Eum repraesentant, i. e. qui faciunt Christum praesentem hominibus, qui sunt signum efficax eius praesentiae permanentis et qui exercent ministerium in Eius nomine et loco; alio modo, ut utamur verbo quod in futuro favore gaudebit apud theologos, instrumenta Christi sunt. Oportet plurimum insistere super hac doctrina quae evidens videtur; ideoque affirmandum est illam radicalem et totalem depen-

dentiam nostrae activitatis sacerdotalis ab activitate Verbi Incarnati non extendi ad solum exercitium potestatis Ordinis; sed tota missio presbyteri inseritur in viva continuatione et quasi in intimis ipsius Missionis Christi. *Christus enim* [5] est missus, est apostolus Patris, *ut ait Ioannes in multis locis.*[6] Iamvero « sicut misit Eum Pater, ita ille misit discipulos suos » ...[7]. Presbyter definiendus est ut Missus qui congreget populum Dei ad Corpus Christi efficiendum. Ergo ad Personam Christi oportet nos oculos convertere, si volumus, ut ait liber Pontificalis, agnoscere quod agimus: « Agnoscite quod agitis ». Agnoscere etiam, praeter ritus quos palam exercemus, quid sit Ens sacerdotale-presbyterale, quid factus sit presbyter per gratiam vocationis suae.

Omnimodo, Ens sacerdotale-presbyterale *theologice,*[8] ontologice definiendum est ut ens *relativum ad* Christum-Missum, Sacerdotem et Caput, « viam, veritatem et vitam », i. e. ad Christum ut Prophetam, Leiturgum et Regem-Paedagogum. Ens relativum, inquam, in quantum presbyter, qua talis, non habet consistentiam nisi in Christo-Misso, Sacerdote et Capite (relatio *in*). Ens relativum etiam in quantum presbyter, qua talis, est essentialiter versus et relatus ad Personam Christi-Sacerdotis (relatio *ad*). ...[9] Nonne Personae Divinae sunt essentialiter relationes, et quidem relationes subsistentes? Nonne S. Paulus scribit: « Omnis sacerdos, ex hominibus assumptus, est constitutus in iis quae sunt ad Deum » ...[10] i. e.: constitutus est in relationibus ad Deum (ta pros ton theon)? Ens et existentia presbyteri, uti patet, sunt radicaliter relata ad Ens et existentiam Christi-Missi, Sacerdotis et Capitis, « viae, veritatis et vitae » ...[11]

Exinde non est difficile inferre quod ad presbyterum pertinet continuam et actualem reddere, secundum omnes dimensiones eius, Missionem apostolicam et ecclesialem ipsius Verbi Incarnati. Sicut Christus, cum eo et in nomine eius, presbyter missus est ut congreget Populum Dei ad Corpus Christi efformandum ...[12]. Ad vocationem-missionem presbyteralem ergo pertinebit directe et specifice omnis activitas apostolica et ecclesialis quae, de natura sua: 1. revelabit hominibus propositum et mysteria Dei (Veritas), 2. diriget intrinsece homines ad Deum (Via), 3. uniet homines cum Deo in Christo (Vita).

Conclusio. Hic modus exhibendi presbyterum in aliquo capite praeliminari et independente, imprimis removet a schemate tonalitatem quamdam minus placentem; et simul multa clarificat luce peculiari:

1. Vitatur quidam moralismus in exponenda spiritualitate sacerdotali quae sine dubio non apte introducitur iuridicis formulis ut sunt « debet, oportet », etc.

2. Episcopus et presbyter, participes ambo Sacerdotii Christi-Capitis

(licet gradibus diversis), sunt in solidum responsabiles missionis apostolicae et ecclesialis. Episcopus, in quantum Caput Apostolatus et Pastorationis, est principium ordinis et unitatis. His rebus consideratis, et perpensis, nos episcopi, non debemus oblivisci Spiritum Sanctum saepe spirare per eos qui infra sunt positi intra populum Dei; presbyteros autem, etiamsi filii nostri sunt, tamen non minorennes ... Ideo, cum solliciti sumus « de ministerio et vita presbyterorum », prae oculis habeamus durante redactione ipsos episcopos (mutatis mutandis), et sic hoc schema optime componetur ...

3. Multa bona de laicis diximus, et bene est. Sed timendum est ne hic modus agendi quasi demagogicus videatur, nisi simul affirmemus clare et fortiter quod qualitas et vitalitas laicorum dependent a cleri *valore,*[13] labore et zelo. Laici habent in Ecclesia actionem, missionem et responsabilitatem proprias; sed presbyter est qui, eos formando et educando:

a) aperit, per doctrinam Corporis Mystici Christi, sensus eorum ut intelligant suas responsabilitates in Ecclesia Christi; *b*) presbyter est qui educat eorum fidem ut omnia facta, situationes et eventus vitae humanae luce Evangelii interpretentur; *c*) presbyter est qui manet eorum consiliarius in opere sanctificationis mundi fide, caritate et oblatione.

Igitur, ex dictis, patet hoc schema esse summi momenti, et em.mos moderatores rogare velim ut disceptatio exhaustiva de hoc schemate fiat antequam finis ei imponatur; insuper ne applicetur erga hoc schema, sicut factum est erga alia ...[14], quaedam democratia quae consistit in scribendo « ingredimini » ante portam hermetice clausam.

Novam ordinationem totius schematis, firmo manente ...[15]

Moderator: Conclude, Pater, tempus tuum actum est!

Orator: *Ita propono novam ordinationem*[16]: cap. I: De natura presbyteri (ubi definitur ens sacerdotale-presbyterale); cap. II: De ministerio presbyteri; cap. III: De vita presbyteri ...[17]

Moderator: Scriptum trades secretariatui!

Orator: Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Operatio. [2] deest. [3] (*Io.* 14, 6). [4] (quae desiderari posset). [5] Et Christus. [6] (*Io.* 8, 21; 10, 36; 17, 3; 23, 25; *Hebr.* 3, 1). [7] (*Io.* 17, 18; 20, 19-21). [8] deest. [9] Ut profundius dicam, presbyter rapitur cum Christo et in Christo in illum « motum irresistibilem et aeternum pietatis filialis qui, in sinu Trinitatis, trahit Verbum ad Patrem ex quo procedit » (Thellier de Poncheville, *L'enfance du Christ,* Paris,

1938, p. 22). [10] (*Hebr.* 5, 1). [11] (*Io.* 14, 6). [12] revelando propositum Dei Iesu Christi (Veritas), ordinando omnia ad Deum secundum voluntatem eius (Via), et dando hominibus vitam aeternam (Vita). [13] deest. [14] schemata. [15] titulo, ita propono. [16] deest. [17] Vehementer nos afficit hoc schema. Omni ex parte illud perpoliamus; secus videremur velle exhibere aliquam Ecclesiam quae similis esset homini sine pedibus, locomotivae sine rotis, aut cordi sine amore.

Secretarius generalis: En, Patres venerabiles, exitum suffragationis factae:

Patres praesentes votantes		1.521
Dixerunt	*placet*	1.507
	non placet	12
	placet iuxta modum	1
Suffragium nullum		1

Ergo schema placuit tanquam basis ulterioris elaborationis perficiendae iuxta animadversiones Patrum.

Moderator: Velit nunc exc.mus P. D. Franciscus Marty, arch. Rhemensis, concludere disceptationem per suam relationem.

Exc.mus P. D. FRANCISCUS MARTY
Archiepiscopus Rhemensis

Relatio conclusiva

Venerabiles Patres,

Nomine commissionis, gratias vobis ago propter animum quo accepistis hoc nostrum schema *de ministerio et vita presbyterorum.* Divitiae contentae in interventionibus quas audivimus, necnon qualitas et numerus propositionum atque emendationum quae secretariatui in scriptis transmissae sunt pretioso adiutorio erunt nostrae commissioni pro redactione definitiva huius schematis, quod presbyteri tantopere exspectant.

Ex iis quae hactenus in aula dixistis quaedam puncta recensenda videntur, quae erunt veluti normae directivae nostri laboris.

1. *Quoad naturam specificam ministerii et vitae presbyterorum.* Hac super re duae conceptiones expressae sunt, quae, primo aspectu, inter se differre videntur. Una enim magis insistit super consecratione presbyteri, operata per sacramentum Ordinis, et super unione personali presby-

teri cum Christo, qui est fons sanctitatis et efficacitatis spiritualis. Altera vero conceptio insistit super missione presbyteri, quam missionem ipse a Christo recipit per sacramentum: nempe presbyter, cum membrum fit Ordinis presbyterorum, eo ipso devenit cooperator Ordinis episcoporum, ut agat in persona Christi ad Ecclesiae aedificationem.

Re quidem vera unaquaeque ex his duabus conceptionibus in luce ponit aspectum magni momenti in ministerio et vita presbyterorum. Ideo nostra commissio ostendere curabit quomodo hae duae conceptiones harmonice inter se componantur et invicem compleantur, quippe quae coeant in unitate ministerii presbyteralis.

2. *Quoad extensionem ministerii presbyterorum.* Uti multi Patres in suis interventionibus ostendunt, responsabilitas presbyteri ad solos fideles limitari nequit: pastor enim curam habet de universo grege, sive agatur de fidelibus sive de non-fidelibus. Huiusmodi responsabilitas oritur tamquam e suo fonte ex missione recepta per unctionem Sancti Spiritus ad evangelizationem omnium hominum, praesertim vero pauperum; et, praeterea, haec responsabilitas constanter roboratur in Eucharistia, quae est centrum et fons totius missionis pastoralis.

In recognitione huius schematis nostra commissio attente curabit ut haec responsabilitas missionaria presbyteri in sua luce plene ponatur.

3. *Quoad exercitium missionis presbyteralis in mundo hodierno.* Ut respondeatur petitionibus Patrum atque exspectationi presbyterorum, nostra commissio elaborabit ad congruum remedium ponendum aspectui intemporali et statico textus actualis. Intra ambitum quidem normarum generalium, schema nostrum debet profecto manifestare quod presbyteri, vi suae missionis, vocantur ad praesentiam activam inter homines nostri temporis et inter eorum realia problemata.

Ad ulteriorem elaborationem, conferentiae episcopales et, ut speramus, commissio generalis post-conciliaris exsequentur laborem qui ad ipsas pertinet.

4. tandem: *Quoad stylum schematis et modum loquendi.* Multis Patribus non placet stylus nimis hortatorius nostri schematis. Quoad hoc, non nimis difficile erit formulas adhibere magis vigorosas, ut ad cor nostrorum presbyterorum directius perveniamus neque ulla molestia eos inutiliter afficiamus. Praesentando nostris presbyteris cum maxima claritate illas exigentias quas adimpletio missionis hodiernis temporibus ab ipsis postulat, textus definitivus exprimere poterit, uti bene speramus, immensam fiduciam quam episcopi reponunt in iis qui sunt et semper erunt eorum cooperatores omnino necessarii. Dixi. Gratias. [*Plausus*].

Moderator: Gratias agamus exc.mo relatori. Et nunc loquatur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, Qui iuxta *Ordinem Concilii celebrandi* loqui volunt nomine 70 Patrum, uti iam dictum est, possunt hoc facere in proxima congregatione generali. Attamen, ipsorum interventus scripto integer datus oportet perveniat ad nostram secretariam die 18 proxima; interventus qui pervenient postea accipi non possunt. Patres rogantur ut unusquisque habeat 70 subsignationes. Nam aliquando contigit ut octo vel novem Patres haberent easdem 70 subsignationes; unusquisque; et subsignationes exhibeat in re, non in voto. Ergo possunt dari interventus intra diem 18 huius mensis ita ut pronuntiari possint inde a die 25 huius mensis.

Hac hebdomada sequenti, Patres venerabiles, nos valde speramus fore ut vobis, in vestris domiciliis, mittamus saltem schema Modorum *de divina revelatione,* et forsan etiam textum novum *de libertate religiosa*: hoc pendet a labore commissionum. Si quis Patrum feria VI vel sabbato proximis illud schema non receperit, praesertim Patres qui habent domicilium singulare, possunt petere etiam a nostra secretaria, si illis non displiceat. Et qui habitant in domiciliis communibus rogantur ut designent aliquam personam, Patrem, videlicet, qui curam habeat de fasciculis traditis et de hoc monefaciant ostiarium, vel ianitorem vel diversorii vel conventus vel domus religiosae, ita ut nostri officiales possint cito tradere fasciculos et fasciculi possint dein distribui cum omni sollicitudine et aliquo secreto.

Ergo, die 25, 26, 27 et 29 erunt congregationes generales — etiam die 29 — et habebuntur suffragationes. Quapropter speramus futurum esse ut numerus Patrum sit revera congruus.

Die 28, ut dixi, habebitur sessio publica. Aliud dicendum non habeo. Gratias, Patres.

Moderator: Proxima congregatio generalis fiet die 25 huius mensis, feria secunda.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CLII
25 octobris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLII

25 octobris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis.*

Congregationem generalem 152 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

In hac congregatione plura fient. Sed imprimis habebitur relatio super schemate *de libertate religiosa,* circa quod fiet suffragatio crastina, cum triplici formula: *placet, non placet* et *placet iuxta modum.* Puto, venerabiles Patres, fasciculos continentes hoc schema ad omnes pervenisse; fecimus quod potuimus, maximis itineribus laboravimus; sed, si qui non receperunt eos fasciculos, velint petere ab assignatoribus vel ab officio mechanographico. Formula erit triplex, uti dixi, *placet, non placet, placet iuxta modum;* attamen modi, si qui dantur, possunt exhiberi etiam intra diem 29, sed non ultra; melius est ut dentur cum schedula, sed in quocumque casu non ultra diem 29 huius mensis.

Em.mus ac rev.mus D. card. a Publicis Ecclesiae Negotiis hanc epistolam misit ad em.mum ac rev.mum D. card. Achillem Liénart, qui munere Praesidis fungebatur eo die quo Summus Pontifex ex O.N.U. reversus est, et, ut nos omnes suavissime recordamur, dixit verba ad Summum Pontificem nomine omnium Patrum Conciliarium. Bene ..., haec est responsio quam Summus Pontifex dat per suum Secretarium Status ... [*cf. vol. IV, pars I, pag. 39*].

En, Patres, elenchus fasciculorum, qui vobis hodie distribuentur maxima largitate, ut videtis!

Imprimis iam distributus est fasciculus qui continet Modos schematis *de divina revelatione.* Circa hos Modos fiet suffragatio feria sexta proxima, in congregatione generali feriae sextae, in qua certe omnes Patres intererunt, nam suffragationes sunt res sacrae in Concilio. Deinde, responsio ad Modos, uti scitis, est tantum duplex: *placet* et *non placet.* Et postea, si omnes suffragationes positivae fuerint, transitus fiet, si id moderatoribus placuerit, ad totum schema suffragandum ipsa feria sexta, antequam scil. incipiant feriae mortuorum.

Hodie distribuentur vobis fasciculi tres pro proxima sessione publica, nempe fasciculus *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,*

deinde *de accommodata renovatione vitae religiosae* et demum *de habitudine Ecclesiae catholicae ad religiones non-christianas*. Alii duo fasciculi, qui continent schemata *de institutione sacerdotali* et *de educatione christiana,* distribuentur vobis crastina.

Ut iam scitis optime, duplex tantum formula adhibenda est in sessione publica: *placet* et *non placet*; non valet *placet iuxta modum*.

Et quodnam est diarium horum dierum? Hodie, ut dixi, praecedit relatio circa schema *de libertate religiosa*. Deinde loquentur aliqui Patres qui orationem habere postulaverunt nomine 70 virorum. Aliqui alii ex his loquentur crastina, ita ut cum suffragationibus habeamus etiam consolationem audiendi Patres.

Feria quinta, erit sessio publica. Et lego vobis, Patres, *Intimationem* pro hac sessione, cuius intimationis exemplar vobis distribuetur impressum crastina, ita ut omnes bene scire possint qua hora, quibus vestibus, quomodo, quando debeant intervenire in sessionem publicam.

Intimatio facta est ab ill.mo ac rev.mo D. Salvatore Capoferri, Praefecturam Caeremoniarum Apostolicarum regenti. Ita sonat... [*cf. vol. IV, pars I, pag. 41*].

Huius documenti dabitur vobis, ut dixi, exemplar crastina, nam difficile est omnia et singula recordari, nisi praesto habeatur folium legendum.

En tandem, Patres venerabiles et etiam patientes hoc die, nomina eorum qui verbo uti petierunt nomine septuaginta. Sunt exc.mi ac rev.mi DD. Romanus Arrieta, ep. Tilaranensis in Costarica; Remigius De Roo, ep. Victoriensis in Canada; Aemilius Charbonneau, ep. Hullensis in Canada; Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania; Ioachim Segedi, ep. aux. Crisiensis in Iugoslavia; Ioannes Connolly, arch. Seattlensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Ioseph Maria García Lahiguera, ep. Huelvensis in Hispania; Ioseph Plourde, ep. aux. Alexandrinus in Canada; Brian Foley, ep. Lancastrensis in Anglia; Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia; Henricus Pechuán, ep. Crucis Axeatae (Cruz del Eje) in Argentina; Henricus Compagnone, ep. Anagninus in Italia; Michaël Pellegrino, arch. Taurinensis in Italia; Antonius de Almeida, ep. Nictheroyensis in Brasilia. Et absoluta est series loquentium.

Moderator: Faciat nunc relationem de schemate emendato declarationis *de libertate religiosa* exc.mus D. Aemilius Ioseph De Smedt, ep. Brugensis.

SCHEMA DECLARATIONIS DE LIBERTATE RELIGIOSA *

Textus reemendatus

SCHEMA DECLARATIONIS

DE LIBERTATE RELIGIOSA

SEU

DE IURE PERSONAE ET COMMUNITATUM AD LIBERTATEM IN RE RELIGIOSA

1. Dignitatis humanae personae homines hac nostra aetate magis in dies conscii fiunt. Postulat haec dignitas, ut in agendo homo proprio suo consilio et libertate fruatur, sitque non coercitione commotus sed officii conscientia. Quae libertatis postulatio in societate humana ea maxime respicit, quae ad religionem spectant. Ad has animorum appetitiones diligenter attendens, Ecclesia sibi proponit discernere, quantum sint veritati et iustitiae conformes. Simulque ad suam doctrinam divinitus traditam denuo animadvertens, de thesauro suo vetera profert et nova, quae ad iustas hominum appetitiones confirmandas inserviunt.

Textus recognitus

SCHEMA DECLARATIONIS

DE LIBERTATE RELIGIOSA

DE IURE PERSONAE ET COMMUNITATUM AD LIBERTATEM *SOCIALEM ET CIVILEM* IN RE RELIGIOSA

1. Dignitatis humanae personae homines hac nostra aetate magis in dies conscii fiunt,[1] *atque numerus eorum crescit qui exigunt* ut in agendo homines proprio suo consilio et libertate *responsabili*[2] fru*an*tur *et utantur,* (   ) non coercitione commo*ti,* sed officii conscientia *ducti.* Quae libertatis *exigentia* in societate humana ea maxime respicit quae *sunt animi humani bona, imprimis quidem ea,* quae ad religionem spectant. Ad has animorum appetitiones diligenter attendens, sibi*que* propon*ens declarare* quantum sint veritati et iustitiae conformes, *haec Vaticana Synodus sacram Ecclesiae traditionem doctrinamque scrutatur, in quibus* nova et vetera *indesinenter invenit.*

Primum itaque profitetur et asseverat Sacra Synodus Deum Ipsum vias generi humano notas fecisse per quas, Ipsi inserviendo, homines in Christo salvi et beati fieri possint. Hanc unicam veram Religionem subsistere credimus in catholica et apostolica Ecclesia, cui Dominus Iesus munus concredidit eam ad universos homines diffundendi, dicens Apostolis: « Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in suis domiciliis romanis, die 22 octobris 1965.

Textus reemendatus | *Textus recognitus*

[Textus recognitus]

nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20). *Proinde cum homines cuncti teneantur veritatem, praesertim in iis quae cultum Dei respiciunt, quaerere eamque agnitam amplecti ac servare, sacro quoque officio vinciuntur catholicam fidem, prout eam agnoscere potuerunt, amplectendi profitendique.*

N. 2, pag. 6, linn. 16-28 *

[Textus reemendatus]

Declarat denique, ex hac libertatis religiosae affirmatione non sequi hominem nulla obligatione in re religiosa teneri aut esse a Dei auctoritate emancipatum. Libertas enim religiosa non implicat personam humanam falsum ac verum posse aeque aestimare, aut dispensari officio formandi sibi veram de rebus religiosis sententiam, aut posse arbitrario statuere, utrum et in qua religione et quanam ratione Deo servire velit. Porro ratio libertatis religiosae intactam relinquit doctrinam catholicam de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia.

[Textus recognitus]

Pariter vero profitetur Sacra Synodus officia haec hominum conscientiam tangere ac vincire, nec aliter Veritatem sese imponere nisi vi ipsius Veritatis, quae suaviter simul ac fortiter mentibus illabitur. Itaque, quum libertas religiosa, quam homines, in exsequendo officio Deum colendi, exigunt et de qua mentem suam declarare Ecclesia catholica intendit, immunitatem a coercitione in societate civili respiciat, constat eam integram relinquere doctrinam catholicam de unica vera religione, de unica Christi Ecclesia *et de morali hominum erga ipsam officio. Insuper, hanc libertatem ut ius humanae personae proprium agnoscendo, Sacra Synodus, Summorum Pontificum doctrinam de inviolabilibus humanae personae iuribus necnon de iuridica ordinatione societatis evolvere intendit.*

[Textus reemendatus]

I. Declaratio

2. Itaque haec Vaticana Synodus declarat ius ad libertatem religiosam esse revera fundatum in ipsa dignitate personae humanae, qualis et ratione et maxime verbo Dei revelato cognoscitur. Huiusmodi autem libertas in eo con-

[Textus recognitus]

I. Libertatis religiosae ratio generalis

2. [*Libertatis religiosae obiectum et fundamentum*]. Haec Vaticana Synodus declarat *personam humanam ius habere* ad libertatem religiosam. Huiusmodi libertas in eo consistit quod *omnes* homines debent immunes esse a coerci-

* Numeri, paginae et lineae referuntur ad textum reemendatum Patribus Conciliaribus mense iunii 1965 transmissum [*cf. vol. IV, pars I, pag. 146 ss.*].

Textus reemendatus

sistit quod homines debent immunes esse a coercitione sive hominum singulorum sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae, et ita quidem ut in re religiosa neque aliquis cogatur ad agendum contra suam conscientiam, neque impediatur, quominus iuxta suam conscientiam privatim et publice agat intra debitos limites.

Insuper declarat huiusmodi ius in iuridica societatis ordinatione ita esse agnoscendum, ut ius civile evadat, quod omnes homines omnesque communitates religiosae legitime sibi possint vindicare.

Textus recognitus

tione sive ( ) singulorum sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae, et ita quidem ut in re religiosa neque aliquis cogatur ad agendum contra suam conscientiam neque impediatur, quominus iuxta suam conscientiam agat privatim et publice, *vel solus vel aliis consociatus,* intra debitos limites. *Hoc* ius *personae humanae ad libertatem religiosam* in iuridica societatis ordinatione ita *est* agnoscendum ut ius civile evadat ( ). Insuper ( ) declarat ius ad libertatem religiosam esse revera fundatum in ipsa dignitate personae humanae, qualis et ( ) verbo Dei revelato et *ipsa* ratione cognoscitur.[3]

Secundum dignitatem enim suam homines omnes, quia personae sunt, ratione scilicet et libera voluntate praediti ideoque personali responsabilitate aucti, sua ipsorum natura impelluntur necnon morali tenentur obligatione ad veritatem quaerendam, illam imprimis, quae religionem spectat. Tenentur quoque veritati cognitae adhaerere atque totam vitam suam iuxta exigentias veritatis ordinare. Huic autem obligationi satisfacere homines, modo suae propriae naturae consentaneo, non possunt nisi libertate psychologica simulatque immunitate a coercitione externa fruantur. Non tamen in dispositione subiectiva sed in ipsa natura personae humanae libertas religiosa fundatur. Quamobrem ius ad immunitatem perseverat etiam in iis qui obligationi quaerendi veritatem eique adhaerendi non satisfaciunt, dummodo legitimo ordine publico servato, aliorum iura non laedant.

II. Doctrina de libertate religiosa ex ratione desumpta

3. Suprema humanae vitae norma est lex divina, aeterna atque universalis, qua Deus

3. [*Libertas religiosa et necessitudo hominis ad Deum*]. *Quae clarius adhuc patent con-*

Textus reemendatus — *Textus recognitus*

consilio sapientiae et dilectionis suae mundum universum viasque communitatis humanae ordinat, dirigit, gubernat. Deus autem huius suae legis hominem participem reddit, eam veluti quadam irradiatione ipsi naturae humanae imprimens, ut homo, providentia divina suaviter disponente, veritatem incommutabilem magis magisque cognoscere possit.

sideranti suprema*m* humanae vitae norma*m* esse *ipsam* leg*em* divina*m*, aeterna*m*, *obiectivam* atque universal*em*, qua Deus, consilio sapientiae et dilectionis suae mundum universum viasque communitatis humanae ordinat, dirigit, gubernat.[4] Huius suae legis Deus hominem participem reddit, ( ) *ita* ut homo, providentia divina suaviter disponente, veritatem incommutabilem magis magisque *agnoscere* possit.[5] ( ) *Quapropter unusquisque* officium

Pag. 7, linn. 18-30

Ideo homo officium et ius quoque habet veritatem in re religiosa quaerendi, ut sibi mediis adhibitis idoneis certa conscientiae iudicia prudenter efformet. Veritas autem est humano modo inquirenda, libera scilicet inquisitione, eique inventae firmiter est adhaerendum, assensu nempe personali. Insuper, cum homo sit natura sua socialis, veritas quaeritur et invenitur per magisterium seu institutionem et per communicationem atque dialogum, quibus alii aliis exponunt veritatem quam invenerunt vel invenisse putant, ut sese invicem in veritate quaerenda adiuvent.

ideoque et ius habet veritatem in re religiosa quaerendi ut sibi, mediis adhibitis idoneis, *recta* conscientiae iudicia prudenter efformet.

Veritas autem inquirenda est modo *dignitati humanae personae eiusque naturae sociali proprio,* libera scilicet inquisitione, ( ) per magisterium seu institutionem, per communicationem atque dialogum, quibus alii aliis exponunt veritatem quam invenerunt vel invenisse putant, ut sese invicem in veritate *inquirenda* adiuvent; *veritati autem cognitae* firmiter adhaerendum est assensu ( ) personali.

Pag. 7, linn. 11-17

Dictamina vero huius legis divinae homo semper percipit et agnoscit mediante conscientia sua; hoc autem ad ipsam personae humanae dignitatem pertinet. Quapropter tenetur quisque in universa activitate sua conscientiam sequi fideliter, ut ad Deum, finem suum, perveniat.

[*Partim ex p. 7, linn. 31-34 et p. 8, linn. 5-8*]

Pag. 8, lin. 10 - pag. 9, lin. 8

Dictamina vero ( ) legis divinae homo ( ) percipit et agnoscit mediante conscientia sua; ( ) *quam* tenetur fideliter sequi in universa sua activitate ( ), ut ad Deum, finem suum, perveniat. *Non est ergo cogendus ut* contra suam conscientiam ag*at*.[6] *Sed neque* impediendus *est,* quominus ( ) iuxta suam conscientiam *operetur, praesertim* in re religiosa. ( ) Exercitium namque religionis, ex ipsa eius indole, consistit primario in actibus internis prorsus voluntariis et liberis, quibus homo sese ad

Textus reemendatus

Etenim natura socialis personae humanae necessario sese exhibet in rebus quoque ad religionem pertinentibus. Exercitium namque religionis, ex ipsa eius indole, consistit primario in actibus internis prorsus voluntariis et liberis, quibus homo sese ad Deum directe ordinat, eo nempe animo, ut suam necessitudinem ad Deum agnoscat et debita oboedientia adhaereat voluntati divinae. Sed praeterea ipsa socialis hominis natura exigit ut homo internos religionis actus socialiter manifestet, seu actibus externis, quibus in societate cum aliis communicet. Iniuria ergo homini fit, si quis internam cuiusque libertatem in re religiosa agnoscat quidem at simul ei deneget liberum in societate religionis exercitium debitos limites non excedens.

Praeterea actus religiosi, quibus homines privatim et publice sese ad Deum ex animi sententia ordinant, natura sua terrestrem et temporalem rerum ordinem transcendunt. Competentia vero potestatis civilis ob ipsum eius finem proprium, qui exactius his diebus perspicitur atque describitur secundum exigentias dignitatis personae eiusque iura, ad ordinem terrestrem et temporalem eo consilio restringitur, ut personae humanae expeditiore libertate ad finem suum ultimum secundum conscientiam suam tendere possint. Potestas igitur civilis limites suos excedere dicenda est, si in ea, quae ipsam ordinationem hominis ad Deum respiciunt, sese immisceat. Neque ideo ullo modo e naturali sua dignitate excidere dicenda est, si suas erga communitatem partes agat, sese ad res huius saeculi restringendo, atque ita personam humanam agnoscat eique inserviat.

6. [*Libertas communitatum religiosarum*]. Libertas religiosa, quae singulis personis com-

Textus recognitus

Deum directe ordinat: ( ) *huiusmodi actus a potestate mere humana nec imperari nec prohiberi possunt.*[7] ( ) Ipsa *autem* socialis hominis natura exigit ut homo internos religionis actus *externe* manifestet, ( ) cum aliis *in re religiosa* communicet, *ipsam sui ipsius religionem modo communitario profiteatur.*

Iniuria ergo *humanae personae et ipsi ordini hominibus a Deo statuto* fit, si ( ) *homini* denege*tur* liberum in societate religionis exercitium, *vero ordine publico servato*

Praeterea actus religiosi, quibus homines privatim et publice sese ad Deum ex animi sententia ordinant, natura sua terrestrem et temporalem rerum ordinem transcendunt. ( ). Potestas igitur civilis limites suos excedere dicenda est, si ( ) ea, quae *natura sua terrestrem et temporalem rerum ordinem transcendunt, vel impediat vel dirigat.* ( ).

4. (olim 6) [*Libertas communitatum religiosarum*]. Libertas *seu immunitas a coercitione*

Textus reemendatus

petit, etiam communitatibus agnoscenda est. Hae namque a sociali natura tum hominis tum ipsius religionis requiruntur.

His igitur communitatibus iure debetur immunitas, ut secundum proprias leges sese regant, Numen supremum cultu publico honorent, membra sua in vita religiosa exercenda adiuvent et doctrina sustentent atque eas institutiones promoveant, in quibus membra cooperentur ad vitam propriam secundum sua principia religiosa ordinandam.

Communitatibus religiosis pariter competit ius, ne mediis legalibus vel actione administrativa potestatis civilis impediantur in suis propriis ministris seligendis atque educandis, in communicando cum auctoritatibus et communitatibus religiosis, quae in aliis orbis terrarum partibus degunt, necnon in bonis congruis acquirendis et fruendis.

Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda atque testanda, legitimis exigentiis ordinis publici non violatis. In fide autem religiosa disseminanda et in usibus inducendis abstinendum semper est ab omni actionis genere, quod coercitionem vel suasionem inhonestam aut minus rectam sapere videatur, praesertim quando de rudioribus vel de egenis agitur.

Tandem ad libertatem religiosam spectat quod communitates religiosae libere possint ostendere singularem suae doctrinae virtutem in ordinanda societate ac tota vivificanda activitate humana. Praeterea in socialis hominis natura atque in ipsa indole religionis fundatur ius, quo homines, suo ipsorum sensu religioso moti, libere possunt conventus habere vel associatio-

Textus recognitus

in re religiosa, quae singulis personis competit, etiam communitatibus agnoscenda est, *quippe quae* a sociali natura tum hominis tum ipsius religionis requiruntur.

His igitur communitatibus iure debetur immunitas, ut secundum proprias leges sese regant, Numen supremum cultu publico honorent, membra sua in vita religiosa exercenda adiuvent et doctrina sustentent atque eas institutiones promoveant, in quibus membra cooperentur ad vitam propriam secundum sua principia religiosa ordinandam.

Communitatibus religiosis pariter competit ius, ne mediis legalibus vel actione administrativa potestatis civilis impediantur in suis propriis ministris seligendis, educandis, *nominandis atque transferendis,* in communicando cum auctoritatibus et communitatibus religiosis, quae in aliis orbis terrarum partibus degunt, *in aedificiis religiosis erigendis,* necnon in bonis congruis acquirendis et fruendis.

Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda atque testanda, legitimis exigentiis ordinis publici non violatis. In fide autem religiosa disseminanda et in usibus inducendis abstinendum semper est ab omni actionis genere, quod coercitionem vel suasionem inhonestam aut minus rectam sapere videatur, praesertim quando de rudioribus vel de egenis agitur.

Praeterea ad libertatem religiosam spectat quod communitates religiosae libere possint ostendere singularem suae doctrinae virtutem in ordinanda societate ac tota vivificanda activitate humana. *Tandem* in sociali hominis natura atque in ipsa indole religionis fundatur ius, quo homines, suo ipsorum sensu religioso moti, libere possunt conventus habere vel as-

Textus reemendatus

nes educativas, culturales, caritativas, sociales constituere.

7. [*Libertas religiosa familiae*]. Cuique familiae, utpote quae est societas proprio ac primordiali iure gaudens, competit ius ad libere ordinandam religiosam vitam suam domesticam sub moderatione parentum. His autem competit ius ad determinandam rationem institutionis religiosae suis liberis tradendae. Insuper a civili potestate agnoscendum est ius parentum deligendi, vera cum libertate, scholas vel alia educationis media, neque ob hanc electionis libertatem sunt eis iniusta onera imponenda. Potestas civilis iura parentum violat, si unicam imponat educationis rationem, ex qua omnis formatio religiosa excludatur.

Num. 2, pag. 6, linn. 13-15

Cura autem huius iuris tum ad cives tum ad potestates publicas pertinet modo unicuique proprio.

5. [*Cura libertatis religiosae*]. Inviolabilia hominis iura tueri ac promovere est praecipuum cuiusvis potestatis civilis officium. Debet igitur potestas civilis per iustas leges efficaciter suscipere tutelam curamque libertatis religiosae omnium civium.

Pag. 11, linn. 7-20

Ceterum, quo magis societas civilis propitias suppeditabit condiciones ad vitam religiosam fovendam, eo magis ipsa fruetur bonis, quae undequaque proveniunt ex fidelitate ho-

Textus recognitus

sociationes educativas, culturales, caritativas, sociales constituere.

5. (olim 7) [*Libertas religiosa familiae*]. Cuique familiae, utpote quae est societas proprio ac primordiali iure gaudens, competit ius ad libere ordinandam religiosam vitam suam domesticam sub moderatione parentum. His autem competit ius ad determinandam rationem institutionis religiosae suis liberis tradendae. Insuper a civili potestate agnoscendum est ius parentum deligendi, vera cum libertate, scholas vel alia educationis media, neque ob hanc electionis libertatem sunt eis iniusta onera imponenda. Potestas civilis iura parentum violat, *si liberi ad frequentandas lectiones scholares cogantur quae parentum persuasioni religiosae non correspondeant vel* si unic*a* impona*tur* educationis ra*tio*, ex qua formatio religiosa *omnino* excludatur.

6. (olim 5) [*Cura libertatis religiosae*]. Cura huius iuris *ad libertatem religiosam* tum ad cives *tum ad coetus sociales tum ad Ecclesiam aliasque communitates religiosas,* modo unicuique proprio, *spectat.*

Inviolabilia hominis iura tueri ac promovere ( ) *ad* cuiusvis potestatis civilis officium *essentialiter pertinet.*[8] Debet igitur potestas civilis per iustas leges *et per alia media apta* efficaciter suscipere tutelam ( ) libertatis religiosae omnium civium, *ac* propitias suppedi*tare* condiciones ad vitam religiosam fovendam, *ut cives revera religionis iura exercere eiusdemque officia adimplere valeant et ipsa societas* fru*a*tur bonis *iustitiae et pacis* quae ( ) proveniunt ex fidelitate hominum erga Deum Eiusque sanctam voluntatem.[9]

Textus reemendatus

minum erga Deum Eiusque sanctam voluntatem.

Hoc vero libertatis religiosae regimen non impedit, quominus, attentis populorum circumstantiis historicis, uni communitati religiosae specialis agnitio in iuridica civitatis ordinatione tribuatur, eo tamen pacto, ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et observetur.

Textus recognitus

Si attentis populorum circumstantiis historicis, uni communitati religiosae specialis *civilis* agnitio in iuridica civitatis ordinatione tribu*i*tur, ( ) *necesse est* ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et observetur.

Pag. 10, linn. 19-33

Textus reemendatus

Eidem providendum est, ne civium aequalitas iuridica unquam laedatur propter rationes religiosas.

Hinc sequitur nefas esse potestati publicae, per vim vel metum aut alia iniusta media civibus imponere professionem aut reiectionem cuiusvis religionis, vel impedire, quominus quisquam communitatem religiosam aut ingrediatur aut relinquat. Eo magis contra voluntatem Dei et contra sacra personae et familiae gentium iura agitur, quando vis quocumque modo adhibeatur ad religionem ipsam delendam vel cohibendam sive in toto genere humano sive in aliqua regione sive in determinato coetu religioso.

Textus recognitus

Denique a potestate civili providendum est, ne civium aequalitas iuridica unquam, *sive aperte sive occulte,* laedatur propter rationes religiosas, *necnon inter eos discriminatio fiat.*

Hinc sequitur nefas esse potestati publicae, per vim vel metum aut alia ( ) media civibus imponere professionem aut reiectionem cuiusvis religionis, vel impedire, quominus quisquam communitatem religiosam aut ingrediatur aut relinquat. Eo magis contra voluntatem Dei et contra sacra personae et familiae gentium iura agitur, quando vis quocumque modo adhibeatur ad religionem *quamlibet* delendam vel cohibendam sive in toto genere humano sive in aliqua regione sive in determinato coetu ( ).

Textus reemendatus

4. [*Limites libertatis religiosae*].

a) (*Norma moralis*). Ius ad libertatem in re religiosa exercetur in societate humana, ideoque eius usus quibusdam normis moderantibus obnoxius est. Quarum prima est principium legis moralis observandae. In vita autem sociali eminet principium responsabilitatis personalis et socialis. Etenim in iuribus suis exercendis singuli homines coetusque sociales debent rationem habere et iurium alio-

Textus recognitus

7. (olim 4) [*Limites libertatis religiosae*]. Ius ad libertatem in re religiosa exercetur in societate humana, ideoque eius usus quibusdam normis moderantibus obnoxius est.

( ) *In societate observandum* est principium *morale* responsabilitatis personalis et socialis: ( ) in iuribus suis exercendis singuli homines coetusque sociales *lege morali obligantur et in vita sociali praesertim tenentur* rationem habere et iurium aliorum et suorum

Textus reemendatus

rum et suorum officiorum erga alios; cum omnibus enim secundum iustitiam et humanitatem agendum est.

b) (*Norma iuridica*). Societas civilis ius habet sese protegendi contra abusus, qui haberi possint, invocato titulo libertatis religiosae. Pertinet praecipue ad potestatem civilem huiusmodi protectionem praestare, non tamen modo arbitrario, sed secundum normas iuridicas, quas necessitates ordinis publici postulant. Illud autem societatis bonum, quod est ordo publicus, requirit sufficientem pacis publicae curam, debitam custodiam publicae moralitatis, et pacificam compositionem atque efficacem aequalium iurium tutelam pro omnibus civibus. Quod quidem bonum est universae societati adeo necessarium, ut actus, qui grave damnum ei inferant, sint reprimendi. Exercitium ergo religionis in societate legitime non potest prohiberi coercitiva interventione potestatis civilis nisi vel perturbet pacem publicam vel publicam violet moralitatem vel iura laedat aliorum. Ceterum servanda est regula iuris ex qua libertas debet quam maxime homini agnosci nec restringenda est nisi quando et prout est necessarium.

Textus recognitus

erga alios officiorum *et boni omnium communis.* Cum omnibus ( ) secundum iustitiam et humanitatem agendum est.

Praeterea societas civilis ius habet sese protegendi contra abusus, qui haberi possint, *sub praetextu* libertatis religiosae. Pertinet praecipue ad potestatem civilem huiusmodi protectionem praestare, non tamen modo arbitrario *aut uni parti inique favendo,* sed secundum normas iuridicas quas postulant necessitates ordinis publici *in ordine morali obiectivo fundati.* Illud autem societatis bonum, quod est ordo publicus, requirit efficacem ( ) iurium tutelam pro omnibus civibus *eorumque* pacificam compositionem, sufficientem curam *istius honestae* pacis publicae, *quae est ordinata conviventia in vera iustitia,* et debitam custodiam publicae moralitatis. Quod quidem bonum est *fundamentalis pars boni communis et* universae societati adeo necessarium ut actus qui grave damnum ei inferant sint *a potestate civili* reprimendi. ( ) Ceterum servanda est *integrae libertatis consuetudo in societate, secundum quam* libertas debet quam maxime homini agnosci, nec restringenda est nisi quando et prout est necessarium.[10]

N. 14, pag. 19, lin. 31 - pag. 20, lin. 12

Manifestum praeterea est, cum nostrae aetatis homines varia ratione premantur et in periculum veniant ne proprio libero consilio utantur, Christianis quam maxime incumbere officium veram libertatem in se et in aliis tutandi ac promovendi. Ex altera autem parte non pauci ita propensi videntur, ut specie libertatis omnem subiectionem reiiciant ac debitam oboedientiam parvi faciant. Religiosa igitur libertas ad hoc inservire et ordinari debet, ut homines eam nobilem libertatem expeditius consequi possint, ad quam a Deo vocati sunt.

8. [*Educatio ad libertatem exercendam*]. ( ) Nostrae aetatis homines varia ratione prem*un*tur et in periculum ven*iunt* ne proprio libero consilio *destituantur.* ( ). Ex altera autem parte non pauci ita propensi videntur, ut specie libertatis omnem subiectionem reiiciant ac debitam oboedientiam parvi faciant.

Textus reemendatus

Quapropter haec Vaticana Synodus omnes hortatur, praesertim vero eos qui curam habent alios educandi, ut homines formare satagant, qui et legitimae auctoritati oboedientes et genuinae libertatis amatores sint; homines nempe, qui proprio consilio res in luce veritatis diiudicent, activitates suas cum sensu responsabilitatis disponant, et quaecumque sunt vera atque iusta persequi nitantur, operam suam libenter cum ceteris consociando.

III. DOCTRINA LIBERTATIS RELIGIOSAE SUB LUCE REVELATIONIS.

8. Quae de iure hominis ad libertatem religiosam declarat haec Vaticana Synodus fundamentum quidem proximum habent in dignitate personae, cuius exigentiae rationi humanae plenius innotuerunt per saeculorum experientiam. Ast haec libertas radices habet in divina revelatione, qua primum humanae personae dignitas in tota sua amplitudine incepit manifestari, et inde eo magis a christianis sancte servanda. Praeterea libertas religiosa in societate plene est cum libertate actus fidei christianae congrua ac cum debita Ecclesiae libertate in sua divina missione exsequenda omnino consona.

Textus recognitus

Quapropter haec Vaticana Synodus omnes hortatur, praesertim vero eos qui curam habent alios educandi, ut homines formare satagant, qui *ordini morali obsequentes* legitimae auctoritati oboediant et genuinae libertatis amatores sint; homines nempe, qui proprio consilio res in luce veritatis diiudicent, activitates suas cum sensu responsabilitatis disponant, et quaecumque sunt vera atque iusta persequi nitantur, operam suam libenter cum ceteris consociando.

Religiosa igitur libertas ad hoc inservire et ordinari debet, ut homines *in suis ipsorum officiis adimplendis in vita sociali maiore cum responsabilitate agant.*

II. LIBERTAS RELIGIOSA SUB LUCE REVELATIONIS.

9. (olim 8) [*Doctrina de libertate religiosa in revelatione radices tenet*]. Quae de iure hominis ad libertatem religiosam declarat haec Vaticana Synodus, fundamentum ( ) habent in dignitate personae, cuius exigentiae rationi humanae plenius innotuerunt per saeculorum experientiam. *Immo* haec *doctrina de libertate* radices habet in divina revelatione, *quapropter* eo magis a christianis sancte servanda *est. Quamvis enim revelatio non expresse affirmet ius ad immunitatem ab externa coercitione in re religiosa, tamen* humanae personae dignitatem in tota *eius* amplitudine *patefacit, observantiam Christi erga hominis libertatem in exsequendo officio credendi verbo Dei demonstrat, atque de spiritu nos edocet, quem discipuli talis Magistri debent in omnibus agnoscere et sequi. Quibus omnibus principia generalia illustrantur super quae fundatur doctrina huius Declarationis de libertate religiosa. Praesertim* libertas religiosa in societate plene est cum libertate actus fidei christianae congrua ( ).

Textus reemendatus

11. [*Libertas actus fidei*]. Caput est ex praecipuis doctrinae catholicae, in verbo Dei contentum et a Patribus constanter praedicatum, hominem debere Deo libere respondere credendo; invitum proinde neminem esse cogendum ad amplectendam fidem. Etenim actus fidei ipsa sua natura liber est, cum homo, a Christo Salvatore redemptus et in adoptionem filiorum per Iesum Christum vocatus (cf. *Eph.* 1, 5), Deo sese revelanti adhaerere non possit, nisi Pater traxerit eum (cf. *Io.* 6, 44) et rationabile liberumque Deo praestiterit fidei obsequium. Indoli ergo fidei repugnat ut, in re religiosa, quodvis genus coercitionis ex parte hominum adhibeatur. Ac proinde ratio libertatis religiosae haud parum eo confert ad illum rerum statum efficiendum, quo homines expedite possint invitari ad fidem christianam libere amplectendam eamque in tota vitae ratione actuose confitendam.

10. [*Modus agendi Christi et Apostolorum*]. Deus Ipse quidem homines ad inserviendum Sibi vocat, non vero coercet. Rationem enim habet dignitatis personae humanae ab Ipso conditae, quae proprio consilio duci et libertate frui debet. Hoc autem summe apparuit in Christo Iesu, in quo Deus Seipsum ac vias suas tamquam in perfecto humano exemplari manifestavit. Etenim Christus, qui Magister et Dominus est noster (cf. *Io.* 13, 13), idemque mitis et humilis corde (cf. *Mt.* 11, 29), in ministerio suo peragendo discipulos patienter allexit et invitavit (cf. *Mt.* 4, 19; 11, 28-30; 19, 16-22; *Io.* 6, 28). Miraculis utique praedicationem suam suffulsit et confirmavit, ut auditores verbo suo fide haererent. At vero ea prodigia semper renuit patrare, quae violentia quadam assensum fidei ab hominibus non bene dispositis extorquere viderentur. Au-

Textus recognitus

10. (olim 11) [*Libertas actus fidei*]. Caput est ex praecipuis doctrinae catholicae, in verbo Dei contentum et a Patribus constanter praedicatum,[11] hominem debere Deo *voluntarie* respondere credendo; invitum proinde neminem esse cogendum ad amplectendam fidem.[12] Etenim actus fidei ipsa sua natura *voluntarius* est, cum homo, a Christo Salvatore redemptus et in adoptionem filiorum per Iesum Christum vocatus,[13] Deo sese revelanti adhaerere non possit, nisi Pater traxerit eum,[14] et homo rationabile liberumque Deo praestiterit fidei obsequium. Indoli ergo fidei *plene consonum est* ut, in re religiosa, quodvis genus coercitionis ex parte hominum *excludatur*. Ac proinde, ratio libertatis religiosae haud parum confert ad illum rerum statum *fovendum,* quo homines expedite possint invitari ad fidem christianam *sponte* amplectendam eamque in tota vitae ratione actuose confitendam.

11. (olim 10) [*Modus agendi Christi et Apostolorum*]. Deus ( ) quidem homines ad inserviendum Sibi *in spiritu et veritate* vocat, *unde ipsi in conscientia vinciuntur* non vero coercen*tur*. Rationem enim habet dignitatis personae humanae ab Ipso conditae, quae proprio consilio duci et libertate frui debet. Hoc autem apparuit in Christo Iesu, in quo Deus Seipsum ac vias suas perfect*e* ( ) manifestavit. Etenim Christus, qui Magister et Dominus est noster,[15] idemque mitis et humilis corde,[16] ( ) discipulos patienter allexit et invitavit.[17] Miraculis utique praedicationem suam suffulsit et confirmavit, ut fide*m* auditor*um comprobaret, non ut in eos coercitionem exerceret.*[18] ( ). *Incredulitatem audientium certe exprobravit, sed vindictam Deo in diem Iudicii relinquendo.*[19] *Mittens Apostolos in mundum dixit eis*: « *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui*

Textus reemendatus

ditores quidem eiusmodi signa petebant (cf. *Lc.* 11, 16; *Mt.* 27, 42-43), quae tamen recusavit Iesu (cf. *Lc.* 11, 16 sq.; *Io.* 4, 48). Ipsos Apostolos increpavit, qui Ei proponebant: « Domine, vis dicimus ut descendat ignis de caelo et consumat illos? » (cf. *Lc.* 9, 54-56). Christus autem sese praebuit ut perfectum Servum Yahweh (cf. *Is.* 42, 1-4), qui « harundinem quassatam non confringit et linum fumigans non extinguit » (*Mt.* 12, 20). Regnum eius non percutiendo vindicatur (cf. *Mt.* 26, 51-53), sed stabilitur testificando et audiendo veritatem (cf. *Io.* 18, 37), et crescit amore, quo homines ad Seipsum trahit (cf. *Io.* 12, 32).

Christi exemplum secuti sunt Apostoli. Ab ipso Ecclesiae exordio discipuli Christi allaborarunt ut homines ad Christum Dominum confitendum converterent, non actione coercitiva neque artificiis Evangelio indignis, sed in primis virtute verbi Dei (cf. *1 Cor.* 2, 3-5; *1 Thess.* 2, 3-5). Sicuti Christus, Apostoli intenti semper fuerunt ad testimonium reddendum veritati Dei, abundantius audentes coram populo et principibus « sine timore verbum Dei loqui » (*Phil.* 1, 14; cf. *Act.* 4, 13-20). Firma fiducia tenebant ipsum evangelium re-

Textus recognitus

vero non crediderit condemnabitur » (*Mc.* 16, 16). *Ipse vero agnoscens zizaniam cum tritico seminatam, iussit sinere utraque crescere usque ad messem quae fiet in consummatione saeculi.*[20] *Nolens esse Messias politicus et vi dominans,*[21] *maluit se dicere Filium Hominis qui venit « ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis »* (*Mc.* 10, 45). Sese praebuit ut perfectum Servum *Dei,*[22] qui « harundinem quassatam non confringit et linum fumigans non extinguit » (*Mt.* 12, 20). *Potestatem civilem eiusque iura agnovit, iubens censum dari Caesari, clare autem monuit servanda esse iura superiora Dei*: « *Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei, Deo* » (*Mt.* 22, 21). *Tandem in opere redemptionis super crucem complendo, quo salutem et veram libertatem hominibus acquireret, revelationem suam perfecit. Testimonium enim perhibuit veritati,*[23] *eam tamen contradicentibus vi imponere noluit*: « *qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur* » (*1 Pt.* 2, 23). Regnum *enim* eius non percutiendo vindicatur,[24] sed stabilitur testificando et audiendo veritatem, crescit *autem* amore, *qui manifestatus in cruce* homines ad *Ipsum* trahit.[25]

Apostoli, Christi *verbo* et exemplo *edocti, eamdem viam* secuti sunt. Ab ips*is* Ecclesiae exordi*is* discipuli Christi *ad*laborarunt ut homines ad Christum Dominum confitendum converterent, non actione coercitiva neque artificiis Evangelio indignis, sed in primis virtute verbi Dei.[26] *Fortiter omnibus nuntiabant propositum Salvatoris Dei, « qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire »* (*1 Tim.* 2, 4); *simul autem verebantur debiles etiamsi in errore versabantur, sic ostendentes quomodo « unusquisque nostrum pro*

Textus reemendatus

vera esse virtutem Dei in salutem omni credenti (cf. *Rom.* 1, 16). Omnibus ergo spretis « armis carnalibus » (cf. *2 Cor.* 10, 4), exemplum mansuetudinis et modestiae Christi sequentes, verbum Dei praedicaverunt plene confisi divina huius verbi virtute ad potestates Deo adversas destruendas et homines ad fidem et obsequium Christi reducendos (cf. *2 Cor.* 10, 3-5).

N. 9, pag. 14, linn. 4-6

Hanc viam secuti sunt innumeri martyres et fideles per saecula et per orbem.

N. 10, pag. 16, linn. 1-4

Ecclesia igitur, evangelicae veritati fidelis, viam Christi et Apostolorum sequitur quando rationem libertatis religiosae ut hominis dignitati consonam agnoscit eamque fovet.

N. 9, pag. 14, linn. 7-23

Quae omnia Ecclesia decursu temporum sedulo custodivit et tradidit. Fideles ad maiorem in dies libertatem spiritus instituit, et in iis genuinum oboedientiae sensum excoluit. Potestatum saecularium oppressioni restitit, suique ministerii sacri libertatem propugnavit. Tandem, etsi inter populum Dei in terris peregri-

Textus recognitus

se rationem reddet Deo » (*Rom.* 14, 12)[27] *et intantum teneatur conscientiae suae oboedire.* Sicuti Christus, Apostoli intenti semper fuerunt ad testimonium reddendum veritati Dei, abundantius audentes coram populo et principibus « loqui verbum *cum fiducia* » (*Act.* 4, 31).[28] Firma *enim fide* tenebant ipsum evangelium revera esse virtutem Dei in salutem omni credenti.[29] Omnibus ergo spretis « armis carnalibus »,[30] exemplum mansuetudinis et modestiae Christi sequentes, verbum Dei praedicaverunt plene confisi divina huius verbi virtute ad potestates Deo adversas destruendas[31] *atque* homines ad fidem et obsequium Christi reducendos.[32] *Sicut Magister ita et Apostoli auctoritatem legitimam civilem agnoverunt: « Non est enim potestas nisi a Deo » docet Apostolus, qui exinde iubet: « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit ...; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* » (*Rom.* 13, 1-5).[33] *Simul autem non timuerunt contradicere potestati publicae se sanctae Dei voluntati opponenti: « Oboedire oportet Deo magis quam hominibus* » (*Act.* 5, 29).[34] Hanc viam secuti sunt innumeri martyres et fideles per saecula et per orbem.

12. [*Ecclesia vestigia Christi et Apostolorum sequitur*]. Ecclesia igitur evangelicae veritati fidelis, viam Christi et Apostolorum sequitur quando rationem libertatis religiosae *tamquam* dignitati hominis *et Dei revelationi* consonam agnoscit eamque fovet. *Doctrinam a Magistro et ab Apostolis acceptam,* decursu temporum, ( ) custodivit et tradidit. Etsi *in vita* Populi Dei, *per vicissitudines historiae humanae* peregrinantis, *interdum extitit modus agendi,* spiritui evangelico minus conformis, *immo contrarius,* semper tamen mansit Ecclesiae doctrina neminem esse ad fidem cogendum.

Textus reemendatus

nantem non defuerunt qui alias vias, spiritui evangelico minus conformes inierint, inconcussa tamen semper mansit Ecclesiae doctrina, neminem esse ad fidem cogendum.

Evangelicum fermentum in mentibus quoque hominum diu est operatum atque multum contulit ad hoc, ut temporum decursu latius agnosceretur principium, in re religiosa homines immunes esse servandos in civitate a quacumque humana coercitione.

12. [*Libertas Ecclesiae*]. Inter ea quae ad bonum Ecclesiae spectant et ubique semperque servanda sunt atque ab omni iniuria defendenda, illud certe praestantissimum est, eam tanta perfrui agendi libertate, quantam salus hominum curanda requirat. Haec enim libertas sacra est, qua Unigenitus Dei Filius ditavit Ecclesiam acquisitam sanguine suo. Ecclesiae autem adeo propria est, ut qui eam impugnent, iidem contra Dei voluntatem agant. Ex catholica traditione libertas Ecclesiae est principium fundamentale in relationibus inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae.

In societate humana et coram quavis potestate publica Ecclesia sibi vindicat libertatem, utpote auctoritas spiritualis, a Christo Domino constituta, cui ex divino mandato incumbit officium eundi in mundum universum et evangelium praedicandi omni creaturae (cf. *Mc.* 16, 15; *Mt.* 28, 18-20). Pariter libertatem sibi vindicat Ecclesia prout est etiam societas hominum convocationi divinae libere respondentium, qui iure gaudent vivendi in societate civili secundum fidei christianae praescripta.

Iamvero si reapse viget ratio libertatis religiosae, Ecclesia stabilem obtinet et iuris et

Textus recognitus

Evangelicum fermentum in mentibus ( ) hominum *sic* diu est operatum atque multum contulit ( ), ut *homines* temporum decursu latius agnoscer*ent dignitatem personae suae, atque maturesceret persuasio* in re religiosa *ipsam* immun*em* servand*am* esse in civitate a quacumque humana coercitione.

13. (olim 12) [*Libertas Ecclesiae*]. Inter ea quae ad bonum Ecclesiae, *immo ad bonum ipsius terrenae civitatis,* spectant et ubique semperque servanda sunt atque ab omni iniuria defendenda, illud certe praestantissimum est, *Ecclesiam* tanta perfrui agendi libertate, quantam salus hominum curanda requirat.[35] Haec enim libertas sacra est, qua Unigenitus Dei Filius ditavit Ecclesiam acquisitam sanguine suo. Ecclesiae autem adeo propria est, ut qui eam impugnent, iidem contra Dei voluntatem agunt. ( ) Libertas Ecclesiae est principium fundamentale in relationibus inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae.

In societate humana et coram quavis potestate publica Ecclesia sibi vindicat libertatem, utpote auctoritas spiritualis, a Christo Domino constituta, cui ex divino mandato incumbit officium eundi in mundum universum et evangelium praedicandi omni creaturae.[36] Pariter libertatem sibi vindicat Ecclesia prout est etiam societas hominum, ( ) qui iure gaudent vivendi in societate civili secundum fidei christianae praescripta.[37]

Iamvero si ( ) viget ratio libertatis religiosae *non solum verbis proclamata neque solum*

Textus reemendatus

facti condicionem plenamque independentiam in missione divina exsequenda, quae ei ex mandato Christi commissa est. Praeterea Christifideles, non minus quam ceteri homines, iure civili gaudent ne impediantur in vita sua iuxta conscientiam agenda. Concordia igitur viget inter libertatem Ecclesiae et libertatem illam religiosam, quae omnibus hominibus et communitatibus est tamquam ius agnoscenda.

13. [*Munus Ecclesiae*]. Ecclesia Catholica, ut divino obtemperet mandato: docete omnes gentes ... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20), impensa cura adlaborare debet « ut sermo Dei currat et clarificetur » (*2 Thess.* 3, 1).

Enixe igitur rogat Ecclesia ut a filiis suis « primum omnium fiant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus ... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 1-4).

Christifideles autem in sua efformanda conscientia diligenter attendere debent ad sacram certamque Ecclesiae doctrinam. Dei enim voluntate Ecclesia Catholica magistra est veritatis, eiusque munus est, ut veritatem, quae Christus est, enuntiet atque authentice doceat, simulque principia ordinis moralis, ex ipsa natura humana profluentia, auctoritate sua declaret atque confirmet. Insuper Christiani, in sapientia ambulantes ad eos qui foris sunt, « in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis » (*2 Cor.* 6, 6-7) lumen vitae cum

Textus recognitus

legibus sancita, sed etiam cum sinceritate in praxim deducta, tunc demum Ecclesia stabilem obtinet et iuris et facti condicionem *ad necessariam* independentiam in missione divina exsequenda, *quam auctoritates ecclesiasticae in societate presse pressiusque vindicarunt.*[38] *Simulque* Christifideles, *sicut et* ceteri homines iure civili gaudent ne impediantur in vita sua iuxta conscientiam agenda. Concordia igitur viget inter libertatem Ecclesiae et libertatem illam religiosam, quae omnibus hominibus et communitatibus est tanquam ius agnoscenda *et in ordinatione iuridica sancienda.*

14. (olim 13) [*Munus Ecclesiae*]. Ecclesia Catholica, ut divino obtemperet mandato: « docete omnes gentes » ( ) (*Mt.* 28, 19-20), impensa cura adlaborare debet « ut sermo Dei currat et clarificetur » (*2 Thess.* 3, 1).

Enixe igitur rogat Ecclesia ut a filiis suis « primum omnium fiant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus ... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 1-4).

Christifideles autem in sua efformanda conscientia diligenter attendere debent ad sacram certamque Ecclesiae doctrinam.[39] *Christi* enim voluntate Ecclesia Catholica magistra est veritatis, eiusque munus est, ut veritatem, quae Christus est, enuntiet atque authentice doceat, simulque principia ordinis moralis, ex ipsa natura humana profluentia, auctoritate sua declaret atque confirmet. Insuper Christiani, in sapientia ambulantes ad eos qui foris sunt, « in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis » (*2 Cor.* 6, 6-7), lumen vitae cum

Textus reemendatus

omni fiducia (cf. *Act.* 4, 29) et fortitudine apostolica, ad sanguinis usque effusionem, diffundere satagant.

Etenim discipulus erga inaestimabile donum veritatis Christi gravi adstringitur officio, eam plenius in dies cognoscendi, annuntiandi fideliter, strenue defendendi. Simul tamen caritas Christi urget eum, ut amanter prudenter patienter agat cum hominibus, qui in errore vel ignorantia circa fidem versantur. Respiciendum igitur est tum ad officia erga verbum vivificans quod praedicandum est, tum ad humanae personae iura, tum ad mensuram gratiae a Deo per Christum tributam homini, qui ad fidem libere accipiendam et profitendam invitatur.

IV. Conclusio

14. Constat igitur praesentis aetatis homines optare ut libere possint religionem privatim publiceque profiteri; libertatem autem religiosam in plerisque constitutionibus iam ut ius civile declarari et instrumentis internationalibus agnosci.

At non desunt regimina in quibus, etsi in eorum constitutione ius ad cultum Deo praestandum agnoscitur, tamen ipsae publicae potestates conantur cives a religione profitenda removere et communitatibus religiosis vitam perdifficilem ac periclitantem reddere.

Illa fausta huius temporis signa laeto animo salutans, haec vero deploranda facta cum moerore denuntians, Sacra Synodus Christifideles hortatur, exorat autem homines universos, ut perattente considerent quantopere libertas religiosa necessaria sit, in praesentibus potissimum vitae humanae adiunctis.

Manifestum est enim cunctas gentes magis in dies unum fieri, homines diversae culturae

Textus recognitus

omni fiducia [40] et fortitudine apostolica, ad sanguinis usque effusionem, diffundere satagant.

Etenim discipulus erga *Christum Magistrum* gravi adstringitur officio, donum veritatis *ab eo receptae* plenius in dies cognoscendi, annuntiandi fideliter, strenue*que* defendendi, *evangelicis mediis adhibitis*. Simul tamen caritas Christi urget eum, ut amanter prudenter patienter agat cum hominibus, qui in errore vel ignorantia circa fidem versantur.[41] Respiciendum igitur est tum ad officia erga *Christum* Verbum vivificans quod praedicandum est, tum ad humanae personae iura, tum ad mensuram gratiae a Deo per Christum tributam homini, qui ad fidem *sponte* accipiendam et profitendam invitatur.

15. (olim 14) [*Conclusio*]. Constat igitur praesentis aetatis homines optare ut libere possint religionem privatim publiceque profiteri; libertatem autem religiosam in plerisque Constitutionibus iam ut ius civile declarari [42] et *documentis* internationalibus agnosci.[43]

At non desunt regimina in quibus, etsi in eorum Constitutione *libertas cultus religiosi* agnoscitur, tamen ipsae publicae potestates conantur cives a religione profitenda removere et communitatibus religiosis vitam perdifficilem ac periclitantem reddere.

Illa fausta huius temporis signa laeto animo salutans, haec vero deploranda facta cum moerore denuntians, Sacra Synodus Catholicos hortatur, exorat autem homines universos, ut perattente considerent quantopere libertas religiosa necessaria sit, in praesentibus potissimum vitae humanae adiunctis.

Manifestum est enim cunctas gentes magis in dies unum fieri, homines diversae culturae

Textus reemendatus

et religionis arctioribus inter se devinciri rationibus, augeri denique conscientiam propriae cuiusque responsabilitatis. Proinde ut pacificae relationes et concordia in genere humano instaurentur et firmentur, requiritur ut ubique terrarum libertas religiosa efficaci tutela iuridica muniatur atque observentur suprema hominum officia et iura ad vitam religiosam libere in societate ducendam.

Pag. 20, linn. 13-18

Faxit Deus et Pater omnium ut familia humana, diligenter servata libertatis religiosae ratione in societate, per gratiam Christi et virtutem Spiritus Sancti adducatur ad sublimem illam ac perennem « libertatem gloriae filiorum Dei » (*Rom.* 8, 21).

Textus recognitus

et religionis arctioribus inter se devinciri rationibus, augeri denique conscientiam propriae cuiusque responsabilitatis. Proinde ut pacificae relationes et concordia in genere humano instaurentur et firmentur, requiritur ut ubique terrarum libertas religiosa efficaci tutela iuridica muniatur atque observentur suprema hominum officia et iura ad vitam religiosam libere in societate ducendam.

Faxit Deus et Pater omnium ut familia humana, diligenter servata libertatis religiosae ratione in societate, per gratiam Christi et virtutem Spiritus Sancti adducatur ad sublimem illam ac perennem « libertatem gloriae filiorum Dei » (*Rom.* 8, 21).

NOTAE

[1] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 279, ubi Summus Pontifex ad realitates hodiernas animadvertit: « At hae, de quibus diximus, animorum appetitiones illud etiam manifesto testantur, nostro hoc tempore homines magis magisque fieri dignitatis suae conscios, atque adeo incitari cum ad reipublicae administrationem participandam, tum ad poscendum, ut propria inviolabiliaque iura in publica civitatis disciplina serventur. Neque haec satis; nam homines nunc illud insuper poscunt, ut nempe civitatis auctoritates et ad normam publicae constitutionis creentur, et sua munera intra eiusdem terminos obeant ». Cf. *ibid.,* p. 265: « Illud praeterea humanae dignitas personae exigitur, ut in agendo homo proprio consilio et libertate fruatur. Quocirca, si de civium coniunctione agitur, est profecto cur ipse iura colat, officia servet, atque, in innumeris operibus exercendis, aliis sociam tribuat operam, suo praesertim impulsu et consulto; ita scilicet ut suo quisque instituto, iudicio, officiique conscientia agat, iam non commotus coercitione vel sollicitatione extrinsecus plerumque adductis; quandoquidem, si qua hominum societas una ratione virium est instituta, ea nihil humani in se habere dicenda est, utpote in qua homines a libertate cohibeantur, qui contra ad vitae progressus, ad perfectionemque assequendam apte ipsi incitandi sunt ».

Quod pertinet ad dignitatem illam civilem, secundum quam dignitas humana in publicum prodit; cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 24 dec. 1944: *A.A.S.,* 37 (1945), p. 14: « In un popolo degno di tal nome il cittadino sente in se stesso la

[18] coscienza della sua personalità, dei suoi doveri e dei suoi diritti, della propria libertà congiunta col rispetto della libertà e della dignità altrui ». Hoc loco commendat Romanus Pontifex etiam illud « ideale di libertà e di uguaglianza » (*loc. cit.*), quod in Statu democratico, iuxta sana rationis principia ordinato, obtineat necesse est,
[19] quodque postulat, ut hominis ius in societate ad liberum exercitium religionis plene agnoscatur, colatur, defendatur.

[2] Cf. PAULUS VI, *Homilia* Dom. XIV post Pent., *L'Oss. Rom.,* 13-14 sept. 1965.

[3] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963, *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 260-261: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri ». Cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 24 dec. 1942: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 19, ubi inter « iura fundamentalia personae » hoc etiam collocatur: « il diritto al culto di Dio privato e pubblico, compresa l'azione caritativa religiosa ». Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* 14 martii 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 160: « Der gläubige Mensch hat ein unverlierbares Recht, seinen Glauben zu bekennen und in den ihm gemässen Formen zu betätigen. Gesetze, die das Bekenntnis und die Betätigung dieses Glaubens unterdrücken oder erschweren, stehen im Widerspruch mit einem Naturgesetz ». Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888, *Acta Leonis XIII,* 8 (1888), pp. 237-238: « Illa quoque magnopere praedicatur, quam conscientiae libertatem nominant; quae si ita accipiatur ut suo cuique arbitratu aeque liceat Deum colere, non colere, argumentis, quae supra allata sunt, satis convincitur. Sed potest etiam in hanc sententiam accipi, ut homini ex conscientia officii Dei voluntatem sequi et iussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat. Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas, quae humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi iniuriaque maior, eademque Ecclesiae semper optata ac praecipue cara ».

[4] Cf. S. THOMAS, *Summa theologica,* I-II, q. 91, a. 1; q. 93, a. 1.

[5] Cf. *Ibid.,* q. 93, a. 2.

[6] Quoad historiam huius quaestionis cf. J. LECLER, S. I., *Histoire de la tolérance religieuse au siècle de la Réforme,* Paris, Aubier, Edition Montaigne, 1955, tom. II, fere passim.

[7] Cf. S. THOMAS, *Summa theologica,* II-II, q. 91, a. 4 c: « De his potest homo legem ferre de quibus potest iudicare. Iudicium autem hominis esse non potest de interioribus actibus, qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui apparent »; cf. II-II, q. 104, a. 5 c: « In his quae pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini oboedire sed solum Deo ». Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 270: « Sed quoniam omnes homines in naturali dignitate sunt inter se pares, tum nemo valet alium ad aliquid intimis animi sensibus efficiendum cogere; quod quidem unus Deus potest, utpote qui unus arcana pectoris consilia scrutetur ac iudicet ». Cf. PAULUS VI, *Nuntius Radiophonicus,* 22 decembris 1964: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 181.

[8] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 273-274: « Verum cum nostra hac aetate commune bonum maxime in humanae personae servatis iuribus et officiis consistere putetur, tum praecipue in eo sint oportet curatorum rei publicae partes, ut hinc iura agnoscantur, colantur, inter se componantur, defendantur, provehantur, illinc suis quisque officiis facilius fungi possit. Etenim "inviolabilia iura tueri, hominum propria, atque curare, ut

facilius quisque suis muneribus defungatur, hoc cuiusvis publicae potestatis offi- [19]
cium est praecipuum" ». Cf. Pius XII, *Nuntius radiophonicus,* 1 iunii 1941: *A.A.S.*, 33 (1941), p. 200.

[9] Cf. Leo XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.*, 18 (1885), p. 161: « Immortale Dei miserenti opus, quod est Ecclesia, quamquam per se et natura sua salutem spectat animorum adipiscendamque in caelis felicitatis, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures maioresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam huius vitae, quae
in terris agitur, prosperitatem institutum ». Quod quidem thema, e S. Augustino [20]
derivatum, saepe saepius evolvere solebat Leo XIII.

[10] Sic redditur aliis verbis nota regula iuris canonici, ex iure romano quoad sensum deprompta, « Odia restringi et favores convenit ampliari ». Cf. V. Bartoccetti, *De regulis iuris canonici* (Angelo Belardetti Editore, Roma 1955), p. 73.

[11] Lactantius, *Divinarum Institutionum,* lib. V, 19: ed. S. Brandt et G. Laubmann, CSEL 19, p. 463; *PL* 6, 614 (cap. 20): « Non est opus vi et iniuria, quia religio cogi non potest, verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas ».

Op. cit.: CSEL 19, p. 464; *PL* 6, 614: « Itaque nemo a nobis retinetur invitus — inutilis est enim Deo qui devotione ac fide caret — et tamen nemo discedit ipsa veritate retinente ».

Op. cit.: CSEL 19, p. 465; *PL* 6, 616: « Nihil est enim tam voluntarium quam religio, in qua si animus sacrificantis aversus est, iam sublata, iam nulla est ».

S. Ambrosius, *Epistola ad Valentinianum Imp.*, Ep. 21: *PL* 16, 1047: « Dei lex nos docuit quid sequamur, humanae leges hoc docere non possunt. Extorquere solent timidis commutationem, fidem inspirare non possunt ».

S. Augustinus, *Contra litteras Petiliani,* lib. II, cap. 83: ed. M. Petschenig, CSEL 52, p. 112; *PL* 43, 315; cf. C. 23, q. 5, c. 33 (ed. Friedberg, col. 939): « Augustinus respondit: Ad fidem quidem nullus est cogendus invitus; sed per severitatem, immo et per misericordiam Dei tribulationum flagellis solet perfidia castigari ». Eandem sententiam illustris Doctor exprimit in Ep. 23 (*PL* 33, 98), in Ep. 34 (*PL* 33, 132), et quoad sensum in Ep. 35 (*PL* 33, 135).

S. Gregorius Magnus, *Epistola ad Virgilium et Theodorum Episcopos Massiliae Galliarum,* Registrum Epistolarum, I, 45: ed. P. Ewald et L. M. Hartmann, MGH Ep. 1, p. 72; *PL* 77, 510-11 (Lib. I, ep. 47): « Dum enim quispiam ad baptismatis fontem non praedicationis suavitate, sed necessitate pervenerit, ad pristinam superstitionem remeans inde deterius moritur, unde renatus esse videbatur ».

Epistola ad Iohannem Episcopum Constantinopolitanum, Registrum Epistolarum, III, 52: MGH Ep. 1, p. 210; *PL* 77, 649 (lib. III, ep. 53); cf. D. 45, c. 1 (ed. Friedberg, col. 160): « Nova vero atque inaudita est ista praedicatio, quae verberibus exigit fidem ».

Conc. Tolet. IV, c. 57: Mansi 10, 633; cf. D. 45, c. 5 (ed. Friedberg, col. 161-162): « De Iudaeis hoc praecepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre; *cui enim vult Deus miseretur, et quem vult indurat.* Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes; ut integra sit forma iustitiae: sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti oboediens periit, sic vocante gratia Dei, propriae mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi,

[20] sed liberi arbitrii facultate, ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi... ».

CLEMENS III, Litterae Decretales: X, V, 6, 9, ed. Friedberg, col. 774: « ... Statuimus enim ut nullus Christianus invitos vel nolentes Iudaeos ad baptismum (per violentiam) venire compellat. Si quis autem ad Christianos causa fidei confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque calumnia efficiatur: quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire... ».

INNOCENTIUS III, *Epistola ad Arelatensem Archiepiscopum,* X, III, 42, 2: ed. Friedberg, col. 646: « ... Verum id est religioni Christianae contrarium, ut semper invitus et penitus contradicens ad recipiendam et servandam Christianitatem aliquis compellatur... ».

[12] Cf. *C.I.C.,* c. 1351; cf. PIUS XII, Alloc. ad Praelatos auditores ceterosque
[21] officiales et administros Tribunalis S. Romanae Rotae, 6 oct. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), p. 394, ubi citatur a R. P. *Pro Memoria* Secretariatus Status ad Legationem Yugoslaviae ad Sanctam Sedem: « D'après les principes de la doctrine catholique, la conversion doit être le résultat, non pas de contraintes extérieures mais de l'adhésion de l'âme aux vérités enseignées par l'Eglise catholique. C'est pour cela que l'Eglise catholique n'admet pas dans son sein les adultes, qui demandent à y entrer ou à y faire retour, qu'à la condition qu'ils soient pleinement conscients de la portée et des conséquences de l'acte qu'ils veulent accomplir ». IDEM, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943: *A.A.S.* (1943), p. 243: « At si cupimus non intermissam eiusmodi totius mystici Corporis comprecationem admoveri Deo, ut aberrantes omnes in unum Iesu Christi ovile quam primum ingrediantur, profitemur tamen omnino necessarium esse id sponte libenterque fieri, cum nemo credat nisi volens. Quamobrem si qui, non credentes, eo reapse compelluntur ut Ecclesiae aedificium intrent, ut ad altare accedant, sacramentaque suscipiunt, ii procul dubio veri Christifideles non fiunt; fides enim, sine qua "impossibile est placere Deo" (*Hebr.* 11, 6) liberrimum esse debet "obsequium intellectus et voluntatis" (CONC. VAT., Const. *de fide catholica,* cap. 3). Si igitur aliquando contingat, ut contra constantem Apostolicae huius Sedis doctrinam ad amplexandam catholicam fidem aliquis adigatur invitus, id Nos facere non possumus quin, pro officii nostri conscientia, reprobemus ».

[13] Cf. *Eph.* 1, 5.

[14] Cf. *Io.* 6, 44.

[15] Cf. *Io.* 13, 13.

[16] Cf. *Mt.* 11, 29.

[17] Cf. *Mt.* ( ) 11, 28-30; ( ) *Io.* 6, 68.

[18] Cf. *Mt.* 9, 28-29; *Mc.* 9, 23-24; 6, 5-6.

Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 642-43: « Adeo afuit ut quisquam vi cogeretur venire ad colloquium salutis, ut is magis amoris impulsione invitaretur. Qua invitatione, quamquam grave onus eius animo impositum est, ad quem pertinuit (cf. *Mt.* 11, 21), relicta tamen est ipsi potestas aut veniendi ad colloquium, aut illud fugiendi; quin immo Christus, sive miraculorum numerum (ib. 12, 38 s.), sive eorumdem vim probativam cum ad condiciones tum ad voluntatem audientium aptavit (ib. 13, 13 s.); eo nimirum consilio, ut iidem iuvarentur ad libere assentiendum divinae revelationi, neque exinde suae assensionis praemio carerent ».

[19] Cf. *Mt.* 11, 20-24. [21]
[20] Cf. *Mt.* 13, 30 et 40-41.
[21] Cf. *Mt.* 4, 8-10; *Io.* 6, 15.
[22] Cf. *Is.* 42, 1-4.
[23] Cf. *Io.* 18, 37.
[24] Cf. *Mt.* 26, 51-53; *Io.* 18, 36.
[25] Cf. *Io.* 12, 32.
[26] Cf. *1 Cor.* 2, 3-5; *1 Thess.* 2, 3-5.
[27] Cf. *Rom.* 14, 1-23; *1 Cor.* 8, 9-13; 10, 23-33.
[28] Cf. *Eph.* 6, 20.
[29] Cf. *Rom.* 1, 16.
[30] Cf. *2 Cor.* 10, 4; *1 Thess.* 5, 8-9.
[31] Cf. *Eph.* 6, 11-17.
[32] Cf. *2 Cor.* 10, 3-5.
[33] Cf. *1 Pt.* 2, 13-17.
[34] Cf. *Act.* 4, 19-20.

[35] Cf. LEO XIII, Litterae *Officio sanctissimo,* 22 dec. 1887: *A.S.S.,* 22 (1887),
p. 269: « In bonis autem Ecclesiae, quae Nos ubique semperque conservare debe- [22]
mus, ab omnique iniuria defendere, illud certe praestantissimum est, tantam ipsam perfrui agendi libertate, quantam salus hominum curanda requirat. Haec nimirum est libertas divina, ab Unigenito Dei Filio auctore profecta, qui Ecclesiam sanguine fuso excitavit; qui eam perpetuam in hominibus statuit; qui voluit ipsi ipse praeesse. Atque adeo propria est Ecclesiae, perfecti divinique operis, ut qui contra eam faciunt libertatem, iidem contra Deum et contra officium ». Ut olim Gregorius VII, sic temporibus modernis exstabat Leo XIII propugnator libertatis Ecclesiae. Cf. Litterae *Ex litteris,* 7 aprilis 1887: *A.S.S.,* 19 (1886), p. 465: « Nos quidem vel ab initio nostri pontificatus multo et serio cogitare de vobis instituimus, atque, ut ratio Nostri ferebat officii, consilium cepimus omnia conari, si qua ratione liceat, pacatam tranquillitatem cum libertate legitima catholico nomini restituere ». In sexaginta fere documentis, quae relationes inter rem sacram remque civilem tractant, octaginta vices occurrit formula verborum, « libertas Ecclesiae », vel formula aequipollens. Ipsi enim Leoni XIII, sicut toti traditioni catholicae, libertas Ecclesiae principium est fundamentale in iis, quae spectant ad relationem inter Ecclesiam et instituta omnia ordinis civilis.

[36] Cf. *Mc.* 16, 15; *Mt.* 28, 18-20.

Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.* 31 (1939), pp. 445-46: « Quamobrem Nos, ut eius in terris vices gerimus, qui a sacro vate "Princeps pacis" appellatur (*Is.* 9, 6), civitatum rectores eosque omnes, e quorum opera quovis modo publica res pendet, compellamus vehementerque obtestamur ut Ecclesia plena semper libertate fruatur debita, qua suam possit educationis operam exsequi, ac veritatem impertire mentibus, animi inculcare iustitiam, eosque divina Iesu Christi refovere caritate ».

[37] Cf. PIUS XI, Litterae *Firmissimam constantiam,* 28 martii 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 196: « Proposita eiusmodi aestimandarum rerum mensura, concedendum sane est, ad christianam vitam explicandam externa quoque praesidia, quae sensibus percipiuntur, esse necessaria, pariterque Ecclesiae tamquam hominum societati opus omnino esse, ad vitae usuram atque incrementum, iusta agendi liber-

[22] tate, ipsosque fideles iure gaudere in societate civili vivendi ad rationis conscientiaeque praescripta ».

[38] Cf. PIUS XII, Allocutio *Ci riesce,* 6 dec. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), p. 802, ubi fines clare definiuntur, quos Ecclesia prae oculis habet in ineundis Concordatis: « I Concordati debbono quindi assicurare alla Chiesa una stabile condizione di diritto e di fatto nello Stato, con cui sono conclusi, e garantire ad essa la piena indipendenza nell'adempimento della sua divina missione ». Exinde insuper constat, nihil esse in doctrina de libertate religiosa, quod cum praxi hodierna Concordatorum quovis modo pugnat.

[39] Cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus*: *A.A.S.* 44 (1952), pp. 270-78, de conscientia christiana efformanda.

[40] Cf. *Act.* 4, 29.

[41] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* pp. 399-300: « Omnino errores ab iis qui opinione labuntur semper distinguere aequum est quamvis de hominibus agatur, qui aut errore veritatis aut impari rerum cognitione capti sint, vel ad sacra ad optimam vitae actionem attinentium. Nam homo ad errorem lapsus iam non humanitate instructus esse desinit, neque suam umquam personae dignitatem amittit cuius ratio est semper habenda. Praeterea in hominis natura numquam facultas perit et refragandi erroribus et viam ad veritatem quaerendi. Neque umquam hac in re providentissimi Dei auxilia hominem deficiunt. Ex quo fieri potest, ut, si quis hodie vel perspicuitate egeat,
[23] vel in falsas discesserit sententias, possit postmodum, Dei collustratus lumine, veritatem amplecti ».

[42] GIANNINI A., *Le Costituzioni degli Stati del Vicino Oriente,* Roma 1931. - PEASLEE AMOS S., *Constitutions of Nations,* New Jersey (USA) 1950. - MIRKINE GUETZEVITCH B., *Le Costituzioni Europee,* Milano 1954. - ZAMORA A., *Digesto Constitutional Americano,* Buenos Aires 1958. - LAVROFF D. G. et PEISER G., *Les Constitutions Africaines,* Paris 1963. - STRAMACCI M., *Le Costituzioni degli Stati Africani,* Milano 1963. - PAVAN P., *Libertà Religiosa e Pubblici Poteri,* Milano 1965.

[43] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 295-296, ubi, quibusdam defectibus non obstantibus, commendatur Professio Universalis Iurium Humanorum, die 10 dec. 1948 a Foederatarum Nationum Coetu Generali rata habita: « Nihilominus Professionem eandem habendam esse censemus quemdam quasi gradum atque aditum ad iuridicialem politicamque ordinationem constituendam omnium populorum, qui in mundo sunt. Siquidem ea universis prorsus hominibus solemniter agnoscitur humanae dignitas personae, atque iura cuivis homini asseruntur veritatem libere quaerendi, honestatis sequendi normas, iustitiae officia usurpandi, vitam exigendi homine dignam, alia deinceps cum hisce coniuncta ».

RELATIO [25]

INTRODUCTIO

Etsi vereor, Venerabiles Patres, ne vos taedeat iterum relationem de libertate religiosa audire, et quidem sextam, liceat tamen indulgentiam vestram expetere. Necessarium enim videtur vobis exponere quomodo Commissio nostra rationem habuerit et emendationum a vobis propositarum et eorum quae in relatione conclusiva post disceptationem dicta sunt.

1. *Officia erga veritatem et Ecclesiam.*

Tenore ipsius quaesiti diei 21 septembris 1965 iubebamur textum reemendatum tamquam basim definitivae declarationis perficere « iuxta doctrinam catholicam de vera religione ». His verbis postulabatur ut modo magis explicito ostenderetur libertatem religiosam hominem et societates non exonerare ab officiis moralibus quibus tenentur erga religionem catholicam. Huic vestrae voluntati satisfacere conati sumus duplici via: 1) In ipso prooemio ostendimus libertatem religiosam, cum sit tantummodo humana et iuridica immunitas a coercitione, neminem liberare a suis moralibus officiis erga veritatem veramque Ecclesiam; haec enim in honesto libertatis religiosae usu integre servanda sunt; 2) Diversis in locis (nn. 3, 6, 7, 8, 13) hanc moralem obligationem concretis casibus applicavimus.

2. *Clarificatio notionis libertatis religiosae.*

Multi Patres clarificationem ipsius notionis libertatis religiosae exigerunt. 1) Iam in ipso subtitulo nunc legitur: « De iure personae et communitatum ad libertatem *socialem et civilem* in re religiosa ». Libertas seu immunitas a coercitione, de qua agitur in Declaratione, non respicit relationem hominis ad veritatem vel ad Deum, nec agit de relationibus inter fideles et auctoritates in Ecclesia; respicit vero relationes inter personas in societate humana et civili i. e. relationes hominum cum hominibus singulis, cum coetibus socialibus, cum potestate civili. Propter has rationes haec libertas denominatur socialis et civilis. 2) In hoc textu recognito clarius patebit libertatem religiosam, ubi tamquam
ius civile agnoscitur, esse unam, et quidem supremam, ex his socialibus [26]
et civilibus cautionibus seu immunitatibus (garanzie) quibus in societate moderna hominum vita et securitas defenditur. Libertas religiosa est ordinatio iuridica seu iuridica cautela qua homines defenduntur ne

[26] impediantur cum responsabili libertate veritatem in re religiosa quaerere et sequi. 3) Ut exemplo utar, eo facto quod lege circulationis (legge sulla circolazione) ...[1] proteguntur et iuridica tutela muniuntur, ipsimet non exonerantur morali officio prudenter et decenter per vias incedendi; ipsa lege morali obligantur honeste utendi securitate iuridica qua hoc modo vi legis gaudent. Pari modo eo quod homines in re religiosa circumdati sunt iuridica immunitate, nequaquam dispensantur a morali officio utendi hac sua libertate religiosa secundum legem moralem obiectivam et, si catholici sunt, iuxta leges Ecclesiae nomine Christi loquentis.

3. *Fundamentum iuris ad libertatem religiosam.*

Aliqui Patres petierunt recognitionem partis in qua affirmatur religiosam immunitatem esse verum ius et ipsum in dignitate humanae personae fundari. Ut his votis satisfiat, loco modi loquendi argumentativi nunc adhibitus est modus loquendi assertivus, in documentis conciliaribus assuetus. Pariter expositio doctrinae eiusque iustificatio per modum unius facta est.

Fundamentum iuris ad libertatem religiosam invenitur in doctrina catholica de dignitate personae humanae. His ultimis decenniis studia theologica et dicta ac scripta Romanorum Pontificum veritatem de dignitate personae humanae presse pressiusque enucleaverunt. Haec doctrina nunc sufficienter stabilita est, ut in documento conciliari tuto adhiberi possit ad suffulciendum ius ad libertatem socialem et civilem in re religiosa.

Animadvertere velitis in textu recognito hoc fundamentum ontologicum duplici sub forma exponi, ut videre potestis in n. 2 et in n. 3. Ut satisfiat desiderio nonnullorum Patrum hanc doctrinam primo exponimus unice innitentes in dignitate humanae personae, qua exigitur hominem libero et responsabili modo veritatem quaerere, veritati perspectae assentire, ipsique suam vitam conformare. Hoc priori modo (n. 2) doctrina nostra intelligi et admitti potest ab omnibus, etiam a non credentibus. In posteriori expositione (n. 3) tota res modo magis fundamentali tractatur, insistendo in hominum necessitudinem ad Deum, sicut amplioribus verbis iam factum fuit in textu reemendato.

4. *Synthetica compositio documentorum pontificalium.*

In nostra expositione attendimus praecipue ad subiectum humanum eiusdemque dignitatem, iura et officia. Ubi autem in antiquioribus documentis pontificiis sermo est de vita religiosa in societate ducenda,

minus attendebatur ad subiectum humanum et tota res magis considerabatur sub respectu obiecti seu veritatis admittendae et iurium Ecclesiae. Observandum tamen est in documentis pontificiis, etiam antiquioribus, ipsius subiecti humani considerationem non deesse. Exemplum typicum habetur in Instructione « *Eo quamvis tempore* » in qua anno 1745 Benedictus XIV tractat de more antiquitus in Ecclesia habito iuxta quem illi qui per vim ad sacerdotium, episcopatum vel vitam religiosam coacti erant, tamen adstringebantur ad horum statuum obligationes servandas. En verba Benedicti XIV: « Obsolevit enim vetus illa Ecclesiae disciplina, quae coacte, aut per vim promotos ad sacerdotium, et episcopatum, duro subiiciebat iugo servitutis, et observationis onerum et legum cuicumque ordini impositarum, spreta quavis protestatione ordinati, vel promoti, contra vim illatam ... Insuper licet usque ad saeculum XII consueverint parentes filios in infantili aetate positos in sacris monachorum coenobiis devovere, ... perpetuo vetito egressu e septis monachorum; attamen mitioribus Clementis III (c. 12, X de regularibus et transeuntibus ad religionem, III, 31), Caelestini III (c. 14, X de regularibus et transeuntibus ad religionem, III, 31), et Tridentinae Synodi Decretis (Sess. XXV, de regularibus, c. 15, 17) abrogata fuit lex illa, contra quam naturae et liberi arbitrii iura clamare videbantur ».[a] Ratio a Benedicto XIV iam invocata, nempe « naturae et liberi arbitrii iura », seu dignitas humana et iura subiecti, in posterioribus et praesertim[b] ultimis documentis pontificiis magis clariusque evolvitur.[c] [27]

Hae duae tendentiae, insistentia nempe in exigentias veritatis obiectivae et insistentia in exigentias subiecti personalis, quae in documentis pontificiis apparent, videntur in hodierna doctrina de libertate religiosa inter se harmonice componi et ad synthesim reduci.

Praedicta synthesis nondum quoad omnia elementa ad perfectam claritatem pervenit atque ulterioribus theologorum studiis perscrutanda erit. Nostra declaratio limitatur ad praecipua huius synthesis elementa, quae certa sunt et ad sequentia reducuntur: 1) Deus per legem aeternam,

---

[a] Iuris Canon. Fontes, n. 357: t. I, p. 896, BENEDICTUS XIV, Instructio *Eo quamvis tempore,* 4 maii 1745.

[b] Doctrina Status Leonis XIII tantum partialiter contentum iurium personae exposuit, quod vero completius factum est a Pio XII et Ioanne XXIII.

[c] Sic recenter (12-IX-1965) Paulus VI, in catacumbis de martyribus primaevae Ecclesiae loquens, haec verba habuit: « Identico è il motivo della resistenza della Chiesa di allora e di oggi: difendere la Verità, e insieme rivendicare il sacro diritto di *ogni* uomo ad una sua propria *responsabile* libertà, soprattutto nel campo fondamentale della coscienza e della religione (*L'Oss. Rom.,* 13 sept. 1965).

[27] obiectivam et immutabilem atque per revelationem homini veritatem et suam voluntatem communicat; 2) Secundum Dei voluntatem homo non tamquam machina automatica sed ut persona intelligens et libera ideoque responsabilis, suum assensum praestare obligatur; 3) Haec ipsissimi
[28] hominis libera et responsabilis responsio impossibilis redditur, ideoque contra humanam naturam agitur, si alii homines, vel coetus socialis, vel potestas publica externa coercitione huic personae humanae non relinquunt possibilitatem libere inquirendi, eligendi et statuendi in materia religiosa; 4) Ipso iure exigitur ut homini in societate stabiliatur iuridica protectio, eo fine ut in re religiosa non cogatur ad agendum contra suam conscientiam neque impediatur quominus agat iuxta suam conscientiam; 5) Hac autem sua iuridica, humana immunitate homo uti debet modo honesto i. e. exigentiis legis moralis obiectivae conformi. Haec omnia, ni fallimur, in textu recognito nunc clare elucent et cum doctrina Ecclesiae consonant.

5. *De limitibus libertatis religiosae.*

Ubi de limitibus libertatis religiosae sermo est, multi Patres enixe postulaverunt ut conceptus ordinis publici et pacis publicae prudentissime expolirentur ne ansam praeberent falsae interpretationi et iniusto usui ex parte potestatis publicae, quae libertati religiosae civium contradicere intenderet. Legentibus novum textum statim patebit quanta cura de eorum postulatis et de propositis emendationibus rationem habuimus sive utendo ipsis eorum verbis sive tenorem totius documenti eorum postulatis accommodando.

Ubi sermo est de speciali civili agnitione quae ...[2] determinatae religioni tribuitur, Commissio admisit formam hypotheticam, quae a multis Patribus postulata est. Verum est alios Patres petivisse ut nullo modo de hac speciali agnitione ageretur; cum tamen talis specialis agnitio *de facto* in multis regionibus habeatur, Commissio censuit se non posse non respondere quaestioni utrum tale regimen cum libertate religiosa componi possit. Ceterum observandum est in hac pericope non tractari de omnibus iuribus quae Ecclesiae agnoscenda sunt; obiectum nostrae declarationis non est vindicatio omnium iurium Ecclesiae, sed tantummodo vindicatio universalis et semper observandi iuris ad libertatem tum pro catholicis tum pro aliis.

Patres animadvertent ubi textus agit (n. 7) de limitibus libertatis religiosae, non iam fieri ...[3] separationem inter normam moralem et normam iuridicam. Ratio est ut melius monstretur has duas normas non esse inter se oppositas. Unusquisque debet in vita sociali totam legem mo-

ralem observare (non habet ius faciendi malum); sed non potest iuridice [28]
a potestate civili in re religiosa coerceri nisi propter graviter violatum ordinem publicum.

6. *De fundamento in Revelatione.*

Quidam Patres dubitant de utilitate partis scripturisticae, alii e contra petunt ut amplificetur, dum alii existimant ipsam non probare
ius ad libertatem religiosam. Periti in re biblica hanc partem novo studio [29]
subiicierunt, ex quo sperare licet ipsam nunc scopo proposito melius respondere. Quisnam est hic scopus? Non intendimus ostendere ipsam notionem libertatis religiosae eiusque iustificationem expressis verbis in Revelatione inveniri, quandoquidem evidens est Revelationem non tractare de iure ad immunitatem a coercitione in vita sociali et civili. Hoc concesso, in nostra parte scripturistica monstramus in ipsa Revelatione admitti et affirmari principia generalia quibus hodierna doctrina libertatis religiosae nititur. Hoc sensu dici debet ipsam in S. Scriptura et modo agendi Christi et Apostolorum *radicari.*[4]

7. *Libertas Ecclesiae.*

Iuxta desiderium aliquorum Patrum in textu recognito (n. 13) accuratius distinguuntur iura quae Ecclesiae competunt. Ex una parte Ecclesiae agnoscendum est ius ex mandato Dei. Quatenus enim est auctoritas spiritualis et societas hominum secundum fidei praecepta viventium, Ecclesia ius divinitus ortum possidet libero modo in societate vivendi et missionem suam adimplendi. Sed praeterea ei agnoscendum est ius naturale. Ecclesiae enim membra, quatenus homines sunt, pari modo ac alii homines, ius habent ne in societate impediantur vivendi iuxta exigentias suae conscientiae. Inter utrumque ius, divinum et naturale, non datur oppositio; utrumque integre servatur si in societate datur libertas socialis et civilis in re religiosa.

CONCLUSIO

Venerabiles Patres, ex examine textus recogniti et ex iis quae diximus, vobis patebit Commissionem nostram attentissime considerasse emendationes oraliter et scripto a vobis propositas. Ut postulatum est, in hoc schemate declarationis conciliaris componendo seposuimus ...[5] puncta doctrinalia quae in actuali doctrinae statu nondum sunt matura; doctrinam libertatis religiosae attente distinximus a quaestionibus connexis; et declarationem fundavimus supra principia naturalia et revelata quae cum certitudine constant. Haec praestare non potuissemus sine adiutorio vestro. Vestrae numerosissimae notae et suggestiones nos ad-

[29] duxerunt ut non solum magna cum prudentia procederemus in hac materia gravi et difficili, sed ut etiam ipsa doctrina tenenda in maiore luce nobis appareret. Qua in causa profundissime vobis gratias agimus.

Si haec doctrina a Concilio proclamatur, novae viae ad liberum exercitium religionis in mundo patebunt. Ubi libertas religiosa agnoscitur, obtinebitur id quod in schemate « De Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas » affirmatur: « Fundamentum ergo tollitur omni theoriae vel praxi quae inter hominem et hominem, inter gentem et gentem, discrimen quoad humanam dignitatem et iura inde manantia inducit »
[30] (pag. 9, linn. 35-39). Immo, si libertas religiosa sincero modo in praxim deducitur, stabili modo, de iure et de facto, Ecclesiae catholicae *suppeditantur* [6] condiciones quae ipsi ex Dei voluntate debitae sunt ut suam divinam missionem in hoc tempore expedite adimplere valeat.

Membra et periti nostrae Commissionis hoc schema, longo et arduo labore recognitum, et in cunctis suis partibus ...[7] iterum atque iterum ponderatum, unanimi voto approbarunt. Omnes unanimiter speramus propositis a vobis emendationibus sufficienter satisfactum esse. Utinam denique vobis omnibus hoc schema placere valeat.

Si in fine huius Oecumenici Concilii Vaticani, haec S. Synodus declarationem praesentem de religiosa libertate publice proclamat, Deo favente multum conferet ut in mundo universo omnis violatio libertatis ...[8] et socialis in re religiosa repudietur. Hac quoque declaratione augebitur in mundo hodierno fiducia et observantia erga ipsam Ecclesiam Catholicam ...[9]. Publica hac agnitione libertatis religiosae manifestius elucebit genuina significatio missionis Ecclesiae, de qua Summus Pontifex Paulus VI in Encyclicis Litteris *Ecclesiam suam* declaravit: « Munus nostrum, quamvis veritatem certam et salutem necessariam nuntiet, nullam tamen praeferet externae coercitionis rationem; immo contra, legitimas vias humanae comitatis, intimae persuasionis, communisque colloquii inibit; atque salutis donum praebebit, uniuscuiusque sive privati hominis sive civis salva libertate ».[d]

✠ AEMILIUS IOSEPHUS DE SMEDT
Episcopus Brugensis

---

[d] PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 643.

In oratione: [1] viatores et automobilia ducentes. [2] in aliqua regione. [3] ut antea. [4] radices habere. [5] cuncta. [6] suppeditabuntur. [7] in cunctis suis verbis. [8] civilis. [9] Matrem nostram.

PARS PRIMA [31]

DE ANIMADVERSIONIBUS PATRUM IN SESSIONE QUARTA FACTIS

I. *Praenotanda*:

De textu reemendato schematis declarationis « De libertate religiosa », qui Patribus conciliaribus mense iunio anni 1965 transmissus est, discussio in Aula initio sessionis quartae Concilii habita est, a die nempe 15 ad diem 22 mensis septembris. In qua discussione 65 Patres, inter quos 34 nomine plurium aliorum quoque Patrum, de hoc textu locuti sunt.

Die 21 septembris ab em.mis Moderatoribus sequens propositio Patribus suffraganda submissa est: « Utrum textus reemendatus de Libertate Religiosa placeat Patribus tamquam basis definitivae Declarationis ulterius perficiendae iuxta doctrinam catholicam de vera religione et emendationes a Patribus in disceptatione propositas et approbatas ad normam Ordinis Concilii ».

Exitus votationis die 21 septembris peractae hic fuit:

Praesentes votantes	2.222
Placet	1.997
Non placet	224
Votum nullum	1

Praeter vota a Patribus ore prolata Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam usque ad diem, quo laborem emendationis suscepit, adhuc 68 vota scriptis tantum tradita suscepit, quorum non nulla nomine multorum Patrum emendationes proponunt. Votorum post hunc diem adhuc in scriptis traditorum in recognitione textus etiam ratio habita est.

Subcommissio specialis pro recognitione textus formata ex sequentibus Patribus composita fuit: Exc.mi Hermaniuk, Cantero, Charrière, Ancel, De Smedt, Primeau, Lorscheider, Colombo, Willebrands et Rev.mo P. Degrijse. Quibus plures periti et consultores Secretariatus adiutorio fuerunt (Murray, Pavan, Hamer, Congar, Benoit, Feiner, Medina, Becker). Inde a die 27 septembris omnes et singulae emendationes a Patribus propositae a Subcommissione diligenter examinatae et perpensae sunt. Post amplas disceptationes in 3 sessionibus plenariis a Secretariatu plures mutationes textus propositae a Subcommissione ad- [32]
missae sunt et « Textus recognitus » stabilitus est.

[32] *Notetur*: in sequente conspectu animadversionum Patrum *numeros, paginas et lineas* quae indicantur, non referri ad hunc fasciculum, qui continet textum reemendatum et textum recognitum, sed ad *praecedentem fasciculum,* qui continet textum emendatum et textum reemendatum [*cf. vol. IV, pars I, pagg. 146 ss.*].

II. *Animadversiones Patrum circa schema in genere.*

1) Multi Patres schema reemendatum tum quoad ordinem expositionis tum quoad textum maxime commendat; inter quos aliqui explicite rogant, ut in eo nihil mutetur et ut vis Declarationis nullo modo attenuetur.

2) Inter Patres, quibus schema in genere placet, plures, ut textus perficiatur, proponunt mutationes, additiones, omissiones, abbreviationes, translationes partium, clarificationes (praesertim quoad conceptum dignitatis humanae et libertatis nec non quoad officium Status), alium modum exponendi et argumentandi (qui vero diversimode concipitur).

3) Aliqui Patres petunt, ut textus reducatur ad simplicem declarationem principiorum et praecipuarum consequentiarum in vita publica civili iuris ad libertatem civicam in re religiosa et abstineatur ab argumentationibus (2, 37, 38, 84).

4) Inter desideria a Patribus schema commendantibus expressa in genere (i. e. sine indicatione determinati numeri textus) haec inveniuntur:

— Expresse dicatur, in quo consistat natura humana et in quonam fundetur (101, 107).

— Uti fundamentum libertatis religiosae non est accipienda dignitas personae, sed libertas humana (116).

— Non debet tantum libertas hominis declarari, sed etiam personae humanae responsabilitas, quae est culmen et necessarium complementum libertatis (89).

— Defendi debet libertas individualis omnium hominum eo sensu, quod possint venire ad veritatem sine coactione (79).

— Vindicanda est libertas pro omnibus hominibus et coetibus, etsi sint in errore bonae fidei (79).

— In primo loco affirmetur ius Dei (et correspondens ius Ecclesiae), qui vult, ut ab omnibus religione vera colatur (41).

— Explicite indicetur obiectivum fundamentum libertatis religiosae, quod est veritas religionis (30, 32).

— Clarius inculcetur officium hominis morale efformandi sibi rectam conscientiam, quod correspondet ius ad libertatem (119).

— Clare dicatur conscientiam debere esse rectam, i. e. obiective formatam secundum voluntatem Dei (98).

— Clarius appareat conscientiam erroneam non poni in eadem linea ac conscientia adhaerens veritati (26). [33]

— Cum Ecclesia nequeat agnoscere aequo iure alias religiones, melius de his siletur (79).

— Declarandum est ius personae humanae prius et superius omni alio iure, ut veritate et morali bonitate continuo edoceatur (37).

— Expresse distinguatur inter libertatem et abusum libertatis, ut evitetur indifferentismus (93).

— Quaestio clare restringatur ad conceptum socialem iuridicum libertatis religiosae (33); ne tamen disiungatur a realitate morali et supernaturali (97, nomine Patrum Aequatoris).

— Clarius appareat agi hic de libertate externa seu a coactione et de libertate interna seu a necessitate naturae, non vero de libertate morali (92).

— Imprimis vindicetur Ecclesiae libertas propria et exprimatur convictio suae missionis et veritatis (79).

— Declaretur exercitium libertatis religiosae Ecclesiae non limitari per libertatem religiosam naturalem aliorum hominum (26).

— Efferatur homini ad inveniendum Deum ratione et revelatione necessaria esse adiumenta socialia; unde ius familiae et Ecclesiae adiuvandi hominem in exercitio suae libertatis (108).

— Clare affirmetur transcendentia Ecclesiae, quae veram defendit omnis hominis transcendentiam et salvat integrum hominem, individualem et socialem (33).

— Expresse dicatur potestatem regiminis ecclesiastici coercendi et poenas spirituales fidelibus comminandi non minuere veram libertatem religiosam (34).

— Melius exponatur doctrina de magisterio Ecclesiae (38).

— Explicite dicatur nihil in textu affirmari, quod contradicat Concordatis inter S. Sedem et varias nationes relate ad idem obiectum (93).

— Enuntietur obligatio Status agnoscendi Deum tamquam omnium iurium fontem, incitandi cives ad agnoscendum Deum ac moralitatem et religionem, sed nulli sectae religiosae tribuendi specialem favorem (114).

— Damnetur hodiernus totalitarismus et denuntietur persecutio Evangelii ex parte Atheismi (111, nomine plurium Patrum Africae et omnium Auditorum laicorum).

— Addatur expressa reprobatio discriminationis civilis propter religionem factae (27).

— Damnentur omnes persecutiones religiosae (79).

— Fiat sollemnis declaratio in honorem martyrum hodiernorum Ecclesiae (62. Cf. etiam 26).

[33] — Addatur libertatem christianam caritate omnibus velle servire (26).

[34] 5) Patres, quibus totum schema vel affirmationes eius essentiales non placent, sequentes rationes afferunt:

— Schema favet pragmatismo, indifferentismo, laicismo, naturalismo religioso seu humanismo naturali, « moralitati situationis » et nocet activitati missionali Ecclesiae (3, 16, 24, 36, 39, 41, 52, 131).

— Schema redolet legalismum iuridicum et positivismum philosophico-iuridicum (16, 36, 39).

— Schema non correspondet doctrinae traditionali Ecclesiae, praesertim doctrinae Romanorum Pontificum (4, 16, 17, 20, 24, 30, 34, 36, 52, 79, 123).

— Schema contradicit doctrinae catholicae, secundum quam falsae religiones tantum intra certos limites tolerari possunt (cf. theoriam de thesi et hypothesi ac de tolerantia) (3, 5, 20, 36, 40, 52, 131).

— Schema falso eadem iura tribuit errori ac veritati (16).

— In schemate defenditur falsus conceptus libertatis religiosae, scil. libertas independens ab ordine obiectivo veritatis (123).

— Schema loquitur de libertate, conscientia, dignitate personae sine respectu ad legem divinam (72).

— In schemate falso affirmatur ex dignitate personae humanae procedere facultatem propagandi falsum (30).

— Schema videtur oblivisci iura Dei (36).

— Ex iure ad libertatem religiosam in schemate affirmando sequeretur officium catholicorum audiendi non catholicos, quod nequit admitti (36).

— Ex textu schematis sequeretur Ecclesiae a potestate civili seiunctio, quae damnata est a Pio IX et Pio XII (3).

— Textus tangit quaestiones inter theologos adhuc disputatas, quod in Concilio non debet fieri (30).

— Schema non defendit iura veritatis, quae potiora sunt quam iura libertatis (106).

— Schema non argumentatur, ut deberet, imprimis ex iure verae religionis (30).

— Schema falso affirmat propagationem erroris niti iure naturali; revera admitti potest tantum tolerantia Status ob timorem maioris mali (26).

— Schema favet doctrinae de statu ideali « neutro », quae contradicit magisterio Ecclesiae (41).

— Schema falso affirmat indifferentiam Status in re religiosa; revera ad Statum pertinet cura totius boni communis (26).

— Quae de habitudine Status in schemate dicuntur, sunt in damnum quarumdam nationum catholicarum (30). [34]

— Schema immerito tacet de coactione morali seu obligatione et punitione, quas Christus et Ecclesia contra homines negantes Deo obsequium fidei exercere possunt (30).

Quod in schemate statuitur, non valet de nationibus, in quibus viget sola fides catholica (36). [35]

— Concilium non debet sicut ONU agere de iure civili (36, 79).

— Argumentum ex Scriptura in schemate expositum non probat quod intenditur (20, 79, 123).

— Declaratio schematis non est clara et logica, sed potius ambigua et plena confusionum, immo in multis contradictoria (24, 56, 79).

— Schema abusibus pateret et excitaret confusiones et dubia apud fideles (16, 123).

III. *Animadversiones Patrum titulum Declarationis spectantes.*

1) Mutetur titulus, ne suggeratur hominibus principium indifferentismi et libertatis cogitandi in re religiosa (6, nomine 33 Patrum, 47, 123).

2) Titulus sic sonet: « De libertate civili in re religiosa » (6, nomine 33 Patrum), aut « De iure ad libertatem in re religiosa » (47), aut « De libertate seu iure sociali in re religiosa » (123), aut « De iure personae et communitatum ad libertatem civilem in re religiosa » (121).

3) Dicatur: « Declaratio de libertate publica » (vel « sociali », vel « civili ») in « re religiosa », ne aliquid dicatur de vero « iure » et ut res restringatur ad munus auctoritatis civilis in re religiosa (103, duo Patres).

4) In subtitulo schematis post verbum « iure » addantur verba « civili sociali », ut manifestetur homines et communitates non esse liberos coram Deo, sed solummodo liberos coram Caesare ad profitendam religionem suam (31, cf. 114).

5) In subtitulo loco « ad libertatem in re religiosa » dicatur « ad religionem amplectandam et profitendam », quia « ius ad libertatem » est quodammodo tautologia (95, tres Patres).

6) Subtitulus auferatur, quia vox libertas religiosa ab omnibus intelligitur (113).

IV. *Animadversiones structuram seu ordinem partium schematis spectantes.*

1) Exordiatur Declaratio quodam numero, in quo succincte sed nervose enuntietur doctrina Ecclesiae circa ius primarium hominum ad

[35] libertatem, quam Christus religioni suae tribuit et imposuit (97, nomine episcoporum Aequatoris).

2) Schema initium sumat cum dictis in numero 3, pag. 6, linn. 16-28, quia in ipsa Declaratione libertatis religiosae contineri debent omnia, quae essentialiter argumentum constituunt; obligatio moralis quaerendi veritatem est fundamentum libertatis religiosae (112).

3) Proponitur haec nova distributio textus: 1) Introductio: textus numeri 3. 2) Declaratio generalis libertatis religiosae: textus numeri 2.
[36] 3) Libertas religiosa personae seu individui. 4) Libertas religiosa familiae, in concreto. 5) Libertas religiosa coetuum religiosorum et quidem in concreto. 6) Potestas civilis et libertas religiosa: a) competentia potestatis civilis; b) protectio libertatis religiosae; c) de limitibus libertatis religiosae. Ratio: ut vitentur repetitiones et melius ostendatur unitas et progressus idearum (51).

4) Loco schematis propositi fiat simplex Declaratio principii iuris personae et communitatum ad libertatem civicam in re religiosa et principalium consequentiarum in vita publica-civili. Post introductionem de missione Salvatoris et unicae Ecclesiae Christi dicatur Ecclesiam Catholicam deplorare abusus, qui in decursu historiae hac in re facti sunt, et declaretur Ecclesiam sentire seipsam et omnes homines obligatos esse ad « libertatem civilem in re religiosa » (84).

5) Pars III (numeri 8-13) fiat Pars II, quae habeat titulum « Doctrina de libertate religiosa in lumine revelationis », et Pars II (numeri 3-7) fiat Pars III, cui titulus sit « Doctrina de libertate religiosa in lumine rationis ». Ratio: in declaratione Concilii primum locum obtinere debet Revelatio (80).

6) Addatur schemati paragraphus de consectariis pastoralibus (v. gr. de aedificatione fidei ut personalis et non mere haereditariae adhaesionis Christo; de efformatione conscientiae christianae communitatis in actione apostolica fidelium; de sensu paupertatis Ecclesiae, quae ad suam missionem explendam nequit spem suam reponere in potestate civili) (69, nomine 82 Patrum).

7) Praemittatur textui Prooemium, in quo notentur diversae, et ab invicem separandae, notiones iuris, status et libertatis, iuxta differentes ideologias nostrae aetatis (occidentis et « diamat »), ut Declaratio ubique eodem sensu intelligatur (64, 98 nomine 7 Patrum).

8) Schema procedat a thesi ad hypothesim, hoc ordine: 1) Doctrina catholica de unica vera religione, pro qua vindicanda est ubique libertas. 2) Homo nequit aeque verum ac falsum aestimare, sed officio tenetur — sibi efformandi conscientiam in rebus religiosis veritati consonam. 3) Hoc iudicium non nisi per conscientiam efformatur; quapropter S. Synodus

tenet quod in ordine civili omnibus hominibus agnosci debet libertas in re religiosa, nullis coercitionibus aut iniustis restrictionibus adductis. [36]

Ratio: Modus procedendi magis logicus et doctrinae Ecclesiae conformis (130, nomine 25 Patrum).

9) Ne textus sit potius dissertatio quam Declaratio, deleantur Pars II et praesertim Pars III, ubi argumenta biblica saltem dubia videntur. Admittantur a Concilio simpliciter septem puncta recenter a Consilio Oecumenico Ecclesiarum Genevensi de libertate religiosa elaborata (38).

V. *Animadversiones circa singulos numeros textus factae.* [37]

Numerus 1 (Prooemium)

In genere:

1) Clare exprimatur (in pag. 5) [vel pag. 6, linn. 26-28] distinctio inter aspectum iuridicum et moralem libertatis religiosae et simul persuasio Ecclesiae se solam possidere plenam veritatem religiosam (6, nomine 32 Patrum).

2) Expresse in initio dicatur occasionem Declarationis esse persecutionem et oppressionem hodiernam Ecclesiae (12).

3) Exordium fiat a principiis, scilicet ab officio omnium Deo cultum et reverentiam exhibendi actibus internis et externis tamquam supremo principio et fini hominis, unde profluit ius correspondens omnium Deo praestandi cultum iuxta hominis conditionem et naturam, i. e. scienter et volenter, non externa coactione aut vi ab alio incussa (65).

4) Expresse haec duo dicantur: 1) esse abusum libertatis, si quis contra ius naturale, moralitatem et veram legem positivam agat, et in tali casu necessarium esse interventum auctoritatis (patrisfamilias, Status, Ecclesiae); 2) non obstante necessaria libertate in amplectenda religione, omnes communitates religiosas, maxime Ecclesiam, habere debere suas proprias leges, etiam poenales (87).

5) Ad vitandam speciem opportunismi, ita procedatur: doctrina Ecclesiae de dignitate hominis — munus Ecclesiae hanc dignitatem defendendi — circumstantiae nostri temporis — scopus Declarationis. Ante declarationes libertatis religiosae in genere exponatur doctrina de iure hominis ad veram religionem christianam colendam (113).

6) Expressius dicatur, in quo consistat dignitas hominis (112).

7) Addatur mentio crescentis defectus reverentiae erga dignitatem hominis (112).

8) Iam in initio loquendum est de uno Deo et de unica veritate — de Ecclesia uti custode veritatis revelatae — de obligatione hominum pro-

[37] sequendi veritatem et efformandi sibi conscientiam iuxta normam obiectivam — de iure eorum, qui veritatem illam prosequuntur, ad liberum in societate exercitium religionis (114).

9) Inserantur ex Relatione de textu reemendato (pag. 48 praecedentis fasciculi) notiones de fine iuridico declarationis (120).

10) Clare et explicite iam in initio dicatur libertatem religiosam hic non significare libertatem conscientiae eligendi quamcumque fidem religiosam seu libertatem coram Deo, sed libertatem exercendi fidem in ordine sociali seu libertatem in foro externo sociali (15, 31).

11) Addatur firmior annuntiatio Ecclesiam hac in re loqui nomine fidei suae (112).

12) Clarius enuntietur finis declarationis (56).

[38] *In specie*:

1) Pag. 5, lin. 1, ante « homines » addatur « omnes » (80). Stylus numeri 1 dignior Concilii reddendus est (17).

2) Pag. 5, linn. 1-5, ita mutentur: « Dignitas humanae personae, cuius homines nostrae aetatis magis in dies conscii fiunt, postulat ut... fruantur sintque... commodi... » (117).

3) Pro pag. 5, linn. 1-14, novus textus proponitur (26, 50).

4) Pag. 5, linn. 1-14 sic mutentur: « *Ecclesiae Catholicae sollicitudo, divino semper obtemperans mandato, doctrinam de personae humanae dignitate eiusdemque verum ius ad Deum colendum, privatim publice, eniti et contendere numquam destitit. Cum autem perspectam habeat rationem, seu signa temporum, atque aetatis nostrae honesta et utilia incrementa confirmanda putet, rerumque publicarum tutiora ab offensionibus itinera ac firmiora fundamenta percupiat, idque incolumi manente germana populorum libertate, Ecclesia Catholica in hac Sacrosancta Synodo congregata,* ad has animorum appetitiones diligenter attendit *in quantum* sint veritati et iustitiae conformes. Simulque ad suam doctrinam divinitus traditam denuo animadvertens, de thesauro suo vetera profert et nova, quae ad iustas hominum appetitiones confirmandas inser*viant* » (103).

5) In Nota (1) ad pag. 5, lin. 2, addatur distinctio variorum sensuum verbi libertatis (cf. Relationem praecedentem pp. 41 s.) et textus ex Professione Universali Iurium Humanorum (ONU) vel ex Constitutione alicuius Status (128).

6) Pag. 5, linn. 2-3 et 6, loco « Postulat », « postulatio » dicatur « Exigit », « exigentia » (44, 61).

7) Pag. 5, lin. 4, ante « consilio » addatur « recto » (56).

8) Pag. 5, lin. 4, post « libertate » addatur « utatur et » (57, 45). [38]

9) Pag. 5, lin. 4, post « fruatur » addatur « salvis iustis limitationibus, a publica auctoritate latis, ad promovendum ac tuendum bonum commune et ius aliorum » (121).

10) Pag. 5, lin. 5 deleatur « sed officii conscientia », cum Kantianismum sonet (2).

11) Pag. 5, lin. 5 post « coercitione » addatur (ex Enc. « Pacem in terris ») « vel sollicitatione » (61).

12) Pag. 5, linn. 7-14, textus sic sonet: « Quapropter Ecclesia de concredito sibi thesauro doctrinae divinitus revelatae nova simul et vetera proferens discernere intendit, quantum haec religiosae libertatis postulatio veritati et iustitiae conformis sit » (89, nomine episcoporum Poloniae).

13) Pag. 5, linn. 8-14 deleantur, cum nihil novi afferant (81).

14) Pag. 5, lin. 9 loco « Ecclesia sibi proponit discernere » dicatur « Sacra Synodus sibi proponit declarare » (61; cf. etiam 2).

15) Pag. 5, lin. 10, loco « veritati et iustitiae » dicatur: « in ordinatione iudicio politico civitatum... consideranda » (52). [39]

16) Pag. 5, lin. 11, deleatur « Simulque » (112).

17) Pag. 5, linn. 12-13 loco « vetera profert et nova » dicatur (iuxta *Mt.* 13, 52) « nova profert et vetera » (61).

18) Pag. 5, lin. 14, post « appetitiones » addatur « illustrandas et » (91, nomine plus quam 100 Patrum).

Numerus 2

In genere:

1) Addantur in hoc numero essentialia ex numeris 4-7 textus reemendati, quia sunt etiam declarationes, non argumenta (2).

2) Addatur ratio profunda, in qua fundatur libertas religiosa, ut clarius appareat nexus cum obligatione quaerendi veritatem eique adhaerendi utque ab initio eluceat libertatem religiosam opponi indifferentismo, relativismo, subiectivismo (43).

3) Addatur expositio actus religiosi, qui qua talis pertinet ad sphaeram responsabilitatis personae in vita sociali, quique sub regulatione iuris civilis cadit tantum, quatenus est socialis, et sub coactione iuris, si laedit iura aliorum (31).

4) Addatur expositio fundamenti iuridici iuris civilis ad libertatem religiosam (libertas psychologica et sociabilitas constitutiva hominis) (31).

5) Clarius dicatur, utrum ius ad libertatem religiosam hic affirmatum sit ius obiectivum et absolutum vel potius subiectivum, et quid

[39] Ecclesia sentiat de statuto iuridico circa ius ad immunitatem a coactione (14).

7) Proponitur alia ordinatio idearum et nova redactio (105).

8) Compleatur definitio libertatis religiosae relate ad atheos: habentne iidem ius hic affirmatum? (127).

9) Clarius dicatur, quid intelligatur sub « re religiosa », ut abusus vitentur (69, nomine aliorum 74 Patrum).

10) Expresse exponatur fundamentum primarium (Deus qui homini tribuit iura et imponit officia) (49).

11) Ne concedatur errori idem ius ac veritati; non datur ius opiniones erroneas spargendi in civitate catholica (49, 70).

12) Tam ex fide quam ex ratione loquendum est de obligatione morali quaerendi veritatem et de munere Ecclesiae homines sinendos esse liberos, etiamsi Ecclesia agnoscat officium suum nuntiandi illis veritatem revelatam (112).

13) Addatur explicatio verbi « coacti », ne inimici religionis eo abutantur (32, nomine episcoporum Poloniae).

14) Clare separetur notio iuris « iusti » consentanei iuri naturali a notione iuris apud modernos usitata et positivismo iuridico infecta (39).

[40] 15) Ne in eadem linea ponantur conscientia recta et conscientia erronea, quod esset iustificatio et commendatio erroris (30).

In particulari:

1) In titulo post « Declaratio » addatur « libertatis religiosae contra falsam totalismi in omnibus suis formis cum tendentia ad omnipotentiam civitatis » (80).

2) Ad pag. 5, linn. 15 ss.: « Ius hic affirmatum nequit esse illud "ius civile" postea postulatum pro omnibus hominibus sive verae sive falsae religionis, cum verum ius agnosci possit tantum unicae religioni verae » (24).

3) Pag. 5, linn. 15-16, dicatur « Itaque... declarat ius ad amplectendam et profitendam religionem, quod sat communiter libertas religiosa nuncupatur, esse fundatum... » (95).

4) Sollemnis declaratio pag. 5, linn. 15-19, ad modum conclusionis in finem transferatur (113).

5) Pag. 5, linn. 15-19, prius praebeatur notio libertatis religiosae magis positiva et theologica, ex qua deinde deducitur libertas religiosa socialis seu iuridica (proponitur formula) (103).

6) Pag. 5, lin. 15, usque ad pag. 6, lin. 8, textus sonet: « Itamque... fundari, qualis tum ratione tum maxime... immunes sint... seu cuiusvis

potestatis humanae et quod... quominus, intra debitos limites, iuxta suam conscientiam agit tum privatim tum publice » (81). [40]

7) Pag. 5, lin. 15, ad pag. 6, lin. 8, textus sonet: « In re religiosa homines debent immunes esse a coercitione sive hominum singulorum sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae, et ita quidem ut in hac re, salvis exigentiis ordinis publici, neque aliquis cogatur ad agendum contra persuasionem suam, neque impediatur quominus iuxta suam persuasionem privatim vel publice, singillatim vel cum aliis agat » (51).

8) Pag. 5, lin. 16 post « religiosam » addatur « non tantum meram tolerantiam » (80).

9) Pag. 5, lin. 17, loco « dignitate » dicatur « natura », quia dignitas in natura fundatur (56).

10) Pag. 5, linn. 17-19 dicatur « qualis verbo Dei revelato atque ratione cognoscitur » (80).

11) Pag. 5, lin. 19 post « cognoscitur », addatur « dignitate enim sua omnes homines tenentur, quia homines sunt, ratione scilicet et voluntate praediti, quaerere veritatem eique adhaerere atque totam vitam suam secundum exigentias veritatis ordinare. Ut autem huic obligationi homines satisfacere queant modo suae propriae naturae consentaneo, non solum libertate psychologica frui debent, sed etiam immunitate a coactione externa. Quae immunitas libertas religiosa vocatur. Haec autem libertas... ».

Ratio: claritas et exclusio subiectivismi et indifferentismi (91, nomine plus quam 100 episcoporum). [41]

12) Pag. 5, lin. 19, ad pag. 6, lin. 1, textus sic sonet: « Huiusmodi autem libertas communiter recipitur uti in eo consistens, quod homines in re religiosa debent... » (129).

13) Pag. 5, lin. 19, ad pag. 6, lin. 8, textus sic vel similiter sonet: « Huiusmodi autem libertas in hoc consistit quod, salvis dumtaxat limitibus quos bonum commune imponat, nemini umquam religio aliqua imponatur, imo et nemo umquam impediatur per viam coactionis physicae aut moralis a profitendis etiam publice et in praxim deducendis opinionibus quas sibi efformet de quaestionibus ad religionem pertinentibus » (113).

14) Pag. 5, lin. 19, ad pag. 6, lin. 8, textus ita sonet: « Hoc autem ius in eo consistit, quod homines possint ab extrinsecus non impediri dictamen propriae conscientiae in re religiosa sequi, quatenus exinde ius aliarum personarum non laeditur aut aliquod malum certum societati humanae non provenit. Nulli igitur homini aut coetui sociali vel publicae potestati licitum esse potest quamcumque coercitionem adhi-

[41] bere, sive ut aliquis ad agendum in re religiosa cogatur, sive ut impediatur, quominus intra iustos limites privatae vel publice iuxta religionem suam agat ». Mentio conscientiae expungatur; iudicium de conscientia non pertinet ad Statum (27).

15) Pag. 5, lin. 19, ad pag. 6, lin. 8, omnia supprimantur, cum notionem pure iuridicam libertatis praebeant (103).

16) Pag. 6 dicatur, quod ius ad libertatem religiosam se extendit ad omnes valores « transcendentales ». Ratio: ut vitetur species opportunismi et clare appareat sinceritas Ecclesiae (35).

17) Pag. 6, lin. 4, deleantur verba « et ita quidem » (112).

18) Pag. 6, lin. 5, post « contra » dicatur « rectum dictamen propriae conscientiae » (17).

19) Pag. 6, linn. 5-7, pressius declaretur sensus vocis « conscientia », ut ambiguitas subiectivismi vitetur (112).

20) Pag. 6, lin. 6, loco « iuxta suam conscientiam » dicatur « iuxta illud dictamen » (17).

21) Pag. 6, lin. 7, deleantur verba « privatim et publice » (40).

22) Pag. 6, lin. 7, loco « debitos » dicatur « iustos », ne oppressioni Status ansa praebeatur; non agitur de re iuridica, sed de re morali (27).

23) Pag. 6, linn. 7-8, determinetur sensus ambiguus verborum « debitos limites » (47) vel aliis verbis substituantur (112).

24) Pag. 6, linn. 7-8, loco « intra debitos limites » dicatur « nisi tamen actus ex alio capite iam a lege morali imperati vel prohibiti sunt », quia ius ad libertatem religiosam in lege divina fundatum limitari potest
[42] tantum ex parte legis moralis, non ex lege mere positiva (89, nomine episcoporum Poloniae).

25) Pag. 6, lin. 8, addatur « Quae quidem immunitas perseverat etiam in eis qui culpa sua obligationi quaerendi veritatem eique adhaerendi non satisfaciunt, dummodo tamen aliis detrimentum non afferant. Non enim in dispositione subiectiva fundatur libertas religiosa, sed in ipsa natura humana » (91, nomine plus quam 100 Patrum).

26) Pag. 6, lin. 8, addatur « Nefas est, pariter, iustam aequalitatem in fruitione iurium civilium et bonorum societatis temporalium cuicumque ob rationes religiosas denegare vel in discrimen vocare » (27). Addantur verba doloris, quod etiam in Ecclesia catholica existebant institutiones agentes contra libertatem religiosam (32, nomine omnium Patrum Poloniae).

27) Pag. 6, linn. 9-13, textus ita sonet: « Insuper declarat huiusmodi ius in societate ita esse agnoscendum, ut omnes homines omnesque communitates religiosae illud sibi legitime vindicare possint » (81).

28) Pag. 6, linn. 9-15, textus ita mutetur: « Insuper declarat Concilium huiusmodi libertatem in iuridica societatis ordinatione ita esse agnoscendam ut omnes homines omnesque communitates ipsa frui possint. Cura huius iuridicae ordinationis ad potestates publicas pertinet secundum prudentiam politicam in bono communi prosequendo » (113). [42]

29) Pag. 6, linn. 9-15, textus mutetur, cum non concordet cum dictis linn. 16-20 (49).

30) Pag. 6, linn. 9-15, ne affirmetur libertas religiosa ut ius subiectivum stricto sensu in ordine iuris positivi, quia obstant gravissimae difficultates sub respectu iuridico et philosophico (34, nomine 20 Patrum).

31) Pag. 6, linn. 9-15, ita scribatur « Insuper declarat huiusmodi libertatem in iuridica societatis ordinatione ita esse agnoscendum, ut ... omnes homines omnesque communitates ... ipsa frui possint. Cura autem huius iuridicae ordinationis ... ad potestates publicas pertinet secundum prudentiam politicam in prosequendo bono communi » (103).

32) Pag. 6, lin. 12, ne affirmetur ius communitatis ad evulgandam religionem non veram (108).

33) Pag. 6, lin. 14, post verbum « cives » addatur « tum ad coetus intermedios » (51).

34) Pag. 6, linn. 16-28, textus sic sonet: « Turpiter ergo erraret qui ex libertate religiosa independentiam hominis a veritate obiectiva sive in re doctrinali sive in re morali deducere vellet, cum libertas religiosa in ipso officio quaerendi veritatem obiectivam eique adhaerendi fundetur. Nullo ergo modo ius habet homo falsum ac verum aeque aestimandi, aut sese dispensandi officio formandi sibi veram de rebus religiosis sententiam, aut arbitrio statuendi utrum et in qua religione et quanam ratione Deo servire velit. Eadem prorsus ratione, quae de libertate religiosa affirmamus intactam relinquunt doctrinam catholicam de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia » (91, nomine plus quam 100 Patrum).

35) Pag. 6, linn. 16-28, dicatur « Declarat denique hanc libertatem religiosam per se supponere libertatem ab erroribus et passionibus et consequenter obligationem inquirendi veram religionem erga verum Deum. Haec obligatio adimpletur mediante dictamine conscientiae, quae quidem in erroribus obiectiva remanere debet. Doctrina igitur catholica de unica vera religione et de unica Ecclesia Christi integra remanere debet » (15). [43]

36) Pag. 16, linn. 16-28, restrictiones hic affirmatae ostendunt libertatem religiosam non esse ius stricto sensu (40).

[43] 37) Pag. 6, linn. 16-28 ponantur in forma affirmativa in initio totius schematis (112).

38) Pag. 6, linn. 16-28, fiat declaratio positiva, clara, concisa de obligationibus humanae personae, communitatum et Status civilis in re, de qua agitur (56).

39) Pag. 6, linn. 16-28, textus ita mutetur: « Declarat denique, *quod inde* minime sequitur hominem in re religiosa nulla teneri obligatione *seu* esse a Dei auctoritate mancipatum. *Libertas Religiosa de quo agitur dicit hominis relationem ad hominem, cui de sua conscientia rationem reddere non tenetur, non vero eius relationem ad Deum*: libertas religiosa non implicat personam humanam falsum aeque ac verum aestimare posse, illamve ab officio dispensari veram sibi de rebus religiosis efformandam sententiam, aut posse illam proprio arbitrio statuere qua ratione et in quanam religione ipsa Deo servire velit: in doctrina de libertate religiosa, doctrina catholica de unica vera religione et de unica Christi Ecclesia intacta semper manet » (81).

40) Pag. 6, lin. 19, post « emancipatum » addatur « Libertas enim religiosa fundamentum habet in hominis facultate libere eligendi valores vere humanos quibus dignitas personae humanae perficitur. Quapropter libertas religiosa non implicat... », ut libertas primario ut notio positiva appareat (8).

41) Pag. 6, lin. 19, post « religiosa » addatur « ab externa coercitione », ut denuo inculcetur sensus libertatis religiosae (50, nomine 20 Patrum).

42) Pag. 6, lin. 25, post « velit. » addatur « Nam dignitas personae humanae eiusque libertas eo magis perficiuntur, quo seipsam libere ad Deum personalem religat secundum ipsius ordinationem » (13, nomine 150 Patrum).

43) Pag. 6, lin. 25, post « velit. » addatur « Nam quia persona humana summo Deo directe de se rationem reddere obligatur, ius habet erga auctoritatem humanam (vel: civitatem politicam) sese libere deter-
[44] minandi », ut positive indicetur fundamentum iuris erga societatem (45, 57).

44) Pag. 6, linn. 25-26, textus sic mutetur: « Ratio itaque huiusmodi libertatis religiosae minime adversatur doctrinae catholicae de unica vera religione et de necessitate Ecclesiae Christi ad salutem », ut melior nexus habeatur inter praecedentia et conclusionem (50, 117).

45) Pag. 6, linn. 25-28, doctrina vera hic affirmata de unica vera religione et Ecclesia contradicit Declarationi, qua idem ius omnibus communitatibus religiosis agnoscitur (24).

46) Pag. 6, lin. 26, loco « catholicam » dicatur « quam tenet catholica Ecclesia » claritatis causa (69, nomine 81 Patrum). [44]

47) Pag. 6, lin. 28, post « Ecclesia » addatur *a*) « et ideo iure ipsius Ecclesiae Evangelium ubique praedicandi atque illud defendendi ab omnibus erroribus et impugnationibus necnon eiusdem Ecclesiae plena potestate erga suos subditos » (121); *b*) « Quam doctrinam haec Sacrosancta Synodus propriam facit et integram confirmat atque proponit » (14); *c*) « nec non disciplinam ecclesiasticam qua poenae statuantur contra eos qui ab Ecclesia, sive per apostasiam, sive per haeresim, deficiant » (60); *d*) « et de morali obligatione Christifidelium, qui Ecclesiam Catholicam cooptati sunt, ipsi firmiter inhaerendi » (122); *e*) « Omnis homo officium seu obligationem habet, obiective dicendo, veritates quae in doctrina Ecclesiae Catholicae continentur, examinandi et amplectendi » (67).

Numeri 3-7 (Pars II)

Animadversiones in genere ad Partem II, pagg. 7-12: Argumentatio ostendere conans neminem cogi posse ad agendum contra conscientiam neque impediri posse quominus iuxta conscientiam agat, non videtur servanda, quia: 1) non est rigorosa; 2) distinctio proposita est minoris momenti quam distinctio inter actus internos et externos, individuales et collectivos; 3) Concilium non debet fulciri haec argumenta; 4) demonstratio non concludit ad iura coetuum; 5) nequit accipi ab incredulo. Sufficeret simplex expositio generalis motivorum (51).

1) In Parte II haec exponantur: 1) Nemo potest impedire praedicationem Evangelii ab Ecclesia factam. 2) Nemo ius habet impediendi hominem, quominus accedat ad thesauros Christi et Ecclesiae. 3) Nemo potest sine iniustitia fidelem a sinu Ecclesiae removere. 4) Status ius subditorum tueri debet impediendo, quominus bono fidei propagatione erroris priventur. Ratio: omnes ius habent ad possessionem supremi boni, quod est Christus et Ecclesia (107).

2) Incompetentia Status impediendi propagationem erroris non demonstratur aucto sensu dignitatis humanae (107).

3) Dignitas hominis non in seipsa sumenda est, sed relate ad boni communis exigentias in societate pluralistica (34, nomine 20 Patrum).

4) Dicta de potestate civili in numero 3 non sufficiunt. Nam: Status [45]
non se immiscet in religionem, si leges Ecclesiae ad cives suos applicat. Status nequit esse indifferens erga famem spiritualem subditorum. Sunt Status, etiam non catholici, qui ministris Evangelii adiumentum praebent (38).

[45] 5) Cautio textus in sermone de conscientia parum refert, quia principium conscientia in toto schemate ducit ad falsas conclusiones (41).

Numerus 3

In genere:

1) Deleatur totus numerus 3 (56). Argumentatio non pertinet ad Concilium et quaedam dicta non concordant historiae religionum (2).

2) Enuntietur in textus communicationem veritatis inventae non tantum esse ius, sed et officium, et hanc obligationem non provenire tantum ex natura sociali hominis, sed etiam ex natura universali ipsius veritatis, quae sensum suum plenum nondum obtinet, si tantum ab uno vel alio possidetur (18).

3) Tria argumenta numeri 3 clarius exponantur: 1) Structura intellectualis personae humanae et rationes quibus cognoscit: ut totam veritatem inveniat, indiget libertate investigationis et dialogi. 2) Natura socialis personae: natura sua tendit, ut quae interius sentit exterius patefaciat publica professione fidei; ideo indiget libertate exterius profitendi fidem. 3) Ex indole transcendente modi, quo persona ad Deum tendit, sequitur quod haec tendentia evadat potestatem Status: sic ergo in hac parte nequit intervenire (82).

4) Magis quam aspectus subiectivus oboediendi conscientiae efferantur fundamenta connexa cum dignitate et integritate personae: 1) ius et officium vivendi in veritate, praesertim in re religiosa; 2) ius et officium inquirendi veritatem omnibus mediis necessariis; 3) ius et officium vivendi iuxta cognitam veritatem privatim et publice, singulariter et communiter; 4) ius et officium communicandi veritatem cognitam intra fines requisitos ad pacifice convivendum et ab ordine publico (6, nomine 32 Patrum).

In particulari:

1) Principia ex ratione desumpta (pagg. 7-8) concisius exponantur (14).

2) Pag. 7, linn. 1-17, textus brevior reddatur, cum agatur de notionibus generalibus.

3) Pag. 7, linn. 5-18, textus sic sonet: « Deus autem divinae legis hominem participem reddit, largiendo irradiationem quandam tam veritatis quam libertatis, quibus omnis lex fundatur. Etenim lex et verita-
[46] tem et personam liberam respicit. Unde dictamine legis divinae semper mediante libera conscientia perspiciuntur, et hoc praecipue quando de lege revelata agitur, cum fides sit de non visis. Quapropter tenetur

quisque in universa activitate sua conscientiam sequi fideliter quaerendo [46]
profundiorem veritatem, ut ad Deum qui est Veritas perveniat » (96).

4) Pag. 7, linn. 6-8, deleantur verba « eam veluti quadam irradiatione ipsi naturae humanae imprimens », quia specialem theoriam participationem luminis divini reddunt (2).

5) Pag. 7, lin. 7, ponatur analysis indolis religionis ex pag. 8, linn. 12-22 (112).

6) Pag. 7, lin. 9, loco « veritatem incommutabilem » dicatur « quomodo in conformitate cum divina voluntate agere debeat », quia finis legis non est cognitio, sed actio recta (45, 57).

7) Pag. 7, lin. 10, post « possit » addatur « ac debeat » (60).

8) Pag. 7, lin. 12, deleatur « semper », ut evitetur discussio problematis de extensione cognitionis legis naturalis (69, nomine 79 Patrum; 109).

9) Pag. 7, lin. 12, deleto « semper » post « agnoscit » addatur « nonnisi » (50, nomine 20 Patrum).

10) Pag. 7, linn. 13-14, deleatur « hoc autem ad ipsam personae humanae dignitatem pertinet », quia superfluum (17).

11) Pag. 7, linn. 14-15, post « quisque » addatur « etiamsi ad explicitam Dei cognitionem non pervenerit » secundum Constitutionem « Lumen gentium » n. 16 (50).

12) Pag. 7, lin. 15, ante « conscientiam » addatur « propriam » (50).

13) Pag. 7, lin. 15, post « conscientiam » addatur « recte formatam » (56), vel « sibi recte efformandam » (60).

14) Pag. 7, lin. 18 loco « et ius quoque » dicatur « erga Deum et ex consequente ius erga alios et societatem » (45, 57).

15) Pag. 7, lin. 19, post « veritatem » addatur « praesertim » (44, 61).

16) Pag. 7, lin. 19, post « religiosa » addatur « discendi vel » (56).

17) Pag. 7, lin. 19, indicetur quod sola cognitio veritatis revera perficit hominem (59).

18) Pag. 7, lin. 20, post « idoneis » addatur « vera ac » (103).

19) Pag. 7, lin. 21, post « efformet » addatur « ad illum finem assequendum » (94).

20) Pag. 7, lin. 21, ante « Veritas » addatur « In nationibus acatholicis » (56).

21) Pag. 7, linn. 21-22, loco « humano modo » dicatur « modo humanae naturae conformi » (45, 56).

22) Pag. 7, lin. 22, post « modo » addatur « et sub influxu gratiae, si Deus illuminet mentem » (54).

[47] 23) Pag. 7, lin. 23, loco « eique inventae » dicatur « prout cognoscitur », quia obtinetur tantum « quaedam » inventio veritatis (81).

24) Pag. 7, linn. 23-24, deleatur « assensu nempe personali », quia superfluum (17).

25) Pag. 7, linn. 25-30, post « personali » textus sic sonet: « sed etiam in dialogo cum aliis, sive per magisterium seu institutionem, sive per simplicem communicationem. Quae secunda exigentia fundatur in eadem dignitate personae humanae, quae est etiam socialis ex natura sua » (33).

26) Pag. 7, linn. 24-26, textus ita mutetur: « Cum vero homo sit natura sua socialis, veritas quaeri et inveniri potest etiam per magisterium... » (81).

27) Pag. 7, linn. 24-30, talia nequeunt dici a Concilio, cum homines sint peccatores et error nequeat eodem modo tractari ac veritas (40).

28) Pag. 7, linn. 25-27, post « socialis » textus ita sonet: « Veritas transmittitur sive per magisterium in educatione sive per mutuam communicationem seu dialogum » (45).

29) Pag. 7, lin. 27, ante « communicationem » addatur « multimodam » (57).

30) Pag. 7, lin. 27: ne nimis efferatur dialogus in re religiosa (52).

31) Pag. 7, linn. 27-30, loco « quibus... adiuvent » dicatur « Nam homo veritatem invenire non potest sine aliorum adiutorio », ne certa veritatis cognitio et simplex cognitio aequiparari videantur (45).

32) Pag. 7, lin. 29, deleatur « vel invenisse putant », ut evitetur falsa interpretatio (17, 57).

33) Pag. 7, lin. 31, deleatur « ergo », quia verbum scholasticum (2).

34) Pag. 7, linn. 31-33: hoc principium non fluit ex praecedentibus (cf. « ergo ») et est nimis generale (17, 113).

35) Pag. 7, linn. 31-33: loco huius principii nimis generalis (nomine conscientiae culpae graves commissae sunt!) indicentur hic breviter limites morales et iuridici ex numero 4 (112).

36) Pag. 7, lin. 31 ad pag. 8, lin. 8, textus ita mutetur « Solemne autem, uti supra (N. 2) iam declaravimus, est principium morale, quod dum vetat ne quis in re religiosa cogatur ad agendum contra suam conscientiam, similiter exigit ne quis impediatur, intra debitos limites, privatim et publice, in re religiosa iuxta suam conscientiam agere », ut appareat agi de unico principio (81).

37) Pag. 7, lin. 33, post « suam » addatur « rectam » (103) vel « rectam et veram » (56).

38) Pag. 8, linn. 1-2, deleatur phrasis « Nostri autem... et civilis »,

quia veritas sequentium non pendet ab hodierno sensu aucto dignitatis humanae (17). [47]

39) Pag. 8, linn. 1-9: textus est repetitio inutilis praecedentium et dictorum pag. 6, linn. 1-8 (56).

40) Pag. 8, linn. 1-9, deleatur totum incisum, cum incerta, periculosa, non clara contineat (2). [48]

41) Pag. 8, linn. 1-9: hic falso agitur de iure agendi iuxta propriam conscientiam, quasi esset fundamentum libertatis religiosae, cum revera dictamen conscientiae tantum titulum secundarium constituat (cf. Alloc. Pii XII, *A.A.S.*, 1955, 679) (119).

42) Pag. 8, lin. 2, loco « et civilis » dicatur « tam individualis quam socialis » (109).

43) Pag. 8, lin. 3, post « ulla vi » addatur « vel coactione » (61).

44) Pag. 8, linn. 3-4, post « vi » addatur « vel coactione » (44).

45) Pag. 8, lin. 7, deleatur « videlicet », cum sic sonet ac si conscientia idem esset ac limites (50, nomine 20 Patrum) et substituatur verbo « tamen » (103).

46) Pag. 8, linn. 7-8, deleatur « intra videlicet debitos limites », quia hic superflua; vel saltem loco « videlicet », dicatur « autem » vel « vero » (104).

47) Pag. 8, linn. 8 et 25, loco « debitos limites » dicatur « debitos, scilicet normis iuris naturalis et moralitatis conformes, limites », ut normae obiectivae limitationis exprimantur (45, 57).

48) Pag. 8, linn. 8-9, deleatur phrasis, « Quae... digna », quia superflua (17).

49) Pag. 8, linn. 10-18, deleta prima phrasi, « Etenim... pertinentibus » dicatur « Quamvis enim exercitium religionis, ex ipsa eius indole, consistat primario... voluntati divinae, ipsa tamen socialis... » (81).

50) Pag. 8, linn. 10-25, textus ita mutetur, ut vitetur distinctio inter internum et manifestationem externam, quorum prior esset primarius, altera « praeterea ». Ratio: de natura sociali hominis magis positive loquendum est (33).

51) Pag. 8, linn. 10-26: totum incisum ad mentem Schematis 13 (N. 13-16) emendetur. Ut omnes aspectus dignitatis hominis efferantur, dicatur: 1) Persona est aliquid sacrum, quod includit autonomiam, tendentiam ad verum et bonum etc. 2) Aspectus socialis est pars constitutiva dignitatis hominis, qui est capax relationis structuralis cum aliis personis (33).

52) Pag. 8, lin. 10 ad pag. 9, lin. 8: haec nequeunt ex essentia hominis et religionis deduci, sed tantum ex luce revelationis innotescunt (2).

[48] 53) Pag. 8, linn. 12-22: haec analysis maximi momenti anteponatur affirmationi libertatis religiosae (112).

54) Pag. 8, lin. 14, deleatur « prorsus », quia interni actus non sunt prorsus liberi, cum subsint directioni legis divinae et humanae (56).

55) Pag. 8, lin. 20, loco « manifestat » dicatur « manifestare possit », aut « permittitur », quia non est exigentia ut de facto et semper manifestet (94, 103).

[49] 56) Pag. 8, linn. 20-22, post « socialiter » dicatur « manifestet, ad ipsos ponendos ab aliis adiuvetur atque cum aliis communicet » (57).

57) Pag. 8, linn. 21-22, deleatur « quibus in societate cum aliis communicet » (104).

58) Pag. 8, linn. 25-26, « debitos limites non excedens » habet sensum nimis generalem (56); deleatur, quia repetitio inutilis (50).

59) Pag. 8, lin. 27, ad pag. 9, lin. 13, omnia omittantur aut transferantur ad Partem III, cum pertineant ad doctrinam Revelationis (81).

60) Pag. 8, lin. 27, ad pag. 9, lin. 7 (13): melius describantur munera generalia auctoritatis civilis et relationes eius ad vitam religiosam (6, nomine 32 Patrum), quia Status iudicium Ecclesiae suum facit, si religionem catholicam ut principium suarum ordinationum legalium statuit (37, 49).

61) Pag. 8, lin. 27, ad pag. 9, lin. 13, totus textus supprimatur, quia quaestio de competentia Status aliter solvenda est et non simpliciter verum est actus religiosos per se transcendere ordinem temporalem (81, 113), aut textus quoad substantiam transferatur in Partem III (81). Proponitur novus textus (113).

62) Pag. 8, lin. 27, ad pag. 9, lin. 14, textus substituatur verbis « Quapropter, cum haec omnium excellentissima personae humanae dignitas Boni communis principem partem constituat, Sancta Vaticana Synodus potestates civiles, a Deo ordinatas ad bonum personae humanae servandum, enixe hortatur ut ipsam custodiant, protegant atque foveant, nihil unquam prosequendo quod dignitati personae humanae, ab ipso Deo creatae atque redemptae, contradicat ». Ratio: doctrina traditionalis catholica servanda (103).

63) Pag. 8, lin. 27, ad pag. 9, lin. 13, textus supprimatur vel emendetur, quia vita religiosa propter valorem suum moralem et socialem et quatenus etiam ad ordinem temporalem pertinet, potestati civili interest. Cf. Enc. Leonis XIII *Immortale Dei*: *A.S.S.*, 18, p. 64 (94).

64) Pag. 8, linn. 28-29, loco « ex animi sententia » dicatur, « ex conscientiae dictamine » (104).

65) Pag. 8, lin. 30, ad pag. 9, lin. 8: cavendum est ab absolutis af-

firmationibus circa limites potestatis civilis, propter periculum falsae interpretationis (14). [49]

66) Pag. 81, linn. 34-36: partim falsa dicuntur. Ratio: si civitas ex catholicis constituitur, rectores tenentur eos regere attenta vera fide quam profitentur et in qua summum eorum bonum consistit (70).

67) Pag. 8, linn. 35-36, loco « ex concilio restringitur » dicatur « pertinet » (51).

68) Pag. 8, lin. 36, deleatur Nota 7, cum textus citati S. Thomae non videantur esse ad rem (50, 94).

69) Pag. 8, lin. 38, ad pag. 9, lin. 3, tota phrasis supprimatur, quia ambigua et falsae interpretationi obnoxia (29).

70) Pag. 90, linn. 1-8: falso affirmatur potestatem civilem ad res [50]
huius saeculi restringi. Ratio: Potestas civilis, cum a Deo sit, cultum Deo exhibere debet et favere religioni (3).

71) Pag. 9, lin. 2, loco « quae ipsam ordinationem », dicatur: « quae rectam ipsam conscientiae ordinationem » (47).

72) Pag. 9, lin. 2, post « ordinationem » addatur « ut talem » (94).

73) Pag. 9, linn. 2-3, loco « in ea ... sese immisceat » dicatur *a*) quod potestas civilis, instaurando illum ordinem terrestrem qui personis permittat finem suum ultimum attingere, debet rationem habere libertatis religiosae personarum (112); *b*) « ullo modo impediat vel dirigat » (109).

74) Pag. 9, linn. 2-8, loco « in eo ... eique inserviat » dicatur « veritatem religiosam et cultum divinum determinare vult, sed nullo modo limites suos excedere dicenda est, si personae humanae tum privatim tum publice ad suum finem ultimum qui est Deus libere perveniendum intervenit et communitates religiosas, salvo ordine publico, agnoscit et adiuvat » (96).

75) Pag. 9, lin. 8: transferantur hic dicta in Numerum 5, pag. 11, linn. 3-20, hoc modo: « Regimen vero libertatis religiosae non impedit ... agnoscatur et observetur », ut specialis illa agnitio tamquam exceptio appareat (50).

76) Pag. 9, linn. 9-13, totum deleatur, cum nihil novi afferat (104).

77) Pag. 9, lin. 12, deleatur « intra debitos limites », quia paulo supra iam dictum (50).

78) Pag. 9, linn. 12-13, loco « iuxta suam conscientiam » dicatur « iuxta rectum dictamen propriae conscientiae » (17).

[50] *Numerus 4*

In genere:

1) Textus valde abbrevietur et in Partem I (i. e. Declarationem) inseratur (2).

2) Efferatur auctoritatem civilem debere munire normis iuridicis exigentias ordinis moralis et boni communis (17).

3) Laudandum est quod in textu reemendato conceptus boni communis substituitur conceptu ordinis publici. Clarius vero in lucem ponatur, quod ordo publicus debet esse ordo iustus, moralis (moralitas publica) et tranquillus (pax publica) (48).

4) Clarius indicetur limites libertatis religiosae non posse consistere contra ius naturae; secus Declaratio fieret instrumentum tyrannidis (99; cf. etiam 41).

5) Limites libertatis religiosae non debent sub respectu ordinis publici signari, quia hic non est principium aliquod absolutum (34).

[51] *In specie*:

1) Sub littera *a*) (pag. 9, linn. 15 ss.) exponatur, quod libertatem religiosam limitat per se primo veritas obiectiva; sub littera *b*) ponatur « Norma moralis » (ex pag. 9, linn. 15-26) (25).

2) Pag. 9, lin. 15, post « Ius » addatur « tamen », ut melius appareat concatenatio idearum (50).

3) Pag. 9, linn. 15-16, loco « Ius ad libertatem religiosam » dicatur « Libertas religiosa », ad evitandam tautologiam (95, 105), vel « Exercitium libertatis in re religiosa fit ... » (103).

4) Pag. 9, linn. 15-26, textus melius redigatur, ut clarius appareat non posse existere iura obiectiva agendi contra legem moralem naturalem (seu ius faciendi malum), sed existere posse necessitudinem tolerandi malum, quo plenius admittatur ius primarium ad libertatem religiosam omnium civium (32, nomine 32 Patrum).

5) Pag. 9, lin. 15, ad pag. 10, lin. 13: addatur, quod norma iuridica debeat respondere normae morali et esse iusta et utilis (32).

6) Pag. 9, linn. 18-19, deleatur: « Quarum prima ... observandae », quia superflua (50).

7) Pag. 9, linn. 21-22, loco « in iuribus suis exercendis » dicatur « in exercitio libertatis religiosae » (103, 105).

8) Pag. 9, lin. 19, post « vita » addatur « enim » (50).

9) Pag. 9, lin. 21, post « socialis » loco « Etenim in iuribus » dicatur « In iuribus nempe » (50).

10) Pag. 9, lin. 23, post « habere » addatur « et legis divinae » (56). [51]

11) Pag. 9, linn. 27-33, textus ita mutetur: « Societas humana (i. e. non tantum Status aut societates temporales, sed etiam e. gr. Ecclesia) ius habet sese protegendi contra abusus, qui forsan sub titulo libertatis in rebus religionis oriri sibique in damnum cedere possint. Pertinet praecipue ad potestatem civilem huiusmodi protectionem praestare, non tamen modo arbitrario vel ope s. d. liberae discretionis magistratus, sed secundum accurate stabilitas normas iuridicas, quas necessitates iusti ordinis publici postulant » (27).

12) Pag. 9, lin. 27, ad pag. 10, lin. 13, limites melius circumscribantur, *a*) ita ut loco notionis ordinis publici adhibeatur notio boni communis, ad quod obtinendum cives iustitia legali tenentur (113), *b*) ita ut appareat libertatem non posse praedicari de religione, in qua fundamenta moralis non sunt salva (89, 127), nec ius conceptum ita esse intelligendum, ut Status non habeat ius et officium sese protegendi contra eos, qui bonum commune unitatis religiosae disrumpere conantur (127).

13) Pag. 9, lin. 27, ad pag. 10, lin. 13, textus ita ordinetur et mutetur: « Illud societatis bonum, quod est ordo publicus, requirit sufficientis pacis publicae curam, debitam custodiam publicae moralitatis, et pacificam compositionem atque efficacem aequalium iurium tutelam pro omnibus civibus. Quod quidem bonum est universae societati adeo neces- [52]
sarium, ut actus publici, qui grave damnum ei inferant, sint prorsus reprimendi. Societas civilis ergo ius et officium habet sese protegendi contra abusus qui haberi possint invocato titulo libertatis religiosae. Pertinet praecipue ad potestatem civilem huiusmodi protectionem praestare, non tamen modo arbitrario, sed secundum normas iuridicas, quas necessitates ordinis publici postulant. Ceterum servanda est nota regula iuris ex qua libertas debet quam maxime homini agnosci nec restringenda est nisi quando et prout est necessarium » (51).

14) Pag. 9, lin. 27, ad pag. 10, lin. 13, textus ita scribatur: « *Potestas autem* civilis *bonum ipsum civitatis commune servare intendens,* ius habet protegendi societatem contra abusus qui, *sub specie* libertatis religiosae, haberi possint. *Hoc vero* non arbitrario modo facere potest, sed secundum normas iuridicas *ante statutas,* et secundum quod ordo publicus postulet. *Qui ordo publicus est illa pars essentialis boni communis quae* requirit sufficientem pacis publicae curam, debitam custodiam publicae moralitatis, et pacificam iurium tutelam pro omnibus civibus » (103).

15) Pag. 9, lin. 27, ad pag. 10, lin. 13: Norma iuridica hic severior et strictior esse debet quam normae, quae interventionem Status regunt in aliis ordinibus vitae socialis (48).

[52] 16) Pag. 9, linn. 28-29, ordo verborum sic mutetur: « qui invocata titulo libertatis religiosae haberi possint », claritatis causa (81).

17) Pag. 19, lin. 29, loco « invocato titulo » dicatur « praetextu » vel post « titulo » addatur « seu praetextu », claritatis gratia (50).

18) Pag. 9, lin. 32, post « secundum » addatur « iustas » (56).

19) Pag. 9, lin. 33, loco « ordinis publici » dicatur « boni communi », quia finis naturalis societatis civilis est totum bonum commune civium et non tantum eius pars, scil. ordo publicus, et divulgatio erroris est contra bonum commune (14, 94).

20) Pag. 9, lin. 33, post « quas » addatur « iura aliorum et », post « publico » addatur « iuxta bonum commune societatis », quia sola notio ordinis publici est nimis vaga et abusui obnoxia et quia a magisterio Summorum Pontificum adhibetur conceptus boni communis (105).

21) Pag. 9, linn. 34-35, concrete determinetur sensus termini ordinis publici (47).

22) Pag. 10, lin. 2, deleatur « aequalium », quia iustitia non postulat, ut detur idem omnibus (17), et quia in Statu catholico cives diversarum confessionum non eadem iura ac catholici possident (56).

23) Pag. 10, linn. 5-10, deleatur phrasis « Exercitium ergo ... laedat aliorum », cum conducat ad indifferentismum (40, 94).

24) Pag. 10, lin. 6, deleatur « non », et

lin. 8, loco « nisi ... aliorum » dicatur « si et in quantum contingat vel pacem perturbari publicam vel publicam violari moralitatem vel iura laedi aliorum », propter formam magis directam et accuratam (50).

[53] 25) Pag. 10, lin. 8, post « nisi » addatur « secundum sanum sensus communis iudicium », ut vitetur abusus ex parte Status (109).

26) Pag. 10, lin. 8, post « pacem » addatur « veram » vel « veri nominis », quia caute loquendum est (45, 57).

27) Pag. 10, linn. 8-9, deleatur « vel perturbet pacem publicam » aut dicatur « vel perturbet publice ordinem naturae humanae a Deo insitum » aut « vel perturbet legitimam et naturalem pacem publicam » vel similiter, quia falsus tranquillus ordo rerum praedicatione Evangelii legitime mutandus est (19, tres Patres).

28) Pag. 10, linn. 9-10, deleantur dicta de publica moralitate et de iuribus aliorum, quia offensio fidei catholicae per publicam diffusionem alterius religionis in Statu catholico tangit publicam eius moralitatem et laedit iura catholicorum, qui ius habent, ut eorum religio non exponatur periculo (70).

29) Pag. 10, lin. 10, post « aliorum » addatur, « de facto vere et non ficte », propter abusus ex parte Status religioni hostilis (12).

30) Pag. 10, lin. 10 post « aliorum » addatur « vel noceat graviter

et manifeste necessario progressui oeconomico et sociali ipsius communitatis » (69, nomine 36 Patrum). [53]

31) Pag. 10, lin. 10, post « aliorum » addatur « vel legem divinam » (56).

32) Pag. 10, lin. 13, post « necessarium » addatur « Quae regula iuris in ipso iure naturae fundatur » (53).

33) Pag. 10, lin. 13, addatur novum incisum his verbis: « De quibusdam aliis limitibus libertatis religiosae, qui titulo particulari fideles catholicos respiciunt, v. gr. in prole educanda vel in formanda conscientia authentice christiana, infra breviter sermo fiet » (95, tres Patres).

Numerus 5

In genere:

Addatur affirmatio contra Statum indifferentem vel saecularem in re religiosa (129).

In particulari:

1) Pag. 10, linn. 14-16, textus mutetur et compleatur, ut sic sonet: « Ad praecipuum potestatis civilis officium essentialiter pertinet inviolabilia hominis iura tueri ac promovere », et addatur mentio curae ut cives proprias obligationes rite adimpleant (113, cf. 94).

2) Pag. 10, linn. 15-16, loco « est praecipuum cuiusvis potestatis civilis officium » dicatur « est e praecipuis ... officiis » (50, nomine 21 Patrum) aut « ad praecipuum ... officium pertinet » (112) aut ... essentialiter pertinet » (94).

3) Pag. 10, linn. 16-17, loco « Debet igitur ... efficaciter » dicatur « Attamen civili potestati proprie pertinet per iustas leges aliaque apta media efficaciter » (51). [54]

4) Pag. 10, linn. 19-20, loco « civium. Eidem providendum est » dicatur « civium et providere » (51).

5) Pag. 10, lin. 20, loco « aequalitas iuridica » dicatur « legitima iura » (105).

6) Pag. 10, linn. 20-21 deleantur verba « ne civium aequalitas ... religiosas » (94, cf. 3). Ratio: Haec verba contradicunt privilegiis Ecclesiae Catholicae in Conventione Lateranensi concessis (3).

7) Pag. 10, lin. 20, loco « aequalitas » dicatur « positio » (17, cf. 56).

8) Pag. 10, lin. 21, post verbum « propter » dicatur « solas » (103, nomine duorum Patrum, 105).

[54] 9) Pag. 10, lin. 21, post « rationes » dicatur « formaliter » vel « specifice » (94).

10) Pag. 10, lin. 21, addatur post « religiosas » « apertas aut occultas » (73).

11) Pag. 10, lin. 21, vel alibi in hoc numero addatur: « Cura libertatis religiosae non implicat potestatem civilem se habere areligiosam vel indifferentem, neque illam eximit officio et conformandi dispositiones et instituta cum lege naturali sive morali sive religiosa eandemque legem positive aptisque modis promovendi » (22).

12) Pag. 10, lin. 21, addatur « potestati civili non licere discriminationem civilem ob causas religiosas adhibere, e. gr. iuris ad laborem, educationem, proprietatem, actionem socialem, caritativam (32, nomine omnium Patrum Poloniae).

13) Pag. 10, lin. 23, deleantur verba « aut alia iniusta media » (56).

14) Pag. 10, lin. 24, post « media » addatur « exercitium libertatis religiosae impedire sive personarum sive familiarum » (51).

15) Pag. 10, lin. 25, post verbum « cuiusvis » dicatur « honestae » (103, nomine duorum Patrum).

16) Pag. 10, linn. 29-30, loco « quocumque modo » dicatur « vel quaecumque coactio » (61).

17) Pag. 10, lin. 30, loco « ipsam » dicatur « quamlibet » (94, 113).

18) Pag. 10, lin. 33, post « determinato » addatur « hominum » (113).

19) Pag. 11, linn. 1-20, proponitur alia redactio: « Quamvis ad potestatem civilem de veracitate cuiusvis religionis discernere non pertineat, cum tamen homines rite exculti ad veram religionem certe cognoscendam pervenire valeant, potestas civilis ut veram quamdam religionem agnoscere potest et publice profiteri; quo vero in casu et alias religiones permittere debet, quin eas cives iuxta rectam conscientiam sequi et debita mensura propagare prohibeantur » (47).

[55] 20) Pag. 11, lin. 1, loco « in votis » dicatur « in firmis votis » (12).

21) Pag. 11, lin. 1, post « ut » addatur « cooperantibus omnibus hominibus bonae voluntatis » (51).

22) Pag. 11, linn. 1-2, loco « ius personae humanae ad libertatem religiosam » dicatur « libertas personae humanae in re religiosa ». Ratio: necessitas distinctionis inter « ius ad libertatem », libertatem ipsam, ordinationem iuridicam (103, nomine duorum Patrum).

23) Pag. 11, lin. 2, loco « libertatem religiosam » dicatur « religionem colendam » ad evitandam tautologiam (95, nomine trium Patrum).

24) Pag. 11, linn. 7-20, omittantur, quia male intellegi possunt (2).

25) Pag. 11, lin. 8 post « condiciones » addatur « ad veritatem divulgandam et » (44, cf. 61). [55]

26) Pag. 11, lin. 8, loco « ad vitam » dicatur « ad sanam vitam » (94, 112) aut « ad sanam et rectam vitam » (113).

27) Pag. 11, linn. 8-9, post « religiosam » addatur « debito modo » (109).

28) Pag. 11, lin. 9, post «bonis» addatur «iustitiae et pacis» (112).

29) Pag. 11, lin. 12, post « voluntatem » addatur « Cum vero sensus libertatis religiosae saepe obnubiletur humanis passionibus, curandum est, ut homines, praesertim iuvenes, educentur in familia, in scholis et generatim in societate civili ad hunc sensum efformandum, colendum et exercendum. Monet insuper Synodus Vaticana ut homines bonae voluntatis non tantum se custodiant ab erroribus virorum illorum qui specie oeconomica decepti vel inordinato amore propriae stirpis et culturae libertatem aliorum hominum impetunt, sed etiam ceteros homines doceant bonum libertatis amare et custodire in sua integritate » (21).

30) Pag. 11, linn. 13-20, omittatur totum incisum, quia innititur circumstantiis historicis quae mutari possunt (53, cf. 58), quia talis agnitio unius religionis in praxi periculum discriminationis aliorum civium secumfert (18, 23, cf. 69, nomine 14 Patrum; 50, nomine 21 Patrum) et quia talis agnitio religionis non christianae noceret catholicis (18, cf. 23, 58, 120).

31) Pag. 11, linn. 13-20, proponitur nova redactio: « ... impedit, quominus aliquibus aut etiam uni communitati religiosae in iuridica quoque civitatis ordinatione, specialis positiva agnitio civilis tribuatur necnon favores et respectiva subsidia assignentur, suadentibus id peculiaribus rationibus quas huiusmodi communitates religiosae etiam in vita civitatis reapse adimplent, eo tamen pacto, ut simul exclusa sit quaevis limitatio libertatis religiosae aliarum communitatum pariter ac discriminatio erga earum membra in iuribus communibus fruendis » (27).

32) Pag. 11, linn. 13-20, incisum novo textu suppleatur quia verba textus innuere videntur formam regiminis neutri Status meliorem esse quam regimen agnoscens speciatim Ecclesiam Catholicam (15).

33) Pag. 11, linn. 13-20, mutetur textus, quia non sufficit ad salvandas conventiones inter S. Sedem et plures Status (3), quia non satis extollitur doctrina traditionalis circa ius Status sese declarandi « confessionalem » (52). [56]

34) Pag. 11, linn. 13-20, mutetur textus, quia unitas catholica est summum bonum in populis catholicis quod totis legitimis viribus defendendum est. Erroris propagatio non potest eodem iure ac unica recta

[56] doctrina gaudere et ab auctoritate civili, absque individuorum coactione, impediri potest.

35) Pag. 11, linn. 13-20, non obscuro modo, sicut fit, sed directe et aperte doceatur ius et officium status catholici favendi verae religioni (56, cf. 14, 105).

36) Pag. 11, linn. 13-17, locutio negativa « non impedit » et locutio restrictiva « eo tamen pacto » etc. affirmationibus clarioribus supplendae sunt (14, cf. 105).

37) Pag. 11, linn. 13-20, servetur textus, quia non videtur negandum communitati ius affirmandi per iuridicam institutionem quod in collectiva conscientia populi invenitur, et hoc sine praeiudicio minoris partis (69, nomine 15 Patrum).

38) Pag. 11, linn. 13-17, sic mutetur: « Si attentis circumstantiis historicis uni communitati populorum religiosae specialis agnitio in iuridica civitatis ordinatione tribuitur, vigilandum est ut simul omnibus civibus ». Ratio: Excludendus est abusus verborum textus ad approbandas condiciones concretas (8, nomine omnium Patrum Neerlandiae, 69, nomine 53 Patrum, cf. 50, nomine 21 Patrum).

39) Pag. 11, linn. 13-20, proponitur novus textus: « Si attentis peculiaribus populorum historicis circumstantiis, alicui vel aliquibus communitatibus religiosis specialis quaedam agnitio in iuridica civitatis ordinatione tribuatur, id *tantummodo* eo pacto fieri potest ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et servetur, necque praetextu illius specialis agnitionis aliorum iura directe vel indirecte minuantur ». Ratio: Limites agnitionis melius designantur (50, nomine 21 Patrum).

40) Pag. 11, linn. 13-20. Hoc incisum ad mentem Cardinalis Alfrink (8) mutatum transferatur ad pag. 9, lin. 8 (50, nomine 21 Patrum).

41) Pag. 11, lin. 16, addatur post « agnitio » « et protectio » (94).

42) Pag. 11, lin. 19, loco « ius ad libertatem in re religiosa » dicatur « ius religionem suam profitendi » (95, nomine trium Patrum).

43) Pag. 11, lin. 19, loco « ius ad libertatem » dicatur « iusta libertas » (103, nomine duorum Patrum, 17, 113).

44) Pag. 11, lin. 19, loco « ius ad libertatem in re religiosa » dicatur « iura ad libertatem in re religiosa et ad libertatem in processibus iudicialibus » (129).

[57] 45) Pag. 11, lin. 20, in fine addatur « intuitu boni communis », ut innuatur non agi de iure aliquo intrinseco et absoluto (60).

46) Pag. 11, lin. 20, in fine addatur « necnon sine coercitione vel obligatione civium non pertinentium ad taxas istae communitati destinatas contribuendum » (67).

Numerus 6 [57]

In genere:

Proponitur mutatio tituli et textus numeri ita ut sermo sit tantum de libertate individuorum hominum in re religiosa quia solummodo Ecclesia Christi constituta est cum personalitate iuridica et quia ex iure naturae nulla est institutio indolis religiosae cui competat iuridica personalitas (65).

In particulari:

1) Pag. 11, lin. 22, post « religiosa » dicatur « interna » (40).

2) Pag. 11, lin. 23, post « est » addatur « intra debitos limites supra statutos » (103, nomine duorum Patrum, cf. 60, 113).

3) Pag. 11, linn. 24-25. Haec phrasis non bene intelligitur, nisi in priori parte schematis magis positive de natura sociali hominis locutum sit (33).

4) Pag. 11, linn. 24-25, loco « a sociali natura ... requiruntur » dicatur aut « e sociali natura ... emanant » aut « in sociali natura ... originem habent » (46).

5) Pag. 11, lin. 26, post « communitatibus » addatur « praesertim autem Ecclesiae universali » (44).

6) Pag. 11, linn. 26-27, loco « iure debetur immunitas » dicatur « ea competere potest immunitas in ordinatione iuridica civili », ut vitetur periculosa affirmatio de vero iure omnibus communitatibus religiosis concedendo (103, nomine duorum Patrum, cf. 113, 61).

7) Pag. 11, linn. 26-27, loco « iure debetur immunitas » dicatur « agnosci debet ius », quia verbum « immunitas » videtur nimis absolutum (51).

8) Pag. 11, linn. 34-35, loco « Communitatibus religiosis pariter competit ius » dicatur « Ad libertatem communitatum religiosarum pariter competit », quia non nimis insistendum est in « iure » earum (61).

9) Pag. 11, linn. 34-35, loco « pariter competit ius » dicatur « si ita exigat bonum civitatis commune, pariter competere potest ea immunitas » (103, nomine duorum Patrum, cf. 113).

10) Pag. 11, lin. 35 - pag. 12, lin. 3, loco « ne mediis legalibus ... fruendis » dicatur: « ut suos proprios ministros libere seligant ac educent, ut solute communicent cum auctoritatibus et communitatibus religiosis quae in aliis orbis terrarum partibus degunt, utque bona ne- [58]
cessaria ad suam missionem propriam exsequendam libere acquirant eisque nullo impedimento fruantur ». Ratio: Haec formulatio est magis

[58] positiva et in ea iura affirmantur respectu omnium, et non tantum Status (51).

11) Pag. 12, lin. 3, in fine addatur: « Communitates religiosae ius habent ad liberam nominationem et translationem ministrorum suorum » (80).

12) Pag. 12, linn. 4-23, totus textus mutandus est, ne dicatur Ecclesiam Catholicam unam ex tantis esse aliis aequalem (40).

13) Pag. 12, linn. 4-23, prae oculis habeatur ius divinum Ecclesiae soli esse praedicandi veram religionem (52), ne destruatur spiritus missionarius in Ecclesia Catholica (24, nomine 45 Patrum).

14) Pag. 12, lin. 4, loco « ius etiam habent » dicatur « ne impediantur » (103, nomine duorum Patrum; cf. 113).

15) Pag. 12, lin. 4, loco « ius etiam habent » dicatur « ius civile obtineant », ne asseri videatur ius naturale propagandi errorem (94).

16) Pag. 12, lin. 5, omittantur verba « ore et scriptis publice » (69, nomine 77 Patrum, cf. 36).

17) Pag. 12, linn. 6-7, loco « exigentiis ordinis publici non violatis » dicatur « populo non renuente et legitimis exigentiis ordinis publici iuxta bonum commune non violatis », ne ab aliis quis invitus in sua pace religiosa invitus perturbetur (105).

18) Pag. 12, lin. 7, loco « non violatis » dicatur « servatis » (94).

19) Pag. 12, lin. 7, addatur « omnibus mediis hodiernis communicationum socialium adhibendis » (69, nomine 77 Patrum).

20) Pag. 12, lin. 7 post « publici » addatur « iuxta bonum commune societatis » (105).

21) Pag. 12, linn. 6-7, deleatur clausula « legitimis exigentiis ... non violatis » (51).

22) Pag. 12, lin. 6, post « exigentiis » addatur « veri » ad praecavendos abusus (45, 57).

23) Pag. 12, lin. 7, post « ordinis publici » addatur « et boni communis » (47).

24) Pag. 12, linn. 9-13, vitetur ne his verbis inimici Ecclesiae uti possint ad abolendam instructionem religiosam puerorum et pauperum (3).

25) Pag. 12, lin. 9 post « semper » addatur « illis » (50, nomine 21 Patrum).

26) Pag. 12, lin. 10 post « suasionem » addatur « vel attractionem vel invitationem » (94).

27) Pag. 12, lin. 12, post « quando » addatur « de pueris » (50, nomine 21 Patrum).

28) Pag. 12, lin. 14, loco « Tandem » dicatur « Praeterea » (51).

29) Pag. 12, lin. 15, post « religiosae » addatur « servatis boni communis » (17). [59]

30) Pag. 12, lin. 18, loco « Praeterea » dicatur « Tandem » (51).

31) Pag. 12, linn. 19-20, loco « ius quo » dicatur « libertas qua » (103, nomine duorum Patrum).

32) Pag. 12, lin. 21, post « possint » addatur « templa erigere » (85, nomine trium Patrum).

33) Pag. 12, lin. 22, post « sociales » addatur « scientificas constituere omniaque quae ad vitam religiosam colendam et evolvendam necessaria sunt » (12).

Numerus 7

In genere:

Recognoscatur ius potestatis civilis, non ex mere delegatione et iure evolutivo, sed iure proprio ad finem proprium temporalem obtinendum (127).

In particulari:

1) Pag. 12, lin. 24, inseratur sequens phrasis: « Sicut in omni societate etiam primitiva soboles tanquam membrum diversarum communitatum in vitam ingreditur (familia, stirps, tribus, populus), ita proles e parentibus sacramentaliter unitis orta, vocatione divina, ad Ecclesiae augmentum nascitur atque, per fidem et baptismum de eius vita organice ordinata particeps fit » (95, nomine trium Patrum).

2) Pag. 12, linn. 24-25, post « familiae » addatur « quatenus ex parentibus et liberis minoris aetatis constat », quia membri adulti habent ius de religione statuere independenter, etiam in familia patriarchali (44).

3) Pag. 12, lin. 26, post « gaudens » addatur « et prior civitate » (80).

4) Pag. 12, lin. 27, post « domesticam » addatur « iuxta suae religionis praecepta » (60).

5) Pag. 12, lin. 28, deleantur verba « sub moderatione parentum » et dicatur loco « His » « Familiae », ne aliquid praeiudicetur de usu libertatis in sinu ipsius familiae (50, nomine 21 Patrum).

6) Pag. 12, lin. 30, post « tradendae » addatur « ideo lege ecclesiastica de cautionibus matrimonii agnoscendum est ius utriusque partis ita ut nihil ultra requiratur quam id cui consentit liberum dictamen conscientiae » (23).

7) Pag. 12, lin. 30, post « tradendae » inseratur reprobatio coactio-

[59] nis contra libertatem religiosam intra limites ipsius familiae (v. gr. in matrimoniis mixtis) (69, nomine 53 Patrum).

8) Pag. 12, linn. 31-32, loco « parentum » dicatur « familiae » (50, nomine 21 Patrum).

[60] 9) Pag. 12, lin. 32, post « parentum » addatur « secundum suam conscientiam » (86).

10) Pag. 12, lin. 35, loco « parentum » dicatur « familiae » (50, nomine 21 Patrum).

11) Pag. 12, linn. 35-36, loco « potestas civilis iura ... rationem » dicatur « Iura parentum violantur si unica imponatur educationis ratio » (51).

12) Pag. 12, linn. 35-36, loco « si unicam imponat ... rationem » dicatur « si liberi ad frequentandas scholas cogentur, quae genitorum persuasioni religiosae non correspondeant, vel si quin etiam unica imponatur educationis ratio » (55, nomine 94 Patrum, cf. 86).

13) Pag. 12, lin. 35, loco « si unicam » dicatur « si libertatem electionis limitat oneribus pecuniariis ab iis qui scholas catholicas eligere volunt suscipiendis vel si unicam » (29, cf. 67).

14) Pag. 12, linn. 36-37, loco « ex qua ... excludatur » dicatur « cuius generalis indoles placitis laicismi accomodetur » (113).

15) Pag. 12, linn. 36-37, loco « ex qua ... excludatur » dicatur « nisi in ea formatio religiosa libere eligi possit » (81).

16) Pag. 12, linn. 36-37, loco « omnis formatio religiosa » dicatur « libertas religiosae formationis » (47).

17) Pag. 12, linn. 36-37, loco « ex qua » dicatur « praesertim si ex ea », aut omittantur verba « ex qua ... excludatur », quia educationis ratio unica, etiam si includat unicam formam religiosam ceteris exclusis, potest laedere iura parentum (44).

18) Pag. 18, lin. 37, in fine addatur « et huic atheisticae educationi suos cives omnibus repressalibus sibi possibilibus se subiicere conatur » (12).

19) Pag. 12, lin. 37, addatur supplementum de ratione educationis et scholarum qua positive a civitate atheismus propagatur (32, nomine omnium Patrum Poloniae).

Caput III

In genere:

Totum Capitulum ad pauca verba reduci deberet (40, cf. 35), quia genus litterarium Declarationis postulat affirmationem ex rationibus

mere naturalibus et iuridicis. Iustificatio biblica est extranea intentioni [60]
Declarationis et satisfacere nequit homines prout stat (35).

Loco totius Capituli dicatur solummodo pro credentibus quod positio in Cap. I et II expressa consentit cum ratione agendi Domini Iesu et cum fontibus Revelationis (35).

Numerus 8 [61]

In genere:

Deleatur paragraphus quia hanc doctrinam novam non est possibile probare ex S. Scriptura vel ex Traditione (129).

In particulari:

1) Pag. 13, linn. 1-2, loco « Quae de iure hominis ad libertatem religiosam » dicatur « Quae de libertate in re religiosa », ut vitetur affirmatio iuris (103, nomine duorum Patrum).

2) Pag. 13, lin. 1, post « hominis » addatur « et communitatum » (50, nomine 21 Patrum).

3) Pag. 13, lin. 3, post verbum « quidem » deleatur « proximum », quia non patet quid sit correspondens fundamentum remotum (17, cf. 2).

4) Pag. 13, lin. 6, loco « Ast » dicatur « Immo » (112).

5) Pag. 13, lin. 6, post verbum « habet » addatur « etiam » (81).

6) Pag. 13, linn. 6-10, dicatur pressius quomodo revelatio dignitatem hominis manifestum fecerit, et quod sit fundamentum dignitatis et libertatis personae humanae (112).

Numeri 9-12

In genere:

Principia et distinctiones praeviae initio horum numerorum ponenda sunt:

1) distinctio inter libertatem civilem in re religiosa et libertatem spiritualem ac moralem actus religiosi quo Verbo Dei adhaeremus;

2) distinctio horum duorum ordinum;

3) principium iuris primordialis et sacri quod habet Deus honorari et coli verae religionis actibus (cf. 94);

4) principium obligationis qua tenetur homo inquirendi veram religionem eamque profitendi (112).

Praeponatur doctrina Ecclesiae circa ius eminens et sacrum verae Religionis et omnium eam profitentium, et postea perveniatur ad consi-

[61] derationem complementarem (etiam specifice « modernam ») iuris generalis hominum ad libertatem in re religiosa (94).

Libertas mundo allata a Christo, quam martyres defenderunt et pro qua Ecclesia semper pugnavit, non est illa libertas generalis quae provenit ex simplici dignitate personae humanae (94, cf. 34, nomine 21 Patrum).

Textus S. Scripturae citati non probant libertatem religiosam in sensu schematis sed tantum libertatem psychologicam actus fidei vel tolerantiam Christi errantium (20, cf. 17).

[62] Selectio citationum S. Scripturae est unilateralis (30), incompleta et tendentiosa (37), et argumentatio ex eis dat tormentum textibus (41) et rem minus perspicuam reddit (34, nomine 21 Patrum).

Ne taceatur de multis verbis Christi, Pauli, Iohannis, qui aliam libertatem docent et severe arguunt incredulos et fideles in errores ducentes (20, cf. 30, 37, 79).

Numerus 9

In genere:

Deleatur paragraphus (2, 20, 129) aut integra reficiatur (20) aut ad introductionem transferatur. Ratio: confusio notionum libertatis (113).

Textus abbrevietur quia argumenta ex S. Scriptura non omnia textum probare videntur (12).

In particulari:

1) Pag. 13, linn. 15-27, deleatur incisum. Rationes: Probat tantum libertatem psychologicam in adhaerendo Deo, non vero libertatem in Schemate propugnatam (20, 45, 81). Est partialis quia in V. T. saepe recursus ad vim laudatur (45, cf. 17, 20, 79, 81).

2) Pag. 13, lin. 20, addatur post « populo » « quem a servitute redemerat et », quia non tacendum est de redemptione (61).

3) Pag. 13, linn. 22-23, loco « Per Prophetas illum paulatim » dicatur: « Illum deinde paulatim per Prophetas » (50, nomine 21 Patrum).

4) Pag. 13, lin. 24, loco « sese convertendum » dicatur « sese convertere debere » (50, nomine 21 Patrum).

5) Pag. 13, linn. 28-36, deleatur incisum quia non eodem sensu sumitur libertas dum agitur de libertate filiorum Dei et de libertate religiosa (45).

6) Pag. 13, lin. 28, loco « Ubi ergo » dicatur « At ubi » (44, 61).

7) Pag. 13, linn. 28-34, loco « Ubi ergo venit ... in libertatem » dicatur « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus (*Gal.* 4, 5). In cordibus eorum caritatem Dei diffundit per Spiritum Sanctum, quem dedit eis (*Rom.* 5, 5), ut quicumque Eo aguntur, iam non sunt servi, sed filii Dei (*Rom.* 8, 14; *Gal.* 4, 7) in libertatem » (50, nomine 21 Patrum; cf. 61). **[62]**

8) Pag. 13, lin. 32, omittatur « et caritatem » (44).

9) Pag. 13, lin. 34, textus citatus non probat quia non agitur de libertate religiosa, sed de libertate filiorum Dei (81).

10) Pag. 13, lin. 36, post « (*Rom.* 8, 21) » addatur « qua revera Deo "rationabile obsequium" (*Rom.* 12, 1) praestant » (45, nomine 75 Patrum).

11) Pag. 13, lin. 37 - pag. 14, lin. 1, post « distinxit » dicatur « Dominus duplicem ordinem, temporalem scilicet et spiritualem, ita ut Christifideles » (45). **[63]**

12) Pag. 14, lin. 1, post « Caesaris » addatur nota cum referentia ad *Mt.* 22, 21 parall. (50, nomine 21 Patrum).

13) Pag. 14, linn. 7-17, textus deleatur (53) aut emendetur, ita ut sincere agnoscantur errores praeteriti circa libertatem religiosam (69, nomine 43 Patrum; cf. 18, 126), quia triumphalismum sapit neque totam historicam veritatem dicit (126); nam modus agendi Ecclesiae non fuit semper inculpabilis (18).

14) Pag. 14, linn. 7-17, textus alibi inseratur (69, nomine 43 Patrum).

15) Pag. 14, linn. 7-24, omittatur paragraphus (47).

16) Pag. 14, linn. 9-10, loco « instituit », « excoluit » dicatur « instituere », « excolere intendebat » (109).

17) Pag. 14, linn. 11-12, loco « restitit », « propugnavit » dicatur « resistebat », « propugnabat » (109).

18) Pag. 14, linn. 12-17, addatur mentio institutionum ab Ecclesia probatarum qui olim erga reverentiam libertati religiosae debitam in Ecclesia peccaverunt (112).

19) Pag. 14, lin. 15, loco « minus conformes » dicatur « contraria » (56).

20) Pag. 14, lin. 15, post « conformes » addatur « immo eiusdem offensivos » (57).

21) Pag. 14, lin. 17, post « fidem » addatur « physice » (56).

22) Pag. 14, lin. 23, post « quacumque » addatur « iniusta » (56).

23) Pag. 14, lin. 23, post « coercitione » addatur « In defendenda libertate personae humanae et libertate religionis, Ecclesia Christi sem-

[63] per omni cum dignitate sine vehementi resistentia, perturbatione et aggressione processit et vere in primis aciebus ut historia confessorum et martyrum usque ad nostra tempora testatur » (12).

Numerus 10

In genere:

Doctrina de libertate religiosa probari nequit ex S. Scriptura vel ex Traditione praeterita. Hac in re Ecclesia nova de thesauro suo profert, non vetera (129).

Hic numerus ex toto expungendus est quia aut ex integro reficiendus esset, allegatis etiam locis biblicis quae in textu sub silentio praetereuntur, aut, si hoc fieret, nimis longus evaderet (103). Ad summum servari potest textus pag. 16, linn. 1-4.

Supprimatur hic numerus quia: *a*) agitur de nova ratione interpretandi S. Scripturam, *b*) periti circa hanc rem non consentiunt, *c*) desunt
[64] textus allatis contrarii, *d*) doctrina textus non est in eodem plano ac hae citationes biblicae. Servari posset textus pag. 16, linn. 1-4 (105).

Integer hic numerus supprimatur; praesertim ea quae de miraculis Christi dicuntur, quia sunt falsa (113).

Deleatur textus inde ab initio numeri usque ad pag. 15, lin. 11 (45).

Doctrina huius numeri est incompleta, periculosa et non recta (56).

Exempla Christi et Apostolorum forma breviori offerenda sunt. Hic imprimis ostendendum est quantopere actus liberi amoris Dei, sicut incarnatio Christi, requirunt ut homo libere ei respondeat et in quo sensu religio christiana religio libertatis dici potest. Itaque fidelitas erga mysteria salutis nostrae requirit ut christiani libertatem omnium observent, etiam libertate civili gaudentes (112).

In particulari:

1) Pag. 14, lin. 25, praeponatur textui haec phrasis: « Ex eminentiori modo agendi Christi et Apostolorum in Evangelio proponendo, docemur quomodo etiam in ordine temporali libertas personae humanae videri debet. Deus ipse... ». Sic explicite praeponeretur sensu totius n. 10 (45).

2) Pag. 14, linn. 26-29, scribatur: « Rationem enim habet conditionis personae humanae ab Ipso conditae, quae proprio consilio duci et libertate frui convenit ».

Ratio: coram Deo minus proprie de dignitate ac iure creaturae loquitur (94).

3) Pag. 14, lin. 32, post « manifestavit » inseretur: « Etenim Christus repudiabat illam tunc a multis desideratam spem in Messiam, qui vi et armis malos deleret legemque Dei severitatis coercitione imponeret. Ut hanc vanam opinionem et spem penitus convelleret usque ad ultimos suae vitae dies a titulo Messia falso intellecto abstinuit coram populo, cuius cultum subterfugit (*Io.* 6, 15; *Mc.* 1, 35). Ex alia parte verum conceptum Messiae paulatim sub titulo Filii Hominis manifestans regni sui leges fundamentales, in octo beatitudinibus promulgavit (*Mt.* 5, 1-12), quas vita sua et passione mirando modo illustravit ». [64]

Ratio: Reiectio messianismi politici radix est aliquomodo libertatis religiosae (13, nomine 150 Patrum).

4) Pag. 14, linn. 37-39 aliquem fideismum sapiunt (38).

5) Pag. 14, lin. 24 usque ad pag. 15, lin. 15, addatur hic mentio institutionis magisterii a Christo Iesu (38).

6) Pag. 14, lin. 40 usque ad pag. 15, lin. 4, deleantur ea quae hic de miraculis Christi dicuntur, quia vel non sunt ad rem (45, 2, 94), vel exegetice non constant (17, 69, nomine 77 Patrum, 2, 3), vel talis evidentia nec violentia nec contra dignitatem personae esset (105), vel tandem falsa sunt (113).

7) Pag. 15, linn. 5-15, textus non videtur plane ad rem, sec. *Lc.* 5, [65]
54-56 et *Mt.* 12, 20 (94).

8) Pag. 15, lin. 9 et 10, scribatur « Servum Dei » (61).

9) Pag. 15, lin. 15: Inserantur hic et parabola de zizaniis et tritico (*Mt.* 13, 28 sq.) et verba Christi ad Petrum de non utenda vi externa (*Mt.* 25, 51-54) (2).

10) Pag. 15, lin. 33 scribatur: « ... huius verbi virtute ad homines in fidem et... ».

Ratio: periculum ne verba Apostoli sensu politico intelligantur (61).

11) Pag. 16, linn. 1-6: Haec phrasis non probatur textibus supra allatis (17).

Numerus 11

In genere:

Numeri 11, 12 et 13 constituere debent novum Caput, quia in capite III non sunt ad rem nec concordant cum titulo capitis (47).

Substantia huius numeri, de libertate scilicet actus fidei, aptiorem locum obtineret in num. 9 et 10, ubi de libertate christiana proprie dicta (112).

Integer numerus est corrigendus quia nec ratio adest hic affirmandi actum fidei esse liberum, nec verum est libertatem in omnibus circum-

[65] stantiis conferre ad « illum statum efficiendum » (pag. 16, lin. 20 s.), et insuper quia ubi plena viget libertas religiosa difficilius evadit fidem conservare, praesertim apud rudes (17).

Non quodvis genus coercitionis libertati actus fidei repugnat, nam baptismus infantium et educatio christiana non fiunt sine aliquo genere coercitionis. Violentia quadam morali in ambiente propitio nos omnes quadamtenus indigemus (36).

In particulari:

1) Pag. 16, linn. 8 et 11, scribatur pro « libere », resp. « liber », « voluntarie », resp. « voluntarius » (45).

2) Pag. 16, linn. 15-17, pro « et rationabile ... obsequium » scribatur « ad oboedientiam fidei praestandam », quia *Rom.* 12, 1 habet alium sensum (45).

3) Pag. 16, lin. 17, post « Indoli » addatur « ergo fidei plenissime consonat ut, in re religiosa, quodvis genus coercitionis ex parte hominum absolute excludatur » (112).

4) Pag. 16, lin. 17, deleto « repugnat », scribatur « plenissime constat » (113).

5) Pag. 16, lin. 18, post « genus » addatur « physice » (56).

6) Pag. 16, linn. 22 et 23, pro « libere » scribatur « sponte » (45).

[66] *Numerus 12*

In genere:

Affirmatio regimen libertatis religiosae supremum esse ideale pro Ecclesia valet pro societate pluralistica, non vero pro societate catholica, in qua libertas errores propagandi populo noceret. Et provocat ad epist. *Longinqua oceani* S. P. Leonis XIII (17).

Numeri 12 et 13 immediate post n. 10 aptissimum locum haberent, quia ex modo quo Apostoli sese gesserunt naturaliter liquet quomodo Ecclesia sese gerere debeat, ad eius scilicet iura et officia quod attinet (112).

In particulari:

1) Pag. 16, linn. 25-26, loco « quae ad bonum Ecclesiae spectant » scribatur « speciatim, quae contra Dei voluntatem agunt immo contra bonum ipsius civitatis » (12).

2) Pag. 16, lin. 34 usque ad pag. 17, lin. 2, scribatur: « ... libertas Ecclesiae ita est necessaria ut absque ea relationes inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae recte procedere nequeant », non agitur

enim de principio fundamentali sed potius de « conditione sine qua non » (103, nomine quoque alterius Patris, et 113). Idem proponit (105), fere iisdem verbis. [66]

3) Pag. 17, lin. 2, addatur « quodque pro futuro ab ea non solum numquam recusandum, sed semper strenue defendendum est ut iura inalienabilia, quibus necessariis instructa sine impedimento frui queat utpote auctoritas spiritualis et societas perfecta » (12).

4) Pag. 17, lin. 6, post « cui » verbum « soli » non esset omittendum. Cf. textum « emendatum » (17).

5) Pag. 17, linn. 3-13, scribatur: « In societate humana et coram quavis potestate publica Ecclesia iustam agendi libertatem expectare potest ac debet, quae ad vitae usuram atque incrementum opus habet, prout est societas hominum convocationi divinae libere respondentium. Ipsi pariter fideles omnes et singuli iure gaudere debent vivendi in societate civili secundum fidei christianae praescripta ». Ratio: a potestatibus civilibus in genere Ecclesia nequit exspectare ut illae agnoscant suam divinam missionem (61).

6) Pag. 17, linn. 10-13, scribatur: « ... Ecclesia coram non fidelibus, prout scilicet est societas quaedam hominum religiosa, secundum communes iuris naturalis leges ab omnibus agnoscenda ». Idea « convocationis divinae » non est hic necessaria (113).

7) Pag. 17, linn. 14-17, scribatur: « Iamvero si viget ratio libertatis religiosae non solum verbis proclamata vel et legibus sancita, sed cum sinceritate ab omnibus in praxim deducta, Ecclesia convenientem expectat iuris et facti condicionem plenamque facultatem agendi in missione ... » (128). [67]

8) Pag. 17, lin. 17, post « ei » verbum « soli » non esset omittendum. Cf. textum « emendatum » (17).

9) Pag. 17, linn. 18-21, scribatur: « Praeterea christifideles catholici non minus quam ceteri religiosi homines, eam possunt sibi vindicare ordinationem iuridicam civilem in re religiosa quae ipsis competat secundum bonum commune civitatis ». Ratio est quia nequit affirmari idem ius pro Ecclesia Catholica et pro aliis (103, nomine quoque alterius Patris; 105 et 113).

10) Pag. 17, lin. 19, scribatur « christifideles sicut ceteri homines », vel « sicut omnes homines », ut vitetur species comparationis. Posset quoque scribi « eo quod sint homines » (50).

11) Pag. 17, lin. 21, ante « conscientiam » addatur « rectam » (56).

12) Pag. 17, lin. 24, scribatur « ... communitatibus est agnoscenda in ordinatione iuridica civili » (103, nomine quoque alterius Patris), « in

[67] iusta ordinatione iuridica » (113), vel « iuridica societatis » (105). Ratio est ut non agatur de iure, sed de libertate religiosa (105).

13) Pag. 17, linn. 21-24, deleatur integra phrasis et scribatur brevius ac intelligibilius: « Ecclesia itaque sibi nihil plus exigit quam id quod omnibus agnoscit » (50).

Numerus 13

In genere:

Redeatur ad « textum emendatum » quia melior est (17).

Explicite dicendum esset munus auctoritatis Ecclesiae esse fidelibus fines signare et limites ponere libertati in re religiosa, nam si hoc non fit ansa praebetur individualismo religioso et contemptui auctoritatis ecclesiasticae. Patere debet quomodo declaratio componatur cum efficaci exercitio potestatis in Ecclesia cumque eius iure poenali (14).

Forsitan aliquantulum magis insistendum est non tantum in declarationibus theoreticis, seu in principiis generalibus theologiae iuxta quam homo obligationem habet inquirendi veram religionem, sed potius in habitudine quam Ecclesia habere debet circa personas quae religionem christianam non profitentur. Ratio: sine dubio tempora fuerunt in quibus fides coactione materiali imponebatur. Insuper, nostris temporibus, nec auctoritates civiles nec auctoritates ecclesiasticae fidem imponere possent mediante coactione. Tamen aliqui adhuc Ecclesiam accusant ac si talem coactionem exerceret, immo nec desunt qui etiam inter catholicos et inter ecclesiasticos exemplum sequi vellent Apostolorum, qui ignem petebant supra contumaces; hac de causa non solum necessariam, sed urgentem credimus Declarationem de libertate religiosa (83).

[68] *In particulari*:

1) Pag. 18, linn. 6-7, scribatur: « Christi enim voluntate, Ecclesia eius magistra est veritatis ... » (128).

2) Pag. 18, lin. 12, addatur: « Ecclesiae membra fide atque baptismo ita ordini hierarchico inhaerent ut, expositis ipsis, in quantum necesse sit, propriae conscientiae argumentis, practicae eiusdem ordinis hierarchici ordinationi, tuta conscientia obsequi possint ac debeant. Insuper ... ». Ratio est quia de hac re non videtur sufficienter provisum in schemate (95, nomine aliorum duorum Patrum).

3) Pag. 18, linn. 19-31: Haec affirmatio nimis multum iuxtaponitur prioribus affirmationibus schematis circa libertatem religiosam (112).

4) Pag. 18, linn. 19-21, scribatur: « Etenim discipulus erga Chri-

stum magistrum gravi adstringitur officio inaestimabile donum verita- [68]
tis ab Eo receptae plenius in dies cognoscendi ... ». Ratio: melius quam considerare veritatem abstractam, seu obiectivam, consideretur Christus qui dat nobis veritatem (126 et 128).

5) Pag. 18, lin. 22, post « strenue » addatur « iustis tamen (vel "evangelicis") adhibitis mediis ». Ratio: In verbo « strenue » aliqua aggressivitas latet (50).

6) Pag. 18, lin. 25, post « versantur » addatur « sua principia non perdendo » (12).

7) Pag. 18, lin. 26 post « erga » addatur « Christum ». Ratio: Discipulus potius erga personam Christi, veritatis magistri, quam erga veritatem a Christo acceptam adstringitur (126 et 128).

8) Pag. 18, lin. 30. Pro « libere » scribatur « sponte » (45).

9) Pag. 18, lin. 31, post « invitatur », addatur « et tenetur » (56).

10) Pag. 18, lin. 31, addatur: « Ex bene considerata structura sociali communitatis humanae huius temporis, in qua homines postulant posse libere religionem suam privatim et publice profiteri, clare appareat ius civile ad libertatem in re religiosa, fundatum in dignitate personae humanae, radicatum in historia salutis, frequentissime constituere hodie veram conditionem sine qua non pro ipsa libertate Ecclesiae, tam in exercitio muneris eius inter christianos, quam in actione eius missionali inter non christianos. Unde ius civile ad libertatem in re religiosa fit quodammodo fundamentum practicum in societate hodierna pro libero exercitio muneris Ecclesiae inter christianos et actionis eius missionalis inter illos qui Christum non agnoscunt ». Rationes desumuntur tum ex conditione minoritatis, tum ex desiderio vitandi anxietates.

11) Pag. 18, post lin. 31, addatur nova paragraphus fere his verbis: « Ex bene considerata structura sociali communitatis humanae huius temporis, in qua homines postulant posse libere religionem suam privatim et publice profiteri, clare apparet ius civile ad libertatem in re religiosa, fundatum in dignitate personae humanae, radicatum in histo-
ria salutis, frequentissime constituere hodie veram conditionem sine [69]
qua non pro ipsa libertate Ecclesiae, tam in exercitio muneris eius inter christianos, quam in actione eius missionali inter non-christianos. Unde ius civile ad libertatem in re religiosa fit quodammodo fundamentum practicum in societate hodierna pro libero exercitio muneris Ecclesiae inter christianos et actionis eius missionalis inter illos qui Christum non agnoscunt ».

Ratio: Non sufficit efferre, ut Schema facit, tantum concordiam inter libertatem religiosam et libertatem Ecclesiae (125).

[69] *Numerus 14*

In genere:

Pars IV valde abbrevianda est (2), quod fieri posset inserendo in corpore schematis aliquas considerationes particulares circa persecutiones religiosas (pag. 19, linn. 6-12) vel modos quibus laesa est libertas humana hodie (pag. 19, linn. 31-36). Sufficeret quod in fine Concilium christianos hominesque bonae voluntatis provocaret ut melius inservirent libertati religiosae in mundo huius temporis (112, cf. 108, 35, 126).

Addatur paragraphus de consectariis pastoralibus, ubi inter alia haec dicantur: 1) Doctrina de libertate conscientiae in re religiosa Ecclesiae ostendit viam illius paupertatis evangelicae in qua ad suam missionem explendam nullatenus a protectione et privilegiis Status pendere debet, vel in eis suam spem reponere; 2) Actio pastoralis, sub luce istius doctrinae, renovanda erit in linea educationis fidei et conscientiae communitatis, ita ut christiani magis ac magis exculti ac conscii fiant de eorum responsabilitate ac missione apostolica; 3) Denique, sub luce istius doctrinae, etiam ante recognitionem Codicis iuris canonici, praxis disciplinae ecclesiasticae quoad poenas innovetur (69, nomine 77 Patrum).

Declaretur proselytismo et propagandae quae fidem aliorum offendunt, debilitant, destruunt libertatem concedendam non esse, sed iis coactionem esse imponendam (17).

Conclusio videtur nexu logico carere. Denuo redigatur auferendo ea quae potius comprobatio factorum quam genuina conclusio videntur. Valor harum observationum ut signa temporum in meliori luce ponatur (126).

In particulari:

1) Pag. 19, linn. 1-12: Ideae hae de praesenti statu mundi melius ponerentur in Prooemio Declarationis, id est, in n. 1. Ita facilius intelligeretur sensus praecisus huius documenti (128).

2) Pag. 19, linn. 2-3, tollantur verba « privatim publiceque » (40).

[70] 3) Pag. 19, linn. 3-6: tollatur haec assertio (« libertatem ... agnosci ») quia est inconveniens. Declarationes conciliares ex circumstantiis politicis concretis influxum vitare debent, ita ut mutatis conditionibus pariter vigeant (105).

4) Pag. 19, linn. 4-5, loco « ut ius civile » dicatur « in pluribus ordinationibus iuridicis » (113), vel « in ordinatione iuridica civili », quia constitutiones civiles et alia instrumenta iuridica abstrahunt a quae-

stione utrum agatur necne de vero iure (103, nomine quoque alterius [70]
Patris).

5) Pag. 19, linn. 8-9, scribatur « ... constitutione libertas religiosa agnoscitur... », quia constitutiones plurimae nullam faciunt mentionem de Deo deque cultu Ei exhibendo, sed tantummodo de libertate religiosa, vel de libertate opinionis (103, nomine quoque alterius Patris; 113).

6) Pag. 19, lin. 14 scribatur: « hanc vero deplorandam discriminationem », ratione translationum (129).

7) Pag. 19, linn. 15-19, scribatur: « ... Sacra Synodus universos homines exorat, imprimis autem Christifideles hortatur, ut perattente considerent quantopere libertas religionis moralis sit necessitas, in... », ne videatur proclamari necessitas ad propriam utilitatem (81).

8) Pag. 19, linn. 17-18, scribatur « quantopere necessarium sit homini libertatem in re religiosa agnoscere in praesentibus... » (45).

9) Pag. 19, linn. 20-30, deleantur, nam nihil novi afferunt et nimis de hac re in Concilio actum est (2).

10) Pag. 19, lin. 24, post « Proinde » addatur « cum colluctationes ob motiva religiosa ortae insolentius fervere soleant, ... » (81).

11) Pag. 19, lin. 31 usque ad pag. 20, lin. 2 deleatur, quia et quae affirmantur non constant (2).

12) Pag. 19, linn. 33-34, pro « utantur » scribatur « destituantur », propter latinitatem, quia secus schema negare videretur id quod affirmare vult (61).

13) Pag. 19, lin. 39, post « faciant » addatur « quod hodie praesertim periculum non spernendum constituit » (50).

14) Pag. 20, linn. 3-12, omitti possunt, nam non sunt nimis utilia (2).

15) Pag. 20, linn. 6-7, scribatur « ut homines formare satagant, qui genuinae libertatis amatores sint ut plene humani ac vere religiosi esse possint et propterea legitimae auctoritati oboedientes... ». Ratio: quaedam hierarchia existit inter libertatem et oboedientiam, secundum quam libertas altioris momenti vel ordinis est (129).

16) Pag. 20, lin. 12 (vel lin. 19) addatur: «Omnia autem huius mundi gubernia Ecclesia Catholica enixe deprecatur, ut principium libertatis conscientiae ad omnes cives, etiam ergo ad credentes in Deum, efficaciter extendant et a quacumque oppressione libertatis religiosae cessent. Liberentur quamprimum sacerdotes et laici, qui propter actionem suam religiosam, quamvis sub diversis speciebus, post tantos annos adhuc in carceribus detinentur. Episcopi et sacerdotes permulti, qui in munere suo [71]
adimplendo impediuntur, gregibus suis restituantur. Ecclesiae in statibus, ubi per leges iniustas arbitrio magistratuum sibi hostilium tradita est, autonomia interna et facilis cum Sede Petri communio reddatur. Ab

[71] obstaculis quae ad sacerdotium vel vitam monasticam amplectendam iuvenibus ponuntur, cessentur. Ordinibus religiosis congregationibusque fratrum et sororum vita communis iterum permittatur. Omnibus deinde fidelibus effectiva libertas fidem profitendi, veritates revelatas positive proponendi et explicandi atque filios in fide educandi praestetur. Et sic verum opus pacis, diebus nostris maxime necessarium, perficiatur » (66).

Notae (pag. 20-25)

1) Ad notam 6, pag. 21, duae observationes relate ad historiam adiungi possent:

a) In sic dicta « Republica Christiana » medio-aevali, quae Ecclesiam et Statum in uno Corpore Christiano amplectebatur, vix cogitari potuit libertas religiosa hodierno sensu concepta. Nam haec libertas praesupponit societatem liberam a societate medioaevali omnino diversam. Similiter in praefato Corpore Christiano conceptus libertatis conscientiae a theologis scholasticis exculta vix potuit plene ad effectum perduci.

b) Quodsi Ecclesia saeculo elapso pluries libertatem religiosam reprobavit, eius documenta respiciebant libertatem indifferentismi et extremi cuiusdam individualismi, qui tam veritatem revelatam quam etiam normas obiectivas, cui conscientiae oboedire oportet, repudiabat. Hanc Ecclesiae iudiciorum indolem Rev.mus Episcopus De Smedt iam in prima sua Relatione declaravit.

Cf. etiam P. Bläser, Freiheit im Verständnis der Schrift, in: Lexikon für Theologie und Kirche, tom. IV (1960), col. 328-331; R. Hoffmann, Gewissensfreiheit, ibid. tom. IV (1960), col. 870-873; J. B. Hirschmann, Parität, ibid. tom. VII (1963), col. 103-105; A. Hartmann, Toleranz und christlicher Glaube, Frankfurt/Main 1955.

2) In nota 8, pag. 22, omittatur citatio opusculi Bartoccetti, quia regula, de qua agitur, notissima est.

3) In nota 12, pag. 22, testimoniis citatis Patrum addatur testimonium S. Martini Turonensis, qui omnino interdixit, ne coercitionis mediis contra Priscillianistas ageretur.

Cf. Sulpicium Severum, Dialogi III, 11-12 (13 nomine 150 Patrum ex Germania).

PARS ALTERA [73]

MUTATIONES TEXTUS REEMENDATI IUXTA PROPOSITA PATRUM FACTAE

In sequentibus indicantur mutationes a Secretariatu in textu reemendato introductae secundum proposita Patrum et rationes, quae has mutationes iustificare videntur.

Secretariatus non potuit quidem mutare ipsam lineam doctrinalem Declarationis, sed omnia proposita Patrum accepit, quae structuram et textum meliores et clariores reddere et falsas interpretationes excludere potuerunt. Quapropter non paucae additiones, omissiones, mutationes partium, propositionum et singulorum verborum atque translationes partium textus factae sunt.

Notandum est numeros, paginas et lineas, quae hic indicantur, referri ad praesertem fasciculum, qui continet textum reemendatum et recognitum.

I. *Nova textus structura.*

In textu praecedenti, prooemio in numero 1 praeposito, numerus 2 denominatur Declaratio quae erat velut definitio ipsius libertatis religiosae (etiam et praeterquam titulus totius documenti).

Deinde textus dividebatur in duas partes: in prima parte libertas religiosa examinabatur sub lumine rationis; in secunda vero parte eadem libertas considerabatur sub lumine revelationis.

In nova textus structura verbum « Declaratio » semel tantum adhibetur et quidem pro titulo totius documenti.

Textus adhuc dividitur in duas partes, alio tamen ordine. In *prima parte,* cui titulus « Libertatis religiosae ratio generalis », exponuntur elementa veluti constitutiva vel maximi momenti ipsius libertatis religiosae, scilicet: natura (personae ius) - obiectum (immunitas a coercitione) - fundamentum (dignitas personae humanae in ordine ontologico) - subiectum (persona physica et communitas religiosa) - cura - limites - educatio et finis.

In *secunda parte* autem libertas religiosa examinatur sub lumine revelationis, sicut in textu priore, aliqua mutatione introducta quoad numerorum dispositionem.

Structura mutata est, pluribus Patribus petentibus, ut fieret conformior naturae documenti quod est declaratio.

[74] II. *Titulus.*

In subtitulo post verbum « libertatem » nunc legitur: « socialem et civilem ». Haec verba, Patribus postulantibus, addita sunt ut iam in ipso documenti titulo clare duo appareant:

1) Libertas, de qua agitur in hac Declaratione, non respicit relationem hominis ad veritatem vel ad Deum; respicit vero relationes inter personas in societate humana et civili ideoque huiusmodi libertas denominatur socialis et civilis.

2) Libertas, de qua in declaratione, non agit de relationibus inter fideles et auctoritates in Ecclesia; agit vero de relationibus hominum cum hominibus singulis, cum coetibus socialibus, cum potestate civili.

III. *Mutationes in singulis numeris.*

Numerus 1:

In numero primo duae habentur partes. In prima parte resumitur prooemium textus prioris aliquibus mutationibus additis. Secunda pars addita est pluribus Patribus petentibus.

1) In linea 5: post « libertate » additur *responsabili* et post « fruantur » additur *utantur*: hoc ad significandum quod homines hodie appetunt ut magis in dies *reapse* extendatur provincia suae ipsorum libertatis, ac proinde *suae ipsorum responsabilitatis.*

2) In linea 8: legitur: quae *sunt animi humani bona*: insertio facta est, petentibus Patribus, ad indicandum quod hominum appetitio ad libertatem et ad responsabilitatem respicit maxime animi bona quae sunt, verbi gratia, artes ingenuae et doctrinae; et, in primis, ea quae spectant ad religionem.

Additio facta incipit in pagina 3 linea 16 cum verbis: *Primum itaque* et pergit usque ad verba *evolvere intendit* in pag. 4, lin. 18.

In hac additione quinque inveniuntur elementa praecipua:

a) Unica est vera Religio quae subsistit in catholica et apostolica Ecclesia.

b) Homines gravi tenentur officio veritatem quaerendi, eique cognitae firmiter adhaerendi; ac proinde gravi tenentur officio, catholicam fidem, prout eam agnoscere potuerunt, amplectendi profitendique.

c) Haec officia tangunt et obligant hominum conscientiam; et veritas sua ipsius luce hominibus sese imponit.

d) Libertas religiosa autem non respicit relationes inter hominem et veritatem; respicit vero relationes hominum cum hominibus in vita

sociali et civili: *integram* ergo *reliquit* doctrinam catholicam de unica vera religione, de unica Christi Ecclesia et de morali hominum erga ipsam officio. [74]

e) In hac Declaratione summorum Pontificum doctrina de inviolabilibus humanae personae iuribus ac de iuridica civitatis ordinatione evolvitur. [75]

Numerus 2

Numerus dividitur in duas partes. In prima parte, petentibus multis Patribus, clarius definitur obiectum libertatis religiosae et clarius statuitur eius fundamentum: haec pars componitur verbis quae, fere omnia — quoad sensum non quoad ordinem — e textu priore desumuntur.

Quattuor elementa praecipua in ipsa continentur:

a) Libertas religiosa est *ius personae humanae.*

b) Obiectum huius iuris est *immunitas a coercitione.*

c) Huiusmodi ius agnoscendum est ut ius *civile* in iuridica civitatum ordinatione.

d) Est ius quod fundatur in ipsa *dignitate personae humanae.*

Secunda huius numeri pars incipit pag. 5, in lin. 7 cum verbis: *Secundum dignitatem* et pergit usque ad verba *non laedant* in lin. 26 eiusdem paginae. In hac secunda parte argumentum innuitur, potius quam exponatur, quo monstratur libertatem religiosam fundamentum habere non in dispositione hominis subiectiva, quae a rectitudine — sive quoad veritatem sive quoad honestatem — deficere potest, sed in ipsa obiectiva veritate de personae humanae dignitate.

Numerus 3

Numerus 3 considerandus est veluti quaedam enucleatio eorum quae exponuntur in secunda parte numeri praecedentis.

In numero 3 referuntur, modo tamen breviore, quae legebantur in eodem numero textus prioris cum aliquibus mutationibus vel additionibus Patrum petitione peractis:

1) In textu recognito *magis* effertur quod homo est natura sua *socialis.* Quam ob rem: *a*) pag. 6, lin. 5 additur: *eiusque naturae sociali proprio; b*) in lineis 29-31 nunc legitur: cum aliis *in re religiosa* communicet, *ipsam sui ipsius religionem modo communitario profiteatur.*

2) Pag. 6, lin. 11: loco « veritati inventae » nunc legitur *veritati cognitae*: hoc rogatum est ut indicetur quod veritas numquam potest complete inveniri; potest tamen magis magisque cognosci et ad hoc unusquisque eniti tenetur.

[75] 3) Pag. 7, in lin. 10 loco « sese inmisceat » nunc legitur: *vel impediat vel dirigat*: mutatio facta est, petitione aliquorum Patrum, ut clarius dicatur potestatem civilem e sua competentia evadere si praesumat impedire vel dirigere actus religiosos qui natura sua ipsum ordinem temporalem ac terrestrem transcendunt.

[76] *Numerus 4*

Est idem ac numerus sextus textus prioris: sive quoad sensum sive quod verba, nonnullis additionibus insertis quae a Patribus petebantur.

1) Pag. 7, lin. 40 post « educandis » legitur: *nominandis atque transferendis*: ab aliquibus Patribus opportunum putatur hoc *explicite* affirmari: dantur enim Res Publicae in quibus ex parte Potestatum civilium magna fit difficultas auctoritatibus religiosis quando agitur de ministrorum nominatione vel translatione.

2) Pag. 8, lin. 2 post « degunt » legitur: *in aedificiis religiosis erigendis*: haec verba inserta sunt petitione Patribus propter eandem rationem superexpositam.

Numerus 5

Idem est ac numerus 7 prioris textus: introducitur tamen, multis Patribus petentibus, additio alicuius momenti:

Pag. 8, lin. 36 post « violat » sequitur propositio quae incipit cum verbis *si liberi* et pergit usque ad verba *non correspondeant* in lin. 39. Propositio introducitur quia in redactione prioris textus, ut multi Patres recte animadvertunt, *parentum* ius ad determinandam rationem institutionis religiosae suis liberis tradendae non *sufficienter* affirmatur. Nam huiusmodi ius laeditur non solum si *unica* imponatur educationis ratio ex qua formatio religiosa *omnino* excludatur, sed etiam cum *liberi ad frequentandas lectiones scholares cogantur quae parentum persuasioni religiosae non correspondeant.*

Numerus 6

Huiusmodi numerus prioris textus n. 5 correspondet: plures tamen mutationes introducuntur et magni quidem momenti.

1) Pag. 9, lin. 1 a verbo « cura » usque ad verbum *spectat* in linea 5 eiusdem paginae: haec propositio introducitur ut clare asseratur quod cura iuris ad libertatem religiosam spectat ad *omnes*: ad cives, ad coetus sociales, ad Ecclesiam, ad alias Communitates religiosas: modo quidem unicuique proprio.

2) Pag. 9, linn. 7-8 legitur: *ad* cuiusvis potestatis civilis officium *essentialiter pertinet*. His verbis substituuntur verba prioris textus: praecipuum cuiusvis potestatis civilis officium. Haec substitutio, aliquibus Patribus petentibus, facta est ut maiore cum claritate appareat finem potestatis civilis bonum commune esse. Tuitio autem et promotio inviolabilium humanae personae iurium — in bono communi prosequendo — non est Potestatis civilis officium *praecipuum quoad alia officia* sed est unum ex *essentialibus* Potestatis civilis officiis. [76]

3) Pag. 9, lin. 9 additur: *et per alia media apta*: ut, Patrum desiderio, clare indicetur quod est quidem necessarium tueri et promovere personae ius ad libertatem religiosam per iustas leges sed hoc, experien- [77]
tia teste, *non sufficit*: requiruntur etiam alia media apta, ut sunt, verbi gratia, *iusta decreta* et *iustae sententiae*.

4) Pag. 9: propositio quae incipit in lin. 11 cum verbis « ac propitias » et pergit usque ad verba « sanctam voluntatem » in linea 17 iam invenitur, iisdem fere verbis composita, in priori textu, aliter tamen ordinata. Nova redactio, Patrum petitione facta, ad hoc tendit ut *clarius* dicatur boni communis exigentiam esse quod religio a potestate civili *positivo* promoveatur *modo* tamen *sibi proprio,* suppeditando scilicet conditiones proprias ut cives revera religionis iura exercere eiusdemque officia adimplere valeant.

5) Pag. 9, lin. 15 post verbum « bonis » additur: *iustitiae et pacis*. Postulatur a Patribus ut efferatur quod ex positiva Potestatis civilis actione ad vitam religiosam fovendam expectanda sunt non maiora bona materialia, potius, bona eiusdem ordinis, scilicet spiritualia, ut sunt iustitia et pax: quae quidem etiam ad bonum commune quam maxime conferunt.

6) Pag. 6, lin. 20 ad lineam 25: de speciali unius Communitatis religiosae agnitione in iuridica civitatis ordinatione multi Patres pluria petunt: tamen alii aliter et quidem contradictoria. Quorum Patrum positiones *sufficienter definitae* putantur esse praesertim quattuor: *a*) de hac re in declaratione de Libertate Religiosa ne verbum quidem fiat, *b*) clare affirmetur in iuridica civitatis ordinatione specialem agnitionem verae Religioni tribuendam esse statim ac id est possibile, *c*) si in Declaratione de hac re agitur, de ea in forma hypothetica agatur, *d*) de hac re agatur, sed in forma hypothetica. Secretariatus censuit formam hypotheticam tamquam viam mediam eligendam esse.

7) Pag. 9, lin. 29 post verbum « unquam » legitur *sive aperte sive occulte* et in linea 31, post verbum « religiosas » legitur *necnon inter eos discriminatio fiat*. Haec postulantur ab aliquibus Patribus ut clare affirmetur non sufficere ut aequalitas civium iuridica propter rationes

[77] religiosas non *laedatur in legibus*: requiritur etiam quod de *facto* non laedatur et quidem nec aperte nec occulte; et propter easdem rationes inter cives non fiat discriminatio cuiusvis generis.

8) Pag. 10, lin. 2, post verbum « religionem » legitur *quamlibet*: hoc petitur ab uno patre ne quis inducatur ad putandum unam pro omnibus hominibus existere religionem universalem cuius omnes religiones positivae vel historicae nihil aliud sunt quam peculiares determinationes eiusdem valoris.

Numerus 7

In textu priore limites libertatis religiosae definiebantur in n. 4.

1) Pag. 10, lin. 16 post verbum « officiorum » legitur *et boni omnium communis* et additio postulatur a Patribus ut in lucem ponatur sive sin-
[78] gulos homines sive coetus sociales in suis ipsorum iuribus exercendis teneri rationem habere etiam eorum quae spectant ad bonum commune.

2) Pag. 10, lin. 19: incipitur cum praepositione *Praeterea.* Hoc ut indicetur numerum 7 non dividi in duas partes — alteram moralem et alteram iuridicam; quod inveniebatur in correspondente numero 4 textus prioris.

Etenim in n. 7 textus recogniti exponuntur, ordine progrediente, quae spectant ad singulos homines, ad coetus sociales et ad civiles Potestates quando agitur de limitando iure ad libertatem in re religiosa.

3) Pag. 10, lin. 24: post verbum « arbitrario » legitur: *aut uni parti inique favendo.* Haec verba inserta sunt, aliquibus Patribus petentibus, ut explicite affirmetur Potestati civili, in libertate religiosa limitanda, rationem habendam esse non utilitatis alicuius factionis politicae sed eorum quae pertinent ad genuinas ordinis publici exigentias.

4) Pag. 10, linn. 26-27 post verbum « publici » legitur: *in ordine morali obiectivo fundati.* Est additio magni momenti. Introducta est ad mentem Patrum qui rogant ut in aestimando ordine publico, ratio habeatur non solum ad historicas situationes sed etiam et in primis ad ea quae morali ordine obiectivo postulantur.

5) Pag. 10, lin. 30 post verbum « curam » legitur: *istius honestae* et postea in eadem linea et in linea sequente legitur: *quae est ordinata conviventia in vera iustitia.* Haec etiam sunt verba momentosa ad multorum Patrum mentem inserta, propter easdem rationes: in limitanda libertate religiosa prae oculis habendae sunt exigentiae pacis publicae: non tamen pacis publicae cuiuscumque generis quae *de facto* existit vel existere potest: sed, in primis, illius honestae pacis quae est *ordinata conviventia in vera iustitia.*

6) Pag. 10, lin. 33 post verbum « bonum est » legitur: *fundamentalis pars boni communis*. Quae verba introducta sunt ut detur responsum aliquorum Patrum difficultati circa relationem ordinis publici ad bonum commune et etiam ut clarius efferatur quod alia est regula sequenda cum agitur de tutando ac promovendo personae iure ad libertatem in re religiosa et alia cum agitur de eodem iure limitando: in primo casu regula sequenda est bonum commune in tota amplitudine assumptum; in altero vero casu est ordo publicus seu illa fundamentalis pars boni communis universae societati adeo necessaria, ut actus ei grave damnum inferentes sint a potestate civili reprimendi. [78]

Numerus 8

Componitur ex paragraphis 5 et 6 desumptis e conclusione textus prioris. Iuxta mentem aliquorum Patrum educatio ad libertatem *recte* exercendam, praesertim in hac nostra aetate, est maximi momenti etiam pro nostro argumento: peropportunum ergo esset ut de huiusmodi educatione sermo fiat in numero speciali: Patrum sententiae Secretariatus [79]
adhaerendum esse putavit. Hoc modo in prima declarationis parte personae ius ad libertatem in re religiosa inspicitur in omnibus suis elementis essentialibus vel maioris momenti quae sunt ut iam notatum est: obiectum - fundamentum - subiectum - cura - limites - educatio et finis.

Pag. 11, linn. 24-26 in his duobus lineis leguntur verba: *in suis ipsorum officiis adimplendis in vita sociali* etc.: quibus verbis innuitur finis ipsius libertatis religiosae *quae ad hoc inservire et ordinari debet ut homines in suis ipsorum officiis adimplendis in vita sociali maiore cum responsabilitate agant*.

Numerus 9

1) Pag. 11: a verbo *quamvis* in lin. 35 usque ad verba *de libertate religiosa* in lin. 9, p. 12: haec verba sunt fere omnia noviter introducta ut, secundum multorum Patrum desiderium, clarior fiat relatio quae intercedit inter doctrinam de libertate religiosa exposita in prima Declarationis parte et ea quae inveniuntur in Revelatione circa eamdem libertatem. Duo in his verbis affirmantur: *a*) Revelatio explicite et formaliter non affirmat personae ius ad immunitatem a coercitione externa in re religiosa. *b*) Tamen dici potest ac debet huiusmodi ius radices habere et quidem profundissimas in Revelatione his tribus praesertim rationibus: 1) Revelatio notificat in tota eius amplitudine personae humanae dignitatem: quae dignitas fundamentum constituit obiectivum libertatis reli-

[79] giosae. 2) Revelatio demonstrat observantiam Christi erga hominis libertatem in exsequendo officio credendi verbo Dei. 3) Spiritum illustrat quem discipuli Christi in omnibus agnoscere et adhibere debent.

Numerus 10

In nova schematis ordinatione numerus de libertate actus fidei praeponitur numero de Christi et Apostolorum agendi modo.

Ratio: connexus inter libertatem religiosam et libertatem propriam actus fidei clarius apparet. Christi vero et Apostolorum agendi modus est illustratio generalium principiorum super quae fundatur doctrina huius Declarationis de libertate religiosa.

1) Pag. 12 in linea 15 post verbum « Deo » legitur: *voluntarie,* et linea 18 eiusdem paginae legitur *voluntarius*; in lin. 30 pag. 12 post verbum « christianam » legitur *sponte.* In textu priore, in iisdem locis, adhibebantur verba: libere, liber, libere. Quae mutatio, Patribus postulantibus, facta est ad evitandam aequivocationem inter libertatem psychologicam et libertatem moralem. Etenim homo, quoad actum fidei, est liber psychologice non autem *moraliter,* tenetur credere; dum autem credit non potest credere nisi voluntarie seu libere. Credendo suam ergo exercet libertatem prout est officium: quae libertas ut plenius et expe-
[80] ditius exerceri possit, postulat libertatem prout est ius seu immunitas a coercitione externa.

Numerus 11 (olim 10)

In hoc numero, Patrum observationibus prae oculis habitis, multae mutationes magni vel saltem alicuius momenti factae sunt.

1) Pag. 12, in lin. 34 inserta sunt verba: *in spiritu et veritate ... unde ipsi in conscientia vinciuntur,* ut Patrum petitione clarius distinguantur obligatio *moralis* a *coercitione* externa. Deus homines vocat ad sibi inserviendum in *spiritu et veritate.* Consequenter homines vocationi divinae positivum responsum dare *tenentur*: responsum tamen *liberum* non *coactum.*

2) Quanta sit ratio, quam Deus habet dignitatis humanae personae ab Ipso conditae, apparet in Christo Iesu, in quo Deus Seipsum et vias suas perfecte manifestat. Christus autem, in suo redemptionis opere adimplendo, media *coercitiva* numquam adhibuit e contra:

a) Pag. 13, in lin. 3 a verbo « Miraculis » usque ad verbum *exerceret* in lin. 6: Miraculis utique praedicationem suam suffulsit et confirmavit, *sed ut fidem auditorum comprobaret, non ut in eos coercitionem exerceret.*

b) Pag. 13, in lin. 7: a verbo *incredulitatem* usque ad verbum *relinquendo*: *Incredulitatem audientium certe* exprobravit, sed vindictam Deo in diem Iudicii relinquendo: quod illustratur per ea quae sequuntur. [80]

c) Pag. 13, in lin. 15 usque ad pag. 13 in lin. 21: a verbo scilicet *Nolens* usque ad verbum « extinguit »: *Nolens esse Messias politicus et vi dominans, maluit se dicere Filium hominis qui venit « ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis »* (*Mc.* 10, 45).

d) Pag. 13, lin. 26: a verbo *Tandem* usque ad verbum *perfecit* in lin. 29: *Tandem in opere redemptionis super crucem complendo, quo salutem et veram libertatem hominibus acquireret, revelationem suam perfecit.*

e) Pag. 13, lin. 29: a verbo *Testimonium* usque ad verbum *comminabatur* in lin. 33: *Testimonium enim perhibuit veritati, eam tamen contradicentibus vi imponere noluit: « qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur »* (*1 Pt.* 2, 23).

f) Pag. 13, lin. 36 inseruntur verba: qui manifestatus in cruce: ut explicite dicatur, Patrum desiderio, Christum Redemptorem amorem suum erga homines in crucis passione summo gradu manifestavit.

Numerus 12

Est novus; constat tamen ex propositionibus, quae desumptae sunt numeris 9 et 10 prioris textus, aliquibus mutationibus, Patrum petitione, introductis.

Pag. 15, lin. 2 ab initio legitur: *interdum extitit modus agendi* et in lin. 4 legitur: *immo eiusdem contrarius.* Additio introducta est ut, saltem implicite, dicatur vel innuatur quod in vita Populi Dei per vicissitudines historiae humanae peregrinantis, interdum actum est modis spiritui evangelico minus congruis immo eidem contrariis. [81]

Numerus 13 (olim 12)

Est idem ac numerus textus praecedentis, aliquibus additionibus insertis a Patribus rogatis:

1) Pag. 15 in lin. 18 legitur: *immo ad bonum ipsius terrenae civitatis*: ut in lucem efferatur quod libertas Ecclesiae multum confert etiam ad bonum societatis civilis.

2) Pag. 16, in lin. 2 a verbis *non solum* usque ad verbum *deducta* lin. 4: ut clare affirmetur quod non sufficit rationem libertatis religiosae verbis proclamari vel et legibus sanciri; necesse est etiam ut cum sinceritate in praxim deducatur.

[81] 3) Pag. 16, in lin. 7 a verbis *quam auctoritates* usque ad verbum *vindicarunt* in lin. 8: ad indicandum quod saeculorum decursu praesertim autem hac nostra aetate, auctoritates ecclesiasticae — Pontifices et Episcopi, — Ecclesiae libertatem indesinenter fortius vindicaverunt.

4) Pag. 16, lin. 15 legitur: *et in ordinatione iuridica sancienda*: ut explicite dicatur quod ius personae et Communitatum ad libertatem in re religiosa est sanciendum in iuridica civitatum ordinatione ut ius civile evadat.

Numerus 14 (olim 13)

Est idem ac numerus textus praecedentis, parvis mutationibus, Patrum desiderio, introductis ut sensus clarior aut vividior fiat.

1) Pag. 16, lin. 31 loco « Dei » nunc legitur *Christi*: exactius dicitur quia Ecclesia constituta est magistra veritatis utique a Deo sed per Christum vel per Verbum Dei homo factum.

2) Pag. 17, lin. 3 post praepositionem « erga » legitur *Christum Magistrum*: sensus non mutatur, exprimitur vero modo concreto et vividius.

3) Pag. 17, in lin. 7 post verbum « defendendi » legitur: *evangelicis mediis adhibitis*: ad memoriam revocandum quod Evangelium enunciandum est perseveranter, magna cum fortitudine usque ad sanguinis effusionem: numquam tamen « mediis coercitivis » sed semper *mediis evangelicis adhibitis*.

4) Pag. 17, in lin. 15 post verbum « fidem » legitur *sponte*: ne confusio fiat inter libertatem psychologicam et libertatem moralem: homo
[82] tenetur, obligatione morali, fidem accipere; fides autem non potest accipi nisi voluntarie seu libere: libertate quidem psychologica.

Numerus 15 (olim 14)

Est idem ac in textu praecedente, paucis tantum mutationibus factis.

Pag. 17, in lin. 24 loco « ius ad cultum Deo praestandum » nunc legitur: *libertas cultus religiosi* agnoscitur. Ratio: in aliquibus regiminibus non agnoscitur Deus, agnoscitur tamen civibus libertas cultus religiosi seu libertas ut *tantum* sacra agant.

SUFFRAGATIONES [83]

INDE A DIE 26 OCTOBRIS 1965 FACIENDAE

1ª N. 1 *placet* vel *non placet.*
2ª Nn. 2-3 per *placet* vel *non placet.*
3ª Nn. 4-5 per *placet* vel *non placet.*
4ª Nn. 6-8 per *placet* vel *non placet.*
5ª Nn. 1-5 per *placet, non placet, placet iuxta modum.*
6ª Nn. 6-8 per *placet, non placet, placet iuxta modum.*
7ª Nn. 9-10 per *placet* vel *non placet.*
8ª Nn. 11-12 per *placet* vel *non placet.*
9ª Nn. 13-15 per *placet* vel *non placet.*
10ª Nn. 9-12 per *placet, non placet, placet iuxta modum.*
11ª Nn. 13-15 per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Moderator: Gratias agimus maximas relatori pro relatione sexta quidem, sed opportuna. Insuper nostras gratiarum actiones accipiat commissio competens pro indefesso strenuoque labore.

Audiemus nunc Patres nomine 70 aliorum loquentes de schemate *de ministerio et vita presbyterorum.*

PATRUM ORATIONES

(*De ministerio et vita presbyterorum*)

1

EXC.MUS P. D. ROMANUS ARRIETA VILLALOBOS
Episcopus Pluviensis

Venerabiles Patres Conciliares!

En prima « consolatio » huius diei, sicut dixit exc.mus et amantissimus noster secretarius generalis[1]*!*

Loquar nomine ...[2] plus quam 70 episcoporum praesertim Americae Latinae.

Pergratum mihi est, initio meae interventionis, gratias quam maximas agere fratribus nostris episcopis ex Hispania, Germania, Italia,

America Septemtrionali et aliis, propter magnam eorum sollicitudinem in favorem nostrarum Ecclesiarum, sive sacerdotes mittendo, sive alia auxilia materialia praebendo ad nostram actionem pastoralem rite adimplendam.

Ut omnes bene sciunt, inter urgentiora problemata de quibus Ecclesia, in hac hora Concilii, agere debet, eminentem locum occupat illud de apta sacerdotum distributione, ad quod se refert n. 9 schematis nostri emendati. Eiusdem solutionem procrastinare, rebus relictis sicuti iacent, idem esset ac indifferentiam, ne dicam despectionem ostendere, circa aeternam salutem centenarum millium fidelium, quod de tam pia Matre Ecclesia ne cogitare quidem potest.

Durum est hoc admittere, sed in Ecclesia magna viget inaequalitas in id quod ad cleri distributionem refertur. Dum in aliquibus regionibus superabundant pastores ad gregem Christi pascendum et defendendum, aliis in locis, oves in lacrimabili derelictione inveniuntur, victimae luporum rapacium ignorantiae, superstitionis, proselytismi et iniustitiae. Dum in aliquibus terrae partibus, fames spiritualis populi Dei superabundanter satiatur, aliis in regionibus « pueri panem petunt et non est qui frangat eis ». Revera dantur pastores qui pereunt quia sine ovibus sunt, dum aliis in locis oves sunt quae pereunt quia sine pastoribus sunt.

Et ne dicatur haec lugenda penuria sacerdotum in quibusdam regionibus tertii mundi, in primis hierarchiae locali funditus tribuenda esset. Ea quae facta sunt ut populi independentiam propriam attingerint, saepe etiam secum tulerunt expulsionem sacerdotum qui originem habebant in illis nationibus a quibus hi populi nunc se liberabant. Et ita accidit ut sequentes generationes quasi derelictae manserint in iis quae ad vitam spiritualem respiciunt, ex quo evenit ille vitiosus circulus quem sic enuntiare possumus: « Vera vita christiana non datur quia sacerdotes sufficientes non sunt, et sacerdotes sufficientes non sunt quia vera vita christiana non datur ». Quomodo frangi potest hic circulus qui illis in terris Ecclesiam suffocat? Alia responsio non datur nisi aequa sacerdotum distributione ex qua orietur adaequata cura spiritualis, alens christianam vitam, a qua rationabiliter sperari potest abundans seges vocationum sacerdotalium.

Iuste fatendum est, plurimos esse optimos sacerdotes libenter paratos proficisci in illas regiones ubi « messis quidem multa est, operarii autem pauci », sed saepe saepius, eorum sancta cogitatio exitum felicem non attingit ob petream negativam responsionem eorum episcoporum, qui forte, habentes unum sacerdotem pro quingentis incolis vel minus, sincere putant se habere paucos sacerdotes, obliviscentes ultra Oceanum vel ultra fines suae dioecesis vel nationis, sacerdotes esse curae incum-

bentes viginti vel triginta millium fidelium vel amplius pro unoquoque eorum.

Rebus sic stantibus, schema nostrum, loco suggerendi vel commendandi, firmiorem debet assumere stylum, normis editis positivis, quae in praxim deductae, desideratam solutionem afferant. Et ad hunc finem obtinendum sequentia proponere audeo:

1. In regionibus ubi sacerdotales vocationes abundant, praeter seminaria dioecesana, novus typus seminarii institui potest, cuius alumni, sacerdotio aucti, a Sancta Sede directe et immediate dependant, ita ut Sancta Sedes, sua universali experientia nostri problematis ducta, eos offerre valeat episcopis illarum regionum ubi urgentiores sunt necessitates operariorum evangelicorum.

2. Dioeceses quae ex abundantia candidatorum vel ex angustia loci in seminario, optimas quidem vocationes repellunt, aliis dioecesibus eisdem carentibus eas offerant in adoptionem.

3. Accurata investigatio instituatur de numero fidelium qui, attentis peculiarium locorum adiunctis, unicuique sacerdoti commendari debet. Ceteris sacerdotibus libenter concedatur licentia abeundi illis locis ubi eorum praesentia et apostolatus opera valde indigetur. Sic vitabitur ex una parte, otium sacerdotum et eius funestissima consectaria, quorum nos omnes conscii sumus, et ex altera parte, permagna obtinebitur acies sacerdotum ut in auxilium occurrant earum Ecclesiarum indigentia laborantium.

4. Conferentiae episcopales earum nationum quae copia sacerdotum gaudent, officium instituant, ad quod episcopi qui offerre volunt sacerdotes et ii qui eos petere desiderant, suas notitias mittere valeant. Medium optimum est ad necessarium contactum stabiliendum inter episcopum quaerentem et offerentem quod, experientia teste, non semper facile evadit.

5. Ordines et Congregationes religiosae efficaciter adiuvare possunt ad hunc problema solvendum, numerum semper augendo eorum sodalium, regionibus penuria sacerdotum laborantibus destinatis. Ut eorum pretiosum auxilium causa sit apud Deum perpulchrae benedictionis et apud nos episcopos immensae gratitudinis, ne amplius insistant ut territoriis eis concreditis aliquoties solummodo acceptentur si « pleno iure, et in perpetuum, et ad nutum Sanctae Sedis » eis tradantur, quae conditio, meo humili iudicio, magis quam germana prudentia, peccatum esse videtur contra divinam Providentiam. Et cum clerus nativus sit sufficiens, clerus nempe ad oves pascendas in paroeciis modo speciali efformatus, cur non tradere ei specificum hunc apostolatum, religiosi redeundo ad opera propria eorum Institutorum?

Sacerdotes autem, sive dioecesani sint sive religiosi, ad regiones clero orbatas missi, optimos esse debent. Aliunde, vera promotio christiana ...[3] numquam obtinebitur et calvarium magis quam adiutorium erunt nobis episcopis.

Ad conclusionem veniens, sinatis mihi, venerabiles Patres, expostulare, ut quaedam restrictiones lugendae, ut sacerdotes, scil., ex quibusdam regionibus, etsi episcopo consentiente et benedicente, in alias proficisci non valeant sine licentia Sanctae Sedis, quam primum tollantur. Has iudico prorsus alienas a caritate, sacerdotibus humiliantes et episcopis eorum valde iniuriosas. Abusus, si qui sint, corrigantur; culpabiles cum severitate puniantur, sed magna pars sacerdotum, innocentes ut sunt, ne tanta humiliatione subiciantur pro delictis ab eis non commissis. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] etiam. [3] earum communitatum.

[*Subscripserunt etiam*] A. Mendoza Castro, ep. Abancay; C. Oviedo Cavada, ep. tit. Benevento; L. Tigga, ep. Dumka; T. Clavel, arch. Panamà; M. Balaguer, ep. tit. Castel Minore; E. Vallejo, praef. ap. Tierradentro; F. Gonzales, ep. Maracay; E. Benjamin, ep. Darjeeling; J. Carreras, ep. San Rafael; A. Maricevich; V. Moya, prael. El Oro; J. Flores Nernández, ep. Ibagué; L. Fey, ep. tit. Filadelfia Minore; Adolfo, ep. Camahuey; H. Lara, aux. Vera Paz; Amedeo, prael. Sâo Raimundo Nonato; A. Höfer, vic. ap. Limón; B. Alvarez, ep. Pereira; M. Niedhammer, vic. ap. Bluefields; A. Duque Villegas, arch. Manizales; G. Garavito, aux. Villavicencio; G. Mendez Arceo, ep. Cuernavaca; Emmanuel, ep. Coria-Caceres; E. Talamás, ep. Ciudad Juarez; J. Podestà, ep. Avellaneda; A. Quarracino, ep. Nueve de Julio; L. Tomé, ep. Mercedes; A. Sapelak; R. Bergamin; F. Benitez, aux. Asunción; F. Torres Oliver, ep. Ponce; J. Ferro, ep. Concepción; A. Bréheret, ep. Cahors; F. Gilmore, vic. castr. Chile; J. Valle, ep. tit. Germania di Numidia; J. Carranza, ep. Santa Rosa de Copán; A. Benitez Fontúrvel, ep. Barquisimeto; R. Sarmiento Peralta, ep. Ocaña; E. Vicuña, ep. Chillan; R. Kérautret, ep. Angoulème; A. Hofmann; E. Pechuán, ep. Cruz del Eje; E. Bolaños, ep. tit. Andropoli; S. Lucas, vic. ap. Pilcomayo; V. Zazpe, ep. Rafaela; R. Silva Silva, ep. tit. Eudossiade; Cl. Carranza, ep. Esteli; M. Magliano, ep. Rio Gallegos; P. Correa León, ep. Cúcuta; S. Conti, prael. Roraima; J. Grotti, prael. Acre e Purús; T. Tyan, prael. Santarem; G. Cannonero, ep. Asti; M. Medina, ep. Montería; L. Graziano, coad. San Miguel; R. Cáceres, ep. Melo; J. Manrique, ep. Oruro; A. Ocampo Berrio, arch. Tunja; L. Proaño, ep. Riobamba; J. Aramburu, arch. Tucuman; M. McGrath, ep. Santiago Veraguas; A. Schell; E. Pironio, ep. tit. Ceciri; E. Alvear, ep. San Felipe.

Animadversio addita:

Existimamus, infra signantes, in schemate *de ministerio et vita presbyterorum* abesse illud quod ex natura sacerdotali ut exigentia surgit, scil. dispositio permanens ad vitam ipsam dandam pro ovibus, ut ipse Dominus Iesus, bonus Pastor.

Amor maximus, eloquens testimonium Christi eiusque Evangelii, in eo consistit: impendere vitam usque ad supremum sacrificium pro iis qui salvandi sunt.

Praeterea, illa dispositio continuo vitam sacerdotalem sustentat ac roborat.

Ex alia parte, sunt regiones, praecipue illae in quibus atheismus militans regnat, ubi christifideles urgentissime indigent, non modo ministerio sacerdotali, verum etiam adiutorio humano pastorum.

Huiusmodi christifidelibus et paganis quoque Christus praesens debet esse, Evangeliumque eius nuntiandum est ut salvi fiant.

Proinde proponimus quod explicite mentio fiat in schemate circa illam dispositionem sacerdotum ad vitam dandam pro ovibus.

[*Subscripserunt*] Román Arieta, ep. Tilarán; Felipe Santiago Benítez, ep. tit. Chersoneso di Europa; Andreas Sapelak.

2

EXC.MUS P. D. REMIGIUS IOSEPH DE ROO

Episcopus Victoriensis in Insula Vancouver

Venerabiles Patres,

...[1] Loquor nomine 133 episcoporum ex variis nationibus. Optima quidem elementa continet schema, et laudandi sunt conatus eorum qui in eo exarando diu laboraverunt.

Cum gaudio ...[2] audivimus commissionis mentem esse « ostendere quomodo missio pastoralis illuminet et in unitatem redigat tum ministerium tum vitam presbyteri ». Deficiente *enim*[3] idea centrica forti et ubertate plena, textus dynamismo careret (dynamismo dico non rhetorico sed theologico). Captivus remaneret intra visionem potius staticam sacerdotii, quae anachronica videretur in comparatione cum eventibus oecumenicis hodiernis nec ianuam aperiret sufficienter versus evolutionem dramaticam in mundo contemporaneo iam visibilem et versus exigentias exceptionales quae pro sacerdotio futuro praevidentur.

Necessarium ergo censemus ut voluntas commissionis de unitate organica in schemate ponenda, clarius in ipso textu appareat, nam ab his qui praesentem redactionem legerunt non semper percepta fuit. Et ideo, ad cooperandum in investigatione modi quo idea centrica melius praesentetur et toti schemati spiritum novum imprimat, ideas sequentes proponimus.

1. Sacerdotium ministeriale nequit plene definiri nisi in contextu sacerdotii totius Ecclesiae. Ad bonum populi Dei servitium est, sicut ab ipso ministerii nomine innuitur. Atqui sacerdotium totius Ecclesiae absolute sui generis est nec definiri potest tanquam species sacerdotii naturalis. Vocatio Israel, ipsum mysterium Iesus, immo vita commu-

nitatum christianarum nobis patefaciunt sacerdotium in hoc periodo Historiae Salutis non esse simpliciter cultuale sed missionarium et dynamicum. Usque ad Parusiam, populus Dei *missus* est in mundo ut eum ad Patrem ducat. Nonnisi per eschatologicum sacrificium gratiarum actionis, quando Christus « tradiderit regnum Deo et Patri... et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus » ...[4] sacerdotium eius in cultum perfectum complebitur. Interim Ecclesia, quae iam Deo cultum vitae suae sanctae affert, etiam munus sacerdotale homines ad Patrem ducendi humanitati salutem communicando exercet. Ecclesia etenim non est simpliciter koinônia, i. e. mysterium communionis iam effectae, sed est etiam medium salutis, omnibus hominibus — vel adhuc in ipsa sint vel non — hoc offerens quo capaces fient ut ad sacrificium aeternum gratiarum actionis pervenient. Sacerdotium ergo populi Dei dynamicum est et missionarium.

2. In ipso mysterio Christi fundatur vocatio totius populi. Sed ut populus ipse in missione fidelis inveniatur, hierarchiam (i. e. episcopos et secundi ordinis sacerdotes) Deus mittit. Munus essentiale hierarchiae in hoc sistit quod fit caput Ecclesiae missionariae peregrinantis ad Patrem, sicut sacramentum Christi Pastoris et Capitis. Nam secundum Ioannem ...[5] dixit Iesus se non solum Redemptorem per mortem suam esse, sed etiam Pastorem et Caput gregis, qui eam nutrit, defendit, sanat, confortat et ducit ad Patrem. Ipsa Pascha Christi non est solum mysterium elevationis et divinisationis humanitatis suae per virtutem Spiritus Sancti sed etiam, secundum Epistulam ad Hebraeos, introitus Christi in sanctuarium Dei « ubi praecursor pro nobis introivit... Pontifex factus in aeternum » ...[6]

3. Sub hac luce, sacerdos-minister videtur essentialiter *apostolos,* i. e. *missus* in sensu biblico verbi, i. e. ille in quo Christus ipse Pastoris vocationem prosequitur modo sacramentali. Sacerdos ergo ille est qui « praecessor est sicut ministrator » ...[7] et non in spiritu dominationis populo christiano ad Patrem ducendo praeficitur. Per ordinationem sacerdotalem ad hoc munus mandatum et gratiam specificam Deus illi dat et eum mittit. Ibi, per ipsam missionem et ministerium Capitis, Pastoris et Ducis, varia munera traditionalia uniuntur necnon alia quae urgentes necessitates Ecclesiae forsitan in lucem tradant. Nam Verbum proclamans, fidei sacramenta celebrans, cellulam ecclesialem gubernans, haec omnia fundamentaliter facit sacerdos quia Deus eum pastorem populi sui instituit.

4. Pastor ante gregem vadit ...[8], caput et dux missionis. Una cum episcopo, sacerdos providere debet ut inter se congruant officia sacer-

dotalia ordinaria et nova officia, forsan a missione requisita, pro mundo contemporaneo evolutione dramatica commoto.

Concludo. Ex idea participationis in missione Christi-Pastoris et in eius continuatione inspirari deberet descriptio sacerdotii presbyteri, qui est minister Verbi, famulus Eucharistiae, dux et servus populi Dei. Sic melius congrueret textus cum inspirata visione constitutionis dogmaticae *de Ecclesia ...*[9] et in hoc inveniret aperturam, visionem eschatologicam et dynamismum quibus sacerdotes nostros inspirandi et ducendi sunt in mundo huius temporis.

Sic melius responderet anxietatibus et aspirationibus sacerdotum qui aegre tolerare possint officia eorum quasi unice sub aspectu statico et cultuali descripta iri.

Emendationes in scriptis *iam traditae sunt.*[10] Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Schema placet iuxta modum. [2] ex ore exc.mi relatoris. [3] tali. [4] (*1 Cor.* 15, 24-28). [5] (10, 4, 6). [6] (6, 20). [7] (*Lc.* 22, 27). [8] (*Io.* 10, 4). [9] (praesertim n. 19). [10] hac in fine secretariatui tradam.

Emendationes additae:

Ad prooemium, pag. 11, lin. 16, legatur textus: « Quapropter, ut presbyterorum ministerium, in spiritu laeti servitii efficacius adimpleatur utque eorum vita aptius ordinetur "in aedificationem Corporis Christi", Sacrosancta haec Synodus, cum dilectione principia statuit a Conferentiis Episcopalibus determinanda et opportune secundum mutationes temporum readaptanda ».

Ad n. 1, antequam incipiat textus recognitus in lin. 6, pag. 12, reintroducatur ut introductio textus anterior, scil. emendatus, qui in columna priore invenitur a linn. 6-23: « Ecclesia, quae... de Iesu reddere (cf. *Apoc.* 19, 10) ».

Ad n. 1, linn. 7-8, pag. 12, textus recognitus aliqualiter mutetur ut melius respondeat sensui pleno constitutionis *de Ecclesia* (n. 18) ibi citatae: « Ad hanc missionem adimplendam, Christus Dominus, ad populum Dei suscitandum, pascendum... ».

Ad n. 1, pag. 12, post lin. 30 addatur: « Sic sacramentum fiunt Christi, signum visibile et efficax eius in Ecclesia missionis. Si enim episcopus apostolorum est successor, presbyter autem Ordinis episcopalis cooperator, presbytero quoque congruunt quae scripsit Paulus de apostolo, cui gratia data est a Deo ut sit minister (leitourgos) Christi Iesu in Gentibus; sanctificans (hierourgôn = sacerdotans) Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, sanctificata in Spiritu Sancto (*Rom.* 15, 16). Aliis verbis per Evangelii proclamationem apostolus, ergo presbyter, congregat populum Dei sanctificatum in Spiritu Sancto et sic omnes qui sunt membra illius populi, propriis recognitis charismatibus et responsabilitate (cf. constitutio dogm. *de Ecclesia,* nn. 12, 32, par. 3 et 37), capaces reddit seipsos offerendi tanquam "hostiam viventem, sanctam, Deo placentem" (*Rom.* 12, 1), sacrificium spirituale coniunctum Domini morti cuius in Dominica coena memoria cele-

bratur donec veniat (cf. *1 Cor.* 11, 26). Sic sacerdotium Christi ministrans, presbyter populum Dei congregat in adventum Domini ».

Ad n. 1, pag. 12, mutentur linn. 36-38: « ... ordinatur ut in missione et vita populi Dei in mundo diversa munera sua unitatem et finem supremum eschatologicum inveniant. Ad illud autem, quantumvis sublime... ». *Ratio* est ut clarius et fortius, et non solum in vocabulario cultuali, enuncietur sacerdotium ministeriale rationem, finalitatem, unitatem et dynamismum intra sacerdotium totius populi Dei invenire.

Dicitur in n. 2, pag. 14, linn. 28 s.: « Cum ergo praedicatio Evangelii sit praecipuum episcoporum munus, primum quoque munus presbyterorum est... praeconium salutis omnibus annuntiare ». Sed in n. 12, pag. 33, linn. 6 s. habetur: « In mysterio sanctae Missae, in qua munus suum praecipuum sacerdotes exercent... ».

Relatio de n. 2 (pag. 50) utique declarat in n. 2 agi de primarietate « in ordine executionis ». Sed explicatio ista non in textu promulgato apparebit, et ideo apparens contradictio habebitur. Ad istam tollendam, sufficeret citatio magis litteralis n. 25 constitutionis *de Ecclesia,* in n. 2 nostri schematis, et quidem: « Cum igitur inter praecipua episcoporum munera eminet praedicatio Evangelii, eminens quoque munus presbyterorum est... ».

In n. 8, pag. 25, agitur de presbyterorum cum laicis conversatione. Utpote cooperatores ordinis episcopalis, et ipsi presbyteri pastoris et patris munere funguntur relate ad populum Dei sanctum sibi commissum. Ipse populus Dei in ecclesia particulari seu in parochia congregatus, non autem laici in genere, primarium sed utique non exclusivum obiectum constituunt ministrationis sacerdotalis. Ideoque, dicatur in pag. 26, in lin. 40: « ... magni aestiment, et fraterna conversatione cum membris gregis sibi commissae de communi labore aedificationis familiae Dei tum particularis tum dioecesanae et universalis, necnon de habitudine populi Dei ad mundum coaetaneum, agant ».

[*Subscripserunt etiam*] Em.mus card. Maurice Roy; exc.mi M. Baudoux, ep. S. Boniface; P. Charbonneau; G. Coderre; G. Couturier; A. Decosse; J. Fortier; E. Frenette; W. Power; L. Audet; P. Caza; J. Hayes; E. Jetté; J. Leguerrier; A. Proulx; H. Routhier; F. Courtemanche; G. Hains; N. Labrie; N. Gallagher; J. Windle; A. Sanschagrin; P. Bueno Miele, ep. tit. Bararo; O. Motta, ep. Campanha; Vicente, ep. Crato; José, arch. Fortaleza; A. Melillo, ep. Piracicaba; J. de Souza Lima, arch. Manáus; V. Marchetti Zioni, ep. Bauru; W. Teixeira Vieira, ep. Sobral; D. Picâo, coad. Santos; Cl. Isnard, ep. Nova Friburgo; J. Lamartine Soares, ep. tit. Fussala; S. Fernandes de Araújo, ep. tit. Verinopoli; P. Koop; J. Tavora, arch. Aracajú; E. Kunz, ep. tit. Tolemaide di Fenicia; G. Warmeling, ep. Joinville; Fr. Austregesilo de Mesquita, ep. Afogados da Ingázeira; Caietanus, ep. Ilhéus; Iosephus Maurus, ep. Iguatú; Severinus Marianus, ep. Pesqueira; A. Alves, ep. Palmares; J. Thurler, ep. tit. Capitoliade; W. Battù Wichrowski, ep. tit. Felbes; V. Calheiros, aux. Rio de Janeiro; Joâo Batista, arch. Vitória; A. Fragoso, ep. Crateús; T. Vaquero, ep. Sâo Joâo do Bôa Vista; A. Hacault, aux. S. Boniface; A. Ndongmo, ep. Nkòngsamba; J. Guerra, ep. tit. Muzia; B. Ashby, ep. Christchurch; A. Gand, coad. Lille; R. Spallanzani, ep. tit. Mazaca; M. Rusnack; J. Bánk; L. Nwaezeapu, ep. Warri; G. Biard, ep. Mopti; J. Wilhelm; L. De Falco; J. Melis Fois; A. Betazzi, aux. Bologna; B. Carrasco, ep. Huejutla; L. Picachy;

E. Pironio; A. Quarracino; E. Angelelli; J. Podestà, ep. Avellaneda; J. Sauvage, ep. Annecy; L. Trapani, ep. Nicosia; E. Unterkoefler, ep. Charleston; Ch. Buswell, ep. Pueblo; V. Reed, ep. Oklahoma City et Tulsa; P. Martin, vic. ap. Nouvelle Calédonie; M. Darmancier, vic. ap. Walles et Futuna Islands; C. Padin, ep. tit. Tremitonte; W. Doyle, ep. Nelson; Vl. Malanczuk, ep. tit. Epifania di Siria; José Pedro, ep. Viseu; J. Hayes, aux. Halifax; P. Hoang, ep. Tae Jon; F. Greteman, aux. Sioux City; J. Gazza, ep. tit. Circesio; E. Costa, ep. Inhambane; A. Collini, coad. Ajaccio; H. Donze, ep. Tulle; Ferdinandus, arch. Goiânia; Ioannes, arch. Manaús; J. Medeiros Leite, ep. Oliveira; H. Pessôa Câmara, arch. Olinde et Recife; A. Mendoza Castro, ep. Abancay; R. Fourrey, ep. Belley; Cl. Dupuy, arch. Albi; M. Maziers, aux. Lyon; A. Bontems, ep. St. Jean-de-Maurienne; G. Bannwarth, ep. Soissons; J. Hermil, aux. Autun; G. Jacquot, ep. Gap; M. Rigaud, ep. Pamiers; A. Bréheret, ep. Cahors; H. Dupont, aux. Lille; A. Pailler, coad. Rouen; H. Gufflet, coad. Limoges; B. Collin, ep. Digne; C. Tourel, ep. Montpellier; E. Polge, aux. Avignon; J. de Cambourg, aux. Bourges; A. Fougerat, ep. Grenoble; A. Rousset, aux. Versailles; J. Brunon, aux. Toulouse; G. Leuliet, ep. Amiens; J. Vilnet, ep. Saint Dié; M. McGrath, ep. Santiago Veragas.

3

EXC.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CHARBONNEAU
Episcopus Hullensis

Venerabiles Patres,

Quamvis in aliquibus assertionibus novus textus ad quaestionem de relationibus inter episcopum et presbyteros attentus sit, et quamvis etiam n. 6 satis aequilibratus videatur esse, tamen mihi videtur totum textum carere luciditate et profunditate theologica in investigatione sua de specifica oboedientiae sacerdotalis natura. Volens auctoritatem episcopi in toto ambitu pastorali omnibus praeponere, non sufficienter manifestat quid sit amplitudo initiativae personalis a presbytero requisitae praecise ad hoc quod modo vere evangelico episcopi mandata realisentur. Schema in aliqua profunda visione theologica mysterii oboedientiae non radicatur. Et ideo mihi videtur necessarium sequentia notare.

1. Oboedientia sacerdotalis extra contextum suum ecclesiale et existentiale considerari nequit. Etenim, non exsistit proprie et formaliter ad individualem spiritualem perfectionem presbyteri fovendam, sed — sicut omnia mysterii sacerdotii ministerialis elementa — ad bonum obiectivum Ecclesiae perprimum ordinatur. Presbyter formaliter oboediens esse debet ad hoc ut Evangelium in conformitate cum ipso verbo divino praedicetur, et ad hoc ut vita Ecclesiae localis voluntate salvifica Dei Patris sit fidelis. Oboedientia illa essentialiter in ordine pastorali et ministeriali continetur et nullo modo cum oboedientia religiosa con-

fundi potest: sunt duae formae specifice distinctae mysterii oboedientiae christianae. Hoc non satis clare in schemate apparet.

2. Caput Ecclesiae localis est episcopus qui in consecratione sua gratiam et potentiam ad ducendum populum usque ad perfectionem recepit. Attamen, sacerdos secundi ordinis non tantum aliquem exsecutorem aut simplicem consiliarium voluntatis episcopi ex hoc dici potest. Nam ipse etiam in ordinatione sua gratiam pastoralem authenticam accipit, quae quamvis ab ipsa episcopi distincta, nihil tamen aliud est quam aliqua realis participatio charismatis episcopalis. In rituale Ordinationum Ecclesiae latinae dicitur quod presbyter recipit « Spiritus gratiae et consilii *ut adiuvet et gubernet populum* ». Haec gratia in communione cum episcopo possidetur. Etenim participatio essentialiter communionem implicat, et hoc prius quam dependentiam. Si ergo gratia episcopalis gratia pastoris et ducis est, gratia presbyteralis etiam pastoris et ducis est, quamvis modo proprio et semper in subordinatione respectu ad episcopum. Presbyter est vere, vi ordinationis suae sacramentalis, pastor et dux populi, quamvis secundi ordinis.

3. Ex hoc sequitur oboedientiam presbyteri non tantum in submissione passiva erga voluntatem episcopi consistere, sed etiam et praesertim in communione activa voluntatum episcopi presbyterique. Nam nihil aliud est illa oboedientia quam transpositio et actuatio in campo actionis concretae illius communionis ontologicae quam supra in campo essentiali gratiae exsistere deteximus. Oboedientia ergo presbyteralis sic theologice definiri oportet: est communio activa voluntatis presbyteri cum voluntate episcopi sed in dependentia.

4. Hoc realisatur per occursum duorum motuum: *a*) motus descendens ab episcopo ad presbyterum: episcopus fons est immediata mysterii sacerdotii ministerialis non tantum quia sacerdotes consecrat, aliquam participationem gratiae suae ad hoc quod collaboratores sint tradendo. Neque solummodo in campo practico ut episcopum agit quia presbyteris decisiones suas mandat ut ad exsecutionem illarum sint devoti. Munus suum etiam exigit quod spiritum quo actio illorum sacerdotalis vere et authentice pastoralis efficiatur illis det. Aliis verbis, episcopi est presbyteris suis omnia elementa essentialia quibus efficitur vera et plena vita pastoralis praebere. Pastor autem non tantum est ille qui Eucharistiam consecrat, cultum praesidet, verbum salutis annuntiat. Fundamentaliter est ille qui gregem sibi commissum antecedet ut caput et dux illius. Sed caput responsabilitatem propriam exercere debet. Ergo (ex ipsa virtute officii sui proprii) episcopus presbyteris suis hanc responsabilitatem praestare debet, ad bonum totius Ecclesiae localis cuius est Pater.

b) Motus ascendens a presbytero ad episcopum: presbyteri est in campo suo proprio ferventer et fideliter ad bonum et incrementum totius Ecclesiae localis cuius caput est episcopus adlaborare. In hoc labore seipsum considerare nequit tantummodo tanquam exsecutorem decisionum auctoritatis superioris: non esset pastor sed famulus aut functionarius. Debet cum episcopo — quamvis in loco suo hierarchico quod est secundi ordinis — munus pastorale plene participare. Auxilium quod episcopo praebet formaliter consistit in illa communione reali in omnibus quae pastorem authenticum in actu efficiunt. Ergo dici potest adiutor in quantum est vere et plene pastor communitatis ecclesialis sibi commissae. Concrete hoc significat quod, semper in dependentia reali erga episcopum et in communione fraterna cum aliis sacerdotibus eiusdem Ecclesiae localis, debet esse non tantum exsecutor sed etiam creator, non tantum consiliarius episcopi sed etiam pater semper quaerens quae grege suo necessaria videntur ad vitam evangelicam perfectam. Nam necessaria sua subordinatio erga episcopum nullo modo impedit quod agere posset cum plena responsabilitate veri pastoris. E contrario. Est in communione responsabilitatis eius propriae cum responsabilitate episcopi, et etiam in communione actionis cum omnibus presbyteris Ecclesiae localis ...[1] quod efficitur collaboratorem et adiutorem episcopi.

Et ideo peto ut magis clare affirmetur in schemate illa dimensio positiva oboedientiae sacerdotum ...[2] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (quod dicitur « pastorale d'ensemble »). [2] Nam mihi videtur quod hodie deplorandum est non tam crisis submissionis presbyterorum de qua multi auctores scripserunt, quam crisim responsabilitatis de qua etiam schema tacet.

[*Subscripserunt etiam*] Th. Roberts, ep. tit. Sugdea; J. Gay, ep. Basse-Terre; S. Mendez Arceo, ep. Cuernavaca; Ph. Collins, ep. tit. Sufetula; B. Gantin, arch. Cotonou; A. Ndongmo, ep. Nkongsamba; J. Ashby, ep. Christchurch; E. Negueira, ep. Vila Cabral; R. Spallanzani, ep. tit. Mazaca; J. Bánk; P. Koop, ep. Lins; J. Wilhelm, ep. tit. Saccea; L. De Falco, ep. Amarillo; J. Melis Fois, ep. Ampurias e Tempio; Th. Ryan, ep. Clonfort; L. Nwaezeapu, ep. Warri; M. Rusnack; A. Mendoza Castro, ep. Abancay; H. Gufflet, coad. Limoges; V. McCauley, ep. Fort Portal; A. Tarantino, ep. Arua; M. Mihayo, arch. Tabora; J. Cesana; G. Ciona, ep. tit. Bacanaria; J. de Reeper, ep. Kisumu; Th. McGettrick, ep. Ogoja; H. Spiess, abb. Peramiho; M. Maradan, ep. Port Victoria; J. Ogez, ep. Mbarara; O. McCoy, ep. Oyo; J. Whelan, ep. Owerri; G. Nkalanga, aux. Bukoba; E. Lawton; C. Davies, praef. ap. Ngong; A. Fürstenberg, ep. Abercorn; card. Maurice Roy, arch. Québec; P. Caza, coad. Valleyfield; G. Coderre, ep. St. Jean de Québec; N. La Brie; J. Ouellette, ep. Mont Laurier; J. Fortier, ep. Gaspé; G. Hain, aux. St. Hyacinthe; N. Gallagher; R. De Roo; A. Hacault; M. Baudoux; J. Zoa, arch. Yaoundé.

4

EXC.MUS P. D. IACOBUS FLORES MARTIN
Episcopus Barbastrensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine plusquam septuaginta Patrum ex pluribus nationibus [1].

Necessarium ducimus aliqua suggerere pro complendo schemate decreti *de ministerio et vita presbyterorum,* quo maiori in luce ponatur sacerdotii natura quoad esse, scil. vera participatio Unius et Aeterni Christi Sacerdotii sensu paschali intellecti, quo ostendatur ontologica necessitas et perfectae unionis cum Christo et essentialis transitus in Patrem, in sinum Ipsius Trinitatis, apud quam consedere debemus cum Christo, in qua necessitamur esse, ad quam per Sacerdotium Christi debemus accedere ut et nos in nobis renovemus quod et in Christo: « Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem ». Itaque Christus caelos penetravit, aeterna redemptione inventa et purificata conscientia peccatorum sedet ad dexteram Dei, vivens semper ad interpellandum pro nobis, sacerdos in aeternum: ex quo sacerdotio scaturit omne sacerdotium.

Moyses enim, electus a Deo ut minister testamenti prioris secundum Dei voluntatem hoc testamentum sanguine dedicavit et, secundum datam sibi legem, sacerdotium leviticum pro populo disposuit.

At hoc sacerdotium quod secundum Aaron fuit ...[2] toto suo esse imperfectum fuit ...[3].

1. Nam, primo, Veteris Testamenti sacerdotes, adhuc in lumbis Abrahae exsistentes, iam per Abraham sacerdoti Melchisedech decimati sunt ...[4] et fuerunt in suo sacerdotio sine iureiurando ...[5], mortales ...[6], necessitati quotidie offerendi ...[7], infirmi ...[8], tantum exemplari et umbrae caelestium deservientes ...[9] ministri populi infidelis et neglecti ...[10]

2. Horum sacerdotum sanctuarium fuit terrenum ...[11], huius creationis ...[12] et clausum, nondum enim erat propalata sanctorum via ...[13]

3. Horum sacerdotum munera et hostia tantum emundationem carnis afferebant ...[14]; impossibile enim erat sanguine taurorum et hircorum auferri peccata ...[15]. Tales hostias et oblationes et talia holocautomata pro peccato noluit Deus, neque placita fuerunt illi ...[16]

Sed adventa plenitudine temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus ...[17]. Quod quidem miro ordine operatus est Deus.

...[18] Primo, Dominus Iesus Christus, factus Pontifex in aeternum secundum ordinem Melchisedech, iureiurando constitutus est ...[19]; sempiternum habet sacerdotium ...[20]; unam pro peccatis tantum obtulit hostiam ...[21]; est Filius in aeternum perfectus ...[22]; est minister sanctorum et tabernaculi veri ...[23]; est minister populi habentis legem scriptam in corde ...[24]

...[25] Secundo, huius sacerdotis sanctuarium est caeleste ...[26]; non huius creationis ...[27]; et omnino apertum, nam Sacerdos magnus per velamen, i. e., per suam carnem, initiavit nobis viam novam et viventem ...[28].

...[29] Tertio, Christus per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo ...[30] et, unica ipsius oblatione, consummavit in aeternum sanctificatos ...[31], emundando conscientiam nostram ab operibus mortis ad serviendum Deo viventi.

Et ita promissio Abrahae dicta, cui Abraham credens iustificatus est, in semine eius quod est Christus, plenam realitatem obtinuit; in Christo, humanitatis sacerdote — nam non est distinctio iudaei et graeci ...[32] —, per quem humanitas redempta et iustificata est; per quem Deo reconciliata est, eius auctori et suipsius gratuito communicatori.

Haec Summi et unici Sacerdotis per velamen sui corporis in caelos penetratio, tota paschalis est. Ait Ipse in *Sancto Ioanne*[33]: « Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem » ...[34]. Transitus, hoc est Pascha, fit: descensivus et ascensivus. In hoc transitu — incarnationis, redemptionis et glorificationis — essentia sacerdotii Christi consistit. Hoc nobis ostendit sacerdotem aeternaliter coniunctum cum Deo, et ab origine (vocatio) et in mundo (labor, dolores, sacrificium, transitus, resurrectio, ...[35] et in caelos gloriosa ascensio) summa dignitate donatum, per totum suum esse divinum; « splendor gloriae et figura substantiae eius ».

Humanitate *ergo*[36] ex hominibus assumpta, Filius Dei incarnatus pro hominibus constitutus est, cum hominibus condolens, in hominum servitium *transiens;*[37] et hoc usque ad mortem, per eam offerens sacrificium proprii corporis et sanguinis pro peccatis. Hac corporis traditione, hac sanguinis effusione remissione facta, in hoc ipso sanguine et per velamentum corporis, Pontifex noster penetrat in ipsam Trinitatem, cum humanitate renovata, et illam secum inchoative ad dexteram Patris inducit, consedere facit. Hoc modo, Christi sacerdotio, via vivens ad Deum pro humanitate in aeternum patet. Spe salvi facti, cum Deo aeterno in aeternum iam sumus. Quae omnia quotidie in eucharistico sacrificio realiter commemoramus, memores tam beatae passionis, quam ab inferis resurrectionis, sed et in caelos gloriosae ascensionis Domini nostri Iesu Christi.

Iamvero: ex parte hominum quisquis ille sit ex hominibus assumptus homo qui, Dei dignatione, ordinatione sacra, hoc Christi sacerdotium participat, ante omnia, posita hac eius ontologica configuratione cum unico Christi sacerdotio, debet hanc paschalem voluntatem moriendi ad peccatum, conresuscitandi ad vitam et penetrandi in ipsam Trinitatem, et quae sursum sunt quaerendi et sapiendi, in seipso permaximo gradu fovere; et debet, ministerio suo, ante omnia hunc transitum omnibus hominibus testificare, ita ut non possit concipi nisi unum cum Deo per sanctitatem, et unitas plena sacerdotii unius per unitatem ecclesialem *afferre* [38] et sic apparet unicum Christi sacerdotium participatum.

Summus Pontifex in suo ordine, tamquam plenitudinem sacerdotii habens cum suprema et universali potestate; nos episcopi plenitudinem sacramenti Ordinis et hierarchicam communionem cum Capite et reliquis collegii membris habentes; presbyteri non habentes pontificatus apicem et sub episcoporum potestate, *immo* [39] et laici suo modo participes de munere Christi sacerdotali, prophetico et regali; omnes tenemur qui ut capitis ministri omnes ut capitis membra unitatem servare et vivere ad annuntiandas virtutes eius qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum.

Exinde ontologicum sequitur sanctitatis officium in presbytero, quod magis in participationis exigentiis quam in pastoralibus necessitatibus radicatur, et unitas ipsius sacerdotii in Ecclesia qua et ontologice unum sumus, qui unum altare constituimus.

Quae cum ita sint, si oculos convertamur ad nostrum schema *de ministerio et vita presbyterorum,* facile animadvertere possumus aliquam intensiorem sublineationem vitae pastoralis praecultualis. Quod in toto contextu generaliter apparet, et specifice in n. 1 I partis, ubi essentialia de natura et condicione presbyteratus enucleantur. De servitio ad fratres, de populo Dei pascendo et augendo, de missione apostolica ipsis concredita acutius quam de momento ascensivo, paschali, ad Deum, sui sacerdotii, loquitur.

Uno verbo, desideratur illa necessaria theologica sublineatio in presbyteratu, quae eum non tantum in sua essentiali missione ut ita dicam descensiva ad homines, eos docendo, sanctificando et regendo describit; sed etiam in sua essentiali dimensione cultuali in lucem *ponat.* [40]

... [41] Commissioni *igitur* [42] schematis *de ministerio et vita presbyterorum* humiliter ... [43] suggero *et peto,* [44] primam schematis partem complere synthetice enucleando quae ad dimensionem ascensivam, paschalem, cultualem, uno verbo, formaliter sacerdotalem presbyterorum ex ontologica Christi Summi et aeterni Sacerdotis participatione attinent: Christi, dico, qui suo sanguine in sinum Trinitatis penetravit et huma-

nitati radicalem destinationem latreuticam et amorosam, Dei misericordia, restituit. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Hebr.* 7, 11). [3] (*Hebr.* 7, 9). [4] (*Hebr.* 7, 9-10). [5] (*Hebr.* 7, 20). [6] (*Hebr.* 5, 23; 7, 8). [7] (*Hebr.* 7, 27; 10, 11). [8] (*Hebr.* 7, 28). [9] (*Hebr.* 8, 5; 10, 1). [10] (*Hebr.* 8, 9). [11] (*Hebr.* 9, 11). [12] (*Hebr.* 9, 11). [13] (*Hebr.* 9, 1. 3. 8). [14] (*Hebr.* 9, 3). [15] (*Hebr.* 10, 4). [16] (*Hebr.* 10, 8). [17] (*Gal.* 4, 4-6). [18] Nam. [19] (*Hebr.*, 7, 21). [20] (*Hebr.*, 7, 24). [21] (*Hebr.* 10, 22). [22] (*Hebr.* 7, 28). [23] (*Hebr.* 8, 2). [24] (*Hebr.* 8, 10-12). [25] Nam. [26] (*Hebr.* 4, 14). [27] (*Hebr.* 8, 2). [28] (*Hebr.* 10, 20). [29] Nam. [30] (*Hebr.* 9, 13). [31] (*Hebr.* 10, 14). [32] (omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei). [33] S. Ioannis Evangelio. [34] (*Io.* 26, 28). [35] sed. [36] deest. [37] sistens. [38] deest. [39] deest. [40] ponit. Secus, etsi omnia quae dicuntur sunt vera, non omnia quae sunt vera, et principaliter vera, dicuntur. Nec sufficit ad ea quae in constitutione *Lumen Gentium* vel in constitutione *de sacra Liturgia* dicuntur, simpliciter mittere, nam hic possunt et debent cumulative et ordinatim afferri. [41] Concludo. [42] deest. [43] et fraterne. [44] deest.

5

EXC.MUS P. D. IOACHIM SEGEDI

Episcopus tit. Gypsariensis, aux. Crisiensis

Venerabiles Patres,

Schema placet, habeo tamen quattuor animadversiones circa nn. 2, 3, 4.

1. *Ad n. 2: De praedicatione verbi divini occasione exsequiarum.* Pars essentialis nostrae fidei est Redemptio et spes vitae aeternae. Hoc saepius deberet fidelibus in mentem revocari, eo vel magis quod hodie multi fideles, quando quaeritur ab eis in quo stet esse christianum, dant diversa incompleta responsa ut v. g. observare praecepta, assistere missae die dominica, etc.

Optima occasio explicandi fidelibus essentiam christianismi sunt exsequiae. Nam hodie multi christiani diversas ob rationes non frequentant, vel valde raro frequentant ecclesiam et consequenter non audiunt annuntiationem verbi divini. Multi tamen ex his christianis veniunt ad exsequias. Pro talibus fere unica occasio audiendi verbum divinum sunt exsequiae.

Insuper propinqui defuncti, illum plorantes occasione sepulturae, egent nostra christiana consolatione, quae eis optime et efficaciter potest

praeberi per verbum Domini de resurrectione mortuorum et de vita aeterna.

Propterea propono ut in pag. 15, lin. 7, post verba: « Peculiariter tamen requiritur ab ipso ministerio sacramentorum » addantur verba: « et in funeribus ».

2. *Ad n. 3. Presbyteri Eucharistiae ministri.* Puto quod deberet plus exprimi praestantia sacerdotis in Synaxi Eucharistica. Sacerdos etenim in sua maxima activitate, in suo maximo honore est, quando cum populo Dei offert sacrificium Novi Testamenti eique praebet panem caelestem vitae aeternae. Propterea propono ut in pag. 16, lin. 10, post verba « Est ergo Eucharistica Synaxis centrum et fons vitae congregationis fidelium cui presbyter praeest », addantur sequentia verba: « fungendo sua suprema functione presbyteriali ».

3. *Ad n. 4.* 1) *Quoad aegrotos.* Aegroti saepe inveniuntur in periculo cogitandi se iam omnino inutiles esse in hoc mundo, quapropter psychice deprimuntur et patiuntur. Edocendi sunt, se non esse inutilia sed valde pretiosa membra Ecclesiae: ipsi enim portant crucem cum Christo (*Lc. cap. 9*) [1] et adimplent ea, quae desunt passionum Christi ... pro corpore eius, quod est Ecclesia (*Col., cap. I*) [2]. Per orationem et patientem supportationem suae crucis possunt esse missionarii in Ecclesia: suas orationes et suam crucem possunt pro vivis et defunctis et pro necessitatibus Ecclesiae offerre.

Possunt autem aegroti exercere et aliam, directam et activam, formam apostolatus: non solum ita, ut patienter tolerando suas infirmitates adimpleant ea quae desunt passionum Christi, sed etiam ut ipsi communicando quovis possibili modo suam resignationem in Dei voluntatem, suam patientiam, fidem, spem et caritatem cum aliis aegrotis, sic efficiantur immediati et activi apostoli aliorum aegrotantium: « aegroti per aegrotos ».

Propterea propono ut in pag. 18, lin. 21, post verba: « Maxime tandem solliciti sint aegrotantium et morientium », addantur verba: « admonendo aegrotos quomodo per suam crucem sunt coniuncti cum Christo et quomodo possunt esse valde utiles missionarii in Ecclesia per suas orationes, patientiam et conversationem piam ».

2) *Quoad efformandam communitatem christianam.* Eadem pag. 18, ubi de efformanda genuina communitate christiana sermo fit, nihil dicitur in quonam consistit ista genuina communitas et quomodo efformanda sit.

Genuina communitas christiana imprimis debet consistere in eo, ut christiani se sentiant ad invicem coniuncti tamquam fratres in Domino,

ut slogan eorum sit « Omnes sumus fratres in Domino » - « Tutti siamo fratelli ».

Propterea propono ut in pag. 18, lin. 23, post verba: « Presbyteri ad genuinam communitatem christianam efformandam fideles adducant », addantur sequentia vel similia verba: « ut fideles uniuscuiusque paroeciae se sentiant coniunctos non tantum cum suo parocho sed etiam ad invicem et cum omnibus aliis christianis tamquam fratres in Domino ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (*Lc.* 9, 23). [2] (*Col.* 1, 24).

[*Subscripserunt etiam*] J. Sye, arch. Tae gu; P. Ro, arch. Seoul; J. Choi, ep. Pusan; V. Joun, ep. Su won; P. Hoang, ep. Tae Jeon; D. Tji, ep. Won ju; Y. Ramousse, ep. tit. Pisita; J. Arnaud, vic. ap. Savannakhet; E. Youakim, ep. Zheleh; G. Bassoul, arch. Homs Melch.; J. card. Slipyj; C. Kurteff; Vl. Malanczuk; J. Bučko; G. Bukatko; J. Pogačnik; A. Lazik; R. Pobožny; C. Sipović; J. Ijjas; P. Boillon; J. Bánk; J. Martenetz, ep. tit. Soldaia; R. De Roo; A. Sapelak; J. Schmidt, vic. ap. Mendi; V. Ottaviani, ep. Alatri; Felix, ep. Tete; Cl. Elwell, aux. Cleveland; B. Nolker, ep. Paranaguá; L. Graziano, coad. San Miguel; M. McGrath, ep. Santiago de Veraguas; F. Rossi, ep. Venado Tuerto; J. Lach, ep. tit. Dodona; Fr. Kuharić, ep. tit. Meta; E. Čekada, ep. Skoplje; A. Sana, ep. Aqra; Z. Dachtou, arch. Urmya e Salmar; J. Malouf, ep. Baalbeck; E. Daddi; J. Cheikho, arch. Sehna; J. Tawil, arch. Mira; P. Achkar, arch. Laodicea di Siria; P. Etoga, ep. Mbalmayo; P. Nkou, ep. Sangmélima; Fr. Ndong, aux. Libreville; J. Khoury, arch. Tyr; St. Bello; J. Oste, ep. Jehol; J. Wolff, arch. Diego Suarez; V. Sartre; A. Tsiahoana; A. Messmer, ep. Ambanja; A. Bezmalinovic, aux. Hvar; J. Arnerić, ep. Šibenik; St. Bäuerlein, ep. Djakovo; Ph. Dies; Th. Le Huu Tu, ep. tit. Dafnuzio; M. Ngu, ep. Long-Xuyen; J. Dai, ep. tit. Sila; Y. Laudadio, ep. tit. Ala Miliaria; P. Cheng, ep. tit. Uccula; Ph. Côté, ep. Süchow; J. Cheng, ep. Kaohsiung.

6

EXC.MUS P. D. THOMAS ARTURUS CONNOLLY
Archiepiscopus Seattlensis

Venerabiles Fratres,

Textus huius decreti tam emendatus ac recognitus plus minusve placet.

Attamen, virtus oboedientiae, mihi videtur, praecipue in hac aetate, in magno discrimine poni debet. Discrimen est oboedientiae, hodie quae videtur proles esse notionis falsae libertatis et quaedam novae mentalitatis ab hoc Concilio Vaticano II generata. Sacerdotes inveniri possunt, pseudo-existentialistae, qui auctoritatem qua talem denegant. Unusquis-

que videtur esse lex sibi ipsi. Effectus talis opinionis inevitabiliter perniciosus est ...[1]

Equidem ex ipsa renovatione seu *aggiornamento* Ecclesiae oriri possunt difficultates circa hanc virtutem. Nam in rebus hodiernis tumultuosis presbyter mandato quod ad apostolatum haud conveniens ipsimet videtur, forsitan multo difficilius oboedit. His diebus quibus « quot sunt homines, tot sunt etiam sententiae » presbyteri singuli inclinantur ad propriam sententiam sequendam et quidem in rebus maximi momenti. Quam ob rem ex dilectione tam pro presbyteris quam pro Ecclesia tota, in hoc schemate plenius fusiusque tractare debemus de sacerdotali oboedientia ...[2]

Illa oboedientia, episcopo a presbytero debita, est neque quid mere iuridicum onus sacerdoti ad vires probandas a Deo impositum neque est quid mere utile ad regimen Ecclesiae; sed virtus de qua agimus, ut in schemate indicatur, provenit ex ipso officio in Ecclesia sacerdotali et intrinsece connectitur primum cum unitate Ecclesiae, secundo cum animarum sanctificatione, tertio cum sanctitate personali sacerdotis ipsius.

Et primum consideremus: Unitas Ecclesiae requirit ut sacerdos episcopo sit oboediens. Certissime unitas Ecclesiae erit perfecta solum illo die ultimo quando electi cum Deo et inter se caritate perfecta manifeste erunt coniuncti. Hoc in mundo autem manifestatio unitatis requirit ut sit visibilis illa directio a Deo collata quando posuit in Ecclesia auctoritatem visibiliter exercendam. Ut ergo unitatem illam quam Christus vult pro Ecclesia, exprimant et ostendant, christifideles cum episcopis suis se iungere debent illo solo modo possibili, nempe, unione mentis et voluntatis, quae est oboedientia. Quod verius dicendum est pro sacerdotibus qui partem cooperationis cum episcopis libere acceperunt quique sunt quasi extensio episcopi in congregationibus singulis. Ideo nisi in his congregationibus presbyter cum episcopo visibiliter vinculo oboedientiae coniungitur, ibi non est visibilis unitas, destruitur operationis unitas.

Secundo: Virtus oboedientiae est necessaria ad bonum animarum. Etenim populus Dei, i. e., Ecclesia, ut tute ad finem suum communem dirigatur, unacum episcopo iugiter omni modo agere debet. Ubi enim episcopus, ibi adest et Ecclesia, iuxta illud S. Cypriani ad Florentium: « ... si qui cum episcopo non est, in Ecclesia non esse ... ». Si igitur presbyter episcopo suo oboedire recusat, etiam propter quaecumque motiva apostolatus laudabilissima (ut putat presbyter) ipse per inoboedientiam vestem Ecclesiae inconsutilem scindit et destruit illam unitatem tam necessariam pro vero apostolatu. Quapropter ante oculos presbyterorum hoc verum clarius ponamus: quod etiamsi episcopus per errorem quemdam iudicii (et error iudicii istiusmodi non facile est prae-

sumendus) aliquid mandet, presbyter huic mandato oboediens multo melius ad salutem animarum proficiat quam si sententiam propriam prosequatur (etsi sapientior videatur). Nam quod ad tempus huic locali congregationi per inoboedientiam presbyter forte prodest, inconsulta totius Ecclesiae unitate, perfectionem regni Dei promovere non potest.

Tertio: Per oboedientiam erga episcopum magna ex parte presbyter perficit eam caritatem, eam sanctitatem quam requirit officium sacerdotale. Sanctitas presbyterorum, sicut omnium fidelium, consistit in perfecta responsione voluntatis humanae cum divina voluntate et quidem in omnibus totius vitae circumstantiis. Quoad presbyterum maxima ex parte vita eius in relationibus erga episcopum habitis consistit et cum episcopo et in episcopo, ad populum Dei. Ideo oboedientia sacerdotalis est cor centrumque voluntariae submissionis voluntati divinae quam in actibus omnibus vitae sacerdos manifestat. Ut liquet, oboedientia est cor centrumque sanctitatis sacerdotis. Et hoc maxime episcopi interest, qui est pater et pastor cooperatorum presbyterorum suorum ...[3]

Quae cum ita sint, officio meo fungens in hac sacra Synodo ex imo corde desidero et vehementer propono ut, in schemate *de ministerio et vita presbyterorum* nuncupato, plenius fusiusque tractetur de virtute oboedientiae. Hic debent revocari in mentem nostram ea quae docuerunt Summi Pontifices; lucide demonstrari debet connexio huius virtutis primum cum unitate Ecclesiae, secundo cum cura animarum, tertio cum sacerdotali sanctitate.

Videtur mihi nimis breviter in hoc schemate agi de sacerdotali oboedientia atque ex hac brevitate inferri posse oboedientiam hac nostra aetate minoris momenti quam antea aestimari. At si nunc in definiendo hanc virtutem et in amplificando veram significationem et relationes tam ad Ecclesiam quam ad membra Ecclesiae, non solum presbyteris dirigendis deerimus sed et forte locum dabimus multis valde nocivis sequelis. Ut haec omnia paucis dicam, debemus facere ut haec virtus in se et propter se fulgeat bonitate sua, et ita auxilio nostro presbyteri, cooperatores, filii, et amici nostri ante oculos habebunt, intelligent huius virtutis valorem et dignitatem atque necessitatem ad fructuosos labores in regno Dei ...[4] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] In constitutione *de Ecclesia,* Patres huiusce Concilii Oecumenici multa de natura hierarchica Ecclesiae dixerunt atque de obligationibus gravissimis episcoporum quos, docet Sacra Synodus, « ex divina institutione in locum apostolorum successisse tamquam Ecclesiae pastores ». Spiritus Sanctus his apostolorum successoribus ita confertur ut modo praeeminenti et spectabili ipsius Christi Magistri, Pastoris et Pontificis pares sustineant et eius persona agant.

Episcopus tamen ut in singulis localibus congregationibus has partes Christi sustineat, cum sit ipse totius dioecesis cura gravatus auxilio indiget eorum qui « secundi meriti munus » receperunt. Hi presbyteri, ordinis episcopalis providi cooperatores, cum episcopo fidenti et magno animo consociati, ipsum episcopum quodammodo praesentem reddunt eiusque munera et sollicitudinem in quantum possunt pro parte suscipiunt et curam animarum exercent.

Hi quoque presbyteri, participes sacerdotalis characteris atque missionis episcoporum, iuxta illud Domini ad apostolos: « Iam non dicam vos servos, vos autem dixi amicos », ab episcopis aestimari debent cooperatores, filii et amici. Hoc schema de quo nunc apud nos agitatur (*de ministerio et vita presbyterorum*) feliciter in memoriam revocat presbyteros vere esse in ministerio cooperatores atque consiliarios. Ac praeterea gaudentes notamus in textu provisiones iuxta normas legum esse constituendas quibus efficacius presbyteri episcopos in dioecesis regimine adiuvent.

Attamen ut apparet in constitutione *de Ecclesia* « Episcopi ecclesias particulares sibi commissas ut vicarii et legati Christi regunt et consiliis, suasionibus, exemplis, verum etiam auctoritate et sacra potestate... Vi huius potestatis episcopi sacrum ius et coram Domino officium habent in suos subditos leges ferendi, iudicium faciendi atque omnia quae ad cultus apostolatusque ordinem pertinent moderandi ».

Exinde presbyteri, si vere sunt cooperatores, filii et amici nostri, in imo corde obedientiae spiritum habere debent profundum. Ac merito: nam in ritu ordinationis promissio obedientiae a neo-sacerdotibus requiritur; et constitutio *de Ecclesia* suadet: « propter hanc in sacerdotio et missione participationem, presbyteri episcopum vere ut patrem suum agnoscant eique reverenter obediant ». In praesenti schemate autem (*de ministerio et vita presbyterorum*) animadvertere debemus ad paucitatem explicationis et ad brevitatem considerationis circa hanc obedientiam sacerdotalem. Quam virtutem aestimo ego non solum maxime necessariam in ministerio sed principalem in vita ipsa sacerdotis. Et ideo de huius virtutis notione, mihi videtur, hoc loco prolixius est tractandum et rationes quae ad observationem obedientiae sacerdotalis pertinent multo profundius sunt exquirendae.

Per annos episcopatus mei sex et viginti fere nunquam (gratias Deo) gravatus sum inobedientia sacerdotis. Nihilominus scio obedientiam sacerdotalem posse fieri aliquanto onerosam. Nonne omnes, ut puta, Summi Pontifices huius saeculi vicesimi quadam compulsione acti de hac virtute atque de eius necessitate disseruerunt? Hac nostra aetate sunt quidam qui in dubium vocant valorem ipsius obedientiae, itaque hoc onus magis atque magis presbyteros gravare potest, nisi, mente illuminati valorem virtutis recte intelligant atque corde moti spontanee eam accipiant. [2] Obedientia radicaliter in voluntate Divina fundata est. Obedimus quia sic vult Deus. In luce huius veritatis, vidimus rationem obedientiae nec esse dignitatem personalem, nec benevolentiam, nec sapientiam illius cui obedimus. Ratio obedientiae sane invenitur in ipso valore morali huius virtutis et, ultimatim, in conformitate voluntati Divinae. Insuper, debemus intelligere obedientiam numquam mero homini dari, sed indirecto ipsi Deo. Talis oboedientia meritoria fit in conspectu divino et mox in ardorem amoris calescit. [3] Leo Papa XIII scripsit: « Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas: pro certo habeant sacerdotale munus, nisi sub magisterio episcoporum exerceatur, neque sanctum, nec satis utile, neque honestum futurum »

(Enc. *Nobilissima Gallorum, A.S.S.,* 16, pag. 247). Benedictus Papa XV: « Res gravis est, tamen, quam non possumus praeterire silentio: nempe desiderium nostrum admonendi omnes sacerdotes, filios nostros carissimos, quam necessaria — et ad salutem suam attingendam, et ad ministerium sacerdotale fructuosum habendum — sit haec communio intima et obedientia perfecta episcopis exhibita » (Enc. *Ad Beatissimi, A.A.S.,* 6, pag. 576). Pius Papa XII clerum est hortatus: « Aetate nostra cum auctoritatis fundamento temerario ausu concutiatur, opus omnino est ut sacerdos fidei praecepta firma retinens mente, hanc eamdem auctoritatem agnoscat riteque observet, veluti necessarium non modo religiosarum ac socialium rerum tutamentum, sed suae etiam ipsius procurandae sanctitatis principium » (Apost. *Ex menti nostrae, A.A.S.,* 42, pag. 663). Ioannes Papa XXIII qui primum nos Romam in hanc sacram Synodum advocavit, haec proposuit nobis mente penitus servanda: « Sanctimoniam uniuscuiusque vitae atque apostolatus efficaciam niti et sustineri, tamquam solido fundamento, in constanti fidelique sacrae hierarchiae observantia » (Enc. *Sacerdotii nostri, A.A.S.,* 50, pag. 557). In allocutione recenti alumnis Pontificii Collegii Americae Septemtrionalis data ait noster Papa Paulus VI, nunc feliciter regnans: « Hic in seminario vita vestra regulata est certa lege vivendi et disciplina... bene cognoscimus illum spiritum iuventutis, aliquantulum effrenatum, nonnumquam contra stimulum auctoritatis calcitrare. Debetis, tamen, memoria tenere, obedientiam virtutem magni momenti et valde necessariam esse in omni societate bene ordinata. Sine obedientia, chaos regnet. Talis spiritus quamdam continuitatem et unitatem actionis creat, quae ita necessaria sit ad conatus apostolicos feliciter consequendos ». Quae ab illis Summis Pontificibus doctus sum, docuit me et experientia nempe, oboedientiam sacerdotalem esse fundamentum et condicionem necessariam ad sacerdotalem sanctitatem. [4] Hoc modo totaliter cum illo Summo Pontifice Ioanne venerabilis memoriae consentiemus dicente: « Iamvero, huiusmodi integerrimae oboedientiae formam clericorum ordini in exemplum proponimus, fore omnino confisi, ut iidem huius virtutis vim pulchritudinemque satius percipientes, in eam acriore studio inardescant » (Enc. *Sacerdotii nostri, A.A.S.,* 50, pag. 557).

[*Subscripserunt etiam*] H. Donohoe; J. Scanlan; Th. Gorman; Alden Bell; M. Guilfoyle; R. Dwyer; P. Hallinan; G. Rehring; S. Metzger; F. Sheen; Cl. Elwell; J. Hogan; V. Hines; W. Coggin; J. Hastrich; J. Durick; J. Federal; J. McGeough; Leo Dworschak; St. Leven; Th. Reilly; Ch. Greco, ep. Alexandria; J. Marling; E. McCarthy; W. Connare; C. Vogel; L. Gleen; R. Ackerman; L. Pursley; A. Grutka; J. Brunini; G. McDevitt; J. Casey, ep. Lincoln; J. Pernicone; J. Whealon; R. McVinney; M. Forst; F. Schenk; R. Hayer, ep. Davenport; M. Stanton; J. Costello; B. Flanagan; J. Hackett; Th. Donnellan; Ch. Buswell; V. Reed; Ch. Maloney; J. McCormick; R. Tracy; Gl. Flavin; H. Clinch; H. Newell; D. Maloney; A. Wycislo; A. Marx; J. Connolly; J. Hodges; A. Watson; J. Daley; J. Comber; J. Dougherty; Th. McDonough; J. Hurley; Fr. Green; W. Boudreaux; L. Maher; L. De Falco; J. Malone; Fr. Greteman; J. Watters; J. Byrne; E. Harper; L. Casey; L. Binz, arch. S. Pauli; A. Fletcher; J. McGucken; F. Furey; E. Unterkoefler; J. Grellinger.

Moderator: Animadvertant Patres sequentem oratorem esse ultimum. Alii Patres, quorum nomina indicabantur initio congregationis, loquentur crastina die.

7

EXC.MUS P. D. IOSEPH M. GARCIA LAHIGUERRA
Episcopus Huelvensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine 194 Patrum conciliarium, *e quibus quinque sunt em.mi cardinales* [1].

Quamvis labor commissionis in redigendo schemate sincere laudandus sit, iure non pauca, hac in aula, ei obiecta sunt. Quibus ego aliquid « de subsidiis ad vitam interiorem fovendam » addere opportunum puto.

Et quidem, memor responsabilitatis episcoporum in Codice Iuris Canonici assertae circa seminarium ...[2], et circa vitam spiritualem clericorum ...[3], necessarium duco in nostro schemate ipsam responsabilitatem episcoporum urgeri in subsidiis ad vitam interiorem sacerdotum eis procurandis.

Iure asseritur in schemate presbyteros, propter arctiorem cum Christo Sacerdote coniunctionem — ratione Ordinis sacramentalis — peculiari titulo ad sanctitatem adstringi ...[4]. Cum vero pariter schema loquatur de periculis, quae in inceptis muneris eorum ...[5] presbyteris obvenire possunt, patet non sufficere, eis proponere ideale vitae sacerdotalis atque consilia evangelica sedulo fovenda, nisi nostris sacerdotibus illa subsidia ad vitae sanctitatem obtinendam ipsi episcopi convenienter procuremus. Bonum quidem est, sacerdotum in memoriam revocare necessitatem divinae lectionis, quotidianae orationis mentalis, conscientiae discussionis ac recessus spiritualis, aliorumque huiusmodi ...[6]. Sed praecise ipsa cum mundo conversatio ad colloquium cum illo instituendum necessaria, solitudo in qua saepe sacerdotes inveniuntur, difficultates et aerumnae in ministeriis exercendis, cordis exigentiae praesertim in primis sacerdotii annis, facile eos a praxi vitae interioris avertere possunt. Utique merito dicitur in schemate ipsum exercitium munerum sacerdotalium requirere et stimulare sanctitatem sacerdotum propriam potensque esse presbyteros ad illam efformare ...[7] Requirit certe, stimulat et potest efformare ad sanctitatem; attamen sanctitatem de facto non procurat, nisi debitis cum conditionibus exerceatur, et eo magis est fons sanctificationis, quo magis sacerdos est Christo configuratus, quo magis Ipsi Summo Sacerdoti ardenti caritate et vitae imitatione coniungitur atque cum Ipso Bono Pastore animam suam pro ovibus ponit.

Hinc merito extolluntur et exigentia sanctitatis ratione ordinis munerumque sacerdotalium et obligatio presbyterorum ad subsidia vitae

interioris rite adhibenda, et non minore studio episcopis imponatur obligatio haec subsidia sacerdotibus sedulo procuranda.

Ex his subsidiis, et quidem tamquam medium ad cetera non negligenda, maximi momenti est directio spiritualis, cuius saepe difficulter copiam habent sacerdotes. Inde episcopi, sive singuli in sua dioecesi sive plures in regione coniuncti, procurare debent coetum sacerdotum constituere, qui, orationi et studio plene dediti, ut apostolatum specificum habeant directionem spiritualem sacerdotum; qui nempe urbes, regiones et etiam vicos percurrentes, confratres adiuvent, praesertim in diebus recessus vel etiam in Exercitiis Spiritualibus, ita ut facilitatem etiam sacerdotes habeant pro personali directione spirituali obtinenda.

De Exercitiis Spiritualibus etiam verbum addam; et quidem illa puto quoque enumeranda esse inter subsidia vitae spiritualis, de quibus schema loquitur; et ita quidem ut nostram responsabilitatem in eis procurandis, tamquam episcopi, asseramus.

Historia quattuor saeculorum proxime elapsorum evidenter ostendit inter media efficacissima personalis sanctificationis, quae Ecclesia possidet, Exercitia Spiritualia, bene peracta sub apta directione, recenseri. S. Carolus Borromaeus et S. Vincentius a Paulo insignes fuerunt cleri reformatores per Spiritualia Exercitia. Immo vero ipse S. Carolus Borromaeus « asceterium » fundavit pro sanctificatione suorum sacerdotum, quod prima domus Exercitiorum, cuius existentiae permanserit notitia, dicendum est.

Ab aliquibus iam saeculis, Ecclesia Exercitia Spiritualia constanter commendavit tamquam medium efficax pro sanctificatione sacerdotum: sic a Litteris Encyclicis *Inter gravissimas* Clementis XI ...[8] usque ad canones ...[9] Codicis Iuris Canonici; atque pari modo locuti sunt omnes Romani Pontifices recentiores usque ad Paulum VI feliciter regnantem.

Cum hodie non desint qui quidquid antiquum est, antiquatum considerent, grave habetur periculum (et sunt qui illud incurrerint) considerandi Exercitia Spiritualia tamquam superata et deserenda; quod falsissimum est, cum Exercitia Spiritualia primario intendant ipsum mysterium Christi et historiam salutis, modo existentiali et vitali, penetrare, quo ipsa vita liturgica vivificari poterit.

Si hac occasione et in his circumstantiis Concilium textum nobis offerat in quo, dum sermo est de mediis pro sanctificatione sacerdotum, nulla fiat mentio expressa illius quod tamquam maximi momenti pro sanctificatione sacerdotum per quattuor saecula tenuit et tenet Ecclesia, hanc omissionem posset quis interpretari ac si authentica Exercitia Spiritualia valorem amisissent aut superata iam essent. Tunc timendum

esset, ne consequentia practica sit derelictio huius excellentis medii et grave detrimentum pro sanctificatione nostrorum sacerdotum.

Iam [10] vero characteristicum est hoc nostro tempore florentissima diffusio Exercitiorum Spiritualium, quae sunt hodie Ecclesiae universalis commune patrimonium. Per integrum mensem Exercitia a plurimis Institutis religiosis peraguntur tamquam efficacissimum medium pro formatione membrorum suorum. In multis dioecesibus *enim* [11] frequenter integrum mensem in Exercitiis Spiritualibus peragendis sive sacerdotes sive seminaristae impendunt.

Ergo directionem spiritualem et Exercitia Spiritualia enumeranda esse oportet in schemate — mihi videtur et humiliter rogo — inter subsidia sanctificationis sacerdotalis.[12] Modum, quo propositiones meae possent in textu enuntiari, in scriptis commissioni modeste suggero.

Tandem, ...[13] liceat mihi huius Concilii monumentum liturgicum proponere: festum scil. universale Iesu Christi Summi et Aeterni Sacerdotis, quo festo nempe Christus Sacerdos, ut fons totius vitae supernaturalis, agnoscatur atque nostra Ipsius Sacerdotii participatio (sive episcopi simus sive presbyteri) efficacius in dies evadat instrumentum huius vitae supernaturalis Populo Dei communicandae. Ita ut Christus Sacerdos ostendatur et Magister et fons nostrae sanctitatis sacerdotalis, ac simul sanctificationis et salvationis totius mundi ...[14] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (can. 1354, 1357, 1358 ss.). [3] (can. 125 s.). [4] (n. 11). [5] (n. 11). [6] (n. 15). [7] (n. 12). [8] (a. 1710). [9] 126 et 1001. [10] Immo. [11] deest. [12] Per illa non intenditur sanctitatem monasticam sacerdotibus praebere, nam Exercitia sunt quasi forma capax informandi omnia vivendi genera, quibus sancte in Ecclesia vivimus, quia haec exercitia essentiam Evangelii nobis efficaciter transmittunt modo accommodato omnibus statibus in Ecclesia exsistentibus. Ipsa docent sancte vivere in qualibet forma quam Dominus eligendam cuique designaverit. [13] extra hoc punctum de subsidiis vitae interioris. [14] Humiliter rogo ut haec suggerentia mittatur ad Consilium ad exsequendam constitutionem *de sacra Liturgia.* Nos vero episcopi, respicientes ad nostros carissimos presbyteros, nostri divini Magistri verba dicamus: « Pater sancte, ego pro eis rogo, quia tui sunt. Et pro eis sanctifico meipsum ut sint et ipsi sanctificati in veritate ». Et simul episcopi et presbyteri conclamemus: « Pater, ut nos omnes unum simus, ut mundus huius temporis credat in Te et quem misisti Iesum Christum ». Sic fiat per intercessionem B. Mariae Virginis Matris Ecclesiae et Summi et Aeterni Sacerdotis ideoque Reginae Apostolorum.

Animadversiones additae:

In n. 15, pag. 39, linn. 10 s., ubi dicitur « recessus spiritualis », dicatur: « recessus spiritualis, praesertim ope Exercitiorum Spiritualium ». (Propter rationes stylisticas in linn. 9 s., loco « exercitium orationis mentalis », dicatur « oratio mentalis »).

Ibidem, lin. 7, ante verba « lectio divina » dicatur: « directio spiritualis (ad quam episcopi curent sacerdotes vere peritos destinare) ».

Ibidem, post lin. 30, addatur: « Memores sint episcopi gravis obligationis, qua tenentur haec media sanctificationis inter suos presbyteros fovere atque eis, modo efficaci, procurare ».

[*Subscripserunt etiam*] A. Hornedo, praef. ap. San Francisco Javier; E. Hinojosa, ep. Piura; Th. Moreno, ep. Huaraz; N. Rivera, ep. tit. Diospoli superiore; J. Almici, ep. Alessandria; H. Véniat, ep. Fort Archambault; N. Laudadio, ep. tit. Ala Miliaria; D. Hoang van Doan, ep. Qui Nhon; J. Cheng, ep. Kaohsiung; Ph. Côté, ep. Süchow; M. Ngu, ep. Long Xuyen; V. Kennally, vic. ap. Caroline Islands; A. Muñoz, arch. Nueva Pamplona; J. López, arch. Cartagena; M. Builes, ep. S. Rosa de Osos; B. Alvarez, ep. Pereira; H. Rueda, ep. Bacaramanga; J. Franco Arango, ep. Duitama; A. Rubio Diaz, ep. Sonsón; B. Arango, ep. Barranca Bermeja; A. Duque Villegas, arch. Manizales; P. Rivera Mejía, ep. Socorro y San Gil; J. Giraldo, ep. Pasto; J. Pimiento, ep. Garzón-Nieva; V. Roig y Villalba, vic. ap. Valledupar; M. Solà, ep. tit. Colofone; J. Coronado, praef. ap. Ariari; Pl. Crous, vic. ap. Sibundoy; R. Zambrano, ep. Facatitivá; E. Marengo, ep. Azul; Ioseph card. Garibi, arch. Guadalajara; J. Padilla Lozano, ep. Vera Cruz; Salvador, vic. ap. Tarahumara; A. Lopes, arch. Durango; L. Mena, arch. tit. Siniti.

Secretarius generalis: Venerabiles Patres, duo habeo communicanda. Ad nostram secretariam perveniunt his diebus petitiones ut possit participari ad sessionem publicam — non loquor de Patribus vel de iis qui in Concilio partem habent, sed de aliis personis. Iamvero id ad nos minime spectat. Licentiae conceduntur a Praefectura Palatii Apostolici, nempe a « Maggiordomato ». Oportet igitur ut petitiones porrigantur huic officio, non ad nostram secretariam.

Aliud adhuc! Initio huius congregationis, dixi suffragationes circa schema *de libertate religiosa* crastina factum iri per *placet, non placet* et *placet iuxta modum;* hoc verum est; attamen fit sicut mos est, scil. circa singulas partes fit suffragatio per *placet* et *non placet;* deinde, quoad partes summatim sumptas — hic desunt capita, Patres venerabiles — quoad partes summatim sumptas fit suffragatio per triplicem formulam. Ceterum bene explicatur res in libello qui est distributus, in pag. 83, ubi omnes suffragationes rite determinantur quoad numeros; nam, uti dixi, capita non habentur, vel est tantum bipartitio in hoc schemate, sed non sunt capita vera et propria. Sufficit videre pag. 83, ita ut bene quis possit se praeparare ad suffragationes crastina faciendas. Gratias.

Moderator: Proxima congregatio erit crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. Eugenius card. Tisserant: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CLIII

26 octobris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLIII

26 octobris 1965

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, ep. tit. Prienensis, aux. Parisiensis, *Ss. Concilii subsecretarius*:

Missa dicitur de Spiritu Sancto. Cantus proprii: nn. 31 ss. Oratio fidelium: n. 89.

Evangelium inthronizat exc.mus D. Ioseph Mueller, ep. Siopolitanus (Sioux City) in Statibus Foederatis Americae.

Hodie quinque Patres concelebrant: exc.mi DD. Victor De Zanche, ep. Concordiensis in Italia; Carolus Gavinales Chamorro, ep. Portus Veteris in Aequatore; Nicholas Grimley, vic. ap. Capitis Palmensis in Liberia; Benedictus Gassongo, aux. Arcis Rousset (Fort-Rousset) in Congo Brazzaville; rev.mus P. Sighardus Kleiner, abb. gen. S. Ord. Cisterciensis.

Patres venerabiles, duo concelebrantes 50 sacerdotii annum paucis diebus compleverunt [*Plausus*]. Cum eis, gratias agamus Christo Summo Sacerdoti et Deum precemur pro ministerio et vita omnium presbyterorum.

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 153 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Prosequetur disceptatio nomine septuaginta quoad schema *de ministerio et vita presbyterorum;* et incipient suffragationes schematis declarationis *de libertate religiosa.* Interea audiemus, uti dixi, reliquos Patres qui verbo uti petierunt nomine septuaginta. Nomina legi heri; non repeto, nam sunt ultima.

In hac congregatione distribuetur vobis, Patres venerabiles, Intimatio, quam heri legi, et duo reliqui fasciculi continentes: primus, decretum *de institutione sacerdotali,* alter vero, declarationem *de educatione christiana,* de quo decreto et de qua declaratione una simul cum tribus heri distributis agetur in sessione publica diei 28 octobris huius anni.

Ergo incipiamus suffragationes. Proponentur uti propositae sunt a

secretariatu competenti et prostant in pag. 83 fasciculi, nempe in ultima pagina ante indicem.

Schema declarationis *de libertate religiosa* (videatis pag. 3 in latere dextro): *de iure personae et communitatum ad libertatem socialem et civilem in re religiosa.* Suffragatio est 407 [*cf. pag. 77, n. 1*] Patres venerabiles, *placet* textus an *non placet?* Duplex tantum formula: *placet* et *non placet.*

Moderator: Progrediantur disceptationes *De ministerio et vita presbyterorum.*

PATRUM ORATIONES

(*De ministerio et vita presbyterorum*)

1

Exc.mus P. D. BRIAN FOLEY
Episcopus Lancastrensis

Venerabiles Patres,

Pauca volo dicere sed, ut mihi videtur, res alicuius momenti.

A. Imprimis breviter de II parte schematis, scil. *de vita presbyteri.* Unum tantum inserere volo quod respicit vestitum presbyteri. In diversis regionibus presbyteri iuxta mores locales diversimode vestiuntur. Sed omnino videtur necesse ut in unaquaque regione vestitus presbyteri sit distinctivus et a synodis localibus vel conferentiis episcopalibus stricte praescriptus et a clero acceptus. Secus oritur dedecus statui clericali et confusio et scandalum fidelibus.

B. Quod refert ad aliam partem schematis, scil. *ad ministerium presbyteri,* etsi haec pars multa habet quae pulcherrima sunt, nihilominus incompleta et insufficiens videtur sub uno gravi respectu. Nam, loquendo de ministerio sacerdotali, paucissima et tantum generaliora dicit de apostolatu et de evangelizatione. Immo loquitur ac si ministerium solum in administratione sacramentorum et in offerendo sacrificio missae et in praedicatione consisteret. Hic gravis defectus in se est, sed eo vel magis gravis quod ob defectum temporis neque in Primo neque in Secundo Concilio Vaticano ex professo de hac re ...[1] actum est. Concilium Tridentinum e contra in tribus longis sessionibus (sessione XX, XXI et XXIV) tractavit de apostolatu presbyteri et leges de cura animarum decrevit. Verum est in schemate *de pastorali munere episcoporum* et

hic in n. 3 brevis mentio fit de hac re, sed *paucum* [2] vere utile et dignum dictum est de obligatione *presbyteri* [3] ad apostolatum et de modis eam adimplendi. Dolendum est proprium et separatum schema *de cura animarum* sublatum esse et ne quidem declarationem vel Litteram aliquam substitutam esse. Timeo ne reformationes liturgicae et aliae ab hoc Concilio introductae fiant *vanae et* [4] irritae nisi in hoc ultimo schemate, ubi convenienter includi possit, aliquod specificum de apostolatu sacerdotis dicatur. Propono igitur sequentia:

1. Ut clare indicatur in hac parte de ministerio presbyteri praestantissimam partem talis ministerii esse curam animarum per contactum personalem exercendam. Nam, ut quaerit S. Paulus: « Quomodo credunt nisi evangelizantur? »

2. Propono ut inserantur in hac parte de ministerio presbyteri textus quidam praeclariores ex Sacris Scripturis quae illustrant curam animarum, tales textus quales sunt, e. g., sequentes: « Diligenter agnoscere vultum pecoris tui et considera super greges tuos » ...[5]; vel verba Domini Nostri: « Ite ad oves quae perierunt domus Israël » ...[6]; « Bonus pastor oves suas cognoscit et vocat eas nominatim » ...[7]; vel, ex Actibus Apostolorum: « Per triennium die ac nocte non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum » ...[8]

3. Propono ut aliquid citetur ex scriptis classicis de apostolatu presbyteri, e. g. ex libro S. Gregorii Magni *Regula Pastoralis,* quae tamquam fons semper habebatur in hac re. Citetur etiam aliquid ex scriptis S. Caroli Borromaei, et ex decretis Synodi Tridentinae, ex scriptis S. Ioseph Hoffman, Apostoli Urbis Viennensis, ex litteris S. Alphonsi de Liguori directis ad clerum neapolitanum ad quos scripsit — et cito eius verba — « ... cura animarum res omnium est gravissime necessaria » ...[9]

4. Propono ut aliquid dicatur specifice de difficultatibus in apostolatu exercendo et earum remediis in magnis urbibus quae constituunt phaenomenon in aliquo sensu proprie novum huius ultimi saeculi elapsi. Sunt nationes in quibus nunc plus quam tres e quattuor partibus civium vivunt in ingentibus urbibus. Hoc sane maximi momenti est pro cura animarum. Semper agnitum fuit exercere apostolatum in magnis civitatibus difficillimum esse. Anno 1565, S. Carolus Borromaeus suum primum Concilium Provinciale Milanense instituit, ut ipse testatur, praecise ut remedia invenirentur difficultatibus ortis suo clero in illa magna civitate. Omnes norunt illud famosum Capitulum in eius decretis quod intitulatur: « De Visitatione Pastorali », in quo statuit — et cito verba: « ... visitatio (presbyteri de domo in domum) est praecipua et ad salutem omnino necessaria (praxis) ... parochus librum habeat in quo no-

mina et cognomina fidelium ... describat ». Et alia multa, scil. de residentia presbyteri in medio fidelium, de extentu paroeciae, de numero apto fidelium, de eorum contactu, iste S. Carolus, sequens Concilium Tridentinum, statuit. Si iste Sanctus et istud Concilium illis diebus necessarium reputabant talia proferre de cura animarum in districtibus urbanis quanto plus nobis incumbit invenire et commendare remedia et adiumenta nostris presbyteris in hodiernis et difficilioribus condicionibus *viventibus*.[10]

5 et ultimo. Propono ut, si in hoc schemate non potest inveniri locus loquendi de cura animarum, aliqua declaratio ...[11] mittatur ad clerum e Concilio ita ut aliquomodo suppleretur defectus separatae et propriae constitutionis in hac re. Talis declaratio continere deberet brevem analysim hodiernarum conditionum una cum quibusdam adiutoriis ad instar illarum legum tridentinarum sed magis nostrae aetati adaptatis. In hunc finem quasdam suggestiones secretariatui tradam ...[12]

Concludo: Concilium iam nunc finem suum attingit. Labor concluditur. Magnae reformationes effectae sunt. Humillime sed enixe et ex corde rogo ut non praetereatur haec ultima occasio includendi illam materiam, nempe curam animarum, sine qua aliae reformationes vanae fient. Rogo ut ex hoc Concilio, sive in hoc ultimo schemate sive per separatam declarationem, mittatur ad nostrum clerum ubique terrarum aliquam exhortationem, aliquod consilium et adiumentum quod eis veram inspirationem det, ita ut eant cum fiducia quaerendo oves quae perierunt et fructus plures afferant *et* [13] in fine sibi appropriare possint verba Domini nostri: « Quos mihi dedisti nemo ex eis periit ...[14] ». Dixi.

In textu scripto tradita: [1] tam gravi. [2] nihil. [3] deest. [4] deest. [5] (*Prov.* 27, 23). [6] (*Mt.* 10, 6). [7] (*Io.* 10, 33). [8] (*Act.* 20, 31). [9] Citetur etiam *Exhortatio ad clerum* S. Pii X vel alia similia. [10] militantibus. [11] vel litterae vel directorium. [12] Venerabiles Patres, parcite mihi si unam finalem observationem facio. Plus quam semel in hac aula audivimus Ecclesiam classem operariorum perdidisse propter quandam suppositam incompatibilitatem inter modernas condiciones industriales et traditionalem apostolatum. Sed nulla est incompatibilitas. Nos hic adsumus ut testimonium de fide et re morali in nostris regionibus afferamus. Permittatis mihi igitur dicere non esse verum in nostra natione Ecclesiam catholicam perdidisse classes operariorum; immo saepe vocatur, propter ingentes multitudines qui audiunt Missam « Ecclesiam Operariorum ». Et hoc dicere audeo — solum ad dandum exemplum, Patres venerabiles — apud Londinium abhinc 65 annis studium quoddam sociologicum monstravit catholicos londinenses non numerare plus quam 4% populationis. Hodie vero numerus putatur esse plus quam 15% et fortasse etiam plus. Ratio talis incrementi in numero fidelium londinensium — et idem dicendum est de aliis civitatibus in Anglia — non est petenda solum ex immi-

gratione, sed in eo quod a. 1858 Synodus Westmonasteriensis, utendo verbis tridentinis, statuit — et cito verba — « Sacerdotes totam percurrentes suae sollicitudinis regionem regulariter visitent (omnes fideles) ». Et iussit libros speciales imprimi in quibus registrationem visitationum pastoralium describi possent. Incrementum in numero fidelium apud nos petendum est, saltem ex magna parte, ex eo quod presbyteri fideliter haec mandata Synodi impleverunt. Contactus personalis inter presbyterum et fideles est condicio sine qua non omnis apostolatus et omnis curae animarum. Ubi sacerdos intrat, exit infidelitas. [13] donec. [14] nisi filius perditionis.

[*Subscripserunt etiam*] G. Proni, ep. Termoli; R. Pailloux, ep. Fort Rosebery; J. Houlihan, ep. Eldoret; J. Hagan, ep. Makurdi; H. Winkelmolen, praef. ap. Samé; N. Agnozzi, aux. Ndola; A. Kozlowiecki, arch. Lusaka; W. Kupfer, ep. Taichung; W. Wheeler, ep. tit. Teudali; C. de Wit, prael. San José de Antique; B. Pearson, ep. tit. Sinda; J. Gleeson, arch. tit. Aurusuliana; A. Grant, ep. tit. Alinde; C. Davies, praef. ap. Ngong; E. Lawton; J. de Reeper, ep. Kisumu; J. Corboy, ep. Monze; V. McCauley, ep. Fort Portal; Th. McGettrick, ep. Ogoja; E. Fitzgibbon, praef. ap. Minna; S. Mazzoldi, ep. Moroto; J. Cesana, ep. Gulu; D. Durning, ep. Arusha; H. van Elswijk, ep. Morogoro; Cl. Chabukasansha, ep. Kasama; M. Mihayo, arch. Tabora; J. Ogez, ep. Mbarara; J. Whelan, ep. Owerri; J. Aggey, arch. Lagos; J. Kilasara, ep. Moshi; A. Fürstenberg, ep. Abercorn; J. Jobidon, ep. Mzuzu, J. Fady; V. Billington, ep. tit. Fallaba; N. Hettinga, ep. Rawalpindi; C. de Wit, prael. S. José de Antique; J. Ireland, praef. ap. Falkland Islands; G. Mahon MHM; A. Galvin, vic. ap. Miri; F. Hall; E. Grasar, ep. Shrewsbury; C. Restieaux, ep. Plymouth; G. Tickle, vic. castr. Gran Bretagna; D. Cashman, ep. Arunde Brighton; G. Beck, arch. Liverpool; Th. Pearson, ep. tit. Sinda; J, Rudderham, ep. Clifton; J. Murphy, arch. Cardiff; C. Cowderoy, arch. Southwark; G. Dwyer, arch. Birmingham; E. Ellis, ep. Nottingham; Th. Holland, ep. Salford; L. Parker, ep. Northampton; B. Wall, ep. Brentwood; J. Cunningham, ep. Hexham and Newcastle; J. Cleary, ep. tit. Cresima; A. Hornyak, ep. tit. Ermontis; V. Foley, ep. tit. Petinesso; G. Craven, ep. tit. Sebastopoli di Armenia; G. Brunner, ep. Middlesbrough; J. Petit, ep. Menevia; J. Healy, ep. Gibraltar.

Secretarius generalis: Suffragatio 408. Videatis pag. 4 [*cf. pag. 78-81, nn. 2-3*]: *Libertatis religiosae ratio generalis*. Patres venerabiles, *placet* hic textus, an *non placet?* Duplex tantum formula.

2

EXC.MUS P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis, episcopus Squillacensis

Venerabiles Patres,

1. Schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum* mihi valde placet in nova redactione — seu in textu recognito — cum, servata proportione partium et nova materiae amplioris propositione, respondeat

fini intento a Concilio: ut in lucem ponatur momentum ministerii presbyterorum et ut iisdem maiora auxilia praebeantur. Et ita fiduciam habeo textum Concilii futurum esse veluti optimum « vade mecum » cuiuscumque presbyteri in ordine ad vitam sacerdotalem vitaeque sanctitatem personaliter fovendam et in Ecclesiam transfundendam.

2. Unam tantum quaestionem seu animadversionem ponere mihi fas sit, ad complementum eorum quae in decreto continentur.

Nullibi in decreto — ni fallor — sermo fit, vel indicatio datur, de munere presbyteri in ordine ad administrationem sacramenti Poenitentiae.

Omnes enim sciunt potestatem, quae per ordinationem sacerdotalem confertur, esse circa Corpus Christi *reale* in Eucharistia et circa corpus Christi *mysticum,* seu erga fideles: cuius praecipua pars — tamquam officium proprium presbyteri — est *in potestate remittendi et retinendi peccata* — de qua in ipsa Ordinatione expressa mentio fit in tertia manuum impositione episcopi ordinantis supra caput uniuscuiusque presbyteri. Extollitur in decreto, et quidem optime, ministerium presbyteri in conficienda Eucharistia, pluribus quidem locis; sed omnes pariter scimus neminem accedere posse ad participationem sacramentalem mensae Domini, nisi sit liber a peccato mortali: quod quidem obtineri non potest nisi per absolutionem sacramentalem.

Omnibus aliis rationibus et explicationibus in hac re praetermissis — cum scientibus legem loquar ... — quae sequuntur propono:

1) Loco opportuniore, v. g. in n. 3, extollatur potestas remittendi et retinendi peccata qua gaudent presbyteri vi sacrae Ordinationis, quaeque — iurisdictione ab Ecclesia collata — in actum deducitur ad maximum bonum animarum.

2) Animum adiiciamus omnibus confessariis in hoc munere vere divino, quod est maximae misericordiae Dei signum, ut ab omnibus fideliter atque omni adhibita diligentia exerceatur, minime obstantibus et continuo labore, et defatigatione, et studio et responsabilitate quae inest sacerdoti fratres suos iudicanti nomine et auctoritate Christi Iudicis.

3) In n. 5, pag. 19 et 20, commendetur presbyteris continuum studium Theologiae moralis, asceticae et mysticae, cum omnibus aliis disciplinis connexis, praesertim psychologicis, quae confessarium reddere possunt non simplicem « absolutionum distributorem », sed revera Patrem, Doctorem, Medicum et Iudicem animarum.

4) Publica laus deferatur illis qui curam peculiarem adhibent in moderandis spiritualiter praesertim presbyteris, religiosis et tot fidelibus

qui in mundo ad perfectionem tendunt: ad exemplum Pii XII, felicis recordationis, qui in Litteris *Menti Nostrae* effuso animo hoc fecit.

In pag. 37, n. 14, lin. 18, inter media ad perfectam continentiam servandam enumeratur: « fiducia in spirituali consiliario posita ». Locus ille videtur opportunus ut de necessitate Moderatoris spiritus et *de frequenti confessione* sacerdotis mentio fiat. Ad vitam enim sacerdotalem sancte pieque ducendam, etiam inter tot difficultates et pericula mundi hodierni, iuxta verbum Domini in horto, in duobus elementis insistendum est: videlicet: « vigilate et orate ». Quod vigilantiam spectat haec sunt necessaria: 1. examen conscientiae: quotidie; 2. confessio sacramentalis: frequenter, quavis hebdomada vel saltem ad quindecim dies; 3. recessus mensilis vel fere mensilis; 4. exercitia spiritualia, quotannis, vel, *uti est in actuali disciplina,*[1] saltem tertio quoque anno.

Ita presbyteris omnibus, etiam voce huius Sacrosancti Concilii, offerentur et magno vigore inculcabuntur media ad perseverantiam in vita sacerdotali iuxta voluntatem Domini, memores *etiam*[2] verborum S. Thomae qui sensu generali, *ubi de perseverantia*[3] agit, dicit: « multis datur gratia, quibus non datur perseverare in gratia » — nisi, *ut evidens est,*[4] media necessaria adhibeantur, et quidem perseveranter ex parte hominis. Dixi. Gratias *etiam exc.mis qui suam subsignationem posuerunt ad hoc ut ego possim loqui huic venerabili consessui.*[5]

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest.

[*Subsignaverunt etiam*] J. Barbetta, ep. tit. Faran; M. Casariego, arch. Guatemala; P. Perantoni, arch. Lanciano; C. Canzonieri, ep. Caltagirone; P. Palazzini, arch. tit. Cesarea di Cappadocea; E. Cueter, ep. tit. Taua; José Pedro, ep. Caetité; G. Bueno Couto, ep. tit. Leuce; G. Reis, ep. Leopoldina; F. Zayek, ep. tit. Callinico; M. Lisboa, ep. Nazaré; J. Alves Trindade, ep. Montes Claros; G. Casullo, ep. tit. Utica; G. Carata, ep. tit. Presidio; E. Biancheri, ep. Rimini; Emmanuel Petrus, ep. Petròpoli; Iosephus, arch. Fortaleza; José, ep. Estância; D. Tavares Baeta Neves, ep. Sete Lagôas; O. Motta, ep. Campanha; A. Melille, ep. Piracicaba; A. Bertazzoni, arch. Potenza e Marsico N.; B. Falcucci, arch. tit. Preslavo; V. De Chiara, ep. Mileto; E. Baroncelli; M. Di Lieto; G. Nicolini; G. Tonetti, arch. ep. Cuneo; A. Carinci; F. Baldini; V. Vailati; ep. San Severo; L. Marcante, ep. Sulmona; N. Perini, arch. Ferma; V. De Zanche, ep. Concordia; A. Cesarano, arch. Manfredonia; F. Minerva, ep. Lecce; A. Catarella, ep. Piazza Armerina; V. Jacono; A. Niehues, arch. tit. Aptuca; J. Gonçalves da Costa, ep. tit. Rodopolis; A. Gonzáles Ferreiro, ep. tit. Metre; J. de Sousa Lima, arch. Manáus; Otavio, ep. Palmeira dos Indos; M. Pereira, aux. Belém; Hugo, arch. ep. Marilia; A. Cavalcanti Machado, arch. Maceió; P. Rolim Loureiro, ep. Mogi das Cruzes; E. de Paula, ep. tit. Gerocesarea; S. Ferraz, ep. tit. Eleuterna; J. Távora, arch. Aracajú; W. Calheiros, aux. Rio; G. Warmeling, ep. Joinville; J. Coimbra,

ep. Patos de Minas; Acacius, ep. Palmares; Paulus, ep. Parnaiba; R. Alberti, ep. Apucarana; José, ep. Propriá; A. Ungarelli; E. de Araújo, ep. Riu Barbosa; J. Tielbeek, prael. Formosa; G. Grotti, prael. Acra e Purús; A. Bossi, coad. prael. Grajau; A. Ramos, arch. Belém; E. Coroli, prael. Guamá; A. Cerqua, prael. Parintins; J. Coelho, ep. Maringa; F. Vasconcellos, arch. Riberâo Prêto; J. D'Angelo Neto, arch. Pouso Alegre; J. Rezende Costa, aux. Belo Horizonte; S. Fernandes de Araújo, ep. tit. Verinopolis; J. Corrêa, ep. Caratinga; Fr. Niccoli, ep. Colle di Val d'Elsa; E. Larrain. ep. Talca; R. Calabrìa, arch. Benevento; P. Fiordelli, ep. Prato.

Secretarius generalis: Suffragatio 409. Pag. 7 [*cf. pag. 81-83, nn. 4-5*]. *Placet* an *non placet,* Patres venerabiles? Duplex formula.

3

Exc.mus P. D. HENRICUS PECHUÁN MARIN
Episcopus Crucis Axeatae

Venerabiles Patres,

Schema nostrum vere laudandum est, omnia etenim fundamentalia tangit etsi perpoliri aliqua possint.

Ignoscite tamen mihi si verbum proferre audeo ut de B. Maria Virgine, Matre Christi Summi et Aeterni Sacerdotis et Matre sacerdotum loquar.

...[1] Christus, Summus Sacerdos, cuius sacerdotium nos participamus et cui sacerdotio nos configurati per sacramentum Ordinis sumus ...[2], et cui imitari tenemur ...[3], est « Verbum caro, panis verus ex intacta Virgine ». Immo Christus Sacerdos est quia Verbum naturam humanam assumpsit ideoque iam in ipsa Incarnatione ex Maria Virgine Sacerdos unctus fuit.

Ita Maria Virgo intrat specialissimo modo in mysterio ipso sacerdotii Christi, Filii sui, ut de facto sine ipsa non solum Christum, sed nec Salvatorem et Sacerdotem habuerimus ...[4]. Exinde sequitur quod Maria etiam specialissimo modo coniuncta fuit in ipso quoque sacrificio Crucis Filii sui Sacerdotis. Ipsa enim « stabat iuxta crucem Iesu » ...[5], et « vehementer cum Unigenito suo condoluit et sacrificio Eius se materno animo sociavit, victimae de se genitae immolationi amanter consentiens » ...[6]

...[7] Iamvero, si Beata Virgo Maria dicitur et proclamatur « plane mater membrorum (Christi) ... quia cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur, quae illius Capitis membra sunt », ut dicit Augustinus et constitutio dogmatica *de Ecclesia* confitetur ...[8], si Beata Virgo

Maria hac in aula iucunder « Mater Ecclesiae » acclamata fuit, si homines christiani fiunt quia uniuntur et configurantur Filio suo, Christo, et sacerdotium Ipsius participant per baptismum, ut pluries diversis in documentis huius Concilii edoctum fuit, a fortiori dicendum est ipsam esse matrem nostram, scil. sacerdotum.

Nonne nos omnes unimur et configuramur Filio suo Christo Sacerdoti per sacramentum novum, Ordinis nempe sacramentum, quo sacerdotium Filii sui ministerialiter novo et strictiori titulo ac laici participamus? Nonne ergo nos Mariam novo et strictiori titulo Matrem nostram invocare possumus? Nonne et ipsa Beata Virgo Maria speciali titulo nos Christo Filio suo Sacerdoti configuratos videt, *ideoque* [9] et singulari dilectionis suae studio nos amat?

Audiantur verba Pii XII, felicis recordationis, ...[10] in Exhortatione *Menti Nostrae*: « Cum autem peculiari modo experimini quam difficile sit per arduum sanctimoniae vitae procedere iter — ait Pius XII sacerdotibus — ac vobis creditis perfungi officiis, tum ad eam fidentes oculos fidentemque animum erigite, quae Aeterni Sacerdotis cum sit Genitrix, catholici quoque cleri est Mater amantissima ».

« Si omnes — *prosequitur Summus Pontifex* [11] — Deiparae Virgini flagranti in amore sunt, at singulari dilectionis studio Ipsa sacerdotes amplectitur qui *vitae* [12] Iesu Christi imaginem in se referunt. Cum igitur eiusmodi singularem amorem ac peculiarem in vos omnes B.mae Virginis tutelam summo cum animi solacio consideraveritis, tum vestros sentietis ad sanctitatem et ad sacerdotalia exercenda munera nisus faciliores fieri » ...[13]

Nihil mirum ergo si Pontifices Romani, ut e. g. Pius XI, in Encyclica *Ad catholici sacerdotii* dicat: « Eam (scil. Deiparam Virginem) sacrorum administri incensiore quodam caritatis studio, quam laicorum ordinis homines, idcirco adamare debent, quod, ut rationum vincula, quibus sacerdos cum Iesu Christo coniungitur, arctiora sunt, ita necessitudines, quae Mariae cum Divino Redemptore intercedunt, impensiores quidem exstant. » ...[14]

III. Conclusio ergo sit sequens: Ut non tantum Beata Virgo Maria nominetur in hoc decreto, modo indeterminato et nimis generico ...[15], sed specifice et amplius loquatur de necessitudinibus quae intersunt inter Mariam matrem nostram, *Matrem Sacerdotum,* de eiusque peculiari tutela erga nos, Sacerdotes Filii sui, deque nostro debitando incensiori amore erga Ipsam.

Hoc praesertim iuvat ut sacerdotes omnes, sive episcopi, sive presbyteri, sese sciant speciali et strictiori vinculo teneri cum Maria Matre

nostra, et sese sciant in sua solitudine, quae in corde et affectu humano ex ...[16] plena dedicatione per familiae renuntiationem aliquando experitur, a Matre sua amantissima dilectos et comitatos esse. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] I. De B.M.V. Matre Summi Sacerdotis Christi. [2] (n. 1). [3] (ibid.). [4] (cf. *de Ecclesia* n. 65 « intrat »). [5] (*Io.* 19, 27). [6] (*de Ecclesia,* n. 58). [7] II. De B.M.V. matre sacerdotum. [8] (n. 53). [9] indeque. [10] cum dicit. [11] deest. [12] vitam. [13] (*Menti nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 32, 1950, p. 701). [14] (*A.A.S.,* 27, 1936, p. 24). [15] (ut fit in n. 14, pag. 36, lin. 11 et pag. 37, lin. 15; et in n. 15, pag. 39, linn. 17-18). [16] nostra.

[*Subscripserunt etiam*] Abilius, ep. Calahara; A. Riesco, ep. tit. Limisa; M. Menéndez, ep. San Martin; Fr. Tanaka, ep. Takamatsu; I. de Orbegozo, prael. Yauyos; F. Kaiser, prael. Caraveli; V. Joun, ep. Su Won; J. Valle, aux. Iquique; J. Stimpfle, ep. Augsburg; Fr. Muguerza, ep. Orán; M. Magliano, ep. Rio Gallegos; Franciscus, ep. Afagados da Ingázeira; B. Coscia, ep. Jatai; E. Segura, ep. tit. Carpi; L. Tomé, ep. Mercedes; I. Di Stefano, ep. Presidencia Roque Saénz Peña; R. Rodriguez, aux. Rosario; A. Deane, ep. Villa Maria; J. Velasco, ep. Amoy; S. Quezada, ep. Aguascalientes; J. Alves Trindade, ep. Montes Claros; José Lazaro, ep. Assis; A. Galindo Mendoza, ep. Tijuana; J. Hervás, prael. Ciudad Real; G. Stella, ep. La Spezia; R. Gonzáles, aux. Guatemala; Ioannes Petrus, ep. Plasencia; Eduardus, ep. Zamora; Daniel, Ep. Segovia; J. Borgatti, ep. Viedma; J. Ariz, ep. tit. Bapara; C. Rodriguez-Quirós, arch. S. José de Costa Rica; Antonius, ep. Lugo; M. del Rosario, ep. Malolos; R. Moralejo, aux. Valencia; V. Roig y Villalba, vic. ap. Valledupar; Saturninus, ep. Osma-Soria; A. Corso, adm. ap. Montevideo; Demetrius, ep. Ciudad Rodrigo; F. Vennera, ep. San Nicolas de los Arroyos; V. Garaygordobil, prael. Los Rios; A. Zarza, ep. Linares; E. Alvear, ep. San Felipe; A. Granados, aux. Toledo; M. Talamás Camandari, ep. Ciudad Juárez; E. Tagle, arch. ep. Valparaiso; J. Dominguez, ep. Matanzas; C. Borge; E. Bolaños, ep. tit. Andropoli; R. Arrieta, ep. Tilarán; A. Aparicio, ep. San Vicente; M. Gerin, prael. Choluteca; Ch. Gachet, ep. Castries; H. Lara, aux. Vera Paz; F. Rossi, ep. Venado Tuerto; E. Principe, aux. Santa Fe; C. Pérez, arch. Salta; A. Schell; J. Carranza, ep. Santa Rosa di Copas; G. Esorto, arch. Bahia Blanca; C. Ponce de Leon, ep. tit. Rodosto; M. García, ep. Jalapa; J. Chalup, ep. Gualehuaychú; J. Aramburu, arch. Tucuman; E. Boza Masvidal, ep. tit. Vinda; J. Carreras, ep. San Rafael; O. Maresma, aux. Mendoza.

Secretarius generalis: Suffragatio 410. Pag. 9 [*cf. pag. 83-86, nn. 6-8*]. *Placet* an *non placet,* Patres?

4

Exc.mus P. D. HENRICUS ROMULUS COMPAGNONE
Episcopus Anagninus

Venerabiles Patres,

Nomine 85 Patrum, de una re loquor quae abs dubio uti centrum habenda est eorum quae in hoc schemate tractantur et ex qua ipsa tractatio unitatem habet.

In n. 11, quo incipit altera decreti pars, de presbyterorum vita, agitur de peculiari exigentia sanctitatis in vita sacerdotali.

Postquam in constitutione *de Ecclesia* actum est de sacerdotum proprio loco in structura populi Dei, postquam in decreto *de episcoporum munere in Ecclesia* ea statuta sunt quae, ad Concilii mentem, nonnulla iura et officia presbyterorum definiunt, sanctitas a presbyteris novo titulo ac suo proprio modo prosequenda, scil. in vita ac ministerio sacerdotali et mediante ipso ministerio, prout suae vocationi competit, est finis proprius praesentis decreti, cuius indoles omnino pastoralis evidens est.

Iamvero quae hic *dicuntur* [1] nec concinne dicta nec ipsam rei profunditatem, unitatem et maximum momentum sufficienter attingere videntur.

1. Initio n. 11 ita commemoratur vocatio omnium ad sanctitatem ut appareat quasi fluens tantum e Christi praecepto « Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester perfectus est », acsi additione quadam vi huius praecepti et non natura sua ordinatio ad sanctitatis perfectionem pertineat ad vitam gratiae per baptismum collatam. In constitutione *de Ecclesia* commemoratur quidem mandatum illud ad demonstrandum esse etiam de expressa Christi voluntate quod omnes ad sanctitatem tendant; tamen statim additur omnium ordinationem ad sanctitatem in eo proprie fundari quod Christus « in omnes Spiritum Sanctum misit, qui eos intus moveat, ut Deum diligant ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente et ex tota virtute sua, et ut invicem se diligant sicut Christus eos dilexit » ...[2]. Inest scil. internum principium ordinans in quolibet baptizato vitam gratiae ad sui perfectam expansionem nisi obstacula opponantur. Exinde igitur oportet initium sumere ut transitus fiat ad novum et specialem titulum quo character sacerdotalis, characteri baptismatis superadditus, de se ad sanctitatem propria ratione et propriis mediis attingendam impellit.

Maximi est momenti quod presbyteri nostri vividiorem in dies conscientiam acquirant se ad sanctitatem arctius prae ceteris baptizatis im-

pelli, non proprie vi alicuius praecepti positivi superadditi, nec tantum, licet absonum videatur, quia « arctiori modo cum Christo Sacerdote coniunguntur » uti dicitur in textu (pag. 31, lin. 1), sed ex intima rei natura, scil. quia vere sunt facti participes illius Sacerdotii quod Christi hominis sanctitatem intime et integre pervasit. Etenim in Christo sacerdotium et eius concretum exercitium, teste auctore Epistolae ad Hebraeos, initium habuit per suiipsius oblationem sacerdotalem in ipso primo Incarnationis instanti et integram eius vitam, nullo momento nullaque actione vel minima exclusis, praesentialiter et intime informavit usque ad Crucis immolationem, totam eius vitam reddens indeficiens et continuum obsequium sacerdotale Patri praestitum pro nobis. Ita, realiter communicato illius sacerdotio, tota vita presbyteri trahitur per se ad dignitatem et exigentias indeficientis et continui exercitii muneris sacerdotalis erga Deum et erga homines universos.

Exinde sanctitas, sacerdotio Christi informata et ad eius fines ordinata, deberet esse normalis conditio cuiuscumque presbyteri, ita ut eius defectus omnino ut quid abnorme habeatur. Haec deberent dici in hoc n. 11.

2. Sic fortiter affirmata intima exigentia sanctitatis, quae e reali participatione sacerdotii Christi oritur, in hunc numerum transferri deberent ea quae bene dicuntur in n. 13, inde a lin. 6 pag. 34. Unitas enim et harmonia vitae presbyterorum logice omnino fluit ab illa intima exigentia, et una cum ipsa affirmari debent.

3. Propter hanc internam exigentiam sacerdotalis sanctitatis in presbytero non multum placet quod in contextu repetantur verba exprimentia obligationem tendendi ad sanctitatem. Mihi videtur hoc modo enervari vis illa qua ab intrinseca natura sui sacerdotii presbyter impellitur. Efficacius mihi videtur exponere modo indicativo qua ratione et quibus mediis illa interna vis obsecundari possit et debeat. Sicut puero non dicitur teneri ad crescendum, sed ei ratio et media indicantur quibus naturalem suam vim ad crescendum obsecundare possit.

4. Et quia de mediis ad sanctitatem sacerdotalem prosequendam mentionem feci, peto ut novo examini a commissione subiciatur totum quod habetur in n. 7, ut clarius distinguatur cooperatio inter presbyteros ad ministerium aptius et efficacius exercendum et cooperatio vel associatio ad ipsam sacerdotalem sanctitatem prosequendam. Non quasi seiungenda sint sacerdotalis sanctitatis prosecutio et pastorale ministerium, quod absit omnino!, sed quia finis proxime attingendus propria media exigere potest.

In eodem sensu peto ut integra pericopes quae habetur in pag. 25,

linn. 3-9, quaeque agit de associationibus quae « sanctitatem sacerdotum in exercitio ministerii fovent », transferatur ad n. 15.

Liceat hic mihi, episcopo e clero religioso, meritum extollere illarum Associationum, v. g. Unionis Cleri Apostolicae, quae laudabiliter et cum fructu incumbunt ad illustrandam propriam viam qua presbyteri e clero dioecesano sanctitatem prosequi debeant eosque impellendos et fraterne adiuvandos ut eam generoso animo percurrant. Intimo gaudio, et quidem corde pastorali, afficimur ob clariorem conscientiam quae ope praesertim harum Associationum hodie diffunditur inter presbyteros dioecesanos de intima sua vocatione ad prosequendam sanctitatem ratione et modo sibi propriis, scil. in totali sua deditione ad munus episcopi participandum et exsequendum. Hic est verus et germanus « aggiornamento » cui nulla subest demagogia aut dissimulata concessio emergentibus inclinationibus mundanis; hunc « aggiornamento » toto corde optamus in nostris presbyteris et de eius profectu intime gaudemus nos pastores et ipsi fideles nobiscum.

Faxit Deus ut in Ecclesia sancta ubique floreat ac numero et merito augeatur clerus dioecesanus suae sacerdotalis sanctitatis sollicitus et suo episcopo intimo corde, voluntate prompta et impenso opere coniunctus ad gloriam Dei et bonum animarum! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] habentur. [2] (*de Ecclesia,* c. V, n. 40).

[*Subscripserunt etiam*] A. Hamvas, arch. Kalocsa; G. Carata, ep. tit. Presidio; D. Picchinenna, arch. Cosenza, A. Cerqua, ep. tit. Olbia; A. Gonçalves do Amaral, arch. Uberaba; G. Casullo, ep. tit. Utica; Fr. Zayek, ep. tit. Callinico; E. Cueter, ep. tit. Taua; A. de Castro Mayer, ep. Campos; E. Biancheri, ep. Rimini; P. Rolim Loureiro, ep. Mogi das Cruzes; A. Ungarelli, ep. tit. Azura; Josephus, ep. tit. Ospita; J. Thurler, ep. tit. Capitolaide; J. D'Angelo Neto, arch. Pouso Alegre; O. Chaves, arch. Cuiabá; J. Alves Trindade, ep. Montes Claros; J. Távora, arch. Aracajú; Hugo, arch. ep. Marilia; Z. Rolim de Moura, ep. Cajazeiras; José Gomes, ep. Bagé; J. Grossi, ep. Bom Jesús de Lapa; J. Winkler, ep. tit. Dadima; A. Brandâo Vilela, arch. Teresina; A. Pacheco Ribeiro, ep. Barea do Pirai; B. da Silva Nete, ep. tit. Cremna; F. Vasconcellas, arch. Riberao Prête; H. Malzone Hugo, ep. Governador Valadares; G. Grotti, prael. Acre e Purús; L. Carli, ep. Segni; C. Chilouet, ep. Farafangana; A. Bossi, coad. prael. Grajaú; P. Filipak, ep. Jacarézinho; J. de Sousa Lima, arch. Manáus; O. Motta, ep. Campanha; Th. Vaquero, ep. Sâo Joâo do Bôa Vista; A. Barbosa, ep. Campo Grande; J. Gazza, ep. tit. Circesio; A. Salvucci, ep. Molfetta; J. Garneri; ep. Susa; P. Botto, arch. Cagliari; A. Tortoli, arch. Paraná; F. Bonomini, ep. Como; G. Melas, ep. Nuoro; G. Cannonero, ep. Asti; A. Calabretta, ep. Noto; G. Bonacini, ep. Bertinoro; L. Basoli, ep. Ogliastra; G. Pirastru, ep. Iglesias; N. Jubany, ep. Gerona; Fr. Peralta, ep. Vitoria; Laureanus, ep. Seguenza-Guadalajara; A. Granados, aux. Toledo; Demetrius, ep. Ciudad Rodrigo; Secundus, arch.

Burgos; Iacobus, ep. Barbastro; Raymundus, ep. Urgel; H. Argaya, ep. Mondoñedo-Ferrol; J. Guerra, ep. tit. Muzia; L. Binz, arch. Saint Paul; L. Cowley, ep. tit. Pertusa; Jacques Martin; P. Principi; B. Budelacci; D. Venini; G. Barbetta; A. Civardi; G. Smit.

Secretarius generalis: Attendatis, Patres venerabiles! Hae duae quae ex ordine proponentur suffragationes sunt per triplicem formulam faciendae, nempe *placet, non placet, placet iuxta modum*.

Lego suffragationem primam cum triplici formula, quae suffragatio est 411. Videatis pag. 3. Lego tantum principium et finem suffragationis, nempe textus suffragandi: *de libertate religiosa*: *de iure personae et communitatum ad libertatem socialem et civilem in re religiosa* [*cf. pag. 77-83, nn. 1-5*]. Porro, Patres venerabiles, hic textus *placet, non placet, placet iuxta modum?* Triplex formula igitur nunc. Respondeatis, quaeso.

5

EXC.MUS P. D. MICHAËL PELLEGRINO
Archiepiscopus electus Taurinensis

Venerabiles Patres, dilectissimi Fratres et Sorores,

Loquor nomine 158 Patrum, de quibus 12 sunt Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ex compluribus nationibus omnium partium orbis terrarum: Africae — ordinem alphabeticum sequor —, Americae, Asiae, Australiae, Europae. His omnibus qui huic interventioni libenter subscripserunt gratias ex corde ago.[1]

De necessitate et momento activitatis intellectualis in ministerio et vita sacerdotum quaedam perpulchre dicta sunt in schemate, cap. V, a pag. 19 ad 21.

Illa omnia cum laude et gratiarum actione accipimus; quaedam tamen adicere opportunum videtur, ut in re tam gravis momenti Concilium veluti programma et normas satis perspicuas et concretas indicare valeat.

Duo latissimi, ut ita dicam, campi patent *eiusmodi*[2] sacerdotis activitati, prout in profanas aut in sacras disciplinas incumbit.

En quaestio quae statim exsurgit. In constitutione *Lumen gentium*, cap. IV, par. 31, legimus: « Membra ... ordini sacri, quamquam aliquando in saecularibus versari possunt, etiam saecularem professionem exercendo, ratione suae particularis vocationis praecipue et ex professo ad sacrum ministerium ordinantur ». Non videmus cur hoc etiam de activitate intellectuali non valeat. Sacerdoti qui ecclesiastico ministerio non

totus occupetur, manus suas fabrilibus exercere fas esse, et quandoque peropportunum, dilucide a quodam Patre in disceptatione de hoc schemate ostensum est. At, si bene mentem Patris eiusdemque fratris intellexi, labor manualis sacerdotum nullo modo detrimentum afferre debet sacro ministerio cui illi mancipati sunt.

Nonne idem dicendum est de labore intellectuali? Ut ad casus concretos deveniam, fateor me valde ancipitem haerere in iudicando de illis sacerdotibus ...[3] qui fere totum suum tempus et vires insumunt in disciplinis mere profanis, sive litterariis, sive scientificis, in scholis docendis.

De singulis casibus, de quibus Ordinarius iudex est, nihil dico; haec tamen in universum proponere liceat. Si superabundaret, ut praeteritis temporibus evenit, operariorum numerus in vinea Domini, nullam difficultatem viderem si sacerdotes talibus occupationibus detinerentur. At, in carentia sacerdotum qua Ecclesia fere in omnibus regionibus laborat, prorsus necessarium videtur ut omnes conatus in ministerium sacrum exercendum impendantur.

Nolim tamen ...[4] ea quae dixi sensu rigidiore et strictiore intellegantur. Si qua disciplina, primo aspectu in sacris non recensenda, in adulescentium moralem et religiosam institutionem, in hominum opiniones efformandas, temporum et locorum adiunctis spectatis, vere et graviter influere videatur, tunc sacerdotum opera in ea tradenda, et praecipue in ea scientifice investiganda, licita et opportuna erit. Haec est ratio, ut puto, cur Sacra Congregatio de Seminariis et de studiorum Universitatibus recens episcopos Italicos hortata est, ut faveant sacerdotibus qui idonei sunt ad philosophiam publicis in scholis docendam.

Similia dicenda videntur de aliis disciplinis, v. g. de scientiis historicis, biologicis, physicis, quae in hodierna mentalitate et cultura theologiae ambitum facile tangunt, quatenus illarum cultores eas exhibent ut mundi visionem (Weltanschauung), quae problemata etiam religiosa solvere et exhaurire valeat; praesertim si agatur non de qualibet harum disciplinarum divulgatione docendo vel scribendo facta, sed de vera scientifica investigatione.

Attamen vix mihi persuadere possim, hoc de omnibus disciplinis indiscriminatim valere.

Veniam nunc ad sacras disciplinas, de quibus optimae considerationes leguntur in schematis loco iam laudato.

Hisce plena cum consensione acceptis, non absonum mihi videtur aliqua suggerere ut mens Concilii vividius et fortius exprimatur. Sacerdotibus enim qui laborant in investigandis, tradendis et vulgandis variis doctrinis qui ad Deum et ad divina spectant, animum addere necesse est.

Iam in Concilio Vaticano I, in disceptatione de vita et honestate clericorum, episcopus Augustanus Vindeliciorum (Augsburg), Dinkel, hortatus est « ut aliquid in decreto statueretur de scientia et doctrina clericorum colenda et promovenda ... non solum propter dignitatem muneris clericalis, sed etiam pro saeculi nostri circumstantiis ». Addebat, procurationem bibliothecarum in singulis capitulis ruralibus necessariam esse ...[5]

Nostra autem aetate, in aliquibus saltem regionibus, in conceptione vitae christianae et apostolatus pragmatismi quaedam species late *vigere videtur* [6], qua fere solum opera externa valere existimantur, studiorum (et aliquando etiam interioris vitae, fide et caritate nutritae) momento magna ex parte ignorato vel neglecto.

Inde fit ut non raro clerici qui studiis theologicis serio incumbunt, in comparatione cum iis qui in ministerio stricte pastorali *versantur* [7], vel etiam in variis officiis temporalis administrationis, quasi clerici inferioris gradus habeantur.

Si quis in meis verbis hyperbolem inesse iudicet, liceat mihi quaerere, cur *in aliquibus regionibus* [8] professores in Seminariis etiam theologicis saepe miserrima mercede docere debeant; cur non paucae bibliothecae ecclesiasticorum *institutorum* [9] languescant, necessariis pecuniae subsidiis destitutae; cur *desint omnino* [10], in aliquibus Facultatibus, ii qui academico sermone Assistentes vocantur, quique, dum in sua quisque disciplina scientifice laborant, professores in suo munere adimplendo adiuvant et alumnos critica investigationis methodo instituunt; cur tam pauca studia monographica edantur ad scientiarum sacrarum incrementum.

Haud ignoro Ecclesiam saepe paupertate laborare; attamen videmus etiam in regionibus ubi studiis theologicis promovendis pecuniam deesse affirmatur, nova sumptuosa aedificia in varios usus cotidie exsurgere et incepta ingentis molis perfici. Horum utilitatem et fortasse necessitatem non abnuo, sed optandum est ut non minor cura impendatur in fovendo intellectuali labore, sine quo vix florere potest Ecclesia, veritatis columna et *firmamentum*.[11]

Sunt, eheu! regiones « depressae » non solum quoad oeconomiam, sed etiam quoad activitatem *intellectualem* [12] in campo theologico. Ratio praecipua, meo submisso iudicio, non tam in carentia subsidiorum materialium consistit — *quae difficultas haud spernenda est* [13] — quam in insufficienti appretiatione momenti quod competit studiis et doctrinae.

Sperare iuvat fore ut Concilium Vaticanum II, quod multis in rebus iam vias novas aperuit ad meliora tempora Ecclesiae Dei paranda, studiis quoque sacris magnum incrementum afferat.

Hoc maxime necessarium videtur, ut Concilium suum sortiatur effectum. Facile enim duo *opposita*[14] pericula praevideri possunt quae tempore post-conciliari imminebunt. Tentatio aderit, eas Concilii normas quae veteres consuetudines immutant *enervandi*[15] et extenuandi; *e contra alii*[16] sibi persuadebunt, vetera omnia transisse et nova quaeque iam sibi aggredi licere, dumtaxat quia nova sunt.

Hisce scopulis vitandis necessaria erunt in sacerdotibus non solum humilis et fidelis oboedientia, *in alacri et hilari cooperatione cum episcopo*[17], non solum vigor interioris vitae qua omnia in luce fidei perspiciantur, sed etiam clara visio problematum et realitatis historicae in qua haec problemata illustranda et solvenda erunt. Patet, ad haec omnia Ecclesiam indigere multis, certe etiam laicis, sed in primis clericis, qui, solida scientia muniti, ex mandato Ecclesiae ipsius et ideo sensu vere pastorali, vias indicare possint, ut, venerabili Patrum traditione servata in iis quae essentialia sunt et perennia, nullus conatus neglegatur ut haec traditio exigentiis nostrorum temporum accommodetur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] — nec pauci sunt in Italia. [4] ut. [5] (Mansi, 50, 582). [6] viget. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] plane desint. [11] magistra. [12] intellectuali. [13] deest. [14] deest. [15] evigorandi. [16] alii vero. [17] deest.

[*Subsignaverunt etiam*] F. Pezzullo, ep. Policastro; V. Radicioni, ep. Montis Alti; D. Moscato, arch. Salerno; J. Nuzzi, ep. Campagna; E. Maranta, arch. Dar-es-salaam; J. Nepote Fus, ep. tit. Elo; C. Cavallera, ep. Marsabit; A. Tortolo, arch. Paraná; A. Salvucci, ep. Molfetta; J. Garneri, ep. Susa; J. Przyklenk, ep. Januaria; G. Demarteau, ep. Bandjarmasin; J. Romeijn, ep. Samarinda; J. Zimmermann, ep. Morombe; Fr. Nierhoff, ep. Floresta; J. Wember, ep. tit. Vasada; H. Bliestle, M.S.F.; H. Janssen, ep. Hildesheim; Vincentius, arch. Oviedo; J. Hervás, prael. Ciudad Real; A. Pichler, ep. Banjaluka; A. Lopes de Moura, ep. Portalegre; Fr. Zauner, ep. Linz; H. Jenny, coad. Cambrai; J. Bluys, aux. 'sHertogenbosch; R. Boudon, ep. Mende; L. Nagae, ep. Urawa; Cl. Isnard, ep. Nova Friburgo; G. Van Zuijlen, ep. Liège; F. Jop, ep. tit. Daulia; F. Kervéadou, ep. Saint Brieuc; Th. Clavel, arch. Panamá; J. Martin, ep. tit. Neapoli di Palestina; A. Renard, ep. Versailles; A. Carli, ep. Segni; P. Tobar Gonzáles, ep. Cuttack; Augustinus card. Bea; Paulus card. Giobbe; Carolus card. Confalonieri; Laureanus card. Rugambwa; J. Botero Salazar, arch. Medellin; H. Volk; Fr. Carpino; G. Young, arch. Hobart; P. Hallinan, arch. Atlanta; J. card. Ritter, arch. Saint Louis; G. Dwyer, arch. el. Birmingham; William card. Conway, arch. Armagh; J. Cullinane, aux. Camberra and Goulburn; F. Rush, ep. Rockhampton; A. Martin, ep. Nicolet; J. Amici, arch. Modena; L. Faveri, ep. Tivoli; R. Baratta, arch. Perugia; F. Baldini, ep. Massa Marittima; Fr. Minerva, ep. Lecce; A. Carinci, ep. Campobasso; V. Vailati, ep. San Severo; O. Semeraro, ep. Cariati;

A. Catarella, ep. Piazza Armerina; V. De Zanche, ep. Concordia; N. Perini, arch. Fermo; Cl. Cesarano, arch. Manfredonia; A. Cunial, ep. Lucera; Ioseph card. Siri, arch. Genova; R. Calabrìa, arch. Benevento; G. Tonetti, arch. ep. Cuneo; E. Baroncelli, ep. Recanati; L. Marcante, ep. Valva e Sulmona; A. Bagnoli, ep. Fiesole; R. Massimiliani, ep. Civita Castellana; H. Cunial; J. Ferro, arch. Reggio Calabria; F. Imberti; A. Fares, arch. Catanzaro; J. Dadone, arch. Fossano; A. Niehues, adm. ap. Florianopoli; J. Varani, ep. Jaboticabal; Th. Vaquero, ep. São João do Bôa Vista; E. Kunz, ep. tit. Tolemaide di Fenicia; C. Bampi, ep. tit. Tlos; E. Dinkelborg, ep. Oeiras; G. Warmeling, ep. Joinville; H. Malzone Hugo, ep. Governador Valadares; J. Alves Trindade, ep. Montes Claros; E. Coroli, ep. tit. Zama Maggiore; M. Lisboa, ep. Nazaré; A. Cerqua, ep. tit. Olbia; Paulus, ep. Parnaiba; E. Coueter, ep. tit. Taua; Gabriel, ep. tit. Leuca; Carlos Schmitt; H. Piazera, ep. Nova Iguaçú; Octavius, ep. Palmeira dos Indios; A. Petrò, ep. Uruguaiana; J. Schröffer, ep. Eichstätt; St. László, ep. Eisenstadt; Fr. Zak, ep. Sankt Pölten; B. Wechner, ep. tit. Cartenna; J. Köstner, ep. Gurk; Ioannes card. Colombo, arch. Milano; Fr. Costa, ep. tit. Emmaus; Giacomo card. Lercaro, arch. Bologna; F. Niccolo, ep. Colle di Val d'Elsa; J. Ijjas; J. Carata, ep. tit. Presidio; X. Morilleau, ep. tit. Colonia di Cappadocia; J. Prou, abb. Solesmes; H. Bartoletti, ep. tit. Mindo; G. card. Urbani, patr. Venezia; A. Castelli, arch. tit. Rusio; R. Bertoglio, ep. tit. Paro; R. Ayala, ep. Tehuacán; A. Poma, ep. Mantova; F. Torres Oliver, ep. Ponce; F. Tissot, ep. Chengchow; C. Rossi, ep. Biella; J. Flores, ep. Barbastro; J. Pont, ep. Segorbe-Castellón; Fidelis, ep. tit. Sululi; Raymundus, ep. Urgel; Antonius, ep. Islas Canarias; H. Argaya, ep. Mondoñedo-Ferrol; Ioseph, ep. tit. Drusiliana; L. de la Vega, ep. Tulcán; G. Garaygordobil, prael. Los Rios; L. Carvajal, coad. Portoviejo; N. Gavilanes, ep. Portoviejo; L. Proaño, ep. Riobamba; G. Diaz Cueva, aux. Guayaquil; G. Diaz Merchán, ep. Guadix; A. Polidori, ep. tit. Metellopoli; J. Burzio, arch. tit. Gortina; J. d'Avack, arch. tit. Leontopoli di Pamfilia; C. Trapani, ep. Nicosia; J. Pintado, vic. ap. Mendez; M. Raspanti, ep. Morón; O. Marengo, ep. Tezpur; D. Swamidous, ep. Vellore; A. Sundarama, ep. Tanjore; Ernestus card. Ruffini; M. Magliano, ep. Rio Gallegos; J. Borgatti, ep. Viedma; J. Costa, prael. Porto Velho; L. Paz, ep. Corumbá; E. Peyrou, ep. Comodoro Rivadavia; Raul card. Silva, arch. Santiago de Chile; A. Riberi, arch. tit. Dara; Raphael, arch. Perugia; M. Bergonzini, ep. Volterra; A. Conigli, ep. Sansepolcro.

Moderator: Sic finis imponitur nostris disceptationibus *de ministerio et vita presbyterorum*. Remanet ut audiatur secretarius generalis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, antequam proponam ultimam suffragationem hodiernam, utile censeo recordari proxima feria sexta congregationem generalem haberi. Porro em.mus card. Praeses una cum em.mis cardd. moderatoribus in mentem Patrum revocat obligationem qua astringuntur participandi Congregationes generales et hoc sive ex *Iure Canonico* sive ex *Ordine Concilii celebrandi,* eo vel magis quod in hac congregatione proponentur suffragationes quae semper

sacrae sunt, ut dixi, sed veluti magis sacrae habendae sunt quando agitur de constitutione dogmatica, uti est constitutio *de divina revelatione.*

In eadem congregatione — et hoc maximam utilitatem affert tum Patribus tum secretariae — distribuetur schema modorum *de apostolatu laicorum,* de quibus fiet suffragatio die 9 novembris.

Et, his dictis, propono ultimam suffragationem, quae est 412. Videatis pag. 9. Lego initium et finem [*cf. pag. 83-86, nn. 6-8*]. Hic textus, qui ut integer lectus habendus est, *placet*ne vobis Patribus, *non placet,* an *placet iuxta modum?*

Nunc exspectandum est aliquantisper, ut suffragatio fiat, ut schedulae auferantur, et in centrum mechanographicum ferantur. Postea, si moderatoribus placuerit, finis imponetur congregationi.

[*Intervallum*].

Patres venerabiles, audiatis! Communico exitum primae suffragationis mane peractae:

Praesentes votantes	2.233
Dixerunt *placet*	2.031
non placet	193
placet iuxta modum (sed in hoc casu non valet)	2
Suffragia nulla sunt	6

Ergo textus est probatus in congregatione. Sed exspectandi sunt modi quoad integram partem.

Non habeo adhuc alios exitus. Libenter legerem si haberem!

... Communicant mihi non bene dixisse numerum praesentium votantium: sunt praecise *2.232.*

Moderator: Congregatio proxima erit cras, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DECRETI DE MINISTERIO ET VITA PRESBYTERORUM

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DECRETI DE MINISTERIO ET VITA PRESBYTERORUM *

1

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. BACCI

Ritengo mio *dovere di coscienza* presentare il presente intervento *scritto* e *non orale.*

I. Nella 151ª Congreg. generale di ieri 16 ottobre un Padre conciliare è intervenuto parlando del *celibato,* e mettendo sul medesimo piano il sacerdozio uxorato dei preti orientali ed il sacerdozio col celibato. Ora io ritengo questo intervento *errato* e *pericoloso* per le seguenti ragioni:

1. Recentemente il S. Padre ha inviato al card. Presidente Tisserant una lettera, in cui esorta i Padri conciliari di non parlare in pubblica Congregazione Conciliare del celibato; ed inoltre ha fatto di esso un alto elogio. Perché dunque tornarci sopra pubblicamente?
2. È necessario distinguere fra matrimonio che è Sacramento, e lo stato coniugale che, certamente, meno si addice alla vita sacerdotale.
3. Anche i Padri della Chiesa Orientale esaltano il celibato sacerdotale e la verginità. Anzi molti Sinodi della Chiesa Orientale « ortodossa » hanno tentato più volte di imporre il celibato ai preti, senza però riuscirvi per mancanza di un'autorità unitaria.
4. Del resto che il celibato è superiore per dignità allo stato coniugale risulta dal Vangelo, da S. Paolo ecc. (cf. Enc. *De virginitate* di Pio XII).
5. È falso sperare che, con certe « incensature » al clero ortodosso orientale, si possa ottenere il suo ritorno « all'unico ovile con un solo Pastore » secondo le parole di Cristo.

II. Un altro Padre conciliare ha fatto la proposta di introdurre nell'atto della consacrazione sacerdotale non solo la promessa di obbedienza al proprio Vescovo, ma anche la *promessa di povertà.*

Ciò mi sembra inopportuno e pericoloso per le seguenti ragioni:

1. Di quale povertà si parla? Di povertà di spirito « pauperes spiritu » va bene; ma la povertà materiale se si può imporre ai religiosi « nihil habentes et omnia possidentes » perché in caso di malattia o vecchiaia pensa a

* Huiusmodi textus lecti non fuerunt vel quia Patres, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta fuit.

loro il convento, come si può imporre ai semplici preti? In caso di malattia e di vecchiaia chi penserà ad essi? Il Vescovo? C'è poco da sperare...

2. La proposta quindi mi sembra *fuori della realtà.*

3. Molto meglio un altro Padre conciliare ha parlato dell'esortazione ai preti di astenersi dal lusso e da ogni mondanità; e di adottare un tenore di vita « medio » (sono le sue parole), tale cioè che corrisponda alla propria condizione ed al proprio decoro. E soprattutto di evitare l'avarizia e di essere caritatevole coi poverelli.

4. Questa promessa di povertà (quale povertà?) se si introducesse nell'atto della consacrazione sacerdotale, potrebbe in seguito creare nei preti ragioni di ansietà, di scrupoli, di dubbi ecc. con grave detrimento.

5. Eppoi se questa promessa si impone ai preti, perché non si impone anche ai Vescovi? È più facile trovare dei Vescovi ricchi e lussuosi, che dei preti!

6. Ho scritto quanto sopra con l'approvazione di altri Padri conciliari e *coram Deo.*

2

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

Schema sine dubio bonum est. Unum tantum defectum indicare humillime audeo.

Non ponit sufficienter sub oculis illud quod est fundamentum primum dignitatis, et exinde exigentiae sanctitatis, sacerdotis.

In religionibus pure naturalibus, in quibus quoque sacerdotium est in magno honore, dignitas eius primaria petitur ex ordine essentiali ad oblationem sacrificiorum pro ipso sacerdote et pro populo. Ita quoque est in sacerdotio Veteris Testamenti et in illo Novi Testamenti.

Sola differentia respectu sacerdotii Novi Testamenti petitur ex infinito excessu dignitatis Sacrificii Missae comparative ad illam sacrificiorum Veteris Legis, et adhuc magis ad illam sacrificiorum ethnicorum.

In altitudine dignitatis sacrificii Novae Legis seu sacrificii Missae invenitur prima ratio obligationis Presbyteri christiani ad sanctitatem vitae.

3

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. CARDIJN

Experientia et Historia docent totum Ecclesiae corpus, tam per bonos presbyteros feliciter stare, quam per malos infeliciter cadere. Nostris praesertim diebus, communitate humana in diversas sectas, scholas et ideologias distracta, oportet ut fideles laici *omnes,* et non tantum maiores, vere et serio instituantur et erudiantur. A quibusnam? nisi a presbyteris, a quibus, ea

ratione pendet Regni Dei in terris felix vel infelix status! Nolite decipi, fratres: renovatio vel « aggiornamento » Ecclesiae, ad quam instaurandam coegit nos Ioannes Papa vigesimus tertius, dulcis memoriae, practice in manibus presbyterorum universi Orbis posita est! Quapropter liceat mihi de tribus verbum facere, quae tanti momenti rem tangunt.

1. De bene instituendis vel efformandis presbyteris. Scimus speciale schema de sacerdotali institutione tractare. Impossibile tamen est seiunctim agere de institutione presbyterorum et de eorum ministerio et vita. Multae difficultates quae in vita presbyterorum experiuntur, de facto ex aliquo defectu in eorumdem institutione oriuntur. Exempli gratia: Cum deberent, sacri ministerii exercitio, quasi inflammari et dilatari, presbyteri non pauci potius frustrantur, immo aliquando in scepticismi tentationem deveniunt. Hoc certe provenit ex maxima difficultate apostolici ministerii; provenit tamen pariter, si non in primis, ex defectu praeparationis ad difficultates aggrediendas.

Saepe saepius clerici in seminariis, systema catholicum discunt, systema canonicum, systema asceticum, forsan systema pastorale, non autem humanam conversationem. Itaque, quando primo ad homines mittuntur et cum hominibus conversari debent, incipiunt eis porrigendo systema in quo educati sunt, et eisdem imponere satagendo formas, ideas, modos cogitandi et agendi, quos adamussim didicerunt. Oportet autem incipere accipiendo et amando homines, homines prouti sunt, ita ut *ipsi* inveniant, crescant, aedificent! Nullam aliam viam secutus sum in extruenda mundialem JOC. Meo humili sensu, clericorum studia non sunt nimis scientiae et intellectui dedita, sed nimis sapiunt scholam, professorium systema, abstractionem. Necesse est ut, tempore studiorum suorum, clerici in praxim humanae conversationis ducantur et cum hominibus conversari discant. Difficile tirocinium, cuius debent magistri inter humaniores et virili virtute praestantiores sacerdotes diligenter eligi...

2. Encyclicae Litterae *Ecclesiam suam* quaestionem movent: Quomodo exercenda sit missio Ecclesiae in hac praesenti aetate, in mundo huius temporis? Et respondet: per modum colloquii. De colloquio vel dialogo sermo fit in schemate nostro, sed potius per transennam quam formali ratione, si non modo implicito: v. g. pag. 14, linn. 8-18; pag. 17, linn. 13 s.; pag. 26, linn. 25-40. Oporteret ut sermo explicitius fiat de dialogo vel colloquio ut via pro sacerdotali ministerio congrua.

Percipite bene mentem meam: Non agitur de quodam mundano modo sese gerendi, sed de genuino apostolico accessu ad homines. Iam dixi: incipiendum est audiendo eos et eos intelligere satagendo, eos amando et capiendo prouti sunt. Agitur de modo quo ipsi ad eos procedimus, ut eos tandem Christo lucrifaciamus. Quando *ipsi* ad *nos* veniunt, ad petenda sacramenta vel ad aliquid huiusmodi, iam non secundum suam sinceram humanitatem se totos patefaciunt. Si tandem venient! Multi enim nunquam ad ecclesiam vel ad ecclesiasticum virum qua talem venient! Ecclesia debet quasi extra castra exire, ut hominibus, sicuti re vera sunt, occurrat. Sic con-

cludebat card. Suhard, bonae memoriae. Scribebat, inde a plus quam viginti annis: « Constat populos, summatim sumptos, non amplius christiane sentire. Inter eos et communitatem christianorum est quasi hiatus, ita ut, ad hoc ut ad eos perveniamus, *exire a nostra domo necesse sit, et apud eos nos conferre. Talis est genuina quaestio* »... Presbyteri autem non satis in vires colloquii perficiuntur, quin eo firmitas fidei et fidelitatis debilitetur. In hoc insistendum est. Haec enim est via qua homines invenient presbyteri, et insuper negandam solitudinem vitabunt.

3. Sive (autem) a nihilo incipientibus, iam successerint presbyteri in congregandis compluribus fidelibus, sive alicui sat numerosae congregationi praepositi sint, ad hoc tendere debent ut communitatem *missionariam* efforment. Hoc sane in schemate non tacetur; dicitur tamen, pag. 18, linn. 22-26, nimis breviter, et quin insistetur sicut decet. Omnia ad communitatem formandam appellant: et ipsa indoles christianismi et necessitas coeundi, ad fidem in tam difficili saeculo servandam, et incomparabile momentum communitatis christianae ad testimonium christianum roborandum et homines attrahendum.

Re enim vera, sine communitate nil solidi aedificatur. Haec autem communitas spiritu missionario animetur oportet. Quapropter presbyteri debent laicis fidelibus adesse, ut excitentur et formentur ad apostolatum eorum proprium, cui nihil substitui potest. Apostolatum *proprium,* dico, ad quod presbyteri debent sedulo attendere. Ad hoc sane alludetur paucis verbis, pag. 17, lin. 28, ad pag. 18, lin. 8. Possent tamen res pressius et fortius exprimi. Similiter bene dicitur, pag. 14, linn. 12-18, presbyteros fideles bene cognoscere debere, « persentientes mentem hominum eorumque vitam, non solum individualem et familiarem, sed etiam oeconomicam, culturalem et socialem ». Insistendum est in hoc. Nonnulli presbyteri vident fideles tantum in aula ecclesiae et nesciunt ubi et quomodo, pro maxima parte, degunt, nempe laborando, sese recreando, cum sociis et amicis conversando...

Unum tandem addam: non omnes paroeciales presbyteri sciunt ultra fines suae paroeciae respicere, quum tamen multa pro regno Dei ultra sepes ovilis sui decernentur et accrescunt... Invitentur ergo oportet ut sensum plene catholicum simul ac apostolicum exaltent, sicut dicit beatus Augustinus: « Dilata spatia caritatis tuae! ».

* * *

Pag. 25-26-27, n. 8: *Presbyterorum cum laicis conversatio.*

1. Possumusne magis instare ut omnes presbyteri in exercendo officio pastorali omnes laicos informent ad proprium ipsorum et insubstituibilem apostolatum in Ecclesia et in mundo?

2. Socia presbyterorum et laicorum opera talis esse debet ut mutuum habeat colloquiorum aditum, fiduciam, sinceritatem, verecundiam et pietatem.

3. Necesse est inde a seminario et per omne ministerium ope institutionis practicae, alacris et perseverantis formationem et cooperationem parare aeque perseverantes.

4. Haec formatio et adminiculum omnino sit generis positivi; revocetur item oportet ad fidem et gratiam Dei pateatque ad magna Dei studia et parta in humilitate et abnegatione.

5. Sanctitas et apostolatus separari non possunt.

6. Amor paupertatis arctam cum Christo Christique matre divina coniunctionem requirit.

4

EM.MUS P. D. FERDINANDUS CARD. CENTO

Ad n. 14, pag. 37, lin. 14, dicatur: « ... devotio erga Passionem Domini Nostri Iesu Christi ac Sanctissimam Eucharistiam, quae est eius memoriale, et Beatam etc. ». *Ratio*: nullum remedium magis efficax ad concupiscentiam reprimendam, nullusque stimulus magis aptus ad christianam mortificationem exercendam quam contemplatio Christi Crucifixi, iuxta verba Pauli apostoli: « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis » (*Gal.* 5, 24).

5

EM.MUS P. D. VILLELMUS CARD. CONWAY
Archiepiscopus Armachanus

Caput V, par. 36. Textus pag. 25, lin. 39 s. sic mutetur: « Cum vero in dies crescat necessitas operariorum in vinea Domini, Sancta Synodus grato animo agnoscit quam multos e clero dioecesano iam in terris missionum laborare. Ut ipsi partes adhuc maiores in mundi evangelizatione habeant, exoptat ut episcopi, gravissimam considerantes penuriam sacerdotum qua evangelizatio multarum regionum impeditur, aliquos e melioribus suis sacerdotibus, qui ad opus missionale se offerant, debita praeparatione peracta, dioecesibus clero carentibus commodent, ubi saltem ad tempus ministerium servitii missionalis exerceat ».

Textus pag. 26, lin. 6, post verba « Conferentiarum episcopalium est » inserantur verba « quatenus necessarium vel utile videtur ».

6

EM.MUS P. D. LEO STEPHANUS CARD. DUVAL
Archiepiscopus Algeriensis

Le n. 14, bien qu'il contienne des éléments valables, est très faible au point de vue doctrinal. La cause en est qu'il consiste en un démarcage de la vie religieuse par une application artificielle à la vie sacerdotale de la trilogie des conseils de la vie religieuse. Il y a là un thème usé d'exhortations; il est vrai que la perfection évangélique est davantage exigée du prêtre que du religieux, mais il ne s'ensuit pas que le prêtre doive prendre les mêmes moyens de perfection que le religieux.

Les exigences de la vie évangélique du prêtre doivent être tirées de sa propre mission et non d'une comparaison, nécessairement superficielle, entre la vie du prêtre et celle du religieux. De même les manifestations de la vie évangélique sont différentes chez le prêtre et chez le religieux.

Cet exposé peut se faire à partir de l'Evangile (notamment *Luc.* 9, 1-6, 10, 1-10 et les lieux parallèles), des Epîtres Pastorales et d'autres Epîtres de saint Paul (par ex. *2 Cor.* 4-6).

7

EM.MUS P. D. CAROLUS CARD. JOURNET

N. 1, pag. 12, lin. 34 - pag. 13, lin. 1: verba « ideoque ad sacerdotium commune ... reduci non potest » deleantur et loco eorum legatur: « ideoque ad commune bonum gratiae et caritatis totius Corporis mystici ordinatur ». *Ratio*: inter tres caracteres sacramentales quae ordinantur ad validitatem cultus christiani procurandi, caracteres Baptismi et Confirmationis ordinantur ad caracterem Ordinis, qui solus est hierarchicus, non e converso. Ad ordinem vero gratiae et caritatis, ordinantur omnes caracteres et tota hierarchia.

N. 5, pag. 19, linn. 30-31, legere: « studio Patrum et Doctorum, praesertim Doctoris Communis, diversorumque ... ». *Ratio*: nota C, pag. 53, non iustificatur. Nam videtur favere suppressioni unius ex duobus locis theologicis semper in Ecclesia recognitis. Quanam theologia muniri alumnos seminariorum?

8

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. LERCARO
Archiepiscopus Bononiensis

Haec nova redactio schematis haud dubie multo melior est quam redactio in praecedenti sessione proposita: multa bona continet, quaedam optima. Sub quibusdam tamen rationibus hoc documentum videri potest non defini-

tivum: non concludit sed potius initiat sermonem de sacerdotis exemplari et forma, iuxta mentem Ecclesiae in hodierno mundo.

Quod in hoc schemate dicitur suo tempore aliisque locis altius perscrutandum erit atque in nonnullos annos strictius et accuratius redintegrandum erit, cum maxima Concilii documenta (constitutio *de Sacra Liturgia,* constitutio *de Ecclesia,* decretum *de Oecumenismo,* decretum *de missionibus*) fructus suos maturare coeperint, cumque apertius appareant atque emergant lineamenta illius reformationis, nondum inceptae, institutorum (seminariorum, structurarum pastoralium, ordinum et congregationum religiosorum, etc.).

Interea tamen — quoad schematis partem quae iam nunc in meliorem statum satis commode redigi potest — hoc praesertim velim, scilicet in evidentiore loco melioreque lumine quaedam ponere sacerdotalis caritatis propria; ex qua quasi ex fonte profluit, ad quam quasi ad culmen tendit, sacerdotis ministerium, tota etiam illius vita. De hac ergo caritate noster textus pluribus locis agit, sed fragmentarie, neque synthesi utitur plena magnanimaque.

In primis videtur melius dicendus esse ordo caritatis sacerdotalis quis sit: firmius et expressius commemorandum est privilegium quod patientes, minimi, aegri, pauperes in primis habent.

Hoc privilegium neminem excludit a Regno Dei: sed tantum fundat — in ordine obiectivo Evangelii — aliquam praelationem et praecedentiam pro pauperibus, quos scilicet afficit non solum communis hominum spiritualis paupertas, sed etiam individua materialis inopia.

De hoc themate locutus sum in fine primae sessionis. Iam tunc votis optabam ut mysterium Christi in pauperibus pauperumque evangelisatio esset centrum et anima omnium laborum Concilii et in doctrina edenda et in decretis proferendis. Inde a prima sessione multa a multis optime dicta et proposita sunt et quaedam apta ad hunc finem persequendum penetraverunt fere omnia schemata (a constitutione *de Ecclesia* usque ad decretum *de Missionibus*).

Fortasse tamen haud satis. Quae in nostris textibus de hac re adfirmavimus et statuimus, usque ad intima problematis non pervenerunt: status pauperum iuxta Evangelium et praxis christiana paupertatis non respiciunt tantum mores christianorum et Ecclesiae, sed attingunt personale mysterium ipsius Christi. Id est, non agitur de philanthropia quamvis sublimi, sed potius de parte essentiali Revelationis Christi de se ipso.

Neque in hoc schemate (in n. 4) desunt aliqua verba de pauperum evangelisatione quasi signo operis messianici, neque deest sermo de personali paupertate sacerdotis. Sed haec omnia restant citra limen quod animosiore doctrina et promptiore actione transeundum erat.

Hoc praesenti textu fides et caritas sacerdotis haud satis connectuntur cum intimo nucleo Christologiae, cum duplici aspectu kenoseos Christi (Verbi, scil. quod homo fit et homo fit etiam materialiter pauper).

Ideoque etiam hic textus, quoad evangelisationem pauperum, attingere

nequit mysterium — vere christicum — prioritatis, quae illis competit; et quoad paupertatem sacerdotis, quamvis illam exoptet, tamen totam reliquit singulorum arbitrio sine ulla determinatione, neque indicativa quidem.

Quod in nostro schemate dicitur de cleri vita communi, de bonorum communione inter sacerdotes, de gravioribus oeconomicis disparitatibus inter eos abolendis, restinguitur de facto in paragrapho de recto usu bonorum (n. 17), quae omnis fere consistit in aride repetendis consuetis canonicis praescriptionibus inde a decreto Gratiani. Minime enim proponitur certa institutorum renovatio quae sacerdotis et Ecclesiae paupertati praebeat non inanem monitionem, sed impulsum germanum et efficacem.

Schema nostrum quaedam adhortari potest, saltem ut consilia necdum ut praecepta, exempli gratia: ut parochi, beneficiales, et ceteri publicent quamdam notitiam rationis annuae excepti et expensi, laicis quoque peritis — si usus venit — inspicientibus qui communitatis fidelium partibus fungantur; ut pro quavis dioecesi presbyterium dioecesanum vel aliqua fraternitas sacerdotalis proponat aliquam tabulam mediae mensurae sumptuum et vitae necessitatum sacerdotis illius, qui spiritum evangelicae paupertatis vivere velit; ut in omni dioecesi sit massa bonorum communis constituenda non tantum ex bonis a fidelium oblationibus provenientibus (n. 18) sed etiam et in primis a sacerdotum contributionibus; etc.

Ut Ecclesia proprium mysterium magis magisque patefacere valeat, oportet ut sacerdotes, sicut episcopi, experientiam effectivae paupertatis de facto vivant.

Quinimmo mysterium ipsum castitatis sacerdotalis, quasi splendor repercussum mysterii virginitatis Christi et Ecclesiae — optimo iure his diebus augusta confirmatione roboratum — non potest adaequate exprimi et muniri nisi indissolubili modo conglutinatur mysterio evangelisationis pauperum et mysterio paupertatis sacerdotis et Ecclesiae. Sacerdotis castitatem planissime exigere et non tantidem sacerdotis paupertatem facere, est castitatem suo muro et propugnaculo privare, est separare quod Deus coniunxit, est hominem dividere, sacerdotem dividere, quia est dividere Christum, in quo revelatio Filii, Agni immaculati, Pauperis, Oboedientis est idem et unicum totum.

Tandem quasdam animadversiones addere velim de ambitu et complexu sacerdotalis caritatis in mundo huius temporis magis magisque in unum redacto.

Meo iudicio oportet ut textus noster expressius dicat sacerdotis caritatem et sollicitudinem hodie non restringendam esse ad proximos, quos sacerdos personaliter nanciscitur vel pro quibus missionem determinatam accipit. Certe unicuique sacerdoti adest ordo responabilitatis et actionis, definitus a Providentia vel oboedientia. Sed hodie sacerdos ipse aliquo modo participare debet illa omnium ecclesiarum sollicitudine, illa universali cura, quam Constitutio de Ecclesia pro omnibus Episcopis pleno titulo adfirmat. Caritas sacerdotalis — ordinatim et gradatim — dilatari debet in ambita magis magisque

ampliora: et hoc semper sub ductu et inspiratione praesertim privilegii pauperum in Regno Dei.

Quam multae disparilitates et inaequalitates, quam multa discrimina et distortiones hodierni apostolatus sacerdotalis componentur, si unusquisque sacerdos se movebit sub ductu non curae angustae, non zeli amari et saepe sibimetipsi intenti, pro ovibus tantum quae peculiariter ipsi commissae sunt; si, econtra, dilatabit mentem et cor ad cooperandum generose et ordinate aliorum laboribus, totius Ecclesiae inceptis, in primis pro immensis multitudinibus inopum, praesertim novarum gentium.

Itaque sacerdos, hac ampliori caritate fervens, exempli gratia operam det ad meliorem cognitionem status et necessitatum in quibus versantur Ecclesiae, non tantum proximae sed etiam remotiores; suscipiat peregrinos advenas, profugos, emigrantes, qui magis magisque in nostris regionibus potissime e novellis gentibus et Ecclesiis augentur; suscitent vocationes sacerdotales et religiosas pro servitio Dei et fratrum in aliis Ecclesiis; instituant fidelium conscientiam ad maxima problemata famis et inopiae in mundo universo, et iustitiae et pacis inter nationes.

Immo — quod plus est — solum modo ex hoc ampliore prospectu, universaliter humano, ex hac generosiore sollicitudine pro multitudinibus pauperum universi orbis, hodie sacerdos — etiam pro nostris regionibus iam antiquitus christianis — potest invenire normas validiores et propheticas pro sua actione pastorali in ambitu peculiariter sibi commisso. Regulae evangelisationis et pastoralis curae in futurum adhibendae — etiam pro nostris populis oeconomice provectioribus — deducendae erunt non tantum a notis sociologicis et culturalibus ibi apparentibus, sed etiam (forsitan potius) ex elementis socialibus et spiritualibus nationum adhuc maxima parte non christiani et paupertate detentis, quae hodie noviter in humanam historiam plene ingrediuntur.

Quod ad confirmationem redit assumptus nostri: etiam pro aspectibus recentissimis huius temporis, ordo verus et adaequatus essendi et agendi plane contrarius est habitibus apparentibus, contrarius est « carni et sanguini » scil. naturae et aviditati nostrae: revelatur tantum fidei et gratiae, per abnegationem suipsius, abrenuntiationem et paupertatem.

9

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Quoad schema in genere. 1. Schema in genere placet, praesertim eius prima pars, propter profundiorem expositionem theologicam naturae et condicionis presbyteratus, necnon ob praesentationem, quae ibi fit, de tribus adspectibus ministerii presbyterorum (nn. 2-4).

2. Modus tamen quo describitur activitas presbyterorum videtur prae-

primis referri ad presbyteros ministrantes in medio religioso christiano vel in situatione quae sociologice vocatur hodie « status christianitatis ». Unde fit, ut imago presbyteri a schemate proiecta sit nimis « ad intra » et careat sufficienti dynamismo et impetu missionario. Iamvero, de facto hodie accidit, ut maior pars presbyterorum — non solum in terris sic dictis « missionum », sed etiam in regionibus traditionaliter christianis — ministerium suum exerceri debet inter homines quorum magnus numerus sive infideles sunt sive baptizati qui a praxi sacramentorum, vel ab ipsa fide defecerunt. Oportet igitur ut adspectus missionarius « ad extra » ministerii presbyterorum magis extollatur, iuxta spiritum verborum, quae de presbyteris dicuntur in Constitutione *Lumen Gentium,* sub fine n. 28.

3. Quae in schemate dicuntur de presbyterio (sub n. 7, sed etiam in aliis locis) non sat clare elucent. Oporteret pressius determinare finem huius instituti, necnon eius munus et quinam tandem ad illud pertineant. Quaestio enim de pertinentia presbyterorum religiosorum ad presbyterium, quidquid dicatur in relatione, ex ipso textu minime clarificatur.

Animadversiones particulares. Ad prooemium: Pag. 11, linn. 7-8: corrigatur hoc modo: « promoventur ad personam gerendam Christi, Magistri, Sacerdotis et Regis, cuius participant... ». *Ratio*: proprie loquendo, presbyteri sunt sacerdotes cum Christo ad serviendum hominibus in eis quae pertinent ad Deum Patrem.

Pag. 11, lin. 19: loco « statuit » dicatur « declarat ». *Ratio*: maxima ex parte schema continet doctrinam et normas vitae spiritualis, de quibus difficulter aliquid statui potest.

Ad num. 1: pag. 12, lin. 7: post verba « Christus Dominus » addatur: « qui in Ecclesia sua praesens adest, ad populum Dei pascendum semperque augendum ministros instituit... ». *Ratio*: est idea valde momentosa pro intellectione sacerdotii; aderat in textu « emendato » (pag. 13, linn. 1-9).

Pag. 12, lin. 33: loco dicendi « participat auctoritatem qua... » dicatur: « participat influxum capitalem qua Christus Ipse suum Corpus exstruit, ... ». *Ratio*: 1. Haec verba sunt magis specificantia officii episcopatus et presbyteratus; 2. Vox « auctoritas » potest faciliter intelligi vel sensu nimis vago vel nimis iuridico.

Pag. 13, lin. 4: loco « initiatione » dicatur « ordinatione ». *Ratio*: vox « initiatio » traditionaliter reservatur pro ingressu in mysterium Christi per baptisma.

Pag. 13, linn. 37-40: in hac phrasi deleatur verbum « quodammodo »; ponatur « seliguntur » loco « segregantur ». Textus ita erit: « Vocatione quidem sua in sinu populi Dei seliguntur... ». *Ratio*: mutatur forma verbalis ad vitandam conceptionem nimis cultualem vel nimis « isolationisticam » vitae presbyteralis.

Pag. 13, lin. 40: supprimatur adverbium « totaliter » quia illud potest praestari indebitis restrictionibus; v. g. ac si presbyteri nequirent labori manuali incumbere ad sese sustentandum.

Ad n. 2: pag. 14, lin. 33: post verbum « ... mandato Domini », addatur: « ..., pro parte sua respondentes: Euntes... etc. ». *Ratio*: textus *Mc.* 16, 15 refertur directe ad apostolos, non vero ad presbyteros; hi ergo possunt solum partialiter hunc textum sibi applicare.

Pag. 14, linn. 37-38: corrigatur hoc modo: « ... ut cum eis communicent in fide, et gratia et plenitudine vitae Domini ». *Ratio*: 1) in textu exsurgit quaestio iam antiqua de valore sacramentorum, quae conferuntur a presbytero indigno vel e fide lapso; 2) quid significat « plenitudo » per oppositionem ad « gratiam »? Emendatio hic proposita hoc dubium solvit.

Ad n. 3: pag. 16, lin. 15: post verba « ... ita ut, ... » addatur: « cum ipsa reconciliati, magis magisque, ... etc. ». *Ratio*: ut appareat character ecclesiologicus sacramenti paenitentiae, cuius res et sacramentum est pax et reconciliatio cum Ecclesia.

Pag. 16, linn. 35-39: deleatur simpliciter haec paragraphus. *Ratio*: 1) de his iam agitur in constitutione *de sacra Liturgia*; 2) ad nimia particularia descendit, quae ex aliunde nimis obvia sunt, praesertim cum dicit: « sit nitida... ».

Ad n. 4: pag. 17, linn. 13-14: corrigatur hoc modo: « Etsi actio pastoralis per modum dialogi exerceri debet, presbyteri... ». *Ratio*: post Encyclicam *Ecclesiam suam* et constitutionem *Lumen gentium* dialogus inter presbyteros et fideles nequaquam potest dici aliquid mere « expediens ».

Pag. 19, linn. 3-4: dicatur: « ... se non fautores esse..., sed ministri Evangelii. Ipsi denique non nomine suo agere, sed nomine Christi ut missi ab... » (supprimatur vox « denique » in lin. prima). *Ratio*: 1) propagatoribus alicuius ideologiae vel factionis humanae melius convenit vox « fautoribus » quam vox « ministris »; 2) sententia dividitur per punctum, ne nimis difficilis evadat.

Ad n. 5: pag. 19, linn. 30-38: corrigatur hoc modo: « Nutriatur haec scientia studio quoque Patrum, Magisterii ac praecipue Romanorum Pontificum documentis, atque scriptis optimorum et probatorum scientiae theologicae scriptorum, ita ut etiam parati sint ad aptas responsiones reddendas, sub luce diversorum Traditionis fontium, quaestionibus ab hominibus huius aetatis agitatis ». *Ratio*: in textu schematis innuitur documenta Magisterii et Romanorum Pontificum *a*) non pertinere ad Traditionem; et *b*) solum haec postrema — non vero scripta Patrum nec ipsa Scriptura — esse de se apta ad respondendum quaestionibus hodie agitatis. Quod sane mirandum est!

Ad n. 6: pag. 21, lin. 12: loco dicendi « et sub eorum auctoritate ita participant », sumatur textus prior: « sub eorum ductu ita repraesentant... ». *Ratio*: agitur hac in paragrapho de unitate Sacerdotii Christi. Haec vero idea melius exprimitur vocibus « ductu » et « repraesentant ».

Ad n. 7: pag. 23, linn. 21-39: tota haec quaestio de natura, finalitate ac pertinentia ad Presbyterium — iuxta ea a nobis dicta in animadversionibus generalibus — indiget maiore praecisione.

Pag. 25, lin. 3-4: deleantur verba « et diligenter promovendae ». *Ratio*:

res in textu iam satis commendata est. Ne quaeso eam nimis premamus aut vi omnibus imponere velimus!

Ad n. 9: pag. 28, lin. 30-42, ad pag. 29, linn. 1-9: deleatur haec paragraphus; agit enim de rebus nimis obviis.

Ad n. 10: pag. 30, linn. 25-27: deleatur vox « praesertim » et loco dicendi « maximum testimonium amoris », dicatur simplicius: « speciale (vel magnum) testimonium amoris ». *Ratio*: quidquid sit de citationibus allatis e scriptis Patrum (Ioannes Chrysostomos, Gregorius Magnus), traditionaliter intelligitur « maximum testimonium amoris » esse martyrium.

Ad n. 11: pag. 31, linn. 10-13: corrigatur phrasis hoc modo: « Presbyter pro populo Dei se sanctificandi officio tenetur, et ita activitatibus sui muneris sese devoveat, ut propriam unionem cum Deo continuo accrescat, vitando periculum activitatis mere externae, memor verborum Sancti Pauli: ... ». *Ratio*: 1) proponitur haec formula ad vitandam falsam conceptionem apostolatus: ac si activitas pastoralis externa opponeretur propriae sanctificationi presbyteri; 2) formulatio hic proposita evitat hanc falsam interpretationem, sed servat admonitionem contra activitatem mere externam.

10

Em.mus P. D. FRANCISCUS card. SPELLMAN

Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Ex thesauro Sacrarum Scripturarum secundum traditiones sacras et exigentias modernas commissio egregrie praeparavit schema decreti quod nunc et in futuro multum contribuet tum sanctitati et efficientiae presbyterorum tum scientiae et aestimationi status sacerdotalis a parte fidelium. Per totum hunc decretum thema debet esse natura sacerdotii: eius dignitas, eius gloria, eius munera, i. e., illa munera quae nos Episcopi cum omnibus sacerdotibus fratribus nostris communicamus. Iam non dicamus presbyteros servos, sed amicos et participes unici Sacerdotii Domini Nostri Iesu Christi. Hoc in spiritu Patres Concilii per hunc decretum omnibus sacerdotibus loquantur.

Omnis Pontifex constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia (cf. *Heb.* 5, 1 et *Eph.* 5, 2). Christus, etsi semel se ipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem sacerdotium eius exstinguendum non erat, in coena novissima relinquit sacrificium (Conc. Trid. sess. XXII, cap. I). Illis verbis: « Hoc facite in meam commemorationem », Dominus Noster instituit Apostolos sacerdotes aut ordinavit ut ipsi aliique sacerdotes offerent corpus et sanguinem suum (idem, can. 2). Sacerdotium nostrum essentialiter est participatio in Christi sacerdotio. Ideoque, munus essentiale et praecipuum omnis sacerdotis est ad sacrificium Christi offerendum. « In Mysterio Sanctae Missae ... munus suum praecipuum sacerdotes exercent » (pag. 19, linn. 13-14). Mea opinione, sectio prima huius Decreti, in qua de

natura presbyteratus agendum est, initium sumere debet ex his duabus notionibus: i. e., de sacerdotio nostro uti participatione in unico Christi sacerdotio et de munere offerendi sacrificium uti nota propria omnis sacerdotii. Consequens erit tractatio de presbyteris uti verbi Dei ministris et populi rectoribus.

In genere, hoc schema mihi maxime pergratum est. Aliqua puncta, tamen hodie sunt tanti momenti pro ministerio et vita presbyterorum ut adhuc requirant tractationem pleniorem vel magis explicitam.

Primo, de momento et influxu Beatae Mariae, Matris Christi Eiusque Ecclesiae, in ministerio et vita Eius sacerdotum etiam fusius agendum sit. Exemplum humilitatis Virginis Immaculatae et totalis eius consecrationis offert remedium tutissimum contra spiritum superbiae qui potest periclitari amorem verum Christi, Eius Ecclesiae et populi Dei. Quamquam in schemate passim de devotione erga Beatam Mariam Virginem dictum est, tamen Sacrosancta haec Synodus magis magisque hortari oportet omnes sacerdotes ut semper confugiant sub praesidium Matris Dei. Per Mariam vivant in sacerdotibus suis Christus summus et aeternus Sacerdos.

Secundo, facienda est mentio magis explicita de necessitate obsequii et reverentiae erga Magisterium Ecclesiasticum. Omnis sacerdos est magister veritatis; ideoque, omnis sacerdos debet proferre doctrinam Christi Eiusque Ecclesiae, non solummodo suas proprias opiniones. Principia ad quaestiones particulares applicari debent sed semper sub ductu Spiritus Sancti et viventis Magisterii Ecclesiae. Sine sincero obsequio erga Magisterium sapientia christiana acquiri vel aliis tradi nequit. Solummodo cum hoc obsequio in Ecclesia aberunt « Liberiores spiritus, invidae obtectiones, contumacia et arrogantia quae ab ea prorsus dissident caritate, quae nimirum in Ecclesia mutuam coniunctionem, concordiam ac pacem alit fovetque » (Pauli VI, Litt. Enc. *Ecclesiam Suam*).

Tertio, non pauci sacerdotes persecutionem hodie patiuntur. Caritas christiana et fraternitas sacerdotalis nos urgent ut hoc in decreto includatur specialis adhortatio his fratribus nostris inscripta.

Quarto, miror inter media ad vitam interiorem fovendam non invenitur consilium ut clerici omnes poenitentiae sacramento frequenter conscientiae maculas eluant. Sicut ait Pius Papa XII: « Ad alacriorem cotidie per virtutis iter progressionem faciendam maxime commendatum volumus pium illum, non sine Spiritus Sancti instinctu ab Ecclesia inductum, crebrae confessionis usum, quo recta sui ipsius cognitio augetur, christiana crescit humilitas, morum eradicatur pravitas, spirituali negligentiae torporique obsistitur, conscientia purificatur, roboratur voluntas, salutaris animorum moderatio procuratur, atque ipsius sacramenti vi augetur gratia » (Litt. Enc. *Mystici Corporis Christi*). Etiam nunc adsunt ii qui frequentioris confessionis aestimationem minuunt atque extenuant. Hac de causa omnino necesse est Patres Concilii expresse loqui de momento Sacramenti Poenitentiae inter media ad vitam interiorem sacerdotum fovendam.

11

EXC.MUS P. D. HENRICUS ALVEAR URRUTIA
Episcopus S. Philippi

Loquor ut pastor, qui vive experitur problemata et anxietates suorum sacerdotum. Hic vero duo tantum ex his problematibus tangam:

1. Primum problema est forma nimis individualistica concipiendi et vivendi ministerium presbyterale. Multi sacerdotes, praesertim iuniores (qui ob plures ac diversas rationes spiritu magis communitario imbuuntur), experiuntur necessitatem inveniendi tum fundamentum theologicum, tum quandam spiritualitatem in eo fundatam, tum denique manifestationes concretas relationis horizontalis inter ipsos sacerdotes qui simul laborant.

Solutio huius quaestionis in schemate proposita videtur satis insufficiens, quamvis plura elementa ibi inveniuntur ad pleniorem solutionem enucleandam. Etenim in sex primis numeris schematis presbyteratus consideratur tantum ut donum Dei, quod recipitur et exercetur ab unoquoque presbytero singillatim expectato.

Solum in fine n. 6 et initio n. 7 hoc punctum tangitur. In n. 6 enim dicit schema: « Nullus ergo presbyter seorsum ac veluti singillatim suam missionem satis adimplere valet, sed tantum viribus unitis cum aliis presbyteris sub ductu eorum, qui Ecclesiae praesunt » (pag. 23, linn. 4-8). Et in n. 7 affirmatur: « Presbyteri, per Ordinationem in ordine presbyteratus constituti, specialiter in unaquaque dioecesi sub Episcopo proprio unum Presbyterium efformant » (pag. 23, linn. 22-25).

Attamen, hae duae paragraphi nullo modo sufficiunt, nam inseruntur postquam schema iam proiecerit imaginem individualisticam presbyteratus. Quod vero dicitur in n. 6 refertur ad meliorem organizationem laboris presbyteralis, non autem ad melius vivendum mysterium unici sacerdotii Christi praesentis in episcopo cum suo presbyterio.

Oportet igitur ut inde iam ab initio schematis sermo fiat de natura eminenter communitaria ordinis presbyteratus, quae in presbyterio uniuscuiusque Dioecesis concretizatur et manifestatur. Ordinatione enim presbyterali oritur mysteriosa communio inter presbyteros et Episcopum et inter presbyteros inter se: uno verbo, inter omnes qui participant *unius sacramenti Ordinis*. Ipsa liturgia ordinationum hanc communionem ostendit: Episcopus huic communioni initium dat cum ordinandos ad se vocat et manus eis imponit, participans eis de sua plenitudine; sed eodem tempore neo presbyteri admittuntur et ingrediuntur in presbyterium dioecesis, quod significatur per impositionem manuum presbyterorum adstantium ... Neo-sacerdos factus membrum Presbyterii, communionem iniit cum toto presbyterio adunato circa episcopum quod liturgice manifestatur in concelebratione, quae sequitur ordinationem.

(Ordinatione ergo presbyter ingreditur in ordinem presbyterorum et

iniit specialem communionem cum Episcopo et cum suo presbyterio.) Presbyter igitur nequit unquam concipi tanquam individuum singulare ab aliis co-presbyteris separatum.

Haec quae valent de natura presbyteratus, determinant eius missionem pastoralem: operari sequitur esse! Presbyterium ut tale *est primum subiectum missionis pastoralis participatae ab episcopo.* Activitas alicuius presbyteri nequit concipi ut initiativa particularis « passive acceptata » tantum aut « tolerata » ab Episcopo eiusque presbyterio. Presbyterium efformat cum suo episcopo *unum quid* ac proinde debet agere ut tale. Inde sequitur quod non multum referat quid unus vel alter presbyter faciat, modo totum presbyterium sit efficax instrumentum actionis pastoralis episcopi in tota dioecesi, serviens eius necessitatibus iuxta diversas qualitates et charismata uniuscuiusque presbyteri, prout haec ab episcopo agnoscuntur et stimulantur pro bono spirituali totius Ecclesiae. A. v., in actione pastorali uniuscuiusque presbyteri quodammodo involucratur activitas episcopi cum toto suo presbyterio.

2. Sub luce huius explicationis theologicae (circa naturam presbyteratus et missionem presbyterii), aggrediendum est *secundum problema* (quod hodie a multis sacerdotibus acute experitur). Multi enim sacerdotes sese interrogant de eorum missione specifica in Ecclesia et in mundo hodierno: in quo, proprie loquendo, consistit munus sacerdotale? (Plura hodie dantur causae quibus responsio huic quaestioni non adeo clara appareat, v. g., crescens conscientia apostolicae responsabilitatis laicorum in omnibus campis, quae saltem prima facie concurrere videtur cum apostolatu presbyterorum; ingens numerus sacerdotum qui functionibus temporalibus vacant [in educatione, in administratione, in promotione sociali, etc.]; apparens insufficientia methodi pastoralis duorum priorum saeculorum quae emphasim in missionem cultualem sacerdotis ponebat).

Iuxta supra indicata, affirmandum est missionem specificam presbyterii esse eandem missionem episcopi in qua totum presbyterium et uniuscuiusque presbyter pro parte sua participat. Iamvero, episcopus est ante omnia *pastor,* homo nempe per Ordinationem consecratus ad aedificandum et augendum Corpus Christi potestate praeprimis Verbi Dei, deinde virtute sacramentorum. « Inter praecipua Episcoporum munera — dicit constitutio *Lumen gentium* — eminet praedicatio Evangelii » (n. 25). Munus, ergo, pastorale specificum presbyterii est evangelizatio dioecesis. Verbum enim Dei conducit ad Sacramenta, ad Eucharistiam praesertim; et ope Verbi Dei pastores illuminant fideles et ducunt eos ad adimplendum munus suum temporale hoc in mundo.

Hoc est praecipuum munus presbyterii: Evangelizatio. Si aliquando a presbyteris exercentur functiones immediate ad ordinem temporalem respicientes (in campo culturae, educationis, actionis socialis, etc.), hae iustificantur vel quatenus respondent charismati vel vocationi speciali Spiritus Sancti; vel quatenus exercentur modo suppletorio pro bono communitatis humanae, iuxta exigentias legis supremae caritatis. Sed in duobus his casibus

activitas presbyterorum in ordine temporali exercebitur semper vel ad praeparandam evangelizationem vel ad ipsam facilius reddendam. Praeterea, talis activitas debet semper respici in coniunctione cum activitate totali presbyterii quia solum in contextu globali potest illa recte intelligi. Hoc modo resolventur tensiones quae aliquando oriuntur inter presbyteros diversis functionibus fungentes (v. g. inter « prophetas » et « sacramentalistas »), cum idem sit Spiritus, qui totam activitatem presbyterii inspirat.

Episcopi tandem, nomine Christi, est ultimatim decernere de diversis functionibus quae exercentur in suo presbyterio. Nam ipse, audito presbyterio, iudicat de vera utilitate ecclesiae suae Dioeceos.

Schema, in proponendo munere presbyterorum, debet magis insistere in hoc adspectu solidario evangelizationis. Ita tantum, ex una parte, potest rite explicari praeeminentia muneris evangelizandi et, ex alia parte, actio eorum qui functionibus magis temporalibus incumbunt; quae actio, hodie, in mundi novi initio, et praesertim in regionibus in via evolutionis, maximum momentum habet.

Evangelizatio, tandem, prout in schemate concipitur, nimis intenta est cum labore apud fideles et non satis attendit ad eos qui foris sunt. Deest, uno verbo, spiritus missionarius.

Ut concludam: propono: 1) ut iam ab initio tractationis de natura presbyteratus sermo fiat de eius natura eminenter communitaria; 2) ut magis insistatur in missione evangelizationis presbyteri tum quoad fideles, tum quoad infideles vel lapsos; 3) ut melius ostendatur relatio inter munus evangelizandi presbyteri, et eius activitatem qua, sub luce Evangelii, ille dedicat se ad promovendum bonum temporale.

12

Exc.mus P. D. ALFREDUS ANCEL

Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Presbyteri paupertatem quoque magni faciant qua Christo intimius conformantur et ad sacrum ministerium promptiores fiunt. Ad hanc etiam instantius vocantur ut mundi hodierni necessitatibus melius respondeant. In immensum enim crescit nostris temporibus pecuniae amor quo mammonae servi homines efficiuntur; simul autem quasi in toto mundo impugnantur sacerdotes quasi divites essent et ignorantia populi abuterentur ut divitiores evadant; saepe etiam arguuntur quasi socii fierent divitum ac potentum ut pauperes, sive ruricolae sive operarii, iniustam conditionem suam passive tolerarent; accusantur tandem quasi eleemosynis abuterentur ad aedificia et institutiones ultra modum augenda, cum tot sint pauperes in mundo. Sive autem ad praecavendas tales impugnationes, sive ad ineundam pugnam contra pecuniae tyrannidem inefficacia prorsus verba evadunt nisi factis firmentur. Unde ex apostolicis exigentiis quasi coguntur sacerdotes hodierni ut viam pauper-

tatis, iuxta Christi et Apostolorum exempla, fortiter ingrediantur. Ne ergo putent paupertatem evangelicam solis religiosis esse reservatam; potius autem vocem Boni Pastoris audiant qui non solum bona sua sed propriam vitam dedit pro ovibus suis.

Meditentur ergo innumera exempla quae nobis dedit ipse Christus qui propter nos « egenus factus est, cum esset dives » (cf. *2 Cor.* 8, 9). Iam a nativitate sua signum praeclarum omnibus praebuit ut, vestigia eius sequentes, corde saltem bonis terrestris renuntient: non potest enim homo « servire Deo et mammonae » (cf. *Mt.* 6, 24). Condividendo autem vitam pauperum in civitate sua Nazareth, omnibus omnia factus et infirmitatibus eorum compatiens, iam quodammodo omnes laborantes et oneratos ad se vocabat ut eos reficeret. In vita sua publica, non habens ubi caput reclinaret neque alium cibum requirens nisi voluntatem salvificam Patris sui exemplum praestabat omnibus sacerdotibus ut a sollicitudine rerum temporalium immunes atque ab omni specie vanitatis alieni, unice bonum animarum quaererent, gratis dantes quod gratis acceperunt. Apostoli tandem exemplum Domini sequentes etiam in communione bonorum signum praeclarum attulerunt sanctae unitatis et fraternae caritatis.

Gaudet ergo Sacra Synodus sciens quantum creverit hodie, in omnibus fere gentibus, genuina adspiratio cleri ad paupertatem evangelicam. Hortatur autem sacerdotes tam pulchro desiderio animatos ne exaggerationi succumbant eosque monet non esse veram paupertatem evangelicam quae non sit humilitati, obedientia et unitatis sollicitudini connexa; sed insimul huic aspirationi plene assentitur in eaque agnoscit tum indubium influxum Spiritus Sancti, tum responsum omnino accommodatum desideriis atque necessitatibus mundi huius temporis. Non autem potest Sacra Synodus regulas praebere universales quoad actuationem paupertatis evangelicae in clero. Nimiae enim sunt differentiae inter nationes. Praecipit tamen singulis conferentiis territorialibus ut episcopi quaerant, una cum sacerdotibus suis, quomodo paupertas evangelica in unaquaque natione actuari possit modo convenienti sive menti populi sive circumstantiis ibi vigentibus.

13

Exc.mus P. D. ANTONIUS AÑOVEROS ATAUN
Episcopus Gadicensis et Septensis

Commissioni ob schema adamussim adlaboratum gratulor, sed quasdam et parvas accessiones propono quas magni momenti existimo.

Pag. 14, lin. 12, addere post « sicut boni pastores oves suas cognoscere » ... eiusque inprimis alimentum vitae supernaturalis praebere. *Ratio*: ut clare appareat sacerdotem ante omnia esse hominem ad supernaturale. Ut christifideles ipsique sacerdotes sint omnino persuasi veram et genuinam effi-

cientiam sacerdotalem in eo inveniri, quod sit verus Christi minister et dispensator mysteriorum Dei.

Si Romanus Pontifex scripsit in Litt. Encyclicis « Ecclesiam suam » materialismum conari ipsa principia vitae christianae ab imis fundamentis evertere, nos satagere debemus ut ipsum materialismum vitemus cum de sacerdote eiusque muneribus cogitamus.

Pag. 37, lin. 13, post « vitae disciplina » ... itinerum atque spectaculorum modus, usus opportunae vestis ecclesiasticae. *Ratio*: quia his temporibus periculum est sacerdotes mores a laicis sumere peregrinantes advenas imitando, spectacula nimis frequentando, quae virtuti castitatis minime favent, atque austeritatem propriam ministri Evangelii impugnant, et distractionem a necessaria abstractione rerum significant.

Tempus est etiam, ut Concilium indicet distincte sacerdotem distingui oportere a saecularibus sua peculiari vocatione et sua veste externa. Nec ipsi sacerdoti, nec aedificationi et exemplo fidelium convenit, ut in omnibus aequari saecularibus velimus.

Romanus Pontifex hoc denunciavit in Encycl. *Ecclesiam suam*. Quaerit: « Nonne saepe clerus iunior et etiam aliquis sedulus religiosus bona voluntate ductus in massam sese inserendi vel in coetus singulares, ei assimilari cupit, cum ab eis sese distinguere debeant, inutili imitatione deponendo efficacitatem genuinam sui apostolatus? ».

Ad n. 14, pag. 37, lin. 18 addere: « Labor apostolicus pro Deo et in Deo conceptus, et pro animarum bono. *Ratio*: pauca enim castitatem ita iuvant ut constans et iugis et recte sentiens activitas apostolica sacerdotis.

Sacerdos indesinenter labori intentus, studio apostolico captus, haud difficile castus est. Sacerdos vero qui per nimias horas a labore vacat, haud facile fidelis Deo erit.

14

EXC.MUS P. D. MICHAEL ARATTUKULAM
Episcopus Alleppeyensis

Tractans de consiliis evangelicis in vita presbyteri, in n. 14, schema nostrum omnes sacerdotes ad praxim consiliorum evangelicorum castitatis, paupertatis et obedientiae suaviter invitat. Sed haec invitatio sat debilis esse mihi videtur, dum e contra sat fortis et gravis esse deberet et magnum incitamentum ad sanctitatem vitae sacerdotum omnium constituere. Schema dicit solummodo haec sat debilia verba: pag. 35, lin. 29: « sacerdos peculiari in honore huiusmodi consilia habeat oportet »; pag. 37, lin. 27: « Presbyteri paupertatem quoque magni faciant »; pag. 38, lin. 14: « propriae voluntati generose abrenuntient ».

Sacerdotes omnes, sive sint religiosi sive dioecesani, magis fortiter et graviter ad observantiam consiliorum evangelicorum invitari debere mihi videtur. Ipse enim status sacerdotalis maiorem sanctitatem in sacerdote exigit

quam status canonicus religiosorum. Sacerdos enim participat in ipso sacerdotio ministeriali et salvifico Christi, et in sanctificatione populi Dei ipse gerit personam Christi eiusque auctoritate pollet. Sacerdos ergo, eo ipso quod sit sacerdos debet etiam revestiri sanctitate, ita ut Christo, Sacerdoti et fratrum Salvatori, conformis sit. Haec ratio necessitatis sanctitatis quae ex ipso sacerdotio provenit non existit in religioso nisi et ipse sit etiam sacerdos.

Sed propter humanam conditionem sacerdotum, ea quae generatim constituunt impedimenta perfectionis caritatis atque ideo etiam perfectionis spiritualis acquirendae, sunt consideranda impedimenta etiam sanctitatis sacerdotalis acquirendae. Si consilia evangelica necessaria reputantur, ad removendum impedimenta perfectionis religiosae acquirendae, quomodo possumus negare eadem consilia necessaria esse etiam ad removenda impedimenta sanctitatis sacerdotalis acquirendae?

Apostoli, relictis omnibus (ergo etiam uxoribus) secuti sunt Dominum (*Lc.* 5, 2). Ergo iam tempore apostolico sacerdotium in Ecclesia Christi, propter exemplum ipsius Domini necnon apostolorum tendit ad perfectam continentiam. Sapientissime ergo Ecclesia Catholica Latina, suis sacerdotibus legem coelibatus imponit, quam legem firmam tenere nos omnes cum Papa Paulo VI significavimus etiam nuperrime. Sacerdotium nostrum, siquidem est participatio sacerdotii Christi, requirit continentiam perfectam. Utique « absolute » uti dicunt, sacerdotium potest consistere etiam sine coelibatu, sed aliud est esse, aliud bene esse. Natura non ad *mere esse* tendit, sed ad *bene esse*.

Item Ecclesia iam in collatione primae tonsurae clericum facit emittere propositum habendi Deum et non divitias mundi in hereditatem suam. Sacerdotem novellum immediate post Ordinationem sacerdotalem sollemnem cogit emittere promissionem obedientiae erga Ordinarium suum.

His omnibus modis Ecclesia clare in sacerdotum mentem inculcat praxim voluntariam consiliorum evangelicorum necessariam esse ad sanctitatem sacerdotalem. Ad Castitatem perfectam iam sufficiens incitamentum habetur in lege coelibatus Ecclesiae Latinae. Concilium nostrum debet aliquod incitamentum ad praxim etiam consiliorum paupertatis et obedientiae dare ita ut statuendo obligationem omnium sacerdotum ex ipso sacerdotio oriundam tendendi ad perfectionem spiritualem, necnon imitandi Christum qui nos sui unici sacerdotii participes effecit, eo fine ut nos ante omnes ipsi conformes simus, Concilium invitet sacerdotes non solum ad paupertatem in spiritu sed etiam in re, non solum ad obedientiam in vita sacerdotali, sed ad vitam sacerdotalem in obedientia.

15

EXC.MUS P. D. XAVERIUS M. ARIZ HUARTE

Episcopus tit. Baparensis, vic. ap. Portus Maldonadi

N. 1: cap. 1, pag. 12, linn. 16-17.19. Ubi dicitur: « Rursus episcopi munus ministerii sui ... presbyteris tradiderunt », dicatur: « Rursus ipsi apostoli et episcopi munus ministerii sui ... presbyteris legitime tradiderunt. Et lin. 19 expungatur vox: « apostolicam ». *Ratio*: prout enim est in schemate, textus innuit quod institutio Ordinis Presbyterorum est originis et iuris mere ecclesiastici, quod contra fidem fere esset. Et licet decretum nullam disputationem de origine historica presbyterorum dirimere intendat, verbo addito restituitur veritas, nihil minuendo de veritate successionis apostolorum in episcopos.

N. 1: cap. 1, pag. 13, linn. 2-4. Ubi dicitur: « sed etiam peculiari initiatione sacramentali indiget », dicatur: « sed etiam nova ordinatione sacramentali indiget ». *Ratio*: nam est inauditum et inexactum sacramentum ordinis presbyteralis « initiationem sacramentalem », etsi peculiarem, vocare. Expressio enim propria est ad designanda sacramenta initiationis christianae, quae initiatio postea in sacerdotio non iteratur, aut perficitur. Et vitatur male sonans repetitio eiusdem verbi.

N. 2: p. 14, linn. 28-29. Ubi dicitur: « Cum ergo praedicatio Evangelii sit praecipuum episcoporum munus, primum quoque munus presbyterorum est » dicatur « Cum ergo praedicatio Evangelii inter praecipua episcoporum munera eminet, aeque primum munus presbyterorum est ». *Ratio*: nam assertio de episcopis, desumpta ex const. *de Ecclesia* n. 25, iam ibi fuit correcta iuxta nostram formulam. Idipsum dici debet de presbyteris. Secus est oppositio cum verbis sequentibus nostri schematis, n. 14, pag. 33, linn. 6-10, ubi recte ponitur quod « munus suum *praecipuum* sacerdotes exercent » per sacrificium Missae. Et revera hoc munus sanctificationis praecipuum est, dum verbi divini praedicatio prioritatem quamdam obtinet.

N. 2: pag. 15, linn. 10-13. Ubi dicitur: « annunciatio ... et responsum populi audientis uniuntur inseparabiliter cum ipsa oblatione » dicatur « annunciatio et responsum populi audientis uniuntur cum ipsa oblatione ». *Ratio*: non enim inseparabilis est talis unio, cum responsum populi quandoque non existit, v. g. in Missa privata sine populo, immo et sine ministrante, saltem ex privilegia vel ex necessitate. Secus huiusmodi Missae sensum aut valorem non haberent.

N. 3, pag. 16, lin. 11. Ubi dicitur: « Edoceant igitur presbyteri fideles » ... dicatur addendo: « Presbyteri igitur saepius, immo et quotidie, Missae Sacrificium offerre diligenter satagant, cum « quaelibet Missa, etsi a sacerdote privatim celebretur, privata tamen non est, sed actus Christi et Ecclesiae », quippe ad summum Dei cultum et gloriam, et pro totius etiam mundi salute offertur; atque edoceant fideles » ... *Ratio*: clare enim exprimatur, hisce verbis ex enc. *Mysterium fidei* Pauli VI depromptis, dicta commendatio

de Missa, etiam privata, quotidie celebranda, cum spectet ad *primum* sacerdotis munus et ministerii sui officium. Iure plures Patres in aula petierunt ut presbyterorum ministerium, tanquam participatio muneris Christi Mediatoris, primario exponatur per ordinem ad Dei cultum et glorificationem, ut primo deferat ea quae sunt populi ad Deum.

Quare iste videtur opportunior locus huius doctrinae declarandae, licet postea, n. 12, pag. 33, linn. 6-9, loquendo de vita sanctitatis sacerdotis, eadem commendatio reiteretur.

N. 3, pag. 16, lin. 26. Ubi dicitur: « Fidelibus ostendant ... medullam sincerae orationis inveniri, et eos » ... dicatur addendo: « Fidelibus ostendant ... medullam sincerae orationis inveniri, ipsos ad preces Deo crebro fundendas, maxime iuxta pios modos devotionis ab Ecclesia probatos, uti Rosarium et eos ... ». *Ratio*: siquidem haec momentosa pars ministerii sacerdotalis, in munere sanctificandi inclusa, non satis explicite recolitur. Desideratur inde explicitior mentio de oratione communi omnibus inculcanda, uti per devotionem Rosarii, quod inter ministeria tam praeclara et fecunda sacerdotum connumerari debet.

N. 3, pag. 16, lin. 39. Ubi dicitur: « Curent presbyteri scientias ... recte colere » ... dicatur addendo: « Curent ergo presbyteri latriae cultum Eucharistiae Sacramento exhibere, etiam extra Missarum solemnia, Corpus Christi in consecrata Hostia solemni fidelium venerationi proponendo, etiamque in processionibus frequentissimi populi laetitia circumferendo; recte insuper colant scientias ... ». *Ratio*: etiam introducatur oportet haec altera pars momentosa ministerii Presbyterorum, de cultu scil. Eucharistiae promovendo, cuius solemnis veneratio instanter denuo inculcatur in enc. *Mysterium fidei*. Et opportunum est hoc recolere praefata phrasi ex eadem Encyclica desumpta.

N. 4, pag. 17, lin. 31. Ubi dicitur: « et ad libertatem » dicatur: « et ad filiorum Dei libertatem ». *Ratio*: nam sacerdoti incumbit educare fideles, non ad quamcumque libertatem, sed ad christianam et veri nominis libertatem, quam Christus adduxit.

N. 4, pag. 18, lin. 2. Ubi dicitur: « et ita omnes officia sua ... christiane absolvant », dicatur: « et ita omnes moralis vitae praecepta officiaque sua ... christiane absolvant ». *Ratio*: nam de instructione circa fidei doctrinas fidelibus impertienda a sacerdotibus, parum est memorare legem caritatis et officia, ut videtur, professionalia, et deinde transitum facere ad institutionem in christiana perfectione, scrutando per signa temporum Dei voluntatem.

Ne omittatur oportet instructio fundamentalis in praeceptis iustitiae aliorumque ordinis moralis memoranda, nam secus instructio talis sufficiens minime esset. Haec enim praecepta primaria signa sunt eventuum in quibus christianus Dei voluntatem scrutari debet.

N. 5, pag. 18, linn. 22-23. Ubi dicitur: « Presbyteri ad genuinam communitatem adducant », dicatur addendo: « Presbyteri ad genuinam communitatem... adducant. Religio enim christiana indolem communitatis natura sua praebet, quin indoles eius personalis detrimentum patiatur ». *Ratio*: opportu-

num videtur addere, ex textu priori schematis, hanc sententiam, ad clarius signandum transitum de pastorali ministerio sacerdotum erga singulos fideles, ad hoc munus specifice communitarium, seu communitatis localis efformandae.

N. 5, pag. 18, linn. 34-35. Ubi dicitur: « Cum hisce temporibus humanae disciplinae cito progrediantur » ... dicatur: « Cum hisce temporibus humanae disciplinae et conditiones sociales cito progrediantur ». *Ratio*: ad servandum parallelismum et integrum sensum, nam consequentia deinde trahitur ad evolvendas tum scientias sacras, tum methodos actionis pastoralis. Istae vero evolvi debent non ob mutatas scientias, sed propter mutatas condiciones sociales.

N. 5, pag. 25, linn. 22-23. Ubi dicitur: « Presbyteri ergo semper memores sint », dicatur addendo: « Ob hoc altissimum sacerdotii munus presbyteri quidem veram paternitatem spiritualem erga suos fideles assequuntur, quos aliquando in Christo per verbum veritatis et sacramenta genuerunt; sed simul memores sint » ... *Ratio*: declaretur hoc proprium munus spiritualis paternitatis quod presbyteri erga fideles habent, prout certa doctrina est et plures Patres in aula petierunt.

Opportune, immo et necessario dicta declaratio in hoc contextu exigitur — licet serius, n. 14, pag. 36, lin. 13, obiter « paternitas in Christo » sacerdotis memoratur — ne videantur omnes relationes Presbyterorum cum laicis in meram fraternitatem dissolvi, totamque potestatem eius in solam fraternam ac dialogalem conversationem, in qua totus numerus nimis insistit.

Ita simul melius aptatur rythmo triplicis prioris sententiae istius numeri. Sicut prima et tertia, ita etiam secunda duplex habeat membrum: quod scil. sacerdos habet praeeminentiam supra fideles (primum), et nihilominus sit frater inter fratres.

Propter eamdem rationem oporteret etiam primum membrum sequentis, seu tertiae, sententiae roborare, sic dicendo lin. 35: « Presbyteros igitur sic oportet praeesse munusque suum pastoralis auctoritatis exercere, ut » ...

N. 11, pag. 31, linn. 10-11. Ubi dicitur: « Presbyter pro populo Dei se sanctificandi officio tenetur », dicatur: « Presbyter ergo non modo ad gloriam Dei et salutem propriam, sed etiam pro populo se sanctificare tenetur ». *Ratio*: patet. Nam videtur absonum quod hic iterum non exprimatur haec prima et communis ratio obligationis sanctitatis, quae est potior etiam pro sacerdote. Ita enim parallelo modo fiebat in praecedenti alinea.

16

Exc.mus P. D. SALVATOR BALDASSARRI

Archiepiscopus Ravennatensis

Loquor nomine multorum presbyterorum. Schema nostrum *De ministerio et vita presbyterorum* certe melius est confectum quam schema elapsi anni, ac proinde positive suffragandum. Remanent autem quaedam, quae si corrigantur, schema melius evaderet.

1. Certissime presbyteri debent episcopo oboedientiam et hoc clarissime dicendum, sed sufficit una vice, ne repetitio conceptus oboedientiae videatur quasi polemice proclamatus, quod incongruum est; sed schema repetit et repetit ita ut aliquando tentatio veniat dicendi: satis! E. g. in prooemio dicitur de missione presbyterorum et additur sollicite « quam ab episcopis recipiunt »; in n. 1 asseritur: « episcopi munus ministerii presbyteris tradiderunt » et subito additur « subordinato tamen gradu »; immediate postea « presbyteri et in exercenda sua missione ab episcopo pendeant », quod iam immediate supra dictum erat; in n. 4 presbyteri « ducentibus episcopis » et nunc dico satis ne taedium vobis afficiam.

2. In nostro schemate pauca habentur de presbyterio quod episcopum in regimine dioceseos adiuvare possit *efficaciter*. Quid significat hoc novum verbum « efficaciter »? Significat tantum bonam voluntatem presbyterii in adiuvando episcopo; vel significat etiam recognoscere certa iura presbyterii in regimine dioceseos? Meo iudicio melior erat forma veteris schematis « episcopum debere audire presbyterium in rebus maioris momenti pro regimine dioeceseos ».

3. Timor circa oboedientiam videtur fortis in nostro schemate et possunt esse rationes huius timoris; sed timor non eliminatur verbis repetitis, sed idea forti. Optima sunt in schemate de oboedientia sed non semper fortiter theologica, et plerumque sparsim posita. Ponatur idea clara oboedientiae in unico textu et supra firmam petram, id est super textus Scripturae et Patrum, qui non desunt. Ex altera parte consideretur etiam iussio et modi iussionis in episcopo. Si oboedientia est ex Scriptura et Patribus, recolant episcopi etiam iussionem et modos iussionis esse in Scriptura et Patribus.

Idea fortis biblica et patristica oboedientiae potest multa remedia praestare ut oboedientia sit, sed etiam exempla auxilium quam maxime praestant pro oboedientia bene exercita. Non requiro inseriri in schemate exempla hominum nostrorum temporum qui praeclarissimi fuerunt in hac essentiali et difficili virtute, sed, parcite mihi Patres, si nostrum Concilium proclamat sanctitatem Summi Sacerdotis qui in vita fuit supra modum oboediens et in suo stemmate habet mottum oboedientiae et pacis, dico Ioannes XXIII, puto nobis maximum praestare auxilium pro oboedientia nostrorum sacerdotum.

17

EXC.MUS P. D. ALFONSUS GERARDUS BANNWARTH
Episcopus Suessionensis

Schema *de ministerio et vita presbyterorum* sine dubio magnum progressum significat relate ad diversas redactiones quae de hac re durante hoc Concilio confectae sunt, speciatim relate ad illas brevissimas propositiones quae in ultima sessione Patribus submissae fuerunt. Attingit enim puncta essen-

tialia quae in hoc campo tractanda sunt. Propterea tum quoad rem ipsam tum quoad dispositionem generalem in principalibus placet.

Attamen sunt quae compleri et perfici adhuc debent. Immo et sat faciliter, ut videtur, perfici possunt. Liceat hic praesertim sequentia annotare:

1. *Desideratur in schemate nostro arctior unitas et structura magis interna.* Multa enim quae ibi dicuntur et in se generatim bona sunt, non satis interne inter se connectuntur ita ut saepius tanquam iuxtaposita appareant. Exempla multa afferri possent. Videatur speciatim pag. 13 et pag. 16-21. Etiam ligamen inter primam et secundam partem non sat profunde exhibetur.

Hinc fit, meo sensu, quod textui sicuti iacet desit ille vigor internus, ille halitus spiritualis, immo ille dynamismus sine quibus sacerdotibus nostris in documento tanti momenti, tamdiu ab eis exspectato et in quo novum gaudium et novum impulsum pro sua activitate haurire vellent, vix satisfieri possit.

2. *Aliqui aspectus essentiales muneris sacerdotalis in schemate insufficienter exponuntur.* Sic, e. g., functio cultualis et sacramentalis sacerdotum — et quidem recte — multum extollitur, dum econtra responsabilitas eorum proprie pastoralis et apostolica nimis breviter et, meo sensu, incomplete exhibetur, speciatim quoad homines illos plurimos qui, sive in margine Ecclesiae, sive extra eam inveniuntur, uti sunt indifferentes et non credentes. Hoc praesertim observari potest in fine numeri secundi, in numero tertio et partim etiam in numero quarto. Revera multa quidem dicuntur de ovibus quae sunt in ovili, sed pauca de iis quae sunt extra, quasi quodammodo oblivioni daretur verbum illud Domini: « Et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili. Et illas oportet me adducere » (*Io.* 10, 16).

Inde fit ut in locis ubi quaestio est de communitate christiana constituenda et enutrienda, v. g., n. 13, pag. 15-16, vel n. 4, pag. 18, linn. 1-10, haec communitas praesentatur plerumque ut aliquid nimis staticum. Revera magis correspondet illi conceptioni quae aliquando habebatur in sic dicto statu christianitatis — « situation de chrétienté ». Inprimis non satis exhibetur ut profundo spiritu apostolico imbuta et sic toto suo motu se protendens in eos qui circa eam vivunt et gratia salutis adhuc privantur. Et tamen hoc, speciatim nostris temporibus, maximi est momenti pro sacerdotibus. Nam si isti quidem plerumque sciunt se curam praebendos esse iis qui aliquomodo cum communitate christiana coniuncti manent, multo minus sentiunt se quoque sollicitos esse debere circa eos qui, sive ab ea defecerunt, sive adhuc omnino extra eam inveniuntur.

Sub hoc respectu etiam omnino insufficiens est quod in schemate habetur de *promotione et educatione laicorum.* Absolute necessarium est ut momentum et necessitas huius promotionis et educationis fortius et explicitius extollatur. Eo magis quod agitur de munere urgentissimo cui nostrum Concilium maximam diligentiam praebere voluit et quod in futurum a sacerdotibus ubique instanti cum cura exercendum est.

Debent ipsi speciatim semper amplius conscii fieri quod educatio chri-

stiana necessario implicat educationem ad apostolatum, sine quo, ut dicitur in constitutione *de Ecclesia* et in *de apostolatu laicorum,* non potest haberi vita christiana authentica. De hac re in schemate sacerdotibus destinato saltem tantum, immo plus dici deberet quantum invenitur in schemate *de pastorali episcoporum munere,* cap. II. Et sicut ibi, etiam hic saltem breviter de momento et renovatione *catechumenatus* temporibus hodiernis — de quo absolute nihil in schemate invenitur — aliquid dicendum esset.

Praeterea et ipsa *sanctificatio presbyterorum,* de qua in II parte, expressius et instantius ut ex peculiari eorum consecratione simul ac missione effluens apparere deberet.

Etiam *coelibatus,* qui merito in nostro schemate magni aestimatur, fortius sub hac luce fundandus esset.

3. Si vero quaeritur ratio ultima diversorum defectuum quos modo notavimus, haec praesertim in eo esse videtur quod idea missionis Ecclesiae, qualiter in constitutione *Lumen Gentium* exponitur, hic non satis transparet, cum ipsa deberet tamen esse quasi filus argenteus qui totum schema transit et in unum colligit. Certe — et optime quidem — functio sacerdotalis initio numeri primi describitur in sua relatione ad missionem Christi et Apostolorum eorumque successorum, i. e. episcoporum. Sed in reliquo decursu schematis non sufficienter in sua intima connexione cum hac missione depingitur. Sub hoc respectu textus emendatus in pluribus melior est quam textus recognitus et ideo e. g., in nn. 1, 11 et 13 pro maiore parte retinendus videtur. Inprimis in schemate non sat urgetur et evolvitur quod sacerdotes, tanquam cooperatores episcoporum, ut habetur in constitutione *de Ecclesia* (n. 28), suo modo et suo loco, totam istorum missionem eorumque munera et sollicitudinem pastoralem in sua universalitate participant. Ex qua participatione consequitur ut quicumque sacerdos in campo suae activitatis ministerialis, sive sit alicui paroeciae, sive alio ministerio addictus, ad id praesertim tendere debet ut ibi paulatim fiat authentica portio vel cellula Ecclesiae, quae sit imbuta spiritu et vita Christi et simul sollicita hunc spiritum et hanc vitam diffundere circa et extra se, in profundo conatu apostolico. Nam sicut non potest esse sincere christianus qui non tendat ad apostolatum, sic non potest haberi communitas vere christiana quae non sit simul apostolica.

Conclusio: In quantum schema nostrum secundum has lineas et sub hac luce corrigetur et complebitur, certe multum perficietur. Sic enim non solum assequetur *maiorem unitatem internam,* sed etiam omnia quae in I parte dicuntur de relationibus inter sacerdotes et episcopos, inter ipsos sacerdotes, inter sacerdotes et laicos — aliquid addendum quoque esset de religiosis —, sicut et ea quae habentur in II parte de vita et sanctificatione sacerdotum, obtinebunt *suum fundamentum verum, solidum et obiectivum.*

Hoc modo praeterea facilius vitabitur *sermo ille nimis moralizans et exhortativus,* cum innumeris optativis, qui in nostro textu revera moleste fertur.

Emendationes de diversis istis punctis, praeter eas quae habentur infra,

a me simul cum pluribus episcopis Galliae et Argentinae propositae, secretariatui traditae sunt.

Emendationes adhuc addendae. 1. Respicit educationem ad apostolatum. Nempe pag. 17, n. 4, lin. 33 ante « Parum proderit ... » inseratur: « Quod omnino postulat ut etiam in eis maxima cum sollicitudine suscitetur et educetur vivus sensus apostolicus quo omnis christianus, « ex ipsis donis sibi collatis, testis simul et vivum instrumentum missionis ipsius Ecclesiae existit secundum mensuram donationis Christi » (Const. *de Ecclesia* n. 33). *Ratio*: necesse est ut sacerdotes semper prae oculis habeant quod vera educatio fidei simul exigit educationem ad apostolatum. Speciatim sentire debent quod doctrina quae habetur de hoc puncto in cap. IV constitutionis *de Ecclesia* et in decreto *de apostolatu laicorum,* urgentissime ab eis sua actione pastorali in praxim deducenda est. Eo magis quod praecise educatio ad apostolatum saepissime negligitur et multis ut non necessario cum educatione christiana connexa apparet.

2. Respicit curam de vocationibus sacerdotalibus. Sic pag. 29, n. 10, lin. 32 compleatur textus hoc modo: « ideo universus populus christianus sciat necesse est suum esse officium efficaciter et quidem diversimode cooperandi, secundum ea quae in decreto de institutione sacerdotali (n. 2) dicuntur, ut semper Ecclesia illos habeat sacerdotes, qui necessarii sint ad missionem suam divinam explendam. Speciatim presbyteris summopere cordi erit sacerdotii excellentiam ... ». *Ratio*: ut sic 1) necessitas cooperationis populi christiani fortius asseratur; 2) ut vinculum statuatur cum decreto *de Institutione sacerdotali* ubi explicite quaestio de vocationibus fovendis tractatur; 3) ut forma exhortativa magis restringatur.

Pag. 30, n. 10, linn. 4-5 addatur: « Ad hunc finem prosequendum, inter alia media, maximae utilitatis est ... ». *Ratio*: ut sic magis in memoriam vocetur necessitas et alia media adhibendi.

18

EXC.MUS P. D. ALOISIUS BARBERO

Episcopus Viglevanensis

Loquar de subsidiis ad vitam interiorem fovendam de quibus in n. 15.

Vitam interiorem fundamentum esse et animam cuiuscumque apostolatus nemo est qui ignorat. Per ipsam enim presbyteri conformes fiunt imagini Christi, forma gregis, fermentum et lux.

Nemo pariter ignorat peculiari ratione in manibus presbyterorum sortes esse Ecclesiae eiusque munus cum fidei propagandae tum, quod non minoris est momenti, fidei praeservandae et defendendae.

In schemate, n. 15, non pauca indicantur subsidia, qualia: « lectio divina, oratio mentalis, conscientiae discussio, recessus spiritualis, cultus Sanctissimae

Eucharistiae, devotio erga Beatam Virginem, nec non plurima alia quae Ecclesia, decursu temporum, sua approbatione sancivit.

Sed haec omnia, licet optima, disiuncta apparent, utpote rivi separati a fonte. Non sufficit sane obiter memorare quod « omnis apostolica missio vivificatur a Spiritu Sancto quem (presbyteri) invocare ne omittant », ut habetur in schemate, sed necesse est, meo saltem iudicio, omnia a fonte haurire id est a Spiritu Sancto et in Spiritu Sancto, per Filium ad Patrem, omnia referre, quia tota oeconomia salvifica sive in actu primo sive in actu secundo, id est sive in Christo, sive in Ecclesia sive in singulis, speciali ratione tribuenda est Spiritui Sancto: Spiritus nempe Christi missus a Patre.

1. *In Christo.* « Hoc igitur opus (Incarnationis) — ait Summus Pontifex Leo XIII, in Encyclica *Divinum illud munus* — etsi totius Trinitatis fuit, attamen Spiritui Sancto, tanquam proprium, adscribitur, ita ut de Virgine sic Evangelia commemorent: "inventa est in utero habens de Spiritu Sancto; ... quod in Ea natum est de Spiritu Sancto est...". Divini autem Spiritus opera, non solum conceptio Christi effecta est, sed Eius quoque sanctificatio animae, atque ideo, ut ait S. Basilius, omnis Eius actio praesente Spiritu peragebatur, praecipue sacrificium sui: "... per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo" (*Hebr.* 9, 14) et a mortuis resurrectio iuxta illud Pauli: "Spiritus qui suscitavit Iesum a mortuis" (*Rom.* 8, 11); ideoque charismata omnia almi Spiritus in animam Christi effluxerint, scil. "copia gratiae singulariter plena, omnes sapientiae scientiaeque thesauri, gratiae gratis datae, virtutes donaque omnia" ».

Per Spiritus Sancti unctionem Christus summus et unicus Sacerdos est factus « sempiternumque habet Sacerdotium ».

2. *In Ecclesia.* « Die enim Pentecostes — ait eadem Encyclica — Spiritus Sanctus in mystico Christi corpore prodere coepit; tum vero apostoli de monte descenderunt — ait Chrysostomus — non tabulas lapideas in manibus portantes, sicut Moyses, sed Spiritum in mentem circumferentes et thesaurum quendam ac fontem dogmatum et charismatum effundentes » (Enc. *Divinum illud*).

Ideoque « quod in corpore nostro anima, id est Spiritus Sanctus in corpore Christi quod est Ecclesia » (S. Aug., *Serm.* 187).

Fons ergo vitae in Ecclesia Spiritus Sanctus, vitae quam Christus nobis promeruit, nam « quod Christus traditum a Patre habuerat, idem Spiritui Sancto tradidit perficiendum ». Idem legitur in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis,* n. 20: « Virtute enim Spiritus Sancti, redemptionis mysterium perpetuum vivum et efficax per saecula manet, donec Dominus veniat ».

Fons vitae et vinculum unitatis sicut cor ut ait S. Thomas: « Cor habet quandam influentiam occultam et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit » (*S. Theol.,* 3, quaest. 8, art. 1, ad 3).

3. *In fidelibus et sacerdotibus.* Huiusmodi Spiritus Sancti operatio non

tantum in Christo et in Ecclesia invenitur sed etiam in singulis, quorum corpus templum, quorum anima existit domicilium, in quibus veluti dulcis inhabitat Hospes, mirabilia dona mirabiliter effundendo ut filii Dei perfectius evadant.

Sed mirabilia haec mirabiliore et ditiore quidem modo Spiritus Sanctus operatur in sacerdotibus qui per Sacramentum Ordinis (« in quo specialiter datur Spiritus Sanctus », cf. Conc. Trid. Sess. XXIII, Can. 4) de Christi participant Sacerdotio; qui « per lavacrum regenerationis in Spiritu Sancto (*Tit.* 3, 5) homines novas reddunt creaturas »; qui per Spiritum Sanctum Sacrificium offerunt, Sacramenta conficiunt, animasque per Spiritum Sanctificationis (*Rom.* 1, 4) ad Christum adducunt.

In sacerdotibus Spiritus Sanctus fidelius orat, intimius operatur et altius clamat: « Abba-Pater ».

Ad Patrem enim omnia referre oportet quia Pater principium omnium et omnium finis.

Ad Patrem ergo per Christum in Spiritu Sancto. « Nemo vadit ad Patrem nisi per Filium et nemo ad Iesum pervenit nisi per Spiritum Sanctum ». « Spiritus — ait S. Thomas — manifestat Filium et Filius Patrem » (*S. Theol.*, quaest. 43, art. 7, ad 6).

In hac realitate Trinitaria-Christologica tota historia salutis, tota vita — oratio scil. et actio — Ecclesiae, totusque evolvitur cyclus liturgici anni.

In hac perspectiva totaliter et fortiter fovetur vita christiana sive fidelium sive presbyterorum uti fas est videre in Sacris Litteris, e. g. apud S. Paulum (*Rom.* 8; *Eph.* 1, 3-14 etc.; 1, 11-21; 3); immo sancta et heroica efficitur in christianis primaevis qui tanquam lapides, mediante machina Crucis Christi, a Spiritu Sancto in altum tolluntur ad aedificium Patris aedificandum, ut ait S. Ignatius Antiochenus (ad Eph.).

Nemo sane est qui non videt quae et quanta subsidia quantaeque spirituales divitiae oriantur si sacerdotes hanc Trinitariam-Christologicam meditantur perspectivam quam quotidie ore praedicant et opere complent, quantam accipiant virtutem « lectio divina, oratio mentalis, conscientiae discussio, spiritualis recessus, cultus Sanctissimae Eucharistiae » de quibus in nostro numero, et certo certius quomodo suum locum suamque inveniat praestantiam devotio erga Beatam Virginem quam Pater — Spiritu Sancto cooperante — Matrem voluit Unigeniti Filii sui.

Tali fundamento suffulti, virtute corroborati per Spiritum Sanctum in interiorem hominem, facilius Sacerdotes erunt in caritate radicati et fundati, supereminentem scientiae caritatem Christi scient et implebuntur in omnem plenitudinem Dei (cf. *Eph.* 3, 16).

Spiritus Sancti haec hora est, dixit Summus Pontifex Ioannes XXIII; Ecclesia in Concilio adunata novam expectat profusionem Spiritus. Ad Spiritum Sanctum qui est « fons vivus, ignis, caritas et spiritualis unctio » (i. e. sanctificatio) redire oportet.

« Fortasse ne hodie quidem desunt fideles — ait Leo XIII — qui simi-

liter rogati ut quidam olim a Paulo apostolo, acceperintne Spiritum Sanctum, respondeant similiter: sed neque si Spiritus Sanctus est audivisse » (*Act.* 19, 11). Sin minus multi in eius cognitione valde deficiunt... et eorum fides crassis tenebris est circumfusa.

Nonne ista ignorantia multorum malorum, quibus hodie valde angustiamur, causa est dicenda?

Quod ad nos et ad sacerdotes spectat recolere fas est quid Summus Pontifex Paulus VI dixit in oratione initii huius quartae sessionis: « Hoc primum nobis praecipitur, ut occulti Paraclyti voci iterum iterumque praebeamus; utque sinamus Spiritum Sanctum in animas nostras eam perfundere caritatem quae in sapientiam vertatur, cuius ope ad Deum... mens hominis ascendat... atque in amorem inque caritatem transeat. Necesse est igitur omni studio niti, ut Spiritus Sancti actio non solum cum nostra coniungatur sed ut eam penitus afficiat, illustret corroboret sanctamque praestet... Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis... ».

Concludendo: mihi liceat proponere ut totus n. 15 ponatur in luce Spiritus Sancti: omnia spiritualia subsidia ut efficacitatem et praestantiam accipiant ad Spiritum Sanctum tanquam ad fontem reducantur et sacerdotes vitam trinitariam-christologicam in se et in ministerio suo magis magisque vivere valeant.

19

EXC.MUS P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifatii

De par. 14, quae titulum habet « De consiliis evangelicis in vita presbyteri » et cuius urgens momentum neminem fallit, tria animadvertenda censeo, quae referuntur 1. ad ipsum titulum et orientationem actualem textus; 2. ad modum practicum textus melius structurandi, et 3. ad castitatem et coelibatum ecclesiasticum in particulari.

A. – Mutetur oportet ipse titulus par. 14 et, cum titulo, perspectiva ipsa in qua concipitur necessitudo inter vitam sacerdotalem et praxim oboedientiae, paupertatis et castitatis.

1. Titulus « de consiliis evangelicis in vita presbyteri » nimis generalis est cum textus nonnisi de tribus consiliis agit ex pluribus quae vitam sacerdotalem dirigere possent. Locus constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* qui hic recensetur talem restrictionem vigilanter evitaverat.

2. Ex titulo et praesentatione materiae suggeritur auctores schematis in mente habuisse spiritualitatem vitae religiosae caracteristicam magis quam vitae sacerdotalis. Oboedientia, paupertas et castitas in vita presbyteri, et quidem in quantum sunt elementa sanctificationis, non primarie connotant praxim aliquorum consiliorum sed potius exercitium virtutum sine quibus vita sacerdotis authenticitate careret et functio eius pastoralis effectu pleno privaretur.

Sic loquuntur constitutio *de Ecclesia,* schema *de pastorali episcoporum munere* et, in sua priori parte, ipsum schema nostrum.

a) Sine oboedientia quomodo essent presbyteri « cooperatores ordinis episcopalis eiusque adiutorium et organum » (*de Eccl.,* n. 28, al. 2), quomodo « cum suo episcopo unum presbyterium » constituerent (ibid.)? quomodo inveniri posset illa « sacerdotum voluntatis consociatio cum episcopi voluntate eorumdem actionem reddens uberiorem » (*de past. episc. m.,* p. 50, n. 28, lin. 28)?

Sine oboedientia, dico, specifice sacerdotali, i. e. filiali et amicabili, qua presbyteri « agnoscunt ut patrem », « reverentur et fidenti et magno animo in localibus congregationibus praesentem reddunt episcopum », a quo vicissim ut filii et amici considerantur « cum eis sacerdotali honore coniuncti » (omnia haec verba ex const. *de Ecclesia,* n. 28 sumuntur) et sicut providi, necessarii et devoti socii laboris « audiuntur » (*de past. ep. m.,* n. 16, pag. 41, lin. 37; n. 11, pag. 37, lin. 3; n. 28, pag. 50).

Quomodo sine revalorizatione oboedientiae genuine sacerdotalis existere posset inter varios sacerdotes qui presbyterium constituunt (officiales curiae dioecesanae, parrocos, vicarios, operum supraparoecialium responsabiles), illa ordinata cooperatio, illa « fraterna conversatio, mutua caritas et reverentia » quae necessaria est ut omnes « consiliis, auxilio et exemplo sese invicem adiuvent » et pastorali curae « concordi voluntate communique studio » provideant (*de past. episc. m.,* n. 30 et passim n. 28 et ss.)?

b) Similiter, sine paupertate quomodo possent presbyteri « evangelizare pauperibus » mitti (*Lc.* 4, 18), quomodo possent ministerium suum ut « verum servitium » aestimare (const. *de Eccl.,* n. 24), « memores quod qui maior est fiat sicut minor et qui praecessor est sicut ministrator » (*ibid.,* n. 27)? quomodo possent vere « in medio gregis Deum in spiritu et veritate adorare » (*ibid.,* n. 28)? Et de paupertate agimus proprie sacerdotali, qua non solis divitiis sed et honoribus et privilegiis renuntiatur. Nam, ut schema nostrum in n. 8 dicit, « presbyteros sic oportet praeesse, ut non quae sua sunt quaerentes, sed quae Iesu Christi, cum fidelibus laicis operam coniungant et in medio eorum se gerant ad exemplum Magistri qui inter homines non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis (*Mt.* 20, 28) ».

c) Castitas etiam, antequam ut obiectum consilii consideretur, ut ornamentum et virtus ipsius sacerdotii praesentari oporteret. Sed de hoc fusius alii loquentur.

3. Ut concludamus istas observationes generales, mutationem tituli et perspectivae par. 14 petimus. Non debent praesentari oboedientia, paupertas et castitas ut materia consiliorum evangelicorum quibus iure divino devincerentur sacerdotes (Hoc clare affirmavit Pius XII in Alloc. *Annus Sacer, A.A.S.* 43 [1951], pag. 29). Sed optime praesentari possunt ut virtutes ministerio sacerdotali essentiales quarum praxis generosa presbytero praebet « tutum

sacerdotalis asceseos iter » secundum formulam Ioannis XXIII (Enc. *Sacerdotii nostri primordia, A.A.S.* 51 [1959], pag. 551). Et hanc formulam dilecti Pontificis libenter ut titulum nostrae paragraphi retinendam esse censemus.

B. – Ut nunc ad particularia descendamus, liceat nobis proponere novam ordinationem totius materiae praesentis:

1) Primo revocetur principium supra dictum Ioannis XXIII de tuto itinere asceseos et sanctitatis quam pro sacerdotibus constituunt oboedientia, paupertas et castitas. Non tamen adhibeatur in hac introductione expressio consiliorum evangelicorum. Vitetur etiam omnis modus dicendi quo proponeretur ascesis sacerdotalis sicut pallida imitatio vitae religiosorum. Ut dicit S. Thomas et Papa Ioannes loco citato reiterat, « ad sacerdotalium munerum debitam perfunctionem requiritur maior sanctitas interior quam requirat etiam religiosus status » (*Summa theol.,* 2^{a}-2^{ae}, q. 184, a. 8; Encycl. *Sacerdotii nostri primordia,* p. 550).

2) Ostendatur deinceps: *a*) quod illae 3 virtutes essentiales sunt ad perfectionem sacerdotalem et necessariae ad fructuosum ministerium; *b*) quod ad eorum exercitium multum iuvat praxis diversorum consiliorum in Evangelio a Christo propositorum; *c*) quod sacerdotes, si virtutes paupertatis, oboedientiae et castitatis in spiritu consiliorum exercent, non intra limites strictae obligationis sistunt sed ultra progrediuntur ex amore speciali et generoso Christi.

3) Post hanc expositionem possibile erit de tribus virtutibus insimul tractare ostendendo quomodo in praxi earum generosa secundum mentem consiliorum: *a*) Sacerdos liberationem invenit ut Christo et fratribus sese dedicet in amore; *b*) pro mundo fit signum eschatologicum superioritatis bonorum aeternorum; *c*) fecundiorem actionem sacerdotalem exercet.

4) Sic tandem possibile evadit tractare singillatim de unaquaque ex tribus virtutibus, insistendo, sicut iam aliqualiter in textu fit, super aspectus proprie sacerdotales earum. Et ad hoc valde utile erit referentiam facere ad loca varia Constitutionis de Ecclesia et aliorum documentorum conciliarium, ut supra fecimus pro obedientia et paupertate.

C. – De castitate perfecta et de coelibatu ecclesiastico nobis parcatis, Patres, ut pauca dicamus, non quoad doctrinam sed quoad modum eam praesentandi.

1) De ea quaestio fiat postquam de paupertate et de oboedientia. Hae duae enim strictius vinculantur cum sacerdotio ex natura ipsius missionis.

2) Ostendatur castitas perfecta tanquam ulteriorem perfectionem afferens paupertati spirituali et obedientiae (haec fuit mens Ioannis XXIII in sua allocutione ad religiosas durante Synodo Romana, *A.A.S.,* 52 [1960], pag. 280).

3) Expositioni sic renovatae, « de castitate sacerdotali » paragraphus distincta consecretur. Et ita melius videbuntur notae distinctivae paupertatis

et obedientiae ex una parte (quae clero tum orientali tum occidentali conveniunt) et castitatis ex altera parte (quae pro ecclesia occidentali specialem formam coelibatus induit).

* * *

In genere. Schema generaliter placet, licet adhuc perfectionandus nobis videatur. Doctrina recta, abundans, et progressui theologico aperta videtur. Placet ordo secundum quem de ministerio prius agitur, et vita personalis secundum exigentias missionis concipitur. Placet importantia Eucharistiae tributa sicut centro totius ministerii et vitae sacerdotalis, licet in aliquibus locis hic aspectus in meliore luce poni possit.

Tonus tamen redactionis nimis exhortativus et oratorius est, et stylus similior est stylo Encyclicarum quam stylo decretorum conciliarium. Paragraphi et sententiae nimis extensae et intricatae divitias doctrinae inutiliter abscondunt.

Animadversiones quae sequuntur non ut improbatio schematis proponuntur, sed ut adiumenta ad meliorem praesentationem.

In specie. Pag. 11, Prooemium. Convenientius daretur huic paragrapho numerus ordinis, sicut in aliis documentis conciliaribus laudabiliter fit, ad faciliorem consultationem.

Pag. 12, n. 1, lin. 30, pag. 13, n. 1, lin. 20. Exemplum typicum hic invenitur defectus simplicitatis in dicendo, qui doctrinam aliter excellentem nimis difficilem facit. Divisio paragraphi in partes secundum distinctionem idearum, et item divisio sententiarum, aspectus revelaret pretiosos quae nunc vix diuturna meditatione patefiunt.

Pag. 16, n. 3, lin. 10. Post verbum « praeest » (lin. 10), addatur textus qui correspondet ideae propositae in lin. 29 ss.: « Laudes et gratiarum actiones quas Patri per Christum persolvunt in Eucharistiae celebratione, ad diversas diei horas dilatent in Divino Officio, in quo non tantum pro seipsis sed etiam pro animabus sibi concreditis et pro tota Ecclesia orant ». *Rationes*: 1) valde laudandum est quod Divinum Officium inter ministeria presbyterorum includatur; 2) sed melius est eius connexionem cum Eucharistia ostendere.

Pag. 16, n. 3, linn. 27-34. Deleatur tota sententia, quia partialiter translata est ad lin. 10 ut supra, et idea mortificationis personalis et poenitentiae melius in pag. 38, n. 15, linn. 34-37 convenit, sicut infra notabitur.

Pag. 18, n. 4, linn. 16-20. Nova sententia fiat a verbis « et insuper ... », quia idea prorsus distincta est ab hoc quod linn. 14-16 dicitur.

Pag. 19, n. 5, lin. 35. Dicatur « Summorum Pontificum » loco « Romanorum P ... ».

Pag. 20, n. 5, linn. 12 ss. Alterum exemplum styli simplicitate carentis.

Pag. 27, n. 8, lin. 27. Legatur « in Summi Pontificis suorumque episcoporum normis ... ».

Pag. 27, n. 9, lin. 37. Fiat nova paragraphus a verbo « Quapropter ... ».

Pag. 28, n. 9, linn. 1-18. Sententia 18 lineas complectens obscuritate necessario inficitur.

Pag. 29, n. 9, linn. 5-7. Deleantur verba « Nam, cum ... » usque ad « lucrifacerem », quia sufficit secunda pars textus Epistolae ad Corinthios, qui sic maiorem impressionem facit.

Pag. 32, n. 12. Recte fundatur obligatio sanctitatis in triplice munere sacerdotali. Sed idea tam praegnans non satis clare et profunde evolvitur, dum ex altera parte sumitur spatium pretiosum ad reiteranda aliqua quae in n. 3 inveniebantur.

Pag. 32, n. 12, linn. 39-40. Dicatur: « Cum in celebratione sacramentorum ac praesertim Eucharistiae presbyteri ... »: quia hic modus loquendi magis congruit cum stylo renovationis liturgicae.

Pag. 33, n. 12, linn. 6-7. Dicatur « In Mysterio Eucharistico »: Propter eamdem rationem.

Pag. 33, n. 13. Totus numerus nervositate caret. Modo nimis negativo incipit quasi difficultas vitae interioris ex circumstantiis mundi hodierni orietur magis quam ex natura rei. Nihil boni videtur esse in mundo hodierno quod ad sanctitatem stimulet et adiuvet sacerdotes. Quid de maiori facilitate ad loca et personas sacras accedendi, scripta spiritualis consequendi? quid de aemulatione laicorum, qui in apostolatu sese sanctificant? Et haec inter alia.

Pag. 34, n. 13, linn. 34-38. Miranda est accumulatio verborum de Deo et Christo, sed sensum et progressionem idearum perdere facit.

Pag. 35, n. 14. Totus hic numerus de materia aliunde ingentis momenti, etsi elementa valida contineat, valde deficit in praesentatione:

I – Titulus mutandus est. *a*) Sunt enim alia consilia evangelica praeter tria quae hic recensentur.

b) Paupertas et obedientia in vita sacerdotali non primarie praxim consiliorum connotant. Sunt potius virtutes statui et ministerio sacerdotali essentiales, ut iam notatur in ipso decreto, v. g. pag. 28, n. 8, lin. 35 pro paupertate, et pag. 21, n. 7 et pag. 19, n. 4, linn. 1-8 pro obedientia.

c) Nonne melius esset in titulo et in ipso textu habere expressionem a Ioanne XXIII adhibitam in sua encyclica ad sacerdotes *Sacerdotii Nostri primordia* (1 Aug. 1959), i. e. « via regalis perfectionis ».

II – Nova perspectiva et ordinatio materiae proponitur. *a*) Primo revocetur principium supra dictum Ioannis XXIII de via regali perfectionis quam pro sacerdotibus constituunt paupertas, obedientia et castitas. Sed non adhibeatur in hac introductione expressio « consilium evangelicum ».

b) Dicatur deinceps: 1. quod illae 3 virtutes essentiales sunt ad perfectionem sacerdotalem et necessariae ad ministerium; 2. quod eorum exercitium multum adiuvatur per praxim diversorum consiliorum in evangelio a Christo datorum; 3. quod sacerdotes qui virtutes paupertatis, obedientiae et castitatis in *spiritu consiliorum* exercent, non sistunt intra limites strictae obligationis, sed ultra progrediuntur ex amore speciali et generoso Christi.

c) Sic potest ostendi quomodo in tali praxi generosa: 1. Sacerdos liberationem invenit ut Christo et fratribus sese dedicet in amore; 2. pro mundo fit signum eschatologicum superioritatis bonorum aeternalium; 3. fecundiorem actionem sacerdotalem habet.

d) Et tunc possibile est tractare singillatim de tribus virtutibus, insistendo, sicut iam aliqualiter fit in textu, super aspectus supra recensitos.

III – De castitate perfecta et de coelibatu ecclesiastico: *a*) dicatur de ea postquam de paupertate et oboedientia, quae magis vinculantur cum sacerdotio ex natura ipsa missionis; *b*) ostendatur castitas perfecta tanquam afferens perfectionem et complementum paupertati et oboedientiae (quod fieri posset ad mentem allocutionis Ioannis XXIII ad religiosas durante Synodo Romano, 29 ian. 1960); *c*) expositioni sic renovatae « de castitate sacerdotali » *numerus* distinctus ordinis posset dari. Et ita melius viderentur notae distinctivae paupertatis et oboedientiae ex una parte (quae clero tum orientali tum occidentali necessariae sunt) et castitatis (quae pro ecclesia occidentali formam specialem coelibatus induit).

Pag. 38, n. 15, lin. 33 (in fine). Hic inseratur textus de cultu S. Eucharistiae et B. M. V., de quo in schemate agitur pag. 39, n. 15, linn. 15-19: « Ideo totam vitam suam imbuant cultu Sanctissimae Eucharistiae et devotione erga Beatam Virginem, Matrem Summi et Aeterni Sacerdotis et Reginam Apostolorum ». *Ratio*: sic ponuntur suo loco, ut radices totius vitae interioris sacerdotis, devotiones quae ceteris « subsidiis » praeeminent.

Pag. 38, n. 15, linn. 34-37. Hic iteratur idea quae iam in pag. 16, n. 3, linn. 27-34 aliqualiter enuntiata fuerat. Sed forsan melius hic in n. 15 conservetur idea poenitentiae pro seipso et pro aliis, loquendo etiam de valore poenitentiali mortificationis. Ideoque deleantur linn. 27-34, pag. 16, n. 3, secundum hoc quod supra dictum est.

Pag. 41, n. 17, lin. 2. Loco verbi « imprimis » dicatur « in spiritu paupertatis evangelicae ».

Pag. 41, n. 18, lin. 22. *a*) Post verbum « constituatur » addatur « sicut iam cum laude et exitu in variis partibus fit ». *b*) Loco expressionis « massa bonorum communis » adhibeatur expressio « systema mutui adiutorii » vel « regimen contributionum » vel alia huiusmodi, quae melius sonet. *Rationes*: 1) Verba « massa bonorum » connotant ideam fundationis seu « capitalis » stabilis, cuius redditus annui in necessitatem egentium assumuntur. Tale systema iam non convenit conditionibus oeconomicis et politicis in maiori parte mundi existentibus, ubi oportet Ecclesiam non accumulare fundos, et ubi inflatio continua valorem capitalium incessanter minuit. Praesertim non perfecte congruit cum novis conceptibus caritatis fraternae et iustitiae socialis et distributivae. Potest systema adiutorii mutui in « capitali » fundari quod omnibus « capitalibus » materialibus maius et securius est, scilicet in « capitali » caritatis mutuae sacerdotum et fidelium. Sic, contributiones regulares sacerdotum et institutionum, sine inutili accumulatione fundorum, securiorem facere possunt conditionem sacerdotum et ecclesiarum

quae egestati exponuntur. 2) Experientiae iam in pluribus locis factae possibilitatem monstrant talium systematum.

Pag. 42, n. 19, lin. 17. Loco « omnipotenti Dei virtute » dicatur « Christo qui omnia vincit ». Sic per referentiam ad personam Christi locutio minus abstracta fit.

Pag. 42, n. 19, linn. 30-31. Melius adhibeatur textus ipse Epistolae ad Hebraeos, qui facilius intelligeretur quam verba ab eo disiuncta: « Abrahae, qui "obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem: et exiit, nesciens quo iret" (*Hebr.* 11, 8) ».

[*Subscripsit etiam*] A. Hacault, aux. S. Bonifatii.

20

Exc.mus P. D. CRISPULUS BENITEZ FONTURVEL
Episcopus Barquisimetensis

Schema valde placet, sed haec habeo animadvertenda:

1. *De aliqua reordinatione generali. a*) Quoad primam partem, nempe de Ministerio, suggero translationem n. 5, qui de Studio agit, ad secundam partem, quae agit de vita presbyterorum. *Rationes* hae sunt:

1) Studium prout in se est et prout hic exponitur est aliquid *ad* ministerium, non vero ministerium qua tale. Quod de cetero affirmatur in ipso textu, quando urgetur maturitas in scientia, ex una parte, *ut* presbyteri suo ministerio valeant explanare thesauros verbi divini; ex alia parte, *ut* magis in dies cognoscant Iesum Christum.

2) Studium est aliqua nota characteristica vitae sacerdotalis. Et sic in textu affirmatur quod pertinet « ad praecipua officia status sacerdotalis »; atque exhortantur presbyteri « ut per totam vitam protrahant » studia sacra.

3) Translata hac par. 5, structura primae partis clarior fieret, nam primum ageretur de natura et condicione presbyterorum; deinde de presbyteris in seipsis et in relatione ad alios; tertio de distributione; quarto, de vocatione.

b) Quoad alteram partem, nempe de vita presbyterorum, mihi videtur hoc caput nimis breve esse; nam de duobus tantum, etsi gravibus, punctis agit, nempe de sanctitate et de sustentatione presbyterorum, cum eorum consectariis. Tamen his duobus punctis, quae pertinent ad vitam presbyterorum non sufficienter tractantur. Ob hanc causam hanc structuram propono:

1) agatur de sanctitate, et quidem prout in textu tractatur;

2) de studio, servando quae nunc in n. 5 primae partis exponuntur, sed clarius asserendo studium necessarium omnino esse non tantum ad praedicationem, sed etiam ad alia munera sacri ministerii; quod certe innuitur quando de studii subsidiis agitur, sed non satis quando principia de studio sta-

tuuntur. Cognitio enim mediorum activitatis pastoralis et personarum tam necessaria est pro presbytero quam cognitio doctrinae qua talis;

3) de sustentatione, cum eius consectariis, prout in textu fit;

4) de vita fidei in ministerio sacerdotali. Quae in n. 19 affirmantur ita optima sunt ut brevia. Etenim, cum vita presbyterorum « mysterium fidei » sit, cumque praesertim nostris temporibus nervum sacerdotalis exsistentiae vita fidei exstet, valde opportunum foret si de hac re fusior sermo fieret. Unde propono quod de « stylo exsistentiae sacerdotalis » (prout nunc dicitur) aliqua magis explicita enucleentur, ad confirmationem et solatium in Christo nostrorum presbyterorum.

Ita confecta altera parte schematis, exhortatio finalis novo modo posset confici, ad lucem totius tractationis, servatis ex actuali exhortatione servandis.

2. *Quoad n. 6, de habitudine inter episcopos et presbyterium.* In hac paragrapho exhortamur episcopi ad nostros presbyteros habendos ut adiutores et consiliarios; ut amicos; ut pretiosam spiritualem coronam nostram. Sed nihil dicitur de nostra paternitate erga presbyteros.

Per Ordinis sacramentum munus ministerii nostri eis tradimus et eos participes facimus nostrae episcopalis missionis, ut bene in numero primo affirmatur. Uno verbo: eos generamus ad participandum, vero etsi subordinato modo, nostrum episcopatum. Unde ut filios, et non tantum ut amicos, presbyteros habere tenemur; atque vinculo pietatis, quae amoris et iustitiae officium est, cum eis adstringimur.

Imago Patris cum sit episcopus, paternitatem suam permaxime erga presbyteros exercere tenetur.

Meminisse iuvat, nos eis (et aliis fidelibus si necessitas hoc exigit) aliorum sacramentorum administrationem congruis et possibilibus modis communicare; sed ordinationem presbyterorum nobis unice reservare. Quod magis manifestat nostram singularem paternitatis relationem ad presbyteros.

Advertere fas est etiam, quod ad hoc ut ad effectum deducantur hae relationes collaborationis, consilii, amicitiae et filiationis cum presbyteris, non tantum opportunus est coetus sacerdotum, presbyterium repraesentantium, qui nos adiuvet in regimine dioeceseos; sed ipsum presbyterium qua tale in actum adiutorii reducendum est.

Nos, cum omni presbyterio, modis perplurimis quibus uti possumus, curare de animabus concreditis debemus.

Unde desideratur hoc munus presbyterii qua talis magis in lucem ponendum esse.

3. *Quoad n. 7, de fraterna coniunctione et cooperatione inter presbyteros.* Bonum esset si unum verbum diceretur de fraterno amore et cordis amplitudine erga diaconos qui, ad mentem constitutionis *Lumen gentium,* tempore non valde futuro creabuntur plurimis in locis, Deo iuvante.

4. *Quoad n. 8, de conversatione presbyterorum cum laicis.* Aliquid deest quod suum momentum habet, et quod etiam punctum quartum, de presbyteris ut populi Dei rectoribus, afficit, nempe: cura peculiaris quam presbyteri habere debent de laicis qui in Associationibus laicorum apostolatus, praesertim Actionis Catholicae, militant.

Hi laici speciali amore pastorali prosequendi sunt, ob eorum expressam et respective arctiorem cum episcopo et eius ministris coniunctionem. Ita continuo de hac re pontificia documenta nos admonent.

Etiam aliqua videntur observanda de paragrapho « Meminerint demum presbyteri », in pag. 27.

Multis in locis terribilis discriminatio quae in sociali vita datur, in ecclesiali vita reflectitur. In multis nationibus haec discriminatio millia millium baptizatorum afficit. In multis regionibus « coetus medius » est qui practice christianam communitatem constituit.

Quae cum ita sint, necesse est, quae ibi affirmantur, modo magis realistico exprimere, asseverando tunc vitam communitatis veram esse quando realiter, et non tantum verbis, tota communitas adlaborat ad realizandam in mundo doctrinam socialem Ecclesiae.

Populus Dei, cum suo stylo vivendi amorem et iustitiam in mundo, operibus testificat de suo gradu vivendi communitatem in Ecclesia.

5. *Quoad n. 9, de apta presbyterorum distributione.* Valde laudandae sunt affirmationes de universali amplitudine cuiuslibet sacerdotalis ministerii. Ex hac veritate aliquod consectarium practicum, quoad sacramentum poenitentiae, deduci potest. Nempe de amplianda facultate absolvendi ex parte presbyterorum. Haec propono:

a) sacerdoti facultatem absolvendi habenti in sua dioecesi, licitum sit in omnibus dioecesibus suae nationis absolvere;

b) eidem, si facultas absolvendi concessa est in aliqua dioecesi exterae nationis, licitum sit absolvendi in tota illa extera natione;

c) eidem, in itinere quocumque se habenti, licitum sit absolvere toto tempore et spatio itineris.

In mundo moderno, qui ita parvus factus est ut iam ex eo ad alia sidera iter arrepti simus, pro animarum salute, quae suprema lex est, valde haec ampliatio perutilis esset.

6. *Quoad n. 10, de cura erga vocationes sacerdotales.* Bonum esset si aliqua dicerentur de fovendis ab omnibus presbyteris organizationibus nationalibus et internationalibus ad vocationes sacerdotales promovendas. Ita vigorem percrescentem talia instituta adquirerent, cum magno Ecclesiae proventu.

7. *Quoad n. 14, de paupertate presbyterorum.* Bonum, si adderetur quod spiritus et realitas paupertatis evangelicae:

a) sacerdotem testem facit fidelis adimpletionis Doctrinae socialis Ecclesiae;

b) immediatam possibilitatem in eo creat talem Doctrinam intime perspiciendi, nam omnia munda mundis;

c) denique libertatem quam maximam presbyteris praebet eam alacriter et viriliter proclamandi et exponendi.

Presbyter liber a divitiarum cupiditate, potest toto corde sentire cum millibus millium hominum qui fame et miseria vexantur in mundo.

8. *Quoad n. 17, de recto usu bonorum.* Valde opportunum erit, quia iustum et aequum, si aliquid addatur de debita informatione respectivae communitati vel coetui circa administrationem — dioecesanam, paroecialem, « institutionalem », etc. — bonorum ecclesiasticorum.

Hae bona sunt Ecclesiae. Ecclesiae, i. e., fidelium communitati, de eis modo opportuno informetur. Administratores sumus coram Deo et coram communitate.

Demum, quoad n. 3, de presbyteris ut ministris Sacramentorum. Non huic occasioni, sed futurae, si ita Deo placuerit, haec dico relate ad Sacramentum Poenitentiae:

Cum numerus presbyterorum plurimis in locis insufficiens sit, ex una parte; cum, ex alia parte, adsistentia populi christiani ad confessiones faciendas aliquibus diebus maioris significationis unoquoque anno permaxima sit; cumque in missionibus internis pluries massa confitentium debito modo curari non possit; conveniens est profundam reflexionem theologicam et pastoralem instituere de absolutione sacramentali generali populo a presbyteris impertienda, in determinatis adiunctis personarum, spatii ac temporis.

Hae sunt observationes quas vestrae considerationi submitto. Ceteras animadversiones minoris momenti scripto secretariatui Concilii trado.

Aliae observationes. 1. Ad n. 1, pag. 13, linn. 24 ss. Recte ponitur exemplum Domini; sed deinde dicitur (lin. 31): « Ipsum iam imitati sunt apostoli, et testatur Paulus... ». Sed postea, in lin. 41, revertitur ad apostolos, nam dicitur: « ita apostoli reliquerunt... ».

Suggerentia: Melius ordo haberetur si ita procederetur: primum, exemplum Domini; deinde exemplum apostolorum: *a*) generali (linn. 41 ss.; linn. 31-32); *b*) S. Pauli (lin. 33); denique consequentia fluens: imitatio debita presbyterorum.

2. Ad n. 2, pag. 15, linn. 5-6. Desideratur aliqua explicitatio huius « multiformis exercitii », mentionem verbi gratia faciendo de ministerio verbi in parvis coetibus (en los equipos); in recessibus; in conferentiis; per media communicationis socialis; per modum dialogi, scriptis, etc. Bonum esset laudare diffusionem scriptam verbi ex parte presbyterorum, tam proficua in mundo moderno. Rationes huius suggerentiae:

a) interna: sic exercitium ministerii verbi fortius et concretiori modo asseritur;

b) externa: in expositione concreta ministerii sacramentorum (vide pag. 16, a lin. 11: « edoceant... instituant... erudiant... ostendant... alli-

ciant... », etc.); et ministerii rectoralis (vide pag. 17, a lin. 28: « educatio... adsistentia... institutio... pauperes et debiliores... iuvenes... », etc.) valde opportune plurimae specificationes dantur.

Sed in expositione ministerii verbi, salvis affirmationibus a lin. 37, pag. 14, ad lin. 4, pag. 15, tantum suggeritur multiforme exercitium et eius concretio in ministerio sacramentorum et in Missarum celebratione.

3. Ad n. 2, pag. 14, linn. 29-30. Affirmatur: praedicatio Evangelii... « primum quoque munus presbyterorum est ». Sed in pag. 33, linn. 6 ss., affirmatur: « In mysterio Sanctae Missae, in qua munus suum praecipuum sacerdotes exercent... ». Et contextus huius pericopae est contextus secundi muneris presbyterorum, nempe ministerii sacramentorum et sacrificii Missae. Cf. etiam pag. 15, linn. 23 ss.

Suggerentia: videtur necessaria maior praecisio terminologica.

4. Ad n. 4, pag. 17, linn. 13 ss. Videtur melius non contraponere dialogum cum exigentiis doctrinae. Nam recta dialogica methodus apostolica, maxime fidelis est exigentiis doctrinae (cf. Encyclicam *Ecclesiam suam*).

5. Ad n. 5, pag. 19, linn. 36 ss. Peropportunum esset meminisse etiam Conciliorum in genere et specialiter Concilii Vaticani II.

6. Ad n. 11, pag. 31, linn. 30 ss. Forsitan melius esset textum S. Ioannis cap. 15, ibi citatum, explicite afferre; maxime 15, 5; nam directissime ad rem pertinet. Et textus plene sacerdotalis est.

7. Ad n. 11, pag. 32, a lin. 11. Bonum esset si finis a Concilio etiam directe intentus, nempe unio christianorum (oecumenismus), explicite recordaretur. Nam sanctitas sacerdotum maximi momenti est ad unionem et dialogum.

8. Ad n. 7, pag. 25, linn. 3 ss. Credo in textu affirmandum explicite esse has associationes, non tantum sanctitatem fovendo, sed ex tota ratione sua, ordini presbyterorum tenenda esse inservire.

In tantum hae associationes utiles sunt in quantum veris exigentiis spiritualibus et pastoralibus presbyterii inserviunt. Secus periculum adest discriminationem creandi inter presbyteros, et minuendi valorem presbyterii qua talis.

[*Subscripserunt etiam*] Ioseph Al. Lebrum, ep. Valencia en Venezuela; E. Herrera, ep. tit. Sesta; J. Rojas, ep. Trujillo; C. Maradei, ep. Cabimas.

* * *

Pernota sunt, quia in Breviario saepe leguntur, praeclara illa verba S. Bedae, venerabilis presbyteri, in sua homilia ad Evangelium S. Lucae, in cap. 12, a vers. 32, quae sic sonat: « Vendite quae possidetis et date eleemosynam ». Nolite, inquit, timere ne, propter regnum Dei militantibus, huius vitae necessaria desint; quin etiam possessa propter eleemosynam vendite ».

Prosequitur sanctus presbyter affirmando quod hoc tunc digne fit quando

laboratur ad eleemosynam dandam; citat exemplum sublimem S. Pauli apostoli in hac materia; et postea transit ad alium versiculum: « Facite vobis sacculos qui non veterascunt »: eleemosynas videlicet operando quarum merces in aeternum maneat. Ubi non hoc praeceptum putandum est, ut nihil pecuniae reservetur a sanctis, vel suis scilicet vel pauperum usibus suggerendae; cum et ipse Dominus, cui ministrabant angeli, tamen ad informandam Ecclesiam loculos habuisse legatur; et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus aliisque indigentibus tribuens; sed ne Deo propter istas serviatur et ob inopiae timorem iustitia deseratur.

Haec verba perapta videntur ad textum n. 16 schematis *de ministerio et vita presbyterorum*. Quia in eis elucescunt et spiritus et littera illius renovationis quae in materia oeconomica, hac sancta Synodo disponente, ad gloriam Dei et mundi exemplum, ab episcopis et a presbyteris realizari debet.

1. *De educatione fidelium in materia oeconomica.* Patienter, firmiter ac laeto modo presbyteri debent fideles educare ad sua officia adimplenda in campo adiutorii oeconomici ad Ecclesiam. Iusta ministrorum sustentatio, necessarius usus mediorum ad apostolatum, caritas ab Ecclesia Domini iussu exercenda, haec omnia clare nobis monstrant quod « aliquid pecuniae reservari debet a sanctis ». Hoc sensu recte loquitur de « bonis Ecclesiae ». Et omnes qui ad Ecclesiam pertinent, in quocumque gradu aut ministerio, de hac possessione mediorum debent curare.

2. *De mensura possessionis bonorum in Ecclesia.* Si sustentatio, media et caritas sunt rationes possessionis bonorum ab Ecclesia, hae tantum et nullae aliae rationes licitae sunt. Ergo nec purus conservationis spiritus, nec situationes iam adquisitae, nec voluntas praepotentiae, nec falsa aliqua sic dicti prestigii nota, nec inconscia imitatio modi vivendi mundani, nec mentalitas beneficii prae officii, nec reliqua omnia huiusmodi generis debent ullo momento mensurare possessionem ecclesiasticam bonorum.

3. *De certitudine quod Ecclesiae militanti nunquam talia bona necessaria deficient.* Dominus ita nobis docuit et sanctorum experientia continuo ita nos admonet. Duo in hac materia sunt maximi momenti. Primum, quod nullus in Ecclesia debet servire Deo propter ista. Deo tantum propter Deum serviendum est. Primum quaerite regnum Dei. Ita quaerentibus alia omnia adicientur. Secundo, quod ob inopiae timorem iustitia non debet deseri. Iustitia erga Deum, eius tantum gloriam quaerendo; iustitia erga fratres, communi bono Ecclesiae, et non tantum aliquarum personarum vel coetuum in Ecclesia, tantum providendo; iustitia erga homines, praedicando Doctrinam socialem Ecclesiae, quae pars integralis conceptionis catholicae vitae est, claro et firmo modo, etsi potentes huius mundi nos derelinquant vel adversentur.

4. *De usu vere communitario horum bonorum.* Loculos habere licet, sed « ad informandam Ecclesiam ». Habitus mutui adiutorii in primitiva Ecclesia inter communitates, etiam valde distantia separatae, in memoriam nobis revocat necessitatem consequendi aequitatem intra Ecclesiam.

Unde valde desideranda esset constitutio alicuius « massae communis ecclesialis » internationalis, ad quam et de qua, Ecclesiae omnes, prout possibilitas aut necessitas postularent, afferrent vel obtinerent. Haec massa apud Sanctam Sedem centrum haberet.

Haec initiativa non aufert illas realitates iam in Ecclesia florentes, interdioecesani adiutorii, quae in dies magis crescunt et praesentiam Spiritus testificant renovantis faciem fraternalem Corporis mystici.

In hodiernis adiunctis aequitas in sancta Ecclesia catholica habet, inter alias, dimensionem internationalitatis.

5. *De stylo vere ecclesiali in obtinendis, possidendis et communicandis bonis.* Ad Ecclesiam multa bona adveniunt ex eius filiis in eius servitium totaliter mancipati, prout sunt sacerdotes ex ministerio viventes et religiosi suo intellectu aut suis manibus laborantes. Alia sunt bona ex contributionibus permanentibus vel ex donationibus transeuntibus ex parte fidelium.

Desideratur quod in obtinendis, possidendis et communicandis bonis splendeat caritas et non negotium; institutionalisatio et non incoeptus; intelligentia et non speculatio; praevidentia et non accumulatio; fructificatio et non redditus capitalisticus; mutuum adiutorium et non monopolia; iuvamen mundi et non aemulatio vel duplicatio mundi.

Etiam conscientia limitationis necessaria est. Spiritus semper augendi non est christianus. Christianus tantum est spiritus possidendi necessaria et dandi superflua.

Mundum convincere debemus paupertate et non mediis mundi; quos ex altera parte nec nunquam ad mundi mensuram habebimus nec mundi sedulitate.

6. *De debita informatione toti populo Dei.* Cum episcopi et presbyteri et diaconi administratores tantum coram Deo et coram christiano populo et coram mundo (« ut videant opera vestra bona ») sunt (et non domini nullo rationem dandi obligati); necesse est quod ad hunc aspectum renovationis in materia oeconomica quam citius accedatur, nempe ad dandam publicam rationem publicorum bonorum in omnibus dimensionibus ecclesialibus: internationali, nationali, dioecesana, paroeciali, coetuum diversorum, etc.

Bene intelligatur quod agimus de administratione bonorum publicorum, non privatorum uniuscuiusque fidelium in quocumque gradu Ecclesiae sit.

Hac informatione: 1) multa dubia et multae criticae animadversiones tollerentur, vel saltem eis ansam auferetur; 2) rectorum et bonae voluntatis individuorum animae spiritualiter aedificarentur; 3) generositas populi Dei stimulum continuum haberet; 4) mundo exemplum insignae caritatis Ecclesiae patefieret; 5) conscientia necessitatum totius Ecclesiae in omni loco mundi laborantis, a fidelibus in dies magis lucida haberetur.

7. *De promotione magis efficaci ministrorum salutis, religiosorum et militantium laicorum propter regnum Dei.* Cum genus humanum in periodo explosionis demographicae versetur, cumque hanc ob causam praevisio futu-

rorum ministrorum salutis, religiosorum et militantium laicorum perurgens sit; si renovatio in campo oeconomico Ecclesiae datur, possibile erit multo meliori modo ad has necessitates attendere: *a*) iuvando illas terrae regiones ubi vocationes cuiuscumque generis dantur; *b*) facilitatem afferendo ad translationem personarum; ad meliorem earum institutionem; ad instrumenta communicationis socialis habenda; *c*) media multiplicando ad iuvandas vocationes autochtonas regionum missionalium et illarum regionum quae vocationibus carent.

Apostoli diaconos ad administrationem instituerunt ut possent orationi et ministerio verbi instantes esse. Argentum et aurum non habuerunt, sed valde divites erant Christi. Eis tamen necessaria semper adfuerunt.

Etsi reformatio nobis difficilia iniungat, eam agere debemus fide pleni et spe laeti.

Nam dives in Christo Ecclesia divitias Christi dabit; et hoc faciendo omnia ei adicientur.

21

Exc.mus P. D. GUIDO ALOISIUS BENTIVOGLIO
Archiepiscopus Catanensis

N. 14, pag. 35, linn. 31-41 et pag. 36, linn. 1-3, dicatur: « Perfecta atque perpetua propter Regnum caelorum continentia, quam Ecclesia semper plurimi fecit, signum est et stimulus eximiae caritatis, necnon peculiarissimus fons spiritualis foecunditatis in mundo. Summopere enim multisque rationibus Catholico Sacerdotio suapte natura convenit.

Christi revera discipulis virginitas seu coelibatus ita concreditur ut indiviso corde exclusivoque amore (cf. *Mt.* 19, 11; *1 Cor.* 7, 32-33) soli Deo Eiusque Regno se dedicent. Convenit ergo ut sacerdotes tali perfecta atque perpetua continentia ... ».

N. 14, pag. 36, linn. 35-42 et pag. 37, linn. 1-2, dicatur: « His omnibus rationibus, coelibatus, qui prius sacerdotibus valde commendabatur, postea gradatim in Ecclesia Occidentali lege impositus est. Vigentem itaque legem coelibatus Sacrosancta haec Synodus iterum comprobat, immoque ad fovendam erga virginitatem sive clericorum sive sacerdotum plenam animi dispositionem, ulteriusque firmandam, solemniter declarat coelibatus legem in Ecclesia Latina votum postulare saltem tacitum perfectae ac perpetuae castitatis, in quo voto aperte exprimitur modus ipsam legem in praxi adimplendi.

Omnes ergo presbyteri, qui sacrum coelibatum uti spirituale coniugium cum Christo, gratia Dei confisi, sibi omnino conscii, sponte ac libera voluntate amplectuntur, toto corde eidem inhaereant, atque in hoc statu recte et fortiter amanterque perseverent. Quae quidem perfecta et perpetua continentia, in mundo huius temporis ... ».

22

EXC.MUS P. D. ROMEUS ROY BLANCHETTE

Episcopus tit. Maxitensis, aux. Ioliettensis in Illinois

Commissio rogatur ut haec vota de schemate « de ministerio et vita presbyterorum sedulo considerentur:

I. In n. 17. « De recto usu bonorum ». Clarius loquendum est in paragrapho secunda ita ut appareat utrum necne habeatur vera obligatio quoad superflua omnino destinanda ad bona Ecclesiae vel opera caritatis. Estne obligatio sicut est obligatio coelibatus ac obligatio oboedientiae?

II. In eodem numero provisio debet fieri pro praevidentia sociali ex superfluis, si nulla provisio adhuc exstat in dioecesi vel natione. Oportet hoc indicare nisi intentio sit relinquere omnia in manibus Divinae Providentiae. Si agitur de vera obligatione quoad superflua, indicari debet « honestam sustentationem » includere praevidentiam socialem pro infirmitate et senectute (et individualem) ne scrupuli oriantur hac de re.

23

EXC.MUS P. D. IOSEPH BRETAULT

Episcopus Kuduguensis

1. Parmi les ministères du Prêtre et ses relations avec ceux dont il a la charge spirituelle, le Schema ne fait pas mention de ses devoirs à l'égard des Religieuses et des Religieux-Laïcs.

2. De même au n. 10 « Presbyterorum cura de Vocationibus sacerdotalibus », le Schema ne fait pas mention de ses devoirs à l'égard des Vocations religieuses.

A notre époque où bon nombre de Prêtres semblent déconseiller la Vie religieuse ou même en détourner positivement des jeunes filles présentant les aptitudes et qualités requises pour une vocation sérieuse et prudente, et les exhortent à rester plutôt « Laïques » dans les Mouvements d'Action Catholique, ne serait-il pas opportun que ce Décret du St Concile rappelle brèvement le devoir des Prêtres à ce sujet dans leur ministère?

En conséquence, je propose:

Ad 1. Soit pag. 27, lin. 2, ajouter aux Laïcs qui « ad altiorem vitam spiritualem attrahuntur » mention des Religieuses, surtout celles qui travaillent dans la Paroisse, des Religieux-Laïcs (surtout Frères-enseignants), et des Membres d'Instituts Séculiers.

Soit ajouter un bref paragraphe pour rappeler ce devoir souvent oublié ou négligé.

Ad 2. Pag. 29, n. 10, lin. 16. Après « Vocationibus Sacerdotalibus » ajouter « et religiosis ».

Et à la fin du n. 10, pag. 30, lin. 27, ajouter « Tout ce qui est dit des devoirs du Prêtre à l'égard des vocations sacerdotales doit être dit également, positis ponendis, des Vocations de Religieuses, et de Religieux-Laïcs, ainsi que des Instituts Séculiers.

Schema nobis propositum iure ostendit quantum sit sacerdotale ministerium et quale momentum habeat ad sanctificationem presbyteri huic ministerio generose sese voventis.

Sed ipsa instantia in solis tribus muneribus quibus presbyteri sunt Verbi Dei ministri, Sacramentorum et Eucharistiae ministri et Populi Dei rectores turbare possit illos inter presbyteros qui, ex oboedientia seu ex circumstantiis, legitime prohibentur ne plene exerceant triplex presbyterale munus. Timendum est ne putare possimus presbyterum, nisi quaedam munera exerceat, verum presbyterum non esse aut vitam vere sacerdotalem non habere.

Tales sunt, v. g.: presbyteri docentes in scholis cuiusvis gradus, presbyteri officium gerentes administrativum in curiis dioecesanis, presbyteri officia materialia habentes ex oboedientia, ut procuratores in rebus materialibus, presbyteri officio orationis fungentes, ut presbyteri monachi, presbyteri qui, aetatis vel sanitatis causa, munus sacerdotale exercere non valent; quibus addantur presbyteri in carceribus, vel ob rationes politicas impediti ne pastorali officio fungantur.

Timeo ne omnes hi presbyteri non se videant describi in schemate. Se sentient frustrari dum ipsa sua officia in crisi versantur et ipsi sese interrogant de momento sacerdotali muneris quod in Ecclesia habent. Atqui Christus Dominus, ab incarnatione unctus, verus sacerdos fuit per totam vitam, non tantum quando exercebat munera docendi, sanctificandi et regendi. Item presbyter, ab ipso instante unctionis sacerdotalis, sacerdos est in tota vita et laboribus, etsi non tria munera specifica actu exercet.

Quapropter solutiones sequentes propono: A) sive paragraphum novum qui casus supra citatos enumerat cum similibus casibus, deinde ostendat quomodo exercitium presbyteratus, multum differens ex circumstantiis, in his difficultatibus reapse fiat.

B) Sive mutationem et amplificationem in pag. 24, linn. 7-13, notando: 1) presbyterium dioeceseos in solido munus presbyterale exercet ita ut nihil prohibeat ne quidam presbyteri specialisantur ad specialia officia in bonum commune; 2) tenetur episcopus invigilare sacerdotali aequilibrio uniuscuiusque presbyteri: curam habendo personarum aptitudinum, officia laicis committendo quae non requirunt praesentiam presbyteri, vigilando ut omnis presbyter, etsi exerceat officia in scholis, in rebus administrativis aut materialibus, partem habeat in sacerdotali coetu in quo vere sentiat se esse sacerdotem, se ut sacerdotem vivere, et collegialiter participare ministerio suae sacerdotalis communitatis.

24

EXC.MUS P. D. CAROLUS BUSWELL
Episcopus Pueblensis

Ad n. 12. Ne oriatur discrepantia inter n. 12 huius schematis et doctrinam circa Eucharistiam constitutionum *de Ecclesia* (art. 10, 26, 28) et *de Sacra Liturgia* (art. 27, 41, 47, 57), hanc emendationem propono: loco « In Mysterio Sanctae Missae, in qua munus suum praecipuum sacerdotes exercent, cuius igitur celebratio cotidiana, etiam non praesente populo, enixe eis commendatur, et in sacramentorum administratione ... » dicatur: « In Sacrosancto Mysterio Eucharistiae (const. *de s. Liturgia,* cap. II, titulus), in qua munus suum praecipuum presbyteri exercent, cuius igitur celebratio vel, si utilitas christifidelium celebrationem singularem non postulat (*ibid.,* art. 57, § 1, 2, a), concelebratio cotidiana enixe eis commendatur, non exclusa, si populus abest et iusta de causa (PAULUS VI, litt. encyc. *Mysterium Fidei,* 3 sept. 1965), celebratione cum solo ministro, et in aliorum (const. *de s. Liturgia,* cap. III, titulus) Sacramentorum celebratione (cf. *ibid.,* art. 59) ... ».

De cetero, pars prima huius schematis circa ministerium presbyterorum in genere placet. Pars secunda autem, circa vitam spiritualem, profunde componi debet cum parte prima eiusdem schematis necnon cum doctrina constitutionis *de sacra Liturgia,* art. 17: « Clerici, in seminariis domibusque religiosis, formationem vitae spiritualis liturgicam acquirant, ... ita ut vita in seminariis et religiosorum institutis liturgico spiritu penitus informetur ».

25

EXC.MUS P. D. HENRICUS BYRNE
Episcopus tit. Lamianus, prael. null. Ibanus

Ut in n. 1, pag. 12, mentio fiat in textu de munere sacerdotis offerendi sacrificium missae. Offerre sacrificium Missae est potestas et munus principale quod per sacramentum Ordinis sacerdoti confertur. Ut illud in textu statuatur, excerptum, quod directis verbis e constitutione *Lumen Gentium* sumitur, continuari debet hisce verbis quae in eadem constitutione immediate sequuntur, scil.: « Muneris unici Mediatoris Christi participes in suo gradu ministerii, omnibus verbum divinum annuntiant. Suum vero munus sacrum maxime exercent in eucharistico cultu vel synaxi, qua in persona Christi agentes Eiusque mysterium proclamantes, vota fidelium sacrificio Capitis ipsorum coniungunt, et unicum sacrificium Novi Testamenti, Christi scilicet Sese Patri immaculatam hostiam semel offerentis in sacrificio Missae usque ad adventum Domini repraesentant et applicant ».

Rationes: vox « sacerdos » et vox « sacrificium » sunt termini correlativi, ita ut unum sine altero haberi non potest. Verbum « sacrificium » introduci

debet in numero primo schematis cum in hoc numero de natura et condicione presbyteratus tractatur. Concilium enim Tridentinum (Sess. XXIII) dicit: « Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit » (Denzinger, n. 1765). Sufficiens non videtur esse ut mentio de sacrificio, modo accessorio quamvis optimo, tantummodo postea fiat (in n. 12, pag. 32, lin. 40 et pag. 33, lin. 6).

Votum subsidiarium (ex alio, supra indicato, profluente): Ut verba « primum quoque munus » (in n. 2, pag. 14, linn. 29-30) ita mutentur ut quod dicitur in n. 12, pag. 29, linn. 6-8, scilicet « In mysterio Sanctae Missae, in qua munus suum praecipuum sacerdotes exercent », plenum vigorem suum retineat.

[*Subscripserunt etiam*] P. Cleary, ep. Nancheng; Th. Quinlan, ep. Chun Cheon.

Ut pag. 27, lin. 35, post verbum « Presbyteri » inserantur verba « *utriusque* cleri », et lin. 38 eiusdem pag. 27, post verbum « dioecesium » inserantur verba « necnon domuum religiosarum », et lin. 40 loco « proprio Ordinario » habeatur « competenti auctoritate locali ». *Ratio*: in materia tanti momenti maxima invitanda est cooperatio cleri tum religiosi tum dioecesani iuxta principia iam statuta (vide pag. 24, lin. 7).

[*Subscripsit etiam*] Th. Quinlan, ep. Chun Cheon.

26

Exc.mus P. D. THOMAS VINCENTIUS CAHILL

Episcopus Cairnensis

Cum hisce diebus ubique inter sacerdotes invalescat novus mos (« fashion », « mode ») vestitum laicalem pro clericali substituendi, mea humili opinione mentio in schemate fieri debet de necessitate habitum ecclesiasticum praescriptum semper adhibendi.

Habitus ecclesiasticus est signum status clericalis et nullus sacerdos debet erubescere ut sacerdos agnosci. Praeterea vestitus clericalis est adiuvamen et tutela pro ipso sacerdote et inter subsidia pro eius sanctitate vitae est computandus.

[*Subscripserunt etiam*] N. T. card. Gilroy, arch. Sydney; J. Gleeson, arch. tit. Aurusuliana; U. Malchiodi, arch. Piacenza; Th. McCabe, ep. Wollongong; H. Ryan, ep. Townsville; Th. Agniswami, ep. Kottar; J. O'Collins, ep. Ballarat; Fr. Thomas, ep. Geraldton; M. McKeon, ep. tit. Antipirgo; H. Boyle, ep. Joannesburg; B. Steward, ep. Sandhurst; J. Toohey, ep. Maitland; L. Goodey, ep. Bunbury; A. Ungarelli, ep. tit. Azura; Fr. Minerva, ep. Lecce; R. Maccario, ep. tit. Tiberiade; L. Arkfeld, vic. ap. Wewak; E. O'Doherty, ep. Dromore; P. Lyons,

ep. Sale; J. Grotti, prael. Acre et Purús; H. de Angelis, ep. Viana; A. de Castro Mayer, ep. Campos; M. Pereira, ep. tit. Coronea; A. Cerqua, ep. tit. Olbia; A. Marzi, ep. tit. Sesina; E. Coroli, prael. Guamá; J. de Lange, ep. tit. Fotice; V. Marchetti Zioni, ep. Bauru; P. Koop. ep. Lins; Gabriel, ep. tit. Leuce; C. Bampi, aux. Caxias.

27

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Valde laudandi sunt auctores schematis *de ministerio et vita presbyterorum* eo quod, inter alia optime dicta, in pag. 36, lin. 38 edixerint: « vigentem itaque legem coelibatus Sacrosancta haec Synodus iterum comprobat ». De hoc momentoso themate quaedam mihi exponere liceat.

I - In pag. 35, linn. 35-38, ubi legitur: « Etsi (coelibatus) non exigatur a sacerdotio suapte natura, uti apparet ex praxi Ecclesiarum Orientalium, ubi sunt optime meriti Presbyteri coniugati, multimodam tamen convenientiam cum sacerdotio habet », auferenda censeo verba « uti apparet ... coniugati », utpote exemplum non multum pertinens ad rem nostram continentia, aut saltem ita emendanda: « uti apparet ex praxi Ecclesiarum orientalium catholicarum, ubi etiam ex coniugatis presbyteri consecrantur ». Et satis. *Rationes*:

1. sermo esse debet de solis catholicis ecclesiis orientalibus, quia ex praxi separatarum non posset ex se haberi argumentum cogens, cum in ipsis, sicut erratur circa v. g. indissolubilitatem matrimonii, sic errari posset etiam circa materiam de qua nunc agimus;

2. clare enuntiandum est apud Orientales coniugatis iam viris conferri presbyteratum, minime vero (ut ex littera textus erui videretur) coniugium iam presbyteris ordinatis;

3. clare item indicandum est apud Orientales haberi etiam clerum coelibem, immo esse numerice praevalentem et efficacia apostolica valentiorem, cum tantummodo ex clero coelibi seligantur episcopi, et praevalenter in eo inveniantur sacerdotes non tantum « ministeriales » sed et apostolico zelo praediti, qui gloriam et vitalitatem ecclesiarum orientalium efformaverunt;

4. auferatur vox « optimi », non quia historice hoc non possit esse verum, sed tantummodo quia hic non est quaestio utrum dari possint necne optimi sacerdotes inter coniugatos (dantur enim et in simplici matrimonio coniuges qui sint sanctiores quam quidam sacerdotes!), sed utrum suapte natura necne sacerdotium exigat coelibatum.

II - Nostris diebus inter obiectiones quae contra coelibatum sacerdotalem moventur una est quae desumitur ex sic dicta « plenitudine personalitatis » coniugatorum. A. v., permittendum asseritur matrimonium etiam sacer-

dotibus, quia sine illo — aiunt — ipsi invenirentur quasi « minorati » in sua personalitate et proinde incapaces fructuosioris ministerii.

Haec theoria, speciosior quam verior, originem ducit e nova quadam theoria de finibus matrimonii, quae scilicet ponit finem essentialem matrimonii in amore, quo mediante coniuges adipiscuntur suam personalem « completezza » seu perfectionem. Attamen negandum omnino est virum dici posse incompletum in sua « personalitate », eique proinde feminam, per sexualem commixtionem vitaeque consortium, praebere necessarium suae personalitatis complementum, et vicissim. Sequeretur enim ex hac theoria viros non coniugatos (et primum omnium Christum Dominum) feminasque virgines (et primam omnium B.mam Mariam) quasi « minoratos » in sua personalitate esse censendos, eosque proinde quasi officio obstringi suae personalitatis per matrimonium complendae; quod absonum et iniuriosum est! Hominem quippe coelibem licebit quadamtenus incompletum censere, at in linea tantum facultatis generativae (quod est aliquid fundamentaliter materiale), minime vero in linea « personalitatis » (quod est aliquid maxime spirituale). Actuare autem illam facultatem generativam per matrimonium est omnino liberum pro singulis posteris Adae; immo, iuxta catholicam doctrinam, sacra virginitas per se est melior quam coniugium. Illa igitur « incompletezza », quae de innuptis praedicatur, dici potest imperfectio in sensu valde relativo, scilicet relate ad generativam tantum facultatem, et quidem si et in quantum homo sponte eligat illam traducere ad actum.

III - Alia obiectio contra coelibatum sumitur ex motivo, apparenter saltem, apostolico. Dicunt: sacerdotium est necessarium pro salute animarum, et proinde Ecclesia non solum potestatem sed et officium habet illud sufficienter conferendi. Ergo, in locis ubi vocationes ad sacerdotium coelibatarium sunt insufficientes, poterit, tamquam remedium temporale et locale, sacerdotium conferri etiam coniugatis bonae famae.

Huic obiectioni, speciosissimae quia zelo apostolico induitur, praeter alia, hoc multiplex responsum dari potest:

1. Illud remedium, quod temporaneum et locale praedicatur, ex se tale est ut tendat ad deveniendum perpetuum et generale. Etenim: *a*) In primis, carentiae vocationum ad sacerdotium coelibatarium inepte provideretur per sacerdotium coniugatum, quia hoc sacerdotium magis in dies necessarium evaderet eo quod vocationes ad illud sacerdotium magis in dies minuerentur. Numquid enim sacerdos coniugatus valeret suscitare, colere et fovere vocationes ad sacerdotium coelibatarium? In materia oeconomica habetur lex quae statuit: « nummus malus expellit nummum bonum ». A pari, et positis ponendis, sacerdotium uxoratum expelleret sacerdotium coelibatarium!

b) Edonismus hodie late grassans inducit ad recusandum non solum sacerdotium coelibatarium, sed etiam sacerdotium uxoratum, eo quod quandam necessitatem honestatis et sanctitatis et hoc imponat. Ergo non in hoc campo invenienda sunt remedia pro multiplicatione vocationum.

c) Antequam deveniendum esset ad remedium sacerdotii uxorati, om-

nia alia remedia essent totis viribus explenda: v. g. incrementum maximum Operis Vocationum; labor omnigenus ad diffundendam ideam sacerdotii christiani apud familias etc. In extrema necessitate, potius quam coniugatis sacerdotium conferri posset bonis viris viduis aut coelibibus provectae aetatis, ita ut saltem Missam celebrare, confessiones audire, infirmos ungere et cathechismum docere valerent in suo quisque pago.

Adest et remedium alterius generis. Quemadmodum post ultimum bellum vir quidam USA excogitavit « il piano Marshal » oeconomicum, ad melius distribuenda auxilia materialia populis indigentibus, ita Ecclesiae suprema Auctoritas, post celebratum Concilium, posset excogitare et auctoritative imponere aliquod « piano Marshal sacerdotale », transferendo sacerdotes e locis ubi abundant ad loca quae indigent sacerdotibus.

2. Remedium sacerdotii uxorati inspiratur motivo mere humano et naturalistico. Nam: *a*) Utique, numerus sacerdotum augeretur; sed qualitas eorum media valde minueretur: quae iactura est vitanda.

b) Vix credi potest vocationes sacerdotales minui, ideoque bonum animarum detrimentum capere, eo quod Ecclesia, fidelis exemplo et spiritui Sui divini Fundatoris, exigit a suis sacerdotibus professionem sacri coelibatus, idest generis vitae altioris perfectionis. Potestne Deus, qui est auctor, exemplar et suscitator sanctitatis id permittere? Utique, non praesupposita remotione ex parte hominum omnium impedimentorum, et non adhibitis omnibus mediis quae sunt in humana potestate!

c) Per remedium illud instauraretur in Ecclesia Occidentali duplex genus, et veluti duplex gradus sacerdotii. Unde populus christianus aut despiceret sacerdotium uxoratum (tamquam non respondens ideae sacerdotii Christi), aut in minorem aestimationem deveniret sacerdotii coelibatarii.

d) Depretiaretur vita per virginitatem Deo consecrata, si viderentur sacerdotes non sequi exemplum et consilia Christi virginis Eiusque beatae Matris. Consequenter, minuerentur vocationes religiosae sive virorum sive mulierum, cum maximo damno pro Missionibus. Immo vita gratiae et spiritualitas Ecclesiae valde depauperaretur.

IV - In favorem sacerdotii coniugati saepe illustrantur (et amplificantur) damna quae proveniunt ex infidelitate multorum sacerdotum lapsorum. Respondetur: utique talia damna numquam satis lugebuntur. At non in debita luce, sicut oporteret, ponuntur bona quae proveniunt solummodo ex coelibatu.

V - Ut aliquod remedium afferatur ad impediendum lapsum sacerdotum in materia coelibatus, adeo proponere ut: *a*) instauretur *obligatorie* vita communis in clero;

b) lex coelibatus non a subdiaconatu vigere incipiat, sed a diaconatu, ita tamen ut perdurante diaconatu sit lex temporanea (ad instar votorum religiosorum temporaneorum), et fiat perpetua solummodo per presbyteratus susceptionem.

c) Collatio presbyteratus differatur saltem ad annum aetatis 25 (nulla concessa in posterum dispensatione super aetatem), ita ut maius concedatur tempus ad pensandas et experimento subiiciendas obligationes status clericalis.

28

Exc.mus P. D. IOSEPH CARRARO
Episcopus Veronensis

Quasi Ruth Moabitis colligens spicas post terga metentium, quia iam multi validissime locuti sunt, mandatum habeo loquendi a 32 episcopis de regionibus Longobardorum et Venetorum, qui una simul schema examini submiserunt: eorum nomine aliquas, non omnes, ab eis factas animadversiones vobis propono.

I. Schema generatim sumptum visum est laude dignum, propter plura optima, quae iam excellens relator, in sua relatione luculenter significavit; et ideo in genere approbandum, sed prius in aliquibus reordinandum et perpoliendum et perficiendum.

En aliquae mendae, quas censemus imputandas esse etiam huius decreti historiae, ut ita dicam, pendulari; quia ab initio satis amplum, postea ad minimum reductum, deinde rursus maius spatium ei concessum est.

Nos quoque, sicut alii multi, haec notavimus: *a*) dicendi genus seu stylus est paulo prolixius, non raro pareneticum et aliquando iterativum; decretum interest praesertim presbyteros nostros, quibus certe sufficit, immo magis placet, forma pressior et robustior;

b) structura decreti non semper apparet ordinate et organice disposita; ita, e. g., in II sectione, ubi agitur de presbyterorum vita, transitus a n. 15 qui subsidia ad vitam interiorem fovendam commendat ad n. 16 qui de aequa remuneratione presbyteris providenda tractat, saltum « qualitativum » facit!

Et fortasse aptius componendi essent (vel etiam contrahendi) nn. 16, 17, 18 et ita disponendi ut melius appareat eorum nexus cum spiritu evangelicae paupertatis de quo loquitur in amplissimo n. 14.

c) Etiam minus placet forma praesentationis trium virtutum, castitatis, paupertatis et oboedientiae, quae fieri videtur ac si earum exercitium pro presbyteris non religiosis esset quidam modus secundae classis exercendi consilia evangelica, uti iam ab aliis Patribus notatum est. Certissime virtutes sunt substantialiter eaedem in religiosis et in presbyteris, sed non ex eadem ratione et eodem modo exercendae.

d) Nexus quoque inter eas, et praecipue deductio oboedientiae ex praxi castitatis et paupertatis, uti innititur in pag. 38 in linn. 8 et sequentibus non exprimuntur satis clare; nexus quidem existit sed est reciprocus, et non,

ut ita dicam, geneticus; unaquaeque enim virtus ab exercitio aliarum aliquo modo vim habet.

Ad oboedientiam quod attinet desideratur sermo magis collectus (quia de ea non in uno loco tantum tractatur) et magis definitus. Cum haec virtus aliquando non recte intelligatur, sicuti benigne sed aperte, mensibus elapsis, ipse Summus Pontifex Paulus VI monuit, opportunum videtur, breviter sed clare, genuinum conceptum de vera oboedientia declarare, ut eam presbyteri et intelligant et doceant et exerceant; de vera oboedientia, quae in fide fundatur, quia « vim auctoritatis divinitus ordinatae » agnoscit; de vera oboedientia quae non « servili metu, ut ait S. Gregorius, sed caritatis affectu » procedit; quae non necessitate aut mechanica passivitate sed libera electione et proprio consilio movetur; quae ergo personalitatem non mortificat sed perficit.

e) Hic opportune, meo humili iudicio, sermo fusior faciendus esset de sanctitate in vita presbyterorum.

Si nolumus, aut adhuc nequimus loqui de statu perfectionis pro sacerdotibus, loquamur saltem fortius et altius de exigentia perfectionis in statu sacerdotali; de exigentia, dico, quae fluit in primis ex ontologica conformatione cum Christo Sacerdote, vi consecrationis sacerdotalis, quae gratiam Christo configurativam confert, quaeque in textu (pag. 13, lin. 4) minus apte « initiatio sacramentalis » vocatur.

Omnia haec magis distincte et composite possent exponi in nn. 11-12. In quibus etiam locum bene habuisset quaedam brevis descriptio lineamentorum fundamentalium spiritualitatis cleri dioecesani.

f) Lineamenta quidem spiritualitatis sacerdotalis ex constitutione dogmatica *Lumen gentium* aptissime desumi possunt; et decretum nostrum saepe ad eam refertur; nihilominus utilius videretur si in unum colligerentur fragmenta quae inveniuntur hic aut illic in hoc schemate et fratres nostri presbyteri, praesertim cleri dioecesani, vultum suae spiritualitatis bene descriptum conspicerent, quin necessario in silvam particularium opinionum ingredi debeant.

In hoc vultu optaremus ut magis clare apparerent relationes inter haec tria, quarum, uti evidens est, vis unitiva est caritas, quae in ritu ordinationis « vestis sacerdotalis » nominatur:

servitium Dei, seu gloria Patris quam promovere in primis debet sacerdos ut vere sit imitator Christi, quia « fastigium sanctitatis, sicut affirmat Summus Pontifex Paulus VI in Litteris Encyclicis *Mysterium fidei,* idem est ac generosa sui oblatione totum se divinae Maiestati mancipari »;

servitium Ecclesiae, et strictissima connexio, quae fit per episcopum, inter sacerdotium et Ecclesiam-Matrem et Ecclesiam-Sacramentum; notam hanc « ecclesialem » in sacerdotio magis in luce ponere videtur perutile esse;

servitium animarum, de quo satis effuse dicitur in n. 12.

II. His in genere dictis, veniam ad quaedam particularia. *a*) In art. 1, pag. 12, linn. 31 ss. prima facie sacerdotium ministeriale videtur esse minoris gradus respectu ad sacerdotium fidelium, quia ad ipsum dicitur ordinari; hae lineae ergo aut deleantur aut clarius doctrinam exponant.

b) De Sacramento Poenitentiae, de eius necessitate et valore ad salutem, deque zelo, assiduitate et aptitudine presbyterorum ad illud administrandum parum dicitur.

c) In art. 10, ubi agitur de vocationibus sacerdotalibus, in linn. 13 ss., pag. 30 nimis generice et simpliciter loquitur de signis vocationis; nonne melius esset se referri ad decretum « de Institutione sacerdotali »? quod dat definitionem potius descriptivam vocationis sed in documentis pontificiis fundatam?

d) Et tandem n. 19 est bona exhortatio ad presbyteros; et maneat; sed compleatur et fiat quasi nuntius nostri Concilii ad omnes presbyteros, praecipue cleri dioecesani. Nuntius nostrae aestimationis, fiduciae et amoris, nec non nostri grati animi, quem pandimus nomine totius populi Dei.

Presbyteri enim sunt fideles operarii in vinea Domini; in silentio et humilitate, in solitudine et frequenter in egestate, et aliquando, sicut dictum est, etiam in cruciatibus, opus suum adimplent.

Eorum laboribus Ecclesia sancta crescit et fructificat.

Presbyteri sunt « providi cooperatores ordinis nostri »; et nos episcopi, attentis praesertim innumeris hodiernis difficultatibus et multiplicatis necessitatibus, « quanto fragiliores sumus tanto his pluribus indigemus ».

Habeant ergo nostrum testimonium solemne et publicum; habeant incitamentum et consolationem nostram; certiores fiant se esse, in primis et ante omnes, vere « gaudium nostrum et coronam nostram ».

29

Exc.mus P. D. LAUREANUS CASTÁN LACOMA
Episcopus Seguntinus-Guadalajarensis

Liceat mihi imprimis Patribus illis ac peritis qui laboraverunt in apparando hoc schemate gratias ex toto corde agere, non tantum pro magno labore insumpto verum etiam pro felici laboris exitu.

Etenim, si textus noster hodiernus conferatur cum illis propositionibus qui nobis anno elapso oblatae sunt, illa notissima verba nostro schemati certe applicare possumus: « Quantum mutatus ab illo! ».

Quoniam autem omnes res humanae perfectibiles sunt, fas mihi sit tria animadvertere ut aliquantulum adhuc textus perficiatur.

Prima animadversio est quidem parvi momenti et tantum unam ex notulis seu citationibus respicit. In n. 6, pag. 21, lin. 38, dicitur presbyteros constituere « spiritualem coronam episcoporum ». Ad confirmationem huius affir-

mationis in notula 33 citantur duae sententiae S. Ignatii M. Iam vero, in neutra ex his sententiis invenitur confirmatio doctrinae expositae. Verba S. Ignatii Antiocheni in quibus continetur confirmatio affirmationis in textu factae, inveniuntur in capite XIII epistulae ad Magnesios ubi haec leguntur: « Studete igitur confirmari in doctrina Domini et apostolorum... cum dignissimo episcopo vestro, et *digne contexta spirituali corona presbyterii vestri,* et cum diaconibus ». Peto igitur ut loco duarum citationum quae ad rem non videntur, haec quam dixi ponatur (*Ad Magn.* XIII, 1: *PG* V, 674).

Altera consideratio respicit potius doctrinam schematis, quae revera bona est et firma, sed in fundamentis theologicis nimis forsan brevis. Non peto tamen novam elaborationem doctrinalem, sed tantum ut nonnulla quae erant in textu emendato et in textu recognito omissa sunt, denuo admittantur, quod valde conferre potest, ni fallor, tum ad perfectionem doctrinalem schematis tum ad presbyterorum aedificationem.

Praecipui textus qui omissi sunt, quos tamen restituendos censeo, sunt hi qui sequuntur:

a) In pag. 22, linn. 25-40, multa optima dicuntur de presbyterorum unione cum episcopis suis. Optandum est ut in n. 14 textus recogniti, ubi pauca de presbyterorum obedientia dicuntur, recipiantur.

b) In pag. 31, linn. 6-37, textus emendatus pulcherrimo modo exponit quo pacto character sacerdotalis et participatio a sacerdote unctionis illius qua Pater Christum sanctificavit et misit in mundum sit fundamentum seu exigentia specialis officii quo sacerdotes adstringuntur ad sanctitatem assequendam. Etiam mihi videntur digna ut serventur in textu recognito seu definitivo.

c) Similiter in pag. 34, lin. 34 ad lin. 20 pag. sequentis aliqua sat bona habentur circa unionem vitae cultualis et apostolicae in sacerdote, quae digna sunt ut serventur et etiam ut compleantur per doctrinam de unione vitae interioris et activitatis externae in Dei ministris.

Tandem, *tertiam observationem* proponere mihi liceat, quae spectat ad honorem presbyterorum nostrorum, quem nos episcopi defendere debemus.

Saepe, cum de statu canonico presbyterorum saecularium seu dioecesanorum fit sermo, dicitur recte ipsos non esse sicut episcopi in statu perfectionis quae in plenitudine caritatis pastoralis fundatur; neque eos esse in statu perfectionis religiosae eo quod tria consueta vota non habeant. Haec quae praecedunt vera sunt; sed frequenter a populo fideli aliqua inde infertur conclusio quae vera non est, valde honori et dignitati sacerdotalis status derogat: eo quod presbyteri saeculares non attingant plenam perfectionem status episcopalis aut religiosi concluditur eos esse in statu omnino aequali ac laici in Ecclesia in iis quae ad perfectionem spectant.

Haec conclusio est falsa in semetipsa et iniusta erga sacerdotes quos nos episcopi, ut pupillas oculorum nostrorum, diligere et custodire tenemur.

Si presbyteri non attingunt statum perfectionis episcopalis qui in plenitudine sacerdotii et caritatis pastoralis fundatur, certe valde proximi sunt ad

ipsum et maxime elevati supra laicos. Sicut presbyteri per sacramentum ordinis partem magnam consequuntur in munere episcoporum, tum relate ad administrationem sacramentorum tum relate ad animarum regimen, eadem proportione partem habent in statu perfectionis in quo sunt episcopi, scil., in officio caritatis pastoralis exercendae, quamvis illius apicem non attingant.

Aliquid simile dicendum est si comparatio instituatur cum iis qui per tria consueta vota constituuntur in statu perfectionis religiosae. Certum est, ut dixit Pius XII, presbyteros saeculares non teneri vi ipsius ordinationis iure divino ad illa vota emittenda (Alloc. *Annus Sacer*: *A.A.S.*, 43 [1951], p. 29); at pariter est indubium eos per castitatem perfectam quam servare tenentur, ex praescripto Ecclesiae latinae, post ordinationem subdiaconi, esse in pari conditione cum illis qui tale votum in religione emiserunt. Quoad obedientiam autem omnes presbyteri in sua ordinatione sollemniter promiserunt servare reverentiam et oboedientiam episcopo suo qua tota ipsorum vita ordinatur ad Ecclesiae servitium et animarum salutem, ut sacri canones modo concreto determinant. Quoad paupertatem, vero, lex canonica valde restringit clericis liberum usum bonorum in exercitio sui ministerii acquisitorum, ita ut tantum ad propriam sustentationem et ad officiorum proprii status adimpletionem illa adhibere possint, cum officio destinandi ea quae supersint « in bonum Ecclesiae vel in opera caritatis », ut ait nostrum schema. Praeterea, per obligationem qua adstringuntur, nomine totius Ecclesiae, quotidie Breviarium recitandi et etiam per diversa exercitia vitam interiorem colendi, et per exercitium sui ministerii sacerdotalis, virtutem religionis gradu eminenti exercent. Ergo etiam sub hoc respectu presbyteri valde eminent supra communem laicorum statum.

Quae cum ita sint, ad vitandum periculum illius falsae conclusionis de qua supra dixi, ad fovendam in sacerdotibus conscientiam suae magnae dignitatis, ad colendum in laicis sensum amoris et honoris erga sacerdotes, puto in nostro schemate aliquid dicendum esse valde simile iis quae dicta sunt a felicis recordationis Papa Ioanne XXIII, vestigia S. Thomae Aquinatis premente, in suis litteris encyclicis *Sacerdotii nostri primordia* (*A.A.S.*, 51 [1959], p. 550).

Hoc fieri posset initium exhortationis finalis hoc vel simili modo mutando et augendo: « Sacrosancta haec Synodus omnes denique presbyteros hortatur, ad hoc ut suae missioni in dies fideliores sint, meminisse semper se in altissimo sanctitatis, dignitatis et honoris gradu constitutos esse, valde superiori statui laicorum tum in officio perfectionis assequendae ac caritatis exercendae tum in mediis ad hos fines consequendos. In hoc enim vitae genere participant in perfectione status episcopalis eodem gradu quo partem habent in eius munere, et praeterea, per castitatem perfectam quam servare tenentur, per sacram oboedientiae promissionem vi cuius tota ipsorum vita ad Ecclesiae et animarum salutem ordinatur, per limitationem qua in bonorum usu adstringuntur, per exercitium sui ministerii et per frequentem orationem liturgicam ac privatam quas, iuxta Ecclesiae leges, exercere tenentur, copio-

sis et validis mediis muniuntur ad sanctitudinem assequendam. Laicos autem fideles hortatur haec Sacra Synodus ut presbyteros omnes, maxime autem eos qui in ipsorum spirituale bonum laborant, debita reverentia ac oboedientia et supernaturali gratitudine semper prosequantur. Magno igitur animo sint sacerdotes, ac numquam licet quandoque ipsorum labor... ».

Sincero animo credo haec valde conferre posse ad honorem debitum nostrorum sacerdotum vindicandum, ad vocationes sacerdotales fovendas et simul ad repellendum spiritum naturalisticum nostri temporis qui periculum non parvum constituit pro vita spirituali tum presbyterorum tum laicorum.

30

EXC.MUS P. D. ALFREDUS CAVAGNA
Episcopus tit. Tianus

Nunquam in hoc schema — etiam in aliis — loquitur de cultu Cordis Iesu. Oportet ut non relinquatur in inexplicabili silentio Encyclica Pii XII *de cultu Sacratissimi Cordis Iesu* (15 maggio 1956).

In hoc solemni documento confutat prius errores eorum « qui existimant hunc cultum minus actum quinimo detrimentosum »; postea aperte hunc cultum docet: « Opportunum ducimus vos iterum, Venerabiles Fratres, ac per vos universos quotquot in Christo habemus dilectissimos filios adhortari, ut contentiore usque studio suavissimam hanc religionis formam promovere studeatis; hinc enim nostris etiam temporibus utilitates plurimas orituras esse confidimus » ...

« Tot malorum oblato conspectu, quae, si alias umquam, hodie potissimum singulos homines, domesticos convictus, nationes, universumque terrarum orbem tam acriter perturbant, undenam est, venerabiles Fratres, medicina quaerenda? Num pietatis forma inveniri potest, quae augustissimo Cordis Iesu cultu praestantior sit, quae congruentius respondeat propriae catholicae fidei indoli, quae aptius hodiernis Ecclesiae atque humani generis necessitatibus succurrat? Quodnam religionis obsequium hoc nobilius, suavius, salubrius, quandoquidem cultus, de quo agitur, totus in ipsam Dei caritatem (cf. Enc. *Miserentissimus Redemptor*: *A.A.S.* 20, 1928, p. 166) dirigitur? Denique quid efficacius caritate Christi — quam pietas erga Sacratissimum Cor Iesu cotidie magis auget et fovet — christifideles permovere potest ad evangelicam legem in vitae actionem reapse deducendam, qua quidem posthabita, ut praeclare monent Spiritus Sancti verba: "Opus iustitiae pax" (*Is.* 32, 17), haudquaquam veri nominis pace inter homines haberi licet? ».

Optamus ut Concilium ponat in maiorem et debitam lucem hanc magistralem Encyclicam aut saltem sacerdotes invitentur ad hunc praeclarum cultum iuxta lucem huius Encyclicae.

* * *

È stato giustamente osservato, nella discussione conciliare, come nello schema non si dica nulla dei nostri fratelli che hanno abbandonato il servizio delle anime e che attualmente si trovano in condizioni spirituali, morali e finanziarie davvero impressionanti.

Un autorevole, paterno invito del Concilio potrebbe decidere alcuni a ristudiare il loro caso, a tornare sui loro passi sicuri della misericordia della Chiesa nei loro riguardi.

Insieme tornerà a loro di conforto il sapere che si moltiplicano preghiere per loro, che si tengono presenti le gravi difficoltà in cui non pochi si dibattono, fino ad essere tentati a trovare una soluzione affidandosi a protestanti o a comunisti e come si cerchi il modo di venire incontro alle loro critiche condizioni.

Sarà bene tener presente come Giovanni XXIII nella *Prima Romana Synodus* del 1959, volle inserito il seguente articolo:

1. Sacerdotes censura aliave poena innodati, quamvis forte infeliciter ab Ecclesia sancta defecerint, numquam Domini misericordiae et ecclesiasticorum Superiorum pietati humanitatique confidere cessent.

2. Ceteri autem sacerdotes, praesertim vero qui cum iis amicitia coniuncti sunt, superna caritate moti sedulo enitantur, ut in eorum animis eiusmodi fiduciam foveant.

3. Erga omnes infelices, qui in defectione perseverant, ea semper norma servetur, quae Pio XI maxime in usu fuit: « Quo minus de Deo cum hominibus loqui possumus, eo magis oportet nos loqui de hominibus cum Deo ». In huiusmodi etiam rerum adiunctis, sane miseris, nemini neque amica alloquia, neque solacia in adversitatibus, neque temporalia, si opus fuerit, subsidia denegentur (art. 35, pag. 21).

31

EXC.MUS P. D. VICTORIUS CECCHI

Episcopus Forosemproniensis

1. Textus insinuat presbyteratum non a Christo Domino neque ab apostolis institutum esse sed ab episcopis, cum dicit pag. 12, lin. 12: « Missis ergo apostolis sicut Ipse missus est a Patre, per ipsos apostolos, eorum successores, videlicet episcopos, consecrationis missionisque suae participes effecit. Rursus episcopi munus ministerii sui, subordinato tamen gradu, presbyteris legitime tradiderunt ut sint ... ». Textum corrigere necesse est ut eluceat apostolica et divina institutio presbyteratus et, consequenter, directa etsi episcopo subordinata participatio Sacerdotii Christi, vi ipsius Sacramenti Ordinis.

In eodem paragrapho nulla mentio fit de charactere quod presbytero imprimitur, quodque fundamentum est peculiaris configurationis ad Christum Sacerdotem et cooperationis episcopo tradendae.

Textus igitur huius paragraphi est parum theologicus et tantum hortatorius; relatio ad Sacerdotium Christi, relatio inter presbyteratum et episcopatum, relatio ad Corpus Christi reale et mysticum, character quod a sacramento Ordinis infunditur presbytero, haec omnia nimis evasive aut nullo modo tractantur. Proponitur itaque ut haec paragraphus amplius diffundatur et clarius pertractet de munere presbyterorum.

2. Ubi agitur de presbyterorum vita, pag. 30 ss., non satis declarantur notae directivae spiritualitatis sacerdotum, praesertim cleri dioecesani; neque sufficere videtur declaratio necessitatis sanctitatis et obligationum quae ex ipsa necessitate profluunt, sed necesse est ut positive exponantur radices seu notae huius sanctitatis relate ad configurationem cum Christo Sacerdote et ex vinculis profluentes quibus presbyteri cum Corpore Christi Reali et Mystico et praecipue cum episcopo et suis confratribus adstringuntur. In hac parte schema videtur eodem adlaborare defectu quo prior pars scil. deficientia theologicae et positivae expositionis magnalium quae fecit Deus in anima sacerdotali.

Sacerdotes nostri dilectissimi necessitatem habent figuram contemplare in hoc nostro sollemni documento sacerdotalis sanctitatis delineatam per positivam expositionem ut sibi et populo Dei et praesertim nostris iuvenibus elucescant pulchritudo et sublimitas vocationis et missionis presbyterorum, in Ecclesia et in mundo.

32

Exc.mus P. D. AEMILIANUS FRANCISCUS ČEKADA
Episcopus Scopiensis

Libenter fateor me contentum esse schemate decreti *de ministerio et vita presbyterorum*. Sane, non est perfectum ullum opus humanum. Si quis omni pacto obicere vellet schemati, forsan inveniret aliqua, quae criticae subicere posset. Sed obiective loquendo schema satisfacit. Satisfacit ideo, quia in diiudicando problemate sacerdotii catholici consequenter applicat in materia huius generis unice applicabilia principia supernaturalia revelatae fidei. Ob idipsum non vereor dicere decretum *de ministerio et vita presbyterorum,* una cum huic cohaerenti decreto *de institutione sacerdotali,* esse verum thesaurum doctrinae catholicae de sacerdotio Christi.

De principiis ergo, quae in schemate continentur, non est quaestio. Haec tamen moveri potest ex alio capite: suntne haec principia, quae Ecclesia semper sacrosancta habuit, in dubium vocanda sub respectu pastorali, aliis verbis: possuntne haec principia in toto suo complexu ad praxim deduci, i. e. in vita Ecclesiae integre applicari an non? Quid ad hoc dicemus? En quae:

Plurima a presbyteris requiruntur. Non minus quoad doctrinam quam

quoad vitam. Presbyteri admonentur, ut « sint maturi in scientia » et sit doctrina eorum « spiritualis medicina populo Dei », ita ut omnes docere possint (cf. *Mt.* 28, 9) verbis ad mentem audientium convenienter accommodatis. Sic in schemate.

Et sane, Christus ad hoc venit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati, quo omnes, qui sunt ex veritate, audirent vocem eius (*Io.* 18, 37).

Nostrum est ergo doctrinam Christi et Ecclesiae, quae est corpus Christi mysticum, fideliter sequi. Nobis quoque dictum est: « Fili, ambula coram me in veritate, et in simplicitate cordis tui quaere me semper » (*Imit., Chr.* III, 4, 1). Nos quoque Apostolus in persona Timothei admonuit: « Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt » (*1 Tim.* 6, 20-21).

Heu! Fere futilia haec verba nobis videntur, dum legimus et audimus diversa, quae vix umbram veritatis evangelicae prae se ferunt. Et haec in ephemeridibus catholicis publicantur, haec de cathedris magistrorum theologiae personant, haec in agris dominicis seminantur. Profanae vocum novitates, quae realem Christi praesentiam in Sanctissimo Eucharistiae sacramento in dubium vocant; quae de obligationibus legis naturae dubitare permittunt; quae categorias moralis christianae, hucusque in veneratione Ecclesiae habitas, pervertere intendunt; quae iam definitis veritatibus fidei vagum quemdam sensum religiosum submittere student. Et ita porro.

Non interest, quomodo has tendentias doctrinales, inter septa Ecclesiae ortas, appellare velis: neomodernismum, evolutionismum, progressismum. Est certo certius, hic agi de zizania in agro Domini. « Inimicus homo hoc fecit » (*Mt.* 13, 25).

Non vellem, ut anathemata Ecclesiae contra fautores harum novitatum, quae vere profanae sunt, statim proiciantur. Tamen, attentos nos oportet stare. « Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret ... Cui resistite fortes in fide! » (*1 Petr.* 5, 8-9).

Alternativa, quae coram omnibus filiis Ecclesiae hodie ponitur, luce clarior est: vel doctrina catholica talis, qualis authentice ab magisterio Ecclesiae hucusque docebatur, est via, veritas et vita (*Io* 14, 6), vel est phantasma et mendacium. Inter haec duo nobis eligendum est. Accommodationibus religionis christianae ad normas rationis purae nihil obtinebitur nisi quidam syncretismus pseudochristianus, qui miserrime peribit sicut suo tempore periit syncretismus religionum mundi graeco-romani. Solum « veritas Domini manet in aeternum » (*Ps.* 110, 2).

Custodes vineae Domini, quid de nocte? Terribilis erit nostra responsabilitas coram Deo et hominibus, nisi his perniciosis erroribus tempestive et fortiter resistamus.

His, quae dixi, liceat mihi adhuc pauca addere, quae ad thema de coelibatu sacerdotum spectant.

Ambo schemata — *De institutione sacerdotali* et *De ministerio et vita presbyterorum* — sine ulla ambiguitate stant pro coelibatu retinendo. Et sane, iure meritoque. Qui sunt vere pii et sancti sacerdotes, quin offendantur et haud parva tristitia afficiantur, cum legant vel audiant in quibusdam locis Occidentis catholici propagari sic dictum coelibatum facultativum, aliis verbis abolitionem coelibatus? Nobis ex Oriente, qui sacerdotes orthodoxos in matrimonio viventes semper prae oculis habemus, nullum dubium remanet circa praestantiam cleri, qui coelibatui obstrictus est. Optime scimus, coelibatum habere etiam partes minus positivas. Optime novimus peccata et scandala, quae perpetrari possunt et de facto quandoque perpetrantur a sacerdotibus coelibatu obstrictis. Attamen, ad aequam mensuram omnibus perpensis, nobis persuasum est, quod abolitio coelibatus grave vulnus infligeret Ecclesiae et non progressum sed dissolutionem vitae religiosae inter catholicos accelieraret.

Talem reformationem vitae sacerdotalis nos cum omni energia respuimus. In abnegatione, in cruce, in dominatione sui ipsius est nostra virtus, non autem in indulgentia fragilitati humanae et seductivis exemplis mundi, quo circumdati sumus.

Non forsan casu haec consilia venerunt ad nos ex Occidente. « Ecce haec fuit iniquitas Sodomae: ... saturitas panis et abundantia et otium ipsius et filiarum eius » (*Ez.* 16, 49).

33

EXC.MUS P. D. GERARDUS M. CODERRE

Episcopus S. Ioannis Quebecensis

Animadversio ad n. 14 de schemate decreti *de ministerio et vita presbyterorum* nempe de paupertate ab Evangelii sacerdotibus in usu habenda.

Scio nonnullos ex nobis sensisse de paupertate nimis in hac aula locutum fuisse, et aliquando, modo nimis romantico. Quaestio tamen remanet, et sat momentosa. Etenim, si multi sacerdotes vere pauperes sunt, adeo ut nonnulli miseris mediis victitent, Ecclesia tamen, in summa, oculis hominum sese potius ut divitem praebet, et hoc tam magnificentia aedificiorum suorum, quam pompa caeremoniarum et aliquando ministrorum Ecclesiae. Cum autem ipsa externa ad visibilitatem Ecclesiae pertinent, qua homines eam cognoscunt et iudicant, quaestio paupertatis vel pecuniae pressius in Decreto nostro tractanda est. Iterum dico, modo non romantico, sed reali.

Iam vero in schemate datur aliqua practica regula, dum dicitur: « Habitationem suam ita disponant (presbyteri), ut sit omnibus pervia utque omnes, tam tenuiores qua locupletiores, in ea libere facileque se habeant » (pag. 38, linn. 4-7). Bene dictum et in praxi, maximi momenti... Hoc autem de persona presbyteri (vel episcopi) valet, quin practicae directivae dentur circa usum pecuniae in Ecclesia, ad mentem Evangelii. Eget enim Ecclesia pecu-

nia, egent presbyteri nummis, egent opera et instituta nostra argento. Sed quid de modo utendi? Liceat mihi duas regulas proponere:

1 regula: Ut impensae quas facimus, ad utilitatis et servitii modum exigantur. Homines huius temporis delectantur his quae alicui fini et utilitati stricte respondent; exempli gratia in domibus aedificandis. Magnificentiam vitant, ministeriale volunt, i. e. strictam aptitudinem rerum ad earum finem vel in lingua gallica « le fonctionnel ». Sic debemus res nostras, sive aedificia, scholas, conventus, ecclesias, sive expensas nostras atque vitae genus, ita moderare et disponere, ut utilitatis et servitii ratio facile appareat. Veritas paupertatis est servitium hominum!

2 regula: Omnia in claritate fiant, et, quantum possibile est, publice explicentur. In hac enim re, nocet secretum, ac si quid celandum esset! Suspiciones multae contra Ecclesiam et sacerdotes tollerentur si fidelibus aperte et simpliciter exponeremus scopum pro quo ab eis pecuniam exspectamus, si aperte et plane diceremus quibus et quot indigemus, ad quam apostolicam utilitatem (sive directam, sive indirectam); si, pecunia consumpta, rationem rei redderemus, explanando quo modo pecunia usi fuerimus. E contra, saepe nimis de his tacemus, ac si auctoritas sacerdotalis augeretur si se silentio et secreto involveret... Non ita se gesti sunt Sancti Patres. Tenete exemplum S. Augustini: populo fideli Hipponensi rationem reddebat de vita et moribus clericorum suorum: « Ecce », aiebat, « ecce quomodo vivimus » (*Sermo* 355, 2: *PL,* 39, 1570). Cum autem aliquis ex presbyteris contra propositum et legem vitae communis, ad instar apostolorum, quid proprium retinuisset, et testamentum fecisset, Augustinus rem populo plane exposuit, et dixit: « Magnus inde mihi dolor est, fratres; dico caritati vestrae, propter hunc dolorem statui haereditatem istam in ecclesia non suscipere... Videtur enim mihi quia si eam suscepero, in isto facto, quod mihi displicet et quod doleo, eius particeps ero. Hoc volui non latere caritatem vestram..., etc. » (*id.,* 3: col. 1571). Deinde plebi explicat Augustinus quomodo noluit pro Ecclesia accipere haereditatem alicuius Bonifatii: « quicumque vult, exhaeredato filio, haeredem facere Ecclesiam, quaerat alterum qui suscipit, non Augustinum! » (n. 5: col. 1572). Altera vero die, novum ad plebem de eadem re habuit Augustinus, quo per partes enarravit quomodo clerici sui vivebant. His verbis incipit sermo: « Caritati vestrae hodie de nobis ipsis sermo reddendus est. Quod enim ait apostolus: Spectaculum facti sumus mundo, et angelis et hominibus (*1 Cor.* 4, 9) » (*Sermo* 356, 1: *PL,* 39, 1574).

Concludo. Praxis evangelicae paupertatis multum his duobus mediis solidis, non romanticis, adiuvari potest, quae sunt quasi criteria practica: 1) Ratio vera et clara utilitatis vel servitii. 2) Claritas: nil celare, sed potius res in publico proponere, notum faciendo scopum petitionum et inceptionum nostrarum, et rationes fidelibus exhibendo, de expensis factis.

34

Exc.mus P. D. IOSEPH FLORIBERTUS CORNELIS
Archiepiscopus Elisabethapolitanus

Additio necessaria videtur in pag. 6, post lin. 22, his vel similibus verbis: « In traditionali Africanorum religione, Deus tamquam Ens supremus, summus Creator et omnium providens agnoscitur et colitur, ab hominibus seiunctus et cum eis ope intermediorum coniunctus, spirituum scilicet invisibilium aut maiorum defunctorum. In eadem religione valores extolluntur inter quas illa solidarietas quae inter homines viventes, eorum patres defunctos et posteros futuros existit, vel ea unitas et communio quam homo habet cum universo et natura: natura quidem, quae non est spiritualiter indifferens, sed hominibus signum et nuntium affert mundi superioris et supernaturalis.

In hoc sensu unitatis inter mundum superiorem et mundum visibilem, sicut in sensu communionis quam homines cum natura habent necnon solidarietatis quae inter viventes, maiores et posteros, dynamismus ille vitalis fundatur et visio illa mundi optimistica, quae in philosophia africana invenitur, cuius confirmatio et adimpletio praebetur in Revelatione biblica et in salutari nuntio Iesu Christi ». *Rationes*:

1. La religion traditionnelle est encore vivante et vécue par des millions d'hommes avec lesquels l'Eglise se trouve en relation d'évangélisation. Parmi les évangélisés, sa vivacité et ses résurgences sont telles qu'elles ont amené et amènent encore à des syncrétismes pagano-chrétiens.

2. Les nécessités de « l'adaptation » de l'évangélisation et de l'Eglise en Afrique imposent de connaître et de comprendre la religion traditionnelle de ses habitants d'une manière profonde, précise et circonstanciée.

3. Si l'on peut espérer que, tout comme l'Asie chrétienne, l'Afrique apportera une contribution originale à la pensée et à la théologie chrétiennes, cet apport ne trouvera sa source que dans la philosophie religieuse et l'analyse de l'expérience religieuse propre à la religion africaine.

4. L'humanisme chrétien africain, que l'Eglise s'efforce de promouvoir, sera fondé sur les éléments de l'humanisme spirituel et religieux traditionnel. Il s'harmonisera ainsi et s'intégrera dans les efforts déployés par les dirigeants africains actuels pour instaurer le nouvel humanisme négro-africain qui se cherche.

35

Exc.mus P. D. ERNESTUS CORRIPIO AHUMADA
Episcopus Tampicensis

Schema *de ministerio et vita presbyterorum* optimum apparet complementum earum considerationum quae in quatuor sessionibus Concilii Vaticani II factae sunt, et quae ad id tendunt ut renovatio Ecclesiae atque vitae populi Dei habeatur.

Attamen optandum est ut hoc schema, sacerdotibus seu presbyteris destinatum, magis perpoliatur ut eius optata melius percipiantur; ad quod obtinendum haec notanda propono:

1. Ut numeri paragraphorum incipiant a prooemio, ut in aliis schematibus.

2. Cum agitur, in n. 18, « De praevidentia sociali in favorem presbyterorum », prae oculis habeatur perpulchra allocutio SS.mi D.ni Nostri Pauli VI die 28 iunii decurrentis anni circa praevisionem socialem et paupertatem in sacerdote (*L'Osservatore Romano* dierum 30 iunii et 1 iulii 1965).

Praeterea in memorato n. 18 lin. 35 legitur: « curent conferentiae episcopales ut condatur aliquod institutum aut associatio quae, sub vigilantia hierarchiae, satis provideat tum congruenti praecaventiae et assistentiae sanitariae, quam vocant, tum *sufficienti sustentationi* presbyterorum qui infirmitate, invaliditate aut senectute laborant ». Expressio « sufficienti sustentationi » non placet, melius mutetur in hanc « honestam vel debitam sustentationem » aut similem. Illa expressio non apparet adaequata eo quod unice videatur indicare curandum esse pro infirmis, senibus aut invalidis necessaria ut non indigentia aut fame pereant. Curanda autem sunt pro ipsis etiam cetera alia quae inserviunt ut infirmitates, senectutem vel invaliditatem possint tranquille ferre et sine dedecore sui sacerdotii.

Praevisio enim socialis non est confundenda cum caritate; unde illi nemo satisfit cum donum caritativum dat sacerdoti qui propter infirmitatem, senectutem aut invaliditatem incapax est ad suam honestam sustentationem procurandam.

Praevisio nempe est inceptum sociale e quo oritur ius in eius associatis. Datur verus pactus vel contractus vi cuius ille, qui desiderat frui hoc incepto sociali, dat ut sibi quid detur (adest contractus vocatus « do ut des »). Unde si ipse est e numero eorum qui solvunt quod stabilitum est ad obtinenda beneficia praevisionis, habet ius ut dentur in casu infirmitatis, senectutis vel incapacitatis ea quae promissa sunt sociis institutionis vel associationis praevisionis.

Dolendum est quod, fere semper, presbyteri, providi cooperatores ordinis nostri, in infirmitate, senectute vel incapacitate unice habeant ut subsidia ea quae proveniunt e caritate episcopi, sacerdotum vel fidelium; et hoc etsi ipsis ius sit, ut operarii vineae Domini, fruendi praevisione sociali.

Praeterea cum de sacerdotibus senibus agitur non erit parvipendendi quae dicuntur a technicis Gerontologiae scilicet: ut vitemus in senibus complexum inutilitatis vel solitudinis curandum est ut sacerdotes non recludantur in asylis seu in sic dictis « domibus pro sacerdotibus »; convenit enim ut vivant sive in paroeciis sive in aliquibus ecclesiis una cum aliis sacerdotibus, quibus esse poterunt confessarii vel directores spirituales, aut adiuvare in ministeriis simplicioribus, sed cum iure percipiendi quae alii percipiunt. Ita et saluti psychologicae et sustentationi eorum praevidetur.

Denique cum fundatio institutionum vel associationum quae sub hierarchia exercebunt praevidentiam socialem pro sacerdotibus, vere serias difficultates possint habere in ordine oeconomico, optandum esset ut Organizationes Episcopales quae, magna cum laude et spiritu fraterno, praestant opem hierarchiis aliarum nationum, ut sunt sic vocatae CAL, ADVENIAT, MISEREOR (ad quas nostrae gratitudinis sensus pandimus) possent suos labores dirigere non modo ad efformationem sacerdotum vel ad constructionem operum materialium sed etiam ad fundationem, et consolidationem horum operum praevidentiae socialis in favorem sacerdotum.

Tam sacerdotes quam hierarchia ipsa maxime grati erunt eis pro iuvamine collato in solutione istius problematis praevisionis socialis, praesertim in regionibus ubi subsidia propria imparia sunt ad tale opus.

36

EXC.MUS P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI

Episcopus Suessanus

Schema recognitum substantialiter placet; multa quae desiderabantur in eo inveniuntur. Laudabiliter inserta sunt verba quae de presbyteris habebantur in constitutione *de Ecclesia,* et nonnulla sive ex sacra liturgia, sive ex textibus et considerationibus Sacrae Scripturae desumpta sunt.

Animadversiones qua humiliter exhibemus potius dispositionem quam ipsam rei substantiam respiciunt ita ut facilius sit ad ea attendere.

In n. 3, pag. 16, linn. 5 ss. et in linn. 35 ss. Multa de SS. Eucharistia dicuntur et quidem recte. Postea vero in lin. 28 est sermo de divino Officio etc. sed et in linn. 35 ss. rursus fit sermo S. Eucharistiam respiciens quatenus diligenti actione, decore etc. in Ecclesia servanda sit. Videntur membra separata a corpore. Facile est illa colligere et compaginare ita ut haec ultima possint post lin. 28 disponi.

De Eucharistia denuo sermo est in n. 4, pag. 18, lin. 28, ubi agitur de constitutione communitatis christianae. Recte quidem; attamen nonne et comma hoc magis logice poneretur in praecedenti n. 3.

Laudabilia certe et magni facienda sunt quae inveniuntur in n. 5 de studio S. Theologiae, S. Scripturae et Summorum Pontificum documentorum.

Item de relationibus quae intercedere debent inter Episcopum et Sacerdotes. Sed videntur nonnullae repetitionis in hac re.

Cum tam opportune in n. 10 sit sermo de cura quae a presbyteris habenda est ad vocationes sacerdotales fovendas, non incongrue in fine eiusdem numeri, vel in alio puncto aptiore, aliquid adiungeretur circa generositatem optandam a sacerdotibus erga seminaria ad pauperum vocationes sustentandas.

Pariter, quando agitur de vocationibus sacerdotalibus, bonum esset, immo necessarium reputamus aliquid dicere de aequali cura et amore quibus presbyteri fovere debent vocationes etiam religiosas tam virorum quam mulierum. Nam et illae vocationes valde necessariae sunt ad regnum Christi dilatandum, per navitatem in nosocomiis, in scholis catholicis, in orphanotrophiis, in catechetica institutione apud ipsas paroecias et praesertim ad auxilia in Missionibus ferenda.

In n. 14, de consiliis evangelicis de perfecta castitate asseritur eam esse « supra modum humanum ». Verba ista minus idonea videntur quatenus possunt alio sensu detorqueri diverso ab illo intento a schemate. Si schema vult relinquere conceptum istius adfirmationis melius diceretur « supra ordinarium genus vitae perfectam castitatem esse ». Nam, quamvis raro, tamen constat ex historia fuisse servatam etiam apud paganas religiones.

Nescimus pariter an opportune afferantur in hoc loco verba Evang. S. Lucae 18, 27, non obstante quae dicuntur in pag. 59, littera J.

Itemque inter media proposita ad castitatem perfectam servandam, non immerito quaedam verba ponenda censemus ad iuniores sacerdotes, prudentem moderationem scil. ut servent etiam quoad spectaculorum visiones quae a T. V. dantur vel in aulis cinematographicis. Nec inopportune ipsis meminisse iuvabit per sacerdotium characterem utique indelebilem recepisse, minime vero confirmationem in gratia.

Ideo sibimetipsis, ex amore Christi et Ecclesiae, prudenter limites imponant, ne (ut aiebat Pius XI) « necessaria nesciant quia superflua didicerunt ». Quando vero ut passim evenit, ob apostolatus rationes spectacula ipsis videnda necessarium comperiatur, ut iuvenes adsociationum intersint, ut fidelibus opportuna consilia tradant, id unice agant quatenus in ipsa rationabili necessitate iudicetur necessarium, quae dedecent tamen nec videant nec videre sinant, ita tuta conscientia omnia peragent in nomine Christi et zelo animarum ut « omnia mundis munda » sint.

Quoad materiae dispositionem in schemate, servata argumentorum substantia, immo et integris pericopis, ablatis tamen nonnullis repetitionibus, ita censemus totum decretum disponi posse:

I. *De presbyterorum dignitate et ministerio* et ponantur: actualis n. 1, pag. 12-13-14; de necessaria « aggiornata » presbyterorum praeparatione quae et solidam cognitionem theologicam exigit amplioribus studiis biblicis roborata; haec habentur in n. 5, pag. 19.

II. *De potestate presbyterorum eiusque exercitio*: a) *in corpore Christi reali*: ponantur hic quae habentur n. 3, pag. 15 et partim pag. 16.

b) *In corpore Christi mystico*: quae potestas peragitur:

1. annuntiando verbum Dei. Habentur, in n. 2, pag. 14;

2. populos regendo, educando, iuxta exigentias novae legis caritatis etc. (habentur in n. 4, pag. 17); fideles docendo ad efformandam christianam communitatem (pag. 17);

3. vocationes sacerdotales (immo et religiosas) impense curando ad bonum non solum dioeceseos sed et totius Ecclesiae. Habentur partim in n. 10, pag. 29;

4. sancte et pie cum laicis conversando, fraterno caritatis vinculo servato et amoris servitio ipsius praestito. Habentur in n. 8, pag. 25 et 26;

5. alienos ad Christi ovile sollerter vocando. Habentur in n. 8, pag. 27, linn. 2-19.

III. *De habitudine presbyterorum cum episcopis*. Habentur praesertim in n. 6, pag. 21-22 et 23.

IV. *De fraterna coniunctione et cooperatione inter presbyteros*. Habentur in n. 7, pag. 23-24 et 25.

Dein nimis frequentes repetiones auferantur, quod facile fieri potest absque decreti nocumento. In prima parte frequentius quam oportere videtur recurrit mentio et adfirmatio circa omnimodam dependentiam presbyterorum ab episcopis; quae utique clare adfirmanda est, praesertim nostris temporibus, *at ne quid nimis*.

Post clarissimas litteras datas a nostro Summo Pontifice, afflante Sancto Spiritu, nihil amplius dicere habeo. Tantum gaudemus exprimere perfectam adhaesionem sanctissimo nostro Papae Paulo, eidem significare cupientes gaudium fere totalitatis sacerdotum nostrorum pro inspiratis dispositionibus et verbis circa coelibatum, quae omnia et ab ipso Papa Ioanne XXIII, fel. rec., ad bonum animarum et ad Ecclesiae fulgorem iamdudum manifestata fuere.

Cum vero haec sit ultima interventio in hoc Oecumenico Concilio Vaticano II, Summo Pontifici, et Patribus Conciliaribus, et Observatoribus perdilectis, Auditoribus, Peritis, et Assignatoribus diligentissimis, ceterisque omnibus, placet ominari: pax vita et salus perpetua in caritate Christi.

37

EXC.MUS P. D. IOSEPH CSERHÁTI

Episcopus tit. Melzitanus, adm. ap. Quinque Ecclesiensis

Schema in suo textu recognito omnino satisfacere potest expectationi Patrum. Continentur enim in eo omnia elementa essentialia, quae pro renovatione missionis pastoralis presbyterorum necessaria sunt. Schema cum sua constructione logice et systematice compacta praebet opus insigne laude dignum.

Quod adhuc perfectibile videtur in sequentibus mihi animadvertere liceat:

Schema adhuc melius accommodetur, si fieri posset, situationi hodiernae concretae, i. e. dicta eius profluunt magis acute ex illis exigentiis realibus temporis nostri, quae impulsu suo aliquatenus iam futurum determinant. Cogito praeprimis exigentiam communitatis humanae in vera fraternitate et familia christianae instructae. Ex tali necessitate re vera novus apostolatus exigitur. In n. 4 schematis tribus vicibus sufficienter inculcatur presbyteris, ut « fideles ad genuinam communitatem christianam efformandam adducant ». Ita voto meo nihil aliud proponere vellem, quod de hac concreta accommodatione schematis sermo fieri deberet iam in fine prooemii, et quidem cum annexis paucis, sed lapidaribus motivis, ex quibus enim renovatio ministerii et vitae presbyteris a Concilio exoptatur. Suprema motivatio talis renovationis sumatur ex conceptu vel idea apostolatus sacerdotalis pro exigentiis hodiernis nova luce instaurati. Haec motiva renovationis postea arctius et pressius totum schema pervadant.

In n. 1 schematis missio sacerdotalis pulcherrime deducitur ex missione apostolis et episcopis tradita, cuius presbyteri per ordinationem participes fiunt. Tamen congruens videtur, ut necessitas novi apostolatus sollemniori pondere iam in prooemio schematis proponatur sacerdotibus, et quidem non modo deductivo, sed modo declarativo, ut scopus renovationis sacerdotalis magis prae oculis habeatur. Hoc pro systematisatione decreti magni momenti esset. Sic etiam facilius evitatur, ne obtineatur cum decreto aliqua pulchra sed levis exhortatio vel pia lectio pro clero toties repetita. Habeat quoque hoc decretum suam indolem propriam ex Concilio saeculi vigesimi exortam, quod concilium sibi proposuerat recognita missione salutis in Ecclesia a Christo instituta, novum apostolatum non tantum ad omnes christifideles, sed etiam ad totam humanitatem inaugurare.

Pro hac amplificatione prooemii argumenta mea haec sunt:

1. *In ordine subiectivo*: stimulus renovationis sacerdotalis aliquatenus sumatur etiam ex conceptu apostolatus generalis.

Ex historia Ecclesiae constat decursu temporum omnem renovationem, sit in ordine spiritualitatis vel in ordine muneris pastoralis ex nova inflagratione animi apostolatus exortam esse. Fateri debemus etiam a nostro Concilio radix et nervus centralis pro omni renovatione ad intra et extra in conceptu apostolatus posita fuisse. Sub apostolatu sensu salutari intelligitur missio ad alterutrum, missio ad proximum. Haec missio ultimatim semper a Patre caelesti originem sumit, verificatur autem per Christum, cum et in Christo virtute Spiritus Sancti. Cum Christus in medium positus sit inter Deum et hominem tamquam caput, mediator, sacerdos, propheta et rex, haec missio ad alterutrum semper structuram theandricam induere debet, i. e. fit hominibus tamquam instrumentis et organis a Spiritu Sancto vivificatis. Omnes baptizati participes facti sumus sacerdotii et missionis Christi ad mundum et si ex tali consideratione theologica tanta sublimia pro aposto-

latu laicorum deducebantur, tantum magis sacerdos propria ordinatione electus elementum vivum et organicum missionis ad proximum in Ecclesia constituat.

2. *In ordine obiectivo*: Populus messianicus genuino apostolatu aedificari oportet. Ecclesia hodie renovata missione sua proficisci conatur ad salvandum et adiuvandum illud genus humanum, quod in evolutione sua historica nova limina structurae suae socialis attingit. Nunquam tali claritate ex signis concretis videbatur humanitatem unam et unicam familiam esse et salvationem singulorum in communitate et per communitatem secundum voluntatem Dei creatoris et salvatoris verificari debere. Ecclesia autem cum sit sacramentum, instrumentum et mysterium unitatis hominum cum Deo et hominum inter seipsos, huic tendentiae unificationis, communitatis, aequalitatis et fraternitatis offerre vult sua remedia salutaria, nempe gratiam Christi pro omnibus crucifixi et resuscitati et apostolatum caritatis et servitii ad proximum ex hac gratia profluentem. Quis sit magis promotor et suggestor huius unitatis in caritate ad invicem, quam servus muneribus Christi constitutus, ipse sacerdos in unitate cum episcopis.

Ex his rationibus, censeo, iam in prooemio expositis deberetur « ordini sacerdotali in Ecclesiae renovatione partes maximi momenti » assignari. Haec tantum pro systematisatione meliore schematis proposui.

38

Exc.mus P. D. IOANNES B. DA MOTA Y ALBUQUERQUE

Archiepiscopus Victoriensis Spiritus Sancti

Motus in fine velocior, et, proh dolor, ubi de carissimis nostris cooperatoribus agitur, motus velocissimus est.

1. Rogo ut in nova elaboratione schematis *de ministerio et vita presbyterorum* ratio habeatur de omnibus his, quae in adnexis foliis dicuntur.

2. Praeterea nomen meum apponere volo interventionibus ab em.mis cardd. Léger, Döpfner, Suenens, Colombo, Florit et Bea, in aula conciliari prolatis, et enixe peto ut totum schema ad eorum mentem reficiatur.

3. Item omnino consentio his quae de paupertate et labore manuali sacerdotum dixit exc.mus D. Hyacinthus Aragaya Goicoechea (Spania, Mondoñedo). Nam hoc omnino extraneum et absonum videtur quod de Christo (qui inde a sinu Mariae aeternum habet sacerdotium), praecise ut faber et filius fabri nullum verbum dicatur. Citantur verba S. Pauli apud *1 Cor.* 9, 13-14. Cur non citantur verba statim sequentia in versiculis 15 ad 18? Cur timet Concilium?

Ecclesia catholica ab hominibus ut vera Ecclesia Christi non videbitur si magnus ille coetus operariorum et pauperum praesens in ea non erit. Et quomodo in ea praesentes erunt si sacerdotes ab eis maxime distantes sunt? « Infirmis factus sum infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia

factus sum ut omnes facerem salvos » (*1 Cor.* 9, 22-23). Ut operarios et pauperes lucrifacerent, debent sacerdotes eorum vitam et condicionem assumere.

4. Rogo deinde ut consilia evangelica proponantur in perspectiva ministerii sacerdotalis et non in perspectiva idealis religiosae vitae. Unde paupertas in primo loco ponatur. Nam hoc revera fundamentale est in vita christiana (*Lc.* 18, 24 ss.). Ipse coelibatus in paupertate includitur, ut videri potest apud *Lc.* 18, 29. Ipse sacerdos in paupertate servire debet populo Dei qui pauper est.

Deinde dicatur de oboedientia quae est cardo totius operis redemptionis.

De coelibatu non multis verbis sed bene et apte loquendum est. Coelibatus extollatur ut exigentia muneris prophetici et officii evangelizationis quae sacerdotes habere debent in Ecclesia latina.

Praxis nuper a Summo Pontifice inducta, scil., dispensandi in lege coelibatus, clare indicetur in textu, ita ut C.I.C. de votis sollemnibus religiosorum facit. Hoc nedum in scandalum verteret, sed in bonum vocationum. Nam timent seminaristae et eorum familiae ne lex coelibatus, propter errorem et fragilitatem humanam potius ad damnationem quam ad salvationem veniat.

* * *

Nomine aliorum quoque Patrum conciliarium ex Brasilia.

Le texte a fait des progrès depuis l'an dernier. Atteint-il pour autant le but proposé? Résoud-il cette question, cette crise comme on l'appelle parfois, de la conscience sacerdotale qui se manifeste aujourd'hui en maints endroits?

Cette question procède d'une exigence d'authenticité humaine, de franchise, de loyauté envers l'Evangile et les sources de la foi, d'adaptation aux hommes, de pleine réalisation de la dimension communautaire de l'Eglise. Les prêtres d'aujourd'hui éprouvent le besoin que soient pleinement actués les liens organiques du prêtre avec son évêque et son peuple, à l'intérieur d'une vie plus communautaire.

Là où ces aspirations ne trouvent pas un débouché convaincant, elles se dispersent en initiatives diverses et parfois bizarres ou même dangereuses. Il faut une doctrine ferme, des orientations vraiment adaptées pour que ces difficultés soient dépassées.

Tel est le but de ces notes rapides. Si pour la clarté, elles ont une forme parfois franchement critique, elles ne sont pas destructrices du texte. Elles invitent seulement à trouver les aménagements grâce auxquels il pourra trouver le *crédit* qu'il n'aurait pas tel quel, chez ceux qui cherchent et aussi atteindre son but.

Schéma sur les prêtres. Généralités.

Ce schéma a une grande importance. Beaucoup de prêtres s'interrogent sur leur sacerdoce, et cela, parmi les meilleurs, parmi les plus engagés dans le

renouveau conciliaire. Comme toujours lorsqu'il y a question et tournant, le meilleur et le pire sortent des remises en question.

Il importe que le texte apporte des réponses convaincantes et fermes aux questions qui se posent, des orientations et directives qui ne soient pas seulement un rappel de ce que l'Eglise veut maintenir, mais une claire expression des adaptations nécessaires. Les *animadversiones* suivantes ont été faites après une enquête auprès des prêtres représentatifs de l'effort et des questions qui existent actuellement.

Observations générales.

1. Ce texte a une facture presque exclusivement latine. Il ne tient pas assez compte de l'Orient.

2. Il est trop temporel. Beaucoup de prêtres seront déçus de ne pas y trouver la réponse aux conditions et aux questions actuelles qu'il se posent (cf. les enquêtes poursuivies depuis trois ans par le M.R.J.C. sur la spiritualité et la situation du sacerdoce).

3. La mission du prêtre n'est pas assez définie en fonction des réalités humaines qui sont objet de l'évangélisation, du souci que « l'Evangile soit annoncé aux pauvres », du souci de faire passer toute la vie des hommes à un niveau sacral: qu'elle réalise le sacrement (au sens fort où *réaliser* signifie la *res sacramenti,* c'est-à-dire la grâce), qu'elle devienne, par surcroit, un signe du Christ pour le monde, un signe qui le fasse reconnaître, un témoignage... Cette idée n'est pas vraiment mise en relief. Le grand souci des prêtres qui ont espéré dans le Concile, c'est de « faire passer réellement la vie des gens à l'Evangile ».

4. Enfin, l'idée que le prêtre est envoyé au monde, que le sacerdoce est service du monde, et pas *seulement* de la chrétienté n'apparaît pas nettement, et cela sera un autre motif de déception. A-t-on eu suffisamment le souci de faire sa place à la ligne de recherche missionnaire qui cherche les valeurs pré-évangéliques dans le monde actuel et tente de les faire évoluer à partir de ce qu'elles sont vers leur baptême? Ce type d'évangélisation, de plus en plus nécessaire dans les structures humaines qui ont pris leur autonomie, et sur lesquelles une prédication toute faite glisse sans « mouiller », selon l'expression de Péguy (« ils ne mouillent pas à la grâce... ») y a-t-on fait une place suffisante?

Ne pourrait-on à cet effet manifester ce thème: Il y a deux aspects de la parole de Dieu. Il y a bien sûr les paroles explicites, objet d'enseignement formel, et cela dès l'Evangile même. Mais il y a aussi le fait que la parole de Dieu, le Christ Verbe de Dieu, n'a pas commencé par formuler des paroles, mais par s'intégrer aux réalités du monde. Ce sont ces réalités-là qu'il fait passer à Dieu: Et il est humblement parti d'elles par exemple en appelant les apôtres ces pêcheurs qu'il fait pêcheurs d'hommes, ou en enseignant les paraboles.

5. L'importance des charismes et le rôle du prêtre pour la coordination des charismes dans la communauté ne sont pas signifiés.

N. 1, p. 12. Au début du n. 1, il serait souhaitable d'insérer une déclaration de ce genre: « Dans une période de mutation sans précédent, où l'accélération est devenue une loi de l'histoire humaine, le Saint Synode a conscience que les formes actuelles à travers lesquelles le sacerdoce est vécu appellent un *aggiornamento* également sans précédent. Il sait que le ministère et la vie des prêtres doivent s'adapter sans cesse aux nouvelles conditions de vie des hommes et de la mission de l'Eglise par rapport à eux. Il encourage les prêtres à chercher dans une obéissance loyale, active et pleine d'initiatives, les formes nouvelles qui répondent à ces besoins nouveaux des hommes» .

Dans ce même numéro, ne pourrait-on pas montrer que le prêtre est au service des trois fonctions du peuple de Dieu: pas seulement comme sacerdoce commun, mais comme prophétisme et comme royauté. On se limite trop au concept étroit et abstrait du sacerdoce, qui est en fait inséparable de la dimension prophétique et royale.

P. 12, ligne 33: « Auctoritatem qua Christus Ipse Corpus suum extruit, sanctificat et regit ».

Le Christ ne construit pas son Corps par la seule voie d'autorité. Il le construit essentiellement et fondamentalement par sa Mort et par sa Résurrection. Le prêtre agit par l'autorité du Christ, Fils de Dieu mort sur la Croix. Il faudrait élargir la formulation.

N. 2, p. 14, ligne 20: *La Parole.* Il serait souhaitable d'adopter l'ordre de la Constitution *Lumen Gentium.* Dire en premier lieu que toute l'Eglise est servante de la Parole. Préciser ensuite, par rapport à cela la fonction, le ministère spécial de l'évêque et du prêtre.

N. 3, p. 15: *Les sacrements.* Ne serait-il pas bon là aussi de partir du peuple de Dieu, de dire qu'il est une communauté eucharistique, ce qui est dit seulement p. 16, lignes 8-10, et de situer ensuite le ministère du prêtre au service de cette communauté? Ne serait-ce pas plus conforme à la ligne de *Lumen Gentium,* qui va du peuple de Dieu, chap. 2, au service eucharistique, chap. 3?

P. 16, ligne 29: *Officium divinum.* Faut-il placer le bréviaire sous la rubrique des sacrements?

P. 16, ligne 38: *Sur les lieux du culte*: « *nitida* ». Cette épithète est banale et un peu courte. Mieux vaudrait la supprimer ou à la rigueur la remplacer par « digna ».

Ib. *Foi et sacrement.* Ce n. 3 touche un problème qui préoccupe au premier chef les prêtres d'aujourd'hui et qu'il faudrait développer: le rapport foi-sacrement. Le problème de conscience qui se pose aujourd'hui à beaucoup, et que Mgr Renard a évoqué le 19 novembre dernier, c'est que, trop souvent, les prêtres sont amenés à administrer les sacrements à des gens dont on se demande s'ils ont en quelque manière la foi, et qui parfois ne l'ont pas à l'évidence.

Plus profondément, il y a chez les prêtres d'aujourd'hui une répulsion pour le formalisme et un désir positif de mettre la foi et la vie des gens au niveau des sacrements qu'ils reçoivent, de rétablir cette connexion entre foi et sacrement qui a été fâcheusement dissociée à la fois par le relâchement et par le légalisme de ces derniers siècles.

Il faudrait, à ce sujet, développer les thèmes suivants:

— Il importe de former dans la vie même des hommes, *la foi* nécessaire aux *sacrements de la foi* (sacramenta fidei) comme les appelait Saint Augustin. Il faudrait entrer dans le concret. L'accès aux sacrements appelle: catechèse, préparation. Dans le cas du baptême, il importe de restaurer l'initiation chrétienne et les catéchuménats. Il importe dans tous les cas d'éveiller le désir du sacrement et la connaissance du sacrement, selon la foi de la pédagogie de Dieu qui fait désirer d'abord ce qu'il veut donner.

— Conversion du cœur, pénitence: Il importerait de retrouver sous des formes adaptées à notre temps, la discipline ancienne de la pénitence, et plus largement de restituer les voies d'accès du peuple de Dieu en marche, vers le Mystère.

— Discernement des signes de la foi. Une pédagogie de la foi suppose qu'on soit attentif à discerner, dans la vie des hommes, les signes de la foi. Il est trop simple de dire systématiquement que celui qui se présente aux sacrements doit être présumé avoir l'intention droite, et que, si ses intentions sont suspectes, on y trouve toujours, au moins, la « mèche qui fume encore ». Ces slogans entraînent dans la voie d'une certaine paresse pédagogique, et souvent, ils discréditent les sacrements aux yeux de ceux qui viennent les chercher dans des dispositions médiocres. Ceux-ci ont souvent le sentiment que l'Eglise, ce n'est pas une chose sérieuse, et que le Dieu qu'elle propose se contente du formalisme.

N. 5, pp. 16-19: « *Dei rectores* ». Ce mot « rectores » évoque les recteurs autoritaires d'un certain folklore. La rédaction du numéro, en dépit d'ouvertures intéressantes, est trop imprégnée de la conception « pyramidale » de l'Eglise qui a été critiquée au Concile, cette conception où les prêtres commandent et où les laïcs obéissent, exclusivement, etc.

Coordination des charismes. Ne pourrait-on davantage présenter le prêtre comme celui qui favorise les conditions d'éclosion des charismes, qui en coordonne l'exercice dans l'Eglise comme le faisait Saint Paul? (*1 Cor.* 14). On ne croit pas assez au travail fondamental de l'Esprit-Saint dans la communauté. On pense trop souvent: « Organisons, et l'Esprit-Saint viendra par surcroit ». Ne faudrait-il pas rétablir une perspective plus profonde: « Créons les conditions qui rendent possible la vie de l'Esprit-Saint et organisons alors, coordonnons avec soin la richesse surabondante de la vie qu'il suscite dans son Eglise »? En tous cas, le ministère est fonction de cette vie de l'Esprit dans la communauté tout entière.

Il faudrait citer ici *1 Thess.* 5, 22: « Spiritum nolite extinguere » et *1 Cor.* 3, 6: « Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus incrementum dedit ». Le

prêtre est moins l'architecte de pierres inanimées que le jardinier d'une vie que Dieu donne, au-delà de ce que nous pouvons inculquer, créer, concevoir. Voilà ce que les prêtres d'aujourd'hui (ceux qui ont vécu le Concile) attendent.

Mission à l'égard des non-chrétiens. A lire le schéma, on aurait le sentiment que la fonction du prêtre concerne uniquement le peuple de Dieu déjà rassemblé. Cette fonction ne va-t-elle pas au-delà... aux brebis égarées qui ne sont pas aujourd'hui une pour cent, mais selon les pays 30, 50, et jusqu'à plus de 99%? Il faudrait dire quelque chose de ce genre: « L'Esprit de Dieu travaille inlassablement pour attirer par la grâce, chaque homme vers le salut, comme le rappelle la Constitution *de Ecclesia* (nn. 15, 16, 17). Le ministère de Dieu s'étend donc partout où agit la grâce du Seigneur.

Quand les prêtres cherchent à discerner et à faire fructifier la grâce de Dieu à quelque étape que ce soit de son développement, ils exercent leur ministère sacerdotal.

Quand à cause du péché des hommes, des préjugés, des incompréhensions ou de la lenteur des évolutions humaines, les prêtres peuvent seulement témoigner du Christ par leur vie, sans pouvoir encore parler, lorsqu'ils peuvent parler du Christ aux hommes sans pouvoir encore les introduire aux sacrements, dès lors qu'ils tendent à les acheminer progressivement vers l'Eucharistie, ils exercent déjà un ministère sacerdotal.

Quand ils cherchent à connaître et à aimer les personnes et les communautés, à guérir, élever, achever les germes de bien contenus dans leur cœur, leurs pensées, leurs rites propres ou leur culture (*De Ecclesia,* n. 17), les prêtres sont déjà virtuellement les ministres de la Parole, et les ministres des sacrements et de l'Eucharistie et les rectores du peuple de Dieu ».

N. 5, pp. 19-20: *Les études.* Ce texte ne ferme pas de portes. Il n'est pas enthousiasmant. Ne faudrait-il pas évoquer la signification que les études prennent par rapport au monde d'aujourd'hui?

L'importance prise par les études en notre temps. Elles ne sont plus le privilège des « clercs ». Par un étrange retournement, les « clercs » ont parfois fait en ces derniers siècles figure d'obscurantins. Insister sur le souci de compétence qui est celui de notre époque. La durée des études augmente partout. Leur sérieux s'accentue partout, à une heure où on se plaint d'une baisse de niveau dans nombre de séminaires. Manifester cet appel de l'exigence de notre temps, une exigence réaliste. De plus en plus, les gens pensent que l'Eglise, ce n'est pas tellement sérieux, par rapport à ce qu'ils engagent dans leur vie professionnelle, ou du moins dans celle de certaines professions.

Signaler avec réalisme le problème que posent les études du prêtre. Le sacerdoce exige une multiplicité, une variété de compétence que ne demande aucun autre métier: la théologie exige une culture philosophique et historique pour qui veut être capable de répondre aux questions nouvelles que notre temps multiplie. Le prêtre doit avoir aussi l'art du chant, de la lecture, de la parole publique, de la pédagogie (pour les enfants et pour les adultes),

du droit (tout prêtre devrait être en quelque manière canoniste), d'administration du temporel (finances, organisation des services, de la coopération entre les gens qui collaborent dans la paroisse ou ailleurs), compétence pour la conservation du patrimoine artistique des Eglises, des archives, etc. On pourrait allonger indéfiniment la liste. Il faudrait donner des normes ou du moins des suggestions pour résoudre ce problème, cette quadrature. Une de ces normes, serait que chaque prêtre pousse à fond une discipline spécialisée pour y creuser le sens de l'exigence, de la rigueur, dont il bénéficiera ensuite dans les autres domaines, ne serait-ce qu'en mesurant mieux la différence entre science et ignorance, et la nécessité de la modestie dans les domaines mal connus.

En dehors de ce point fort, susceptible de donner profondeur et structuration à sa culture, chaque prêtre doit trouver des méthodes rapides, efficaces, ingénieuses pour se tenir en contact avec toutes les autres disciplines: chercher à les intégrer dans l'unité d'une vie vraiment humaine animée par la lumière de la foi et la flamme de la charité. Insister au passage sur l'importance de se former une méthode de travail, que chacun ne peut mettre au point que par lui-même, en dépit des principes généraux et recettes qui peuvent être multipliés.

P. 19, ligne 25: *Ex lectione et meditatione Sacrae Scripturae.* Après *lectione,* ajouter *studio.* De plus en plus lecture et méditation sont inséparables d'une étude dont il faudrait peut-être mieux fournir les méthodes et les instruments.

P. 19, ligne 40: *Officia status sacerdotalis.* Il faudrait dire *ministerii* au lieu de *status. Ratio*: Mieux vaudrait parler de *fonction* (munus) que d'*état,* le sacerdoce n'est pas un super-baptême. Il est un ministère spécialisé, une fonction organique qui est donnée sur la base de l'état fondamental de baptisé.

P. 20, en haut: Ne faudrait-il pas motiver davantage, et de manière plus proche des préoccupations actuelles les raisons pour lesquelles les prêtres doivent développer leur connaissance des sciences et réalités humaines?

Pour entrer dans la mission qu'a l'homme vis-à-vis de la création. « Dominez la terre » (*Gen.* 1, 28).

Pour discerner les manières dont Dieu parle et exprime aux hommes sa volonté. « Le ciel et la terre nous racontent Dieu » (*Ps.* 19, 2).

Pour nouer à ce niveau des relations fraternelles avec les autres hommes.

Pour chercher avec les chrétiens la manière évangélique de mener à bien le développement humain du monde.

Souligner que la soumission à la réalité, à l'objectivité est pour le prêtre une dimension de la vertu d'obéissance dans son ministère. On parle trop souvent comme si la seule obéissance aux normes canoniques (qui d'ailleurs est très importante) suffisait, alors qu'il faut aussi l'obéissance quotidienne aux événements dans lesquels Dieu parle et se manifeste à la conscience et à la liberté de chaque homme. C'est aussi une ascèse. Plus largement, il faudrait

présenter davantage l'étude de la Parole de Dieu comme une exigence même du ministère. Le premier texte était peut-être meilleur à cet égard.

N. 6, pp. 21-22: *Evêques et Presbyterium.* P. 22, lignes 15-23: La relation du prêtre à l'évêque est trop exclusivement considérée de manière verticale. L'évêque décide et le prêtre exécute. Le terme de coopérateur implique quelque chose de plus.

Aujourd'hui de plus en plus, l'obéissance suppose le dialogue dans la recherche et l'élaboration des décisions (le schéma touche ce point, p. 21, ligne 19, en s'adressant d'ailleurs aux évêques et non aux prêtres). Ce style de collaboration est plus exigeant que celui qui consiste à être le simple exécutant d'ordres reçus. N'est-ce pas dans cette voie de dialogue, d'obéissance intelligente et active, que se réalisera l'unité du Presbyterium qui est ici souhaitée?

P. 22, lignes 1-3: Ne pourrait-on pas préciser le rôle du *Coetus* sacerdotal diocésain? Ne devait-il pas concerner l'orientation et l'organisation du ministère sacerdotal plutôt que la mission propre des laïcs? Ou bien s'agirait-il d'un coetus avec participation de laïcs?

N. 7, pp. 22-24: *Union fraternelle et coopération entre les prêtres.* Ce numéro a le ton d'une exhortation pieuse et moralisante, sinon sentimentale, peu propre à stimuler les prêtres d'aujourd'hui. Pour eux ce genre littéraire est usé par l'abus qu'on en a fait. Ne faudrait-il pas partir de ce fait que jamais il n'y eut d'Eglise sans communauté presbytérale? Ne pas présenter l'unité et la fraternité entre les prêtres comme une sorte d'exercice de piété ou de bonne compagnie. Manifester qu'elles se fondent sur l'unité du ministère, autrement dit montrer que les échanges entre prêtres au niveau de la mission de l'Eglise sont structurés par cette mission même.

Bref, ici comme ailleurs, on n'a pas assez en vue la base communautaire de la vie de l'Eglise. En fait, il n'y a pas normalement d'évêques sans prêtres, ni de prêtres sans communauté, évêques et prêtres sont au service de la communauté.

P. 24, lignes 32-34: L'utilisation du texte évangélique: « Venez, à part, au désert » (*Mc.* 6, 31) porterait à accentuer l'isolement et la coupure du corps sacerdotal à l'égard de la vie des hommes. Faut-il insister pour que les « clercs » prennent leurs loisirs entre clercs et dans le désert? Le loisir ne peut-il pas être pour eux une occasion de contact avec les hommes de leur temps?

N. 8, pp. 24-27: *Relation des prêtres et des laïcs.* 1. Posons d'abord un problème de structure: On a adopté dans les numéros 6, 7, 8, un ordre descendant qui va du sommet à la base de la pyramide. La descente de la pyramide s'arrête d'ailleurs aux laïcs chrétiens, et on ne va pas jusqu'aux relations du prêtre avec les hommes. Ne pourrait-on retourner cette ordonnance, pour partir de la communauté dont le prêtre est ministre?

2. En ce qui concerne le rapport du prêtre avec *l'ensemble des hommes*

au milieu desquels il vit, qu'ils soient chrétiens ou non, l'on pourrait dire quelque chose de ce genre qui répondrait à bien des aspirations et recherches actuelles:

« Puisque le ministère de l'Eglise est au service de la grâce qui travaille le cœur de chaque homme, de chaque communauté, de chaque civilisation, prévenant et acheminant les hommes vers le Christ, la vie des prêtres doit leur permettre de venir à la rencontre du Seigneur partout où il est à l'œuvre.

Comme le Christ pendant ses trente années de Nazareth, comme Saint Paul qui se fit juif avec les juifs, sans loi avec les sans loi (*1 Cor.* 9, 20-21), les prêtres doivent avoir à cœur de partager réellement la vie des hommes. Rejetant les fausses séparations, participant, suivant les besoins à la vie de travail des hommes, ils doivent partager leurs intérêts, leurs peines, leurs joies, leurs espoirs, leurs aspirations, leurs loisirs, leur culture dans toute la mesure où tout cela n'est pas dévié par le péché.

Ils doivent vivre avec les hommes, les comprendre et les aimer, parce qu'ils sont hommes au milieu des hommes et appelés à mériter leur confiance. Ils doivent apprendre à leur lire, dans le langage qui est le leur, la Bonne Nouvelle, offrir à Dieu leur vie, et contribuer efficacement au rassemblement des hommes. Ils doivent percevoir et soutenir de loin les processus de communion humaine qui sont surnaturellement accomplis par l'Eucharistie et en dernier ressort dans l'eschatologie ».

3. Dans ce numéro et dans le précédent, les problèmes de relation semblent pensés individuellement, à une époque où les réalités communautaires et collectives ont pris une valeur de premier plan. C'est à ce sujet que l'évêque de Monaco disait en septembre 1965: « Nous sommes toujours en retard d'une idée... ».

N. 9, pp. 27-29: *La distribution des prêtres.* Ici encore, il y a risque de trop insister sur le renouveau descendant, et de poser le problème en termes d'échiquier. Ce qu'il y a de meilleur à cet égard dans le numéro, c'est la p. 27, lignes 35-37, mais il faut présenter ce souci, cet élan chrétien fondamental comme un « devoir ». N'est-ce pas le souffle même de l'Esprit, le dynamisme missionnaire qu'il suscite? N'est-ce pas en ces termes qu'il faudrait l'évoquer?

D'autre part, on semble penser trop exclusivement à l'envoi à d'autres nations, on ne parle pas assez de l'envoi à certains *milieux* non-évangélisés, cloisonnés sur place dans une même aire géographique et que l'Eglise atteint mal et parfois en aucune manière. Il importerait de faire l'inventaire de ces milieux-là, dont la conception de l'Eglise est souvent si surprenante. On n'a pas perdu son temps, par exemple, à s'occuper de l'armée. A-t-on fait assez pour les milieux de travail industriels, et pour les nouvelles couches techniques qui se développent d'une manière assez marginale par rapport à la vie de l'Eglise?

N. 10, pp. 29-31: *La vocation.* On semble songer quasi exclusivement

aux vocations d'enfants. Ne faudrait-il pas reposer le problème de l'appel de Dieu parmi les hommes adultes? Ne faudrait-il pas aussi donner un sens plus organique au mot vocation (*vocatio*), c'est-à-dire à l'*appel* de la communauté, et de l'évêque qui consacre cet appel au nom de Dieu? Cet appel n'est pas une impulsion aveugle, mais doit être lié à la reconnaissance des signes de vocation. Et ceux-ci se manifestent normalement dans la communauté vivante, par la place que chacun y prend et la manière dont il accomplit ses tâches. Il serait normal que beaucoup de vocations « au plus haut service » se manifestent de cette manière organique, et soient en partie discernées par la communauté même.

II. *La vie des prêtres.*

N. 11, pp. 30-32: *L'exigence de sainteté du sacerdoce.* L'amendement des lignes 16-19 a tenté de corriger l'espèce d'opposition qu'on mettait dans les lignes 10-15, entre l'exercice du *ministère* et la *sainteté propre* (propriam sanctimoniam).

La question est de savoir s'il faut maintenir cette opposition-là. Ne faudrait-il pas faire appel aux textes d'Ecriture qui montrent le lien entre sainteté et ministère? « Imitatores mei estote sicut et ego Christi » (*Ph.* 3, 17). « Forma gregis ex animo » (*1 Pt.* 5, 3).

L'exigence de sainteté paraît encore trop peu présentée en fonction du ministère. S'agit-il d'une *exigence* particulière ou d'une *expression* particulière de l'appel de tous les chrétiens à la perfection?

N. 12, pp. 32-33: *La triple fonction du sacerdoce et la sainteté.* Il serait bon de citer ici *Jn* 10, 11: « Le bon Pasteur donne sa vie pour ses brebis ».

— au sens large et quotidien (exigence de désintéressement, de disponibilité, d'ascèse, de dépouillement, économique compris, de travail, s'il le faut comme Saint Paul, faiseur de tentes) [1]

— au sens strict de la mort à laquelle le pasteur doit être prêt à donner sa vie pour son troupeau.

N. 13, pp. 33-35: *Unité et harmonie de la vie des prêtres.* La perspective de ce numéro est assez pessimiste. Elle semble condamner les hommes qui vivent dans ce monde à l'impossibilité de se sauver. Le monde n'est-il pas aussi lieu de grâce? Si elle s'y manifeste si peu, n'est-ce pas que nous ne sa-

---

[1] Instruction de la Propagande, de 1659: « Ne soyez d'aucune manière à charge au peuple à cause des nécessités temporelles; souvenez-vous de la pauvreté des apôtres qui se procurèrent le nécessaire de leurs mains, pour eux et pour ceux qui étaient avec eux » (*Fontes iuris canonici,* t. VII, n. 4663). Benoît XV, Encyclique *Maximum illud* (30 novembre 1919): « Le vrai prédicateur de l'Evangile s'appliquera avec soin à imiter l'Apôtre des Gentils; lui qui donnait à Timothée ce conseil: Dès lors que nous avons le vivre et le couvert, tenons-nous pour satisfaits (*1 Tim.* 6, 8); bien plus, qui était assez épris de la vertu de renoncement pour vouloir, malgré les soucis d'une charge écrasante, gagner sa nourriture au prix du travail de ses mains ».

vons en saisir les signes et en stimuler le développement de *gratias in gratiam?* Le petit monde ecclésiastique, lorsqu'il se clôt sur lui-même est-il tellement plus évangélique (si l'on excepte les portions de la vie qui sont consacrées à la prière et aux exercices spirituels) que le monde tout court? N'est-ce pas à l'intérieur de la condition des hommes (excepté le péché et les exigences de la consécration spécifique) que les prêtres doivent unifier leur vie de foi pour être médiateurs, c'est-à-dire pour établir un pont entre Dieu et les hommes? Ne faut-il pas qu'une arche du pont soit solidement implantée sur la rive des hommes?

N. 14, pp. 35-38: *Les conseils évangéliques.*

1. *Mise en place.* Les considérations sur les conseils évangéliques semblent insuffisamment liées au ministère du prêtre. A beaucoup de ceux-ci elles paraîtront désincarnées, ou même artificielles.

Il faudrait commencer par situer les conseils évangéliques comme l'expression normale d'une vie de baptisé, mais diversifiés suivant la situation et la fonction des différentes catégories de chrétiens dans l'Eglise. L'orientation et le développement qu'ils prennent dans la vie du prêtre ne sont pas tout à fait les mêmes que ceux qu'ils prennent dans la vie religieuse. Le texte n'assimile-t-il pas encore trop, à ce sujet prêtres et religieux? Bref, il faudrait situer les charismes du prêtre à partir de leurs racines humaines et baptismales.

1) *La pauvreté* est chose commune à tous les hommes en tant qu'ils sont créatures. Il y a un certain sens naturel de la pauvreté qui n'est pas sans grandeur chez certains hommes non-chrétiens.

La pauvreté est vécue par les baptisés en fonction du salut: don que Dieu leur fait.

Elle est vécue par le prêtre, serviteur des dons de Dieu (parole et sacrements) qui ne sont pas sa propriété, qui lui ont été donnés pour les autres. En outre, le prêtre est pauvre parce qu'au service d'une Eglise radicalement pauvre, et dont la mission est ainsi caractérisée par le Christ: « L'Evangile est annoncé aux pauvres » (ceux-ci ont normalement une certaine priorité dans l'évangélisation).

L'attitude de détachement vis-à-vis de l'argent est un des signes de pauvreté du prêtre. Cette pauvreté s'exprime aussi dans la manière dont l'Eglise gère les biens matériels qu'elle possède et oriente leur destination. Cette gestion ne revient pas au prêtre seul, ni en priorité, puisqu'il est de plus en plus recommandé que les laïcs participent à la gestion des biens de l'Eglise et même soient spécialisés dans cette branche. Un autre signe de cette pauvreté dans la vie des prêtres serait les diverses formes de possession en commun et d'entre'aide qui tendent à s'instaurer aujourd'hui.

2) *L'obéissance.* Il faudrait en indiquer les bases naturelles et concrètes comme la soumission et la fidélité au réel, aux données de l'existence des hommes d'aujourd'hui, à la leçon de l'événement, ainsi qu'à l'ordre

social auquel chaque homme sait plus ou moins bien se soumettre (adaptation aux lois civiles, adaptation à la vie avec les hommes dont les lois non codifiées sont très exigeantes: ce qu'on appelait le savoir-vivre).

Soumission aux suggestions de l'Esprit-Saint qui apprend à lire l'événement en fonction de la marche de la grâce dans le monde et des progrès que Dieu veut susciter dans son Eglise.

Soumission à la Parole de Dieu, au magistère qui en est l'interprète autorisé.

Soumission au bien commun du peuple de Dieu recherché dans une collaboration ouverte avec l'évêque à l'intérieur du presbyterium et avec les laïcs.

Soumission à l'évêque établi de droit divin, vicaire immédiat du Christ dans son diocèse.

3) *La chasteté.* Ici encore, il faudrait situer d'abord la chasteté comme vertu demandée à tous les hommes, et qui est difficile pour tous, car ce n'est pas une facilité pour les gens mariés (*Mt.* 10, 10; *1 Cor.* 7, 28). Cette observation générale aurait l'avantage d'être valable aussi pour les prêtres orientaux mariés à qui ce texte s'adresse aussi. On situerait par rapport à ce devoir l'exigence découverte progressivement par l'Eglise et que l'Eglise d'Occident urge aujourd'hui. Il faudrait manifester dans ce cadre les raisons positives de cette exigence, et répondre en clair à certaines questions, à certaines propositions abusives qui circulent actuellement.

Il faudrait notamment trouver une réponse au problème suivant: La continence totale est un charisme. Pourquoi ce charisme est-il imposé comme une obligation universelle aux prêtres latins? Est-ce parce que l'Occident tient à réserver la fonction ministérielle aux charismatiques? En quel sens?

Ne faudrait-il pas dire aussi en quelque manière ce que signifient les permissions que l'Eglise multiplie aujourd'hui pour les prêtres réduits à l'état laïc: non pas d'une ouverture normale, mais des exceptions consenties par miséricorde, pour arranger des cas inextricables, non sans brisure du ministère sacerdotal. Il y a en pareil cas (quelles que soient les excuses personnelles et les responsabilités des tiers) cessation du ministère, félure de la consécration faite à Dieu, et ainsi un déshonneur que le Concile d'Elvire exprimait déjà par la formule « ab honore clericalis exterminari ». Il ne faudrait pas confondre ces cas déplorables avec l'accès au sacerdoce d'hommes mariés, qu'il s'agisse du clergé oriental ou de pasteurs entrés dans l'Eglise latine. Il importerait pour la clarté de distinguer la déchéance qu'il y a d'un côté, et la promotion qu'il y a de l'autre. Certain silence à ce sujet entretient surtout des confusions, et la conviction que l'Eglise est dans le plus grand embarras à ce sujet.

2. *Action sur la chasteté.* La longueur disproportionnée du passage consacré à la chasteté, l'insistance mise sur ce point qui semble obnubiler l'intérêt pour les autres conseils et les autres charismes, l'accumulation d'arguments inégaux et souvent étrangers aux exigences de la fonction ministé-

rielle, certains silences surtout, semblent manifester une inquiétude, une crainte. Ce numéro inquiétera et irritera certains prêtres plus qu'il ne les attirera vers la chasteté.

Ne faudrait-il pas dire plus brièvement et plus simplement l'essentiel: Que la chasteté est préférée par l'Eglise latine pour une consécration plus totale au service du ministère. Manifester que celui qui s'est consacré de cette manière totale ne laisse plus place à la consécration propre à l'état de mariage.

Enfin, tout en raccourcissant certains arguments, il serait bon d'évoquer l'aspect eschatologique de la chasteté qui engage dans la voie d'un certain type de dépassement des réalités terrestres. De façon générale, il faut que ce numéro respire la clarté, la franchise, non le camouflage ou l'hypocrisie.

3. *Sur la pauvreté.*

N. 15, pp. 38-39: *Les subsides de la vie intérieure.* La prière, la persécution sont-elles des « subsides » de la vie spirituelle? La Passion a-t-elle été pour le Christ un subside et un moyen de sa vie intérieure?

Pourquoi n'a-t-on pas conservé ici la bonne formule d'un des schémas antécédents? (schéma bleu de 1964, page 8, n. 3, col. de gauche): « Christianam austeritatem sacerdos ita colat, ut vere pauper spiritu appareat, atque ab omni specie vanitatis, tam in vestibus ferendis quam in titulis vel honoribus quaerendis, maxime abhorreat non tantum ad propriam sanctificationem, sed etiam ad pauperes aptius evangelizandos ».

Ceci pourrait être mis soit dans le n. 14 sur les conseils évangéliques, soit, si on le préfère, dans les subsidia du n. 15, ou dans l'alinéa qui concerne les rémunérations (n. 16). La meilleure place semble être toutefois le n. 14. En développant la pauvreté, on éviterait de donner au développement sur la chasteté le caractère d'une « idée fixe ».

N. 16, pp. 39-40: *La juste rémunération du prêtre.* Ne finira-t-on pas par soulever au Concile le problème des honoraires de messe? Certes on peut expliquer et légitimer pour l'essentiel cette institution en remontant à ses racines historiques. Mais elle a pris une forme-limite qui est disgracieuse à bien des titres:

1. La perception d'argent est liée à l'acte sacerdotal.

2. Elle est tarifée. Les gens disent couramment: « Combien coûte la messe ». « Les messes ont augmenté ». « Elles sont plus chères ici que dans le diocèse voisin ».

3. Elle donne lieu à des échanges commerciaux avec différence de tarif, risque de trafic. Les gens savent-ils que les messes à fort tarif qu'ils « paient » dans tel ou tel sanctuaire sont pour la plupart célébrées ailleurs...? La comptabilité de ces messes dépersonnalisées, deshumanisées a quelque chose d'artificiel. Et la théologie du *fructus* qui s'est développée à ce sujet n'est pas non plus exempte d'artifice.

4. On joue ici sur deux tableaux: on parle de la valeur infinie des messes tout en affectant un tarif (dérisoire) à chaque messe et on réalise parfois

des condonations: en ce cas 100 ou 1000 « messes » sont « acquittées » par la célébration d'une seule (privilège quotidien de tel cardinal au service de bonnes œuvres). Mais pourquoi tient-on la chose si secrète puisqu'elle est régulière?

Les institutions défectueuses produisent des effets disgracieux. Celle-ci justifiable dans ses principes radicaux en vient à n'être pas tellement avouable en son entier quelles que soient les bonnes intentions et l'effort pour la gérer scrupuleusement. Si un journaliste faisait un jour une enquête sur ces comptabilités-là, le monde n'en serait pas édifié.

Il est très gênant de voir la place effective qu'a pu prendre dans les prises de position pour ou contre la concélébration, le problème de l'honoraire de messe. Si on relatait certaines réflexions faites à ce sujet, on n'édifierait personne.

Certains prêtres éprouvent une gêne aussi du fait que, d'une part on les exhorte à la celébration quotidienne pour des motifs spirituels, et que, d'autre part, on les force, en quelque manière, à célébrer en faisant ordinairement de l'« honoraire de messe », une ressource sans laquelle ils ne peuvent vivre. Et cela ne va pas sans entraîner des célébrations en conditions défectueuses moralement ou matériellement. Les messes sans servant ni assistance..., avec et surtout sans indult, se sont multipliées vertigineusement depuis 20 ans. La messe privée recommandée par Paul VI comporte au moins un servant de messe: il l'a précisé explicitement.

Il faudrait faire des observations analogues pour les tarifs de baptême en certains pays d'Amérique latine (GRAHAM GREEN, *La Puissance et la Gloire*).

Ici encore, ne vaudrait-il pas mieux envisager franchement la question que de la taire? Ne pourrait-on envisager un aggiornamento, quitte à instaurer à cet effet, un processus à long terme, qui permettrait de faire évoluer ou de dépasser cet usage-là et d'en instaurer de meilleurs qui n'altèrent pas la gratuité du sacrement?

N. 18, pp. 41-42: *Prévoyance sociale.* Faut-il faire des mutuelles cléricales? Ne faudrait-il pas s'insérer loyalement dans le régime général et entrer dans la solidarité économique? Cela dépend des pays et des situations. Mieux vaudrait en tout cas que le Concile n'entre pas dans des vœux aussi particularisés.

* * *

N. 14: *De consiliis evangelicis in vita presbyteri*: pagg. 35-38.

A propos de ce qui est dit dans le Schéma sur la chasteté du prêtre, il conviendrait, semble-t-il, de distinguer deux choses très différentes et qui se trouvent plus ou moins confondues dans la rédaction du Schéma:

A. Il existe, d'une part, ce qu'on pourrait appeler *la loi du célibat,* commune à toute l'Eglise tant Orientale qu'Occidentale, tant Orthodoxe que Catholique: en vertu de cette loi, les prêtres qui une fois se sont engagés librement dans le célibat doivent être perpétuellement fidèles à leur engage-

ment, sous peine d'être « réduits à l'état laïc », ou, selon la formule du Concile d'Elvire, « ab honore clericatus exterminari ».

A moins donc que l'on estime devoir modifier la loi, il faut affirmer avec le Schéma, mais en se gardant de restreindre l'affirmation à la seule Eglise Occidentale, comme le fait le Schéma, que ces prêtres doivent « s'attacher de tout leur cœur à l'état qu'ils ont choisi et y persévérer *recte et fortiter* ». En effet, explique le Schéma, si la parfaite continence est une chose au dessus des forces humaines, elle devient possible avec la grâce de Dieu, car celle-ci ne peut manquer à ceux que Dieu a effectivement appelés à un tel état. Le texte évangélique cité à l'appui ne concerne pas directement la question: il s'agit en fait de la possibilité pour un riche de se sauver! Mais on pourrait en trouver d'autres, v. g. *Mt.* 19, 11-12 interprété à la lumière de la tradition.

B. Il existe, d'autre part, une *discipline particulière* qui s'est introduite pour divers motifs [1] dans la seule Eglise latine, à savoir de choisir comme prêtres (et naguère aussi comme diacres et sous-diacres) exclusivement des célibataires ou des veufs.

Pour apprécier l'opportunité de cette discipline et s'il convient de l'*entériner définitivement,* comme paraît le faire le Schéma en déclarant: « vigentem itaque (à savoir d'après le contexte: in Ecclesia Occidentali) legem coelibatus Sacrosancta haec Synodus iterum comprobat » (p. 36), ou au contraire *ne rien préjuger d'irrémédiable pour l'avenir,* il semble qu'on doive s'inspirer avant tout du *principe fondamental* rappelé en termes aussi clairs que possible par le Schéma à propos des vocations sacerdotales (n. 11, p. 29): « Pastor et Episcopus animarum nostrarum, ita suam Ecclesiam constituit, ut populus quem elegit semper et usque in finem saeculi *suos habere debeat sacerdotes,* ne unquam christiani sint "sicut oves non habentes pastores" (*Mt.* 9, 36). Quam voluntatem Christi agnoscentes, Apostoli, suggerente Spiritu Sancto (cf. *Act.* 13, 2), *suum esse officium ducunt ministros eligendos* "qui idonei erunt et alios docere" (2 *Tim.* 2, 2) ».

Tout le problème consiste donc à déterminer quels sont ces « idonei », et à nous demander notamment si et dans quelle mesure doit entrer comme *conditio sine qua non* non pas seulement la pratique de la chasteté selon l'état de chacun, mais celle du *célibat,* c'est-à-dire l'engagement à la continence perpétuelle.

Or, les considérations suivantes paraissent s'imposer:

1. Il est certain que *Saint Paul* n'exclut pas les hommes mariés de ces « idonei », aptes à exercer le ministère du prêtre (et même de l'évêque): ce sont même les seuls qu'il mentionne explicitement, quand il prescrit à son discipline Timothée (celui auquel est adressée la prescription citée par le Schéma et reproduite ci-dessus) de choisir comme « épiscope » un homme

---

[1] Voir l'appendice: « Un mot d'histoire », pag. 293.

« sachant bien gouverner sa propre maison et tenir ses enfants dans la soumission d'une manière parfaitement digne; car celui qui ne sait pas gouverner sa propre maison, comment pourrait-il prendre soin de l'Eglise de Dieu? » (*1 Tim.* 3, 4-5).

2. Il est non moins certain, comme le déclare le Schéma et l'admettent tous les catholiques, que l'état de *continence perpétuelle* convient excellemment à la sainteté du sacerdoce.

C'est pourquoi, quand, les circonstances historiques ayant changé, l'Eglise (ou une partie de l'Eglise) a estimé pouvoir *assurer l'évangélisation du monde* en utilisant exclusivement des célibataires appelés effectivement par Dieu à la continence, on conçoit aisément qu'elle ait préféré se contenter de tels candidats sans faire appel à d'autres.

Ainsi, vers le V ou VI siècle, l'*Eglise universelle,* tant Orientale qu'Occidentale, a cessé de choisir des hommes mariés comme *évêques.*[2]

Un peu plus tard, l'*Eglise latine* a de son côté cessé de choisir parmi les hommes mariés (à moins qu'ils consentent à ne plus user du mariage) ses *prêtres, diacres et sous-diacres.*

Mais l'*Eglise Orientale* a refusé positivemente jusqu'à nos jours d'adopter cette discipline pour les *prêtres, diacres et sous-diacres*: entre autres raisons, elle n'a pas cru qu'elle pouvait assurer chez elle l'évangélisation, comme elle le devait en vertu de sa mission, sans continuer à utiliser les services de ces « optime meriti presbyteri coniugati » dont parle le Schéma. En conséquence, elle a maintenu la discipline ancienne. Rien, en effet, ni dans l'Ecriture ni dans la Tradition, ne prouve que Dieu se doit de donner la vocation du célibat, et partant le don de la continence, à tous ceux dont l'Eglise aurait besoin au cours des siècles pour que jamais « les brebis ne se trouvent sans pasteurs », selon les termes du Schéma, du moment que, selon les termes du Schéma, « une telle vocation n'est pas exigée par le sacerdoce ».[3]

Pour la même raison, *Vatican II* vient de rétablir dans l'Eglise latine, pour les diacres, l'antique discipline, conservée par l'Orient.

3. Aujourd'hui le problème se pose donc en ces termes: entériner la discipline actuelle de l'Eglise latine signifie qu'elle estime pouvoir s'acquitter de sa mission pastorale et, en vertu du *principe fondamental* énoncé plus haut, pouvoir donner à toutes les brebis les pasteurs auxquels elles ont droit,

---

[2] Encore au IV siècle, par exemple, St Grégoire de Nazianze (mort en 389/390) fut ordonné par son père, évêque de Nazianze, désireux d'avoir un successeur; St Ephrem (mort en 373) félicite son ami l'évêque Abraham d'avoir gardé le célibat; selon St Ambroise (mort en 397), l'évêque doit être chaste, d'une chasteté qui *peut aller jusqu'au célibat* (voir *Dict. de Spiritualité,* art. *Episcopat,* col. 890-894).

[3] Non seulement « ex praxi Ecclesiarum Orientalium », comme il est dit dans la nouvelle rédaction du Schéma, mais aussi « ex praxi apostolica » (c. *1 Tim.* 3, 4, 5).

en se contentant des seuls candidats que Dieu appelle effectivement à la continence perpétuelle et donc sans utiliser également, comme l'ont fait saint Paul, l'Occident ancien et les Eglises Orientales, les services de ces « presbyteri coniugati » dont on constate que beaucoup sont « optime meriti ».

Or il est certain qu'aujourd'hui l'évangélisation du monde souffre cruellement du manque de prêtres, et si l'on songe à l'ensemble du monde, ce manque ne date pas d'aujourd'hui; bien plus rien ne laisse prévoir qu'elle en souffrira moins demain.

Vu l'explosion démographique, toutes les statistiques présentent l'avenir de l'évangélisation sous les couleurs les plus sombres. Jadis, en Europe du moins, chaque village avait son curé. Aujourd'hui les villages sans prêtres se multiplient, même en Europe; quant à l'Afrique ou à l'Amérique latine, il suffit d'interroger les évêques de ces pays.

Par ailleurs, si la fonction du prêtre, comme le rappelle avec insistance le Schéma, n'est pas seulement d'administrer les sacrements, mais aussi et peut-être d'abord d'évangéliser (cf. *1 Cor.* 1, 17) et notamment de « créer une communauté » (Presbyteri ad genuinam communitatem christianam efformandam fideles adducant » n. 2, p. 18), ont conçoit que la *présence stable du prêtre* soit nécessaire au sein de toute communauté chrétienne, où se célèbre la « fractio panis », à la fois expression de cette communauté, et sa source (cf. *Act.* 2, 42); de brèves visites, plus ou moins espacées, ne sauraient évidemment suffire, comme c'est pourtant le cas dans d'innombrables régions d'Afrique ou d'Amérique latine et bien souvent aussi, de plus en plus, en Europe.

Ajoutons une double considération:

A. Il est vrai que la continence perpétuelle présente « multimodam convenientiam » avec le sacerdoce, et tout spécialement avec le sacerdoce dans sa plénitude, tel qu'il se trouve dans l'évêque à la condition cependant qu'il s'agisse d'une *continence réellement observée* et que ne démente pas la conduite du prêtre; à cette condition seulement « per coelibatum aptiores fiunt muneri sibi commisso despondendi fideles uni viro »; autrement, des prêtres mariés observant la chasteté conjugale seraient certainement « plus aptes ».

Or, vu le manque de prêtres, la discipline de l'Eglise latine n'utilisant que des prêtres célibataires, n'est pas sans inconvénient également de ce point de vue.

Il arrive que plus d'un candidat au sacerdoce, voyant combien l'Eglise a besoin de prêtres, soit amené à accepter le sacerdoce sans toujours posséder une réelle estime pour la continence perpétuelle, et donc sans avoir pour celle-ci une vocation authentique, même si, sur le moment, il se fait illusion. Ils sont peut-être moins rares qu'on ne pense, les séminaristes qui acceptent de s'engager à la continence perpétuelle uniquement parce que l'Eglise latine en fait une *conditio sine qua non* du sacerdoce. En ce cas, on peut même se demander si l'évêque a le *droit* d'ordonner de tels séminaristes: il semble

qu'il y ait là un signe assez clair de non-vocation à un sacerdoce comportant obligatoirement la continence perpétuelle.

Il arrive aussi que, surtout dans les diocèses pauvres en prêtres (et il est à prévoir que ces diocèses deviendront de plus en plus nombreux), l'Evêque soit amené par la force des choses et en vertu même de la charge qui lui incombe concernant l'évangélisation de son diocèse, à ordonner prêtres des séminaristes qui, en dépit de leur bonne volonté, ne présentent pas toutes les garanties suffisantes, de maturité, d'équilibre, etc. Il arrive même que, pressé par les besoins impérieux du diocèse, Evêque et conseillers du séminariste se croient en toute bonne foi obligés d'insister pour que celui-ci ne recule pas au dernier moment...

Il arrive, enfin, toujours en raison des besoins de l'évangélisation que l'Evêque est amené à placer tel prêtre dans des conditions qui font de la conservation de sa chasteté un véritable héroïsme: villages isolés, même en Europe, quartiers ouvriers, etc. a fortiori la plupart des villages d'Afrique noire où la présence sacerdotale qui serait pourtant si utile, voire nécessaire, constitue un danger évident et à laquelle pour cela on renonce généralement, aux dépens de l'évangélisation.

B. D'après l'Ecriture, si la continence perpétuelle présente « multimodam convenientiam » avec le sacerdoce, on peut certainement en dire autant de la *pauvreté parfaite* (le conseil évangélique de pauvreté). C'est même de la pauvreté et non pas directement de la continence que le Christ a fait une « condition de perfection », selon l'affirmation bien connue de *Mt.* 19. C'est également à propos de la pauvreté, et non pas de la continence perpétuelle, que le Seigneur a proféré les paroles citées dans le Schéma: « Quae sunt impossibilia apud homines, possibilia sunt apud Deum ».

En ces conditions, on peut se demander s'il est cohérent que le Schéma adopte une attitude différente à l'égard du « conseil évangélique de chasteté » et à l'égard du « conseil évangélique de pauvreté », imposant le premier comme une *conditio sine qua non* du sacerdoce dans l'Eglise latine et se contentant d'encourager à la pratique du second. Du moment qu'on juge ne pas devoir imposer celui-ci comme une *conditio sine qua non* du sacerdoce, il semblerait logique et plus conforme à l'Ecriture de ne pas en faire une de la continence perpétuelle, mais seulement, selon l'enseignement très clair de l'Ecriture et la tradition de l'Eglise universelle, de proclamer également la pauvreté comme la continence éminemment favorables à la « perfection » du chrétien et donc, à bien plus forte raison, à celle du prêtre.

Conclusion. Dans une question d'une telle importance pour l'évangélisation du monde, la prudence conseille donc de peser le pour et le contre, comme l'ont fait Pie X et Pie XII, quand ils se sont demandés s'il fallait maintenir la discipline eucharistique alors en vigueur ou bien s'il était préférable de revenir à la discipline primitive: Là encore en effet, un usage fort ancien, très vénérable, s'était introduit soit dans l'Eglise Occidentale, raré-

fiant extraordinairement la communion et l'interdisant aux jeunes enfants (réformes de Pie X sur la communion fréquente et précoce) soit même dans l'Eglise universelle imposant comme *conditio sine qua non* un jeûne extrêmement strict (réforme de Pie XII). Le Concile a d'ailleurs agi de même pour l'usage de la langue liturgique dans l'Eglise latine et l'introduction du diaconat marié dans la même Eglise.

A tout le moins la prudence semble conseiller de ne pas engager aujourd'hui l'avenir inconsidérément et de *ne pas fermer définitivement cette porte,* avant de savoir ce que donnera l'expérience de ce diaconat marié.

Appendice: un mot d'histoire.

En réalité, à l'origine, il ne s'agissait pas directement d'interdire aux Evêques d'ordonner des hommes mariés, mais d'interdire aux hommes mariés devenus prêtres d'user du mariage. C'est le rapport sexuel comme tel qui alors semblait répugner à l'état sacerdotal: d'où les formules qui reviennent si souvent dans les décisions conciliaires, v. g.: « sancitum est de villanis presbyteris atque diaconibus ut nullus abinde *uxorem vel concubinam* duceret ».[4]

On sait, en effet, que l'usage du mariage fut longtemps considéré pour les époux comme un véritable empêchement à communier: déjà Origène[5] ou saint Jérôme.[6] Il en était d'ailleurs de même encore au temps de Saint Thomas pour toute « nocturna pollutio dormientis » (*Somme théologique,* III, 80, 7); il s'appuie sur S. Grégoire, S. Jérôme, etc.; sans doute l'obligation de se tenir éloigné de l'autel est-elle seulement « ex congruentia », non « ex necessitate » du moins ne souffre-t-elle qu'une exception: « nisi propter ali-

[4] Concile provincial de Rouen, 1064, cité dans le *Dictionnaire de Théologie Catholique,* art. *Célibat,* par A. Vacandard; on trouvera là d'autres textes analogues.

[5] Origène, commentant *Ezéchiel* 7, 22 où la Septante lisait: « On profanera mon trésor, on y entrera témérairement et on le souillera », fait l'application au repas eucharistique: « Ainsi doit-on dire qu'entre témérairement dans le sanctuaire de l'Eglise, quiconque, *après le rapport conjugal et son impureté,* accepte de participer au pain eucharistique: un tel homme, en effet, profane le sanctuaire et le souille » (*PG* 13, 793 B).

[6] Saint Jérôme, dans le Sermon « De usu agni paschalis », tenu pour authentique par Dom Orin, écrit: « Quicumque uxori debitum reddit non potest vacare orationi, nec *de carnibus Agni comedere* » (*PL* 40, 1204). De même, à propos des pains de proposition: « Si enim panes propositionis non poterant ab iis qui uxores suas tetigerant comedi, quanto magis panis ille qui de caelo descendit, non potest ab iis qui coniugalibus paulo ante haerere complexibus, violari atque contingi » (ibid.; cette dernière citation est invoquée par St Thomas, *Tertia,* q. 80, a. 7, ad 2). St Jérôme éprouve cependant le besoin d'ajouter: « Non quod nuptias condemnemus; sed quod, eo tempore quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare a carnis operibus debeamus ».

quam necessitatem, cum fortasse aut dies festus exigit, aut exhiberi ministerium, pro eo quod sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit ».[7]

Si les relations conjugales comme telles, ou la « nocturna pollutio » sans être pour autant des péchés mortels, engendraient cependant une souillure telle qu'elle empêchait le fidèle de communier ou le prêtre de célébrer, l'état conjugal ne pouvait guère ne pas paraître répugner par lui-même à l'état sacerdotal. Saint Thomas limite la durée de l'impureté à une journée (ad 3um); mais on ne voit pas à quel titre, du moment qu'il se base sur des textes de l'A. T. qui parlent de trois jours.

On sait également que, si l'ordination sacerdotale est devenue au XII siècle (Concile de Latran, II, 1139), un empêchement « dirimens » et non plus seulement « prohibens », rendant le mariage contracté *invalide,* l'une des raisons en fut, au dire des historiens du droit, moins la sainteté du prêtre que la sauvegarde des biens ecclésiastiques: il fallait empêcher que les biens de l'Eglise pussent passer aux enfants légitimes.

Quand, au XVI siècle, Luther a attaqué la loi du célibat, il ne demandait pas seulement que l'Eglise pût ordonner des gens mariés; il condamnait le vœu de chasteté comme tel (comme d'ailleurs tout vœu perpétuel), estimant qu'un tel engagement constituait un véritable mal. L'Eglise ne pouvait que s'y opposer énergiquement.

Il est d'ailleurs significatif que les motifs invoqués à plusieurs reprises pour demander à l'Eglise latine de revoir sa loi du célibat, ont été exclusivement tirés de l'*intérêt du prêtre,* non de celui des fidèles: on arguait généralement de la difficulté du célibat, de son caractère « inhumain », etc.[8] et c'est pourquoi on réclama le plus souvent « le mariage des prêtres, autrement dit la possibilité pour un homme déjà dans les ordres de contracter mariage. Il semble que jamais n'ait été mis en avant le *principe fondamental* qu'est le *droit des fidèles* à être évangélisés et nourris spirituellement.

39

Rev.mus P. D. GODEFRIDUS DAYEZ

Abbas praeses Congr. Belg. ab Annuntiatione B. M. V.

N. 10 texti recogniti schematis decreti *de ministerio et vita presbyterorum* (pag. 29-30) *videtur omnino deficiens.*

Quaestio est *in directo* de ministerio presbyterorum circa *vocationes.*

Atqui ad eorum ministerium pertinet *non tantum* sollicitudo circa vocationes sacerdotales sicut dicitur in *titulo* et in integro textu huius n. 10, sed

---

[7] Ces derniers mots sont empruntés à St Grégoire: on voit qu'est directement envisagé le cas du prêtre obligé par son ministère à célébrer la messe un jour d'obligation.

[8] Voir, par exemple, *Dict. de Théol. Cath.,* II, c. 2086.

etiam, et quidem modo aequiparo, sollicitudo circa vocationes religiosorum et religiosarum, nam presbyter et praesertim parochus est sicut pater omnium.

a) Quot vocationes *puellarum* non efflorescunt *quia* parochi et presbyteri in genere, in praedicatione aut in ceteris exhortationibus, hunc punctum *rarissime* tangunt. Quandoque advenit ut presbyteri non cum debita discretione loquuntur de « Congregationibus »: vide in *Rivista delle Religiose,* marzo 1962, pag. 164: « ... ci siamo informate che *alcuni sacerdoti* le avevano consigliate di rimanere nel mondo ... per l'apostolato potevano fare più bene nella famiglia che nella religione ».

b) Insuper, quando agitur de vocationibus virorum, meminerint omnes sacerdotes illorum verborum Pii Papae XII f. r. in prooemio constitutionis *Sedes Sapientiae*: « ... ad ministerium clericale neminem promoveant (superiores et ergo omnes presbyteri) qui se *religiosam solummodo* vocationem divinitus recepisse demonstret » (*A.A.S.,* p. 357, in fine, a. 1956).

c) Denique, si vocatio est *et* sacerdotalis *et* simul religiosa, meminerint et illorum verborum eaedem constitutionis: « ... neve eos qui hoc quoque donum a Deo habuerint, ad saecularem clerum coarctent aut distrahant ... » (*A.A.S.,* 1956, pp. 357-358).

Ergo omnes (et praesertim presbyteri) qui aliquam responsabilitatem erga personas habent, officium suum ducere debent in sensu « ubi Spiritus spirat ».

Conclusio. Videtur quod, quia in hoc schemate agebatur de ministerio *presbyterorum, per occasionem huius verbi « presbyterorum »*, gravis restrictio introducta est in textu circa curam « de vocationibus fovendis », quasi presbyteri non omnium puerorum et puellarum, sed et adultorum (vocationes tardivae) responsabilitatem haberent.

In genere meminerint presbyteri texti huius Concilii: « Sacerdotes educatoresque christiani seria conamina adhibeant ut vocationibus religiosis, congruenter et aptae selectis, novum detur incrementum Ecclesiae necessitatibus plane respondens ». Decretum *de accommodata renovatione vitae religiosae* n. 24.

Sic verificabitur id quod dicitur in n. 7 eiusdem decreti *de ministerio et vita sacerdotalis* (pag. 24, linn. 5-6): « Sese invicem adiuvent ut semper sint cooperatores veritatis ».

40

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Propositum meum in praesenti non est in mentem revocare sublimia illa motiva mystica ac theologica, quae toties a Patribus, ab auctoribus asceticis in laudem virginitatis scripta sunt, sive virtus illa consideretur generatim in se, sive speciatim in sacerdotali statu. Humiliores partes assumens, coelibatum presbyterorum considerabo sub aspectu pastorali tantum. Et ratio

est quia Patrum iudicio animadversiones subiicere volo ad rationes pastorales quas nonnulli, pro mitigatione vigentis legis coelibatus in Ecclesia Latina, afferre solent.

Quidam enim desiderant ut aditus ad sacerdotium etiam uxoratis maturioris aetatis aperiatur; alii, e contra, postulant ut exitus a sacro ministerio ad vitam saecularem ordinarie sacerdotibus concedatur quibus onus castitatis perfectae nimium apparet, vel, ut dicunt, qui post sacram ordinationem perspexerunt se « charisma » castitatis non habere.

Lex coelibatus, aiunt primi, nostris temporibus, plurimos a statu sacerdotali amplectendo avertit, ita ut numerus sacerdotum in dies minuatur, et iam insufficiens sit divino praedicandi Evangelium mandato satisfaciendo. Legi autem Evangelii praedicandi, addunt, utpote divinae, locum cedere debet lex ecclesiastica coelibatus.

Primo quidem admittere non possumus Ecclesiam tantum anno 1965 percepisse legem coelibatus a se presbyteris statutam adversari missioni, ob quam ipsa fundata est, praedicandi, scil. Evangelium omni creaturae. Deminutus sacerdotum numerus iam anteactis saeculis verificabatur, in regionibus missionum, praesertim post inventum sic dictum novum mundum. Et tamen Ecclesia de auferendo obstaculo Evangelizationi quod, secundum memoratos hodiernos auctores, oriretur ex lege coelibatus, non cogitavit.

Secundo, dubitari licet utrum, mitigata lege coelibatus, melius et amplius diffunderetur Evangelii praedicatio, populorumque ad Christi sequelam conversio. Estne verum quod mitigata lege coelibatus numerus sacerdotum augeatur? Apud Orientales non viget lex coelibatus, tamen, testantibus quibusdam episcopis Ecclesiae Orientalis, penes ipsos, numerus sacerdotum insufficiens est.

Dato, interea, non concesso, quod lege coelibatus mitigata, augeatur numerus sacerdotum, remanet quaestio utrum sic revera in Ecclesia Latina melius provideatur Evangelii diffusioni, populorumque conversioni et sanctificationi. Homo coniugatus, ait S. Paulus, divisus est (*1 Cor.* 7). Sicut coelebs curat ea quae Dei sunt, ita uxoratus occupatur quomodo mulieri placeat. Dedicatio ergo sacerdotis uxorati non potest esse totalis. Immo valde tenuis esse praevidetur, si prae oculis habeantur difficultates in dies crescentes ad familiam nutriendam prolemque educandam. Actio pastoralis sacerdotis uxorati, nostris in locis, non videtur plurimum fore additamenti ad zelum quo nunc parochus pagos suae paroeciae periodice invisat. Quoad instructionem religiosam et virtutum exercitationem providetur catechistis laicis.

Introductio autem presbyteri uxorati in Ecclesiam Latinam tam infausta haberet consectaria quae omnino avertenda sunt:

1. Minueretur aestimatio sacerdotis penes populum. Fideles nostri sacerdotem personam sacram considerant, praesertim ex eius totali mancipatione servitio divino, quae eorum oculis elucet imprimis ex vita quam ducunt sacerdotes in castitate perfecta. Si autem non iam ab omnibus presbyteris exigitur haec totalis consecratio, conceptus sacerdotis ut personae sacrae apud fideles

detrimentum patietur. Sacerdos non erit amplius homo Dei solius, sed aliquis paululum ab aliis differens qui terrenis rebus occupantur.

2. In praesentibus societatis conditionibus, scil. cum hedonismus etiam familias catholicas infecit, candidati ad sacerdotium coelebs pauciores erunt haud sine detrimento sanctificationis fidelium et curae animarum.

3. Insuper sunt et alia infausta consectaria timenda. Cogitate, Venerabiles Patres, sacerdotem cuius mulier ut infidelis cognoscatur, vel cuius filii scandalose vivant. Haec omnia res humanae sunt, possibiles, et proh dolor probabiles. Videte, ergo, quomodo honorem suum penes fideles sustinere posset infelix ille vir a muliere delusus? Quomodo virtutem praedicaret si proprii filii vitiorum exempla dent?

Forsan propter haec aliter alii sentiunt, et putant rem sic bene componere posse: sacerdos coelibatus lege teneretur usquedum servitio Dei alligatur. At inde ab initio sui sacerdotii ipse scit se fore a lege coelibatus relaxatus statim ac huius legis onus eius viribus superius appareat. Habebit hic sacerdos, ut dicitur, portam apertam qua omni momento exire potuerit.

Estne solutio? Non videtur. Multum enim influit ad mentem statui vitae conformandam, quod quis sciat se, in perpetuum, ad illum statum transire. Sic unitas sicut utriusque coniugum donatio validior et intensior est in matrimonio indissolubili, quam in unione quae scitur aliquando solvi posse. Haec simplex possibilitas solvendi vinculum coniugale iam affectionem et communitatem vitae minuit. Ita dedicatio sacerdotis servitio divino animarumque saluti tantum plena et totalis est, cum ipse sacerdos scit se libere ad vitam mancipari. Si autem quaedam spes remanet, etiamsi velut inconscia, a lege coelibatus se liberandi iam 1) eius dedicatio ad servitium divinum non est totalis; 2) eius cura ut castitatem servet relaxatur; 3) semivictum se haberet coram prima occasione qua eius castitas in periculum versaretur.

Quoad « charisma » sic dictum castitatis, cuius absentiam perciperet sacerdos post sacram ordinationem, respondet Concilium Tridentinum in can. 9 sess. XXIV: « Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos ... posse omnes contrahere matrimonium qui non sentiunt se castitatis habere donum, A. S. cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur, nos supra id, quod possumus, tentari ».

Imminutio ergo vocationum ad sacerdotium non mitigatione legis coelibatus solvenda est. Sed potius quaerendum, cur homines modo debiliores quam antea sese ostendant coram vi concupiscentiae; haec enim semper in natura lapsa adfuit, etiam anteactis saeculis, cum sacerdotes coelibes Evangelium per orbem terrarum praedicaverunt orbemque christianum effecerunt. Hodierna causa debilioris voluntatis humanae, mihi videtur, ponenda est in effrenato hedonismo, qui societatem dominatur, et etiam, proh dolor, in familiis christianis invenitur, ubi, ob nimiam nostram, scil. pastorum, lenitatem, iam non amplius viget illa morum simplicitas et vitae austeritas quae vocationem a Deo datam fovent et corroborant. Hic idem hedonismus, qui, instrumentis communicationis socialis mediantibus, totam societatem infecit,

etiam clericos attigit, et iam hodie non semper attenditur ad normas ab Ecclesia statutas ut clerici vitent ea quae eorum statum dedecent. Castitas plena, ut servetur, « ambitum », ut dicunt, postulat, quem unusquisque sibi efformare debet mediis positivis, quae in schemate indicantur, et mediis negativis, quae in schemate desiderantur. Qui enim castitatem servare tenetur, mulierum familiaritatem vitent, oblectamenta saecularia ne frequentent, ut sunt spectacula cinematographica, televisa, aliaque huiusmodi. Sacerdos in mundo est et in mundo esse debet; tamen non est de mundo. Se ergo sentiat alienum a pluribus quae etiam licite iis permittuntur qui in saeculo vivunt et de saeculo sunt. Pastores in hac re paterne iuvent sacerdotes iuniores.

Concludo: lex coelibatus in Ecclesia Latina, pro sacerdotibus sancte servetur. Quasdam emendationes textus proponere liceat:

a) In pag. 35, linn. 37-38. Deleantur verba « optime meriti ». *Ratio*: cum longe dignior sit sacerdotium coelebs prae uxorato, non videtur conveniens ut Concilium aliquo modo hanc superioritatem ignorare appareat; at illa verba « optime meriti », in concreto, quamdam aequalitatem insinuant inter sacerdotium uxoratum et sacerdotium coelebs.

b) Pag. 37, lin. 20 post punctum, addantur haec vel similia: « Caute vitent, sicut mulierum familiaritatem, ita etiam illa profana oblectamenta quae clericos dedecent utpote perfectae castitatis statui minus conformia ».

[*Subsignaverunt etiam*] Agnelus card. Rossi, arch. São Paulo; E. da Paula, ep. tit. Gerocesarea; D. Ribeiro Guedes, ep. São João del Rei; A. Peluso, ep. Cachoeiro de Itapemirim; G. Bueno Couto, ep. tit. Leuce; Paulus, ep. Parnaiba; V. Marchetti Zioni, ep. Bauru; O. Chaves, arch. Cuiabá; Z. Rolim de Moura, ep. Cajazeiras; J. Terceiro, ep. Penedo; Expedito, ep. Patos; E. Coroli, prael. Guamá; A. Bossi, prael. São José do Grajaú; G. Diniz Barreto, ep. Mossoró; A. Gonçalves do Amaral, arch. Uberaba; O. Motta, ep. Campanha; José Newton, arch. Brasilia; M. da Cunha Cintra, ep. Petrópolis; R. Serra, ep. São Carlos; J. de Aquino Pereira, ep. Presidente Prudente; C. Bampi, aux. Caxias; A. Ungarelli, prael. Pinheiro; J. D'Angelo Neto, arch. Pouso Alegre; J. Neves, ep. Assis; L. Paz, ep. Corumbá.

* * *

Ad n. 6, pag. 21, linn. 10-16: in his lineis quaedam videntur corrigenda, nempe: verum est quod presbyteri omnes unum idemque Christi sacerdotium participant, non autem « per » episcopos, sed directe per sacramentum Ordinis, cuius episcopi sunt mere ministri. Et haec est ratio cur sacerdos transiens ad aliam dioecesim non debeat denuo ordinari, sicut etiam sic explicatur ordinatio presbyterorum religiosorum.

Quoad autem ministerium et missionem, presbyteri non participant de ministerio et missione totius ordinis, seu corporis, seu collegii episcoporum. Secus enim non explicaretur cur presbyteri non possent suum ministerium exercere in dioecesi alia a sua cui incardinatur.

Dicatur ergo sic similiterve: « Presbyteri omnes unum idemque Christi

sacerdotium per sacram ordinationem participant, ministerium vero exercent sub episcoporum auctoritate. In memoriam igitur revocantes ... etc. sequitur inde a lin. 16.

Ad n. 6, pag. 22, linn. 1-2: auferantur verba: « Presbyterium repraesentantium ». *Ratio*: haec verba prout sonant, quidquid dicatur in nota (H), insinuant coetum presbyterorum qui episcopum adiuvat in regime dioeceseos, esse ab aliis presbyteris electos, seu eorum mandatarios. Haec autem doctrina non videtur satis, dico, satis conformis iis quae in Conc. Vat. I dicuntur de potestate episcoporum in proprias dioeceses, cum episcopi sint veri pastores gregis sibi a Summo Pontifice assignati, quam pascunt potestate ordinaria et immediata. Si autem a coetu presbyterorum ab aliis electis in regimine dioeceseos obligantur, non intelligitur quomodo eorum potestas sit immediata.

41

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO XAVIER MONTEIRO
Episcopus tit. Ombitanus, aux. Villaregalensis

Parcite mihi, venerabiles Patres, si verbo meo aures vestras contundere audeo. Sed « Caritas Christi necnon amor sacerdotii nostri urgent nos ».

In schemate *de ministerio et vita presbyterorum,* quod sane multa laudanda continet, dolendum, dolendum est quod *munus primarium* sacerdotale, scil., munus offerendi sacrificium, vix consideretur, vel, ad summum, per transennam et indirecte.

Revera, in n. 2 partis prioris, « De presbyterorum ministerio » (pag. 14, lin. 29) dicitur quod *praedicatio Evangelii* « primum munus presbyterorum est » et integer numerus huic ministerio consecratur. De Sancto Missae Sacrificio nihil directe et ex professo hac in parte affirmatur. In parte altera, vero, « De presbyterorum vita » (n. 12, pag. 33, linn. 6 s.) Mysterium Sanctae missae dicitur « munus praecipuum » sacerdotum.

Tunc, si illud dicitur « primum munus », istud vero « munus praecipuum », cur extollitur praedicatio Evangelii et Sanctum Sacrificium illic fere ignoratur?

Cur istud momentum et locum non habet saltem aeque-principale?

Tamen, munus specificum et characteristicum, munus potissimum et primarium sacerdotis, qua talis, est munus sacrificandi.

En rationes. Verba Concilii Tridentini. De institutione sacerdotii agentes, illi venerabiles patres ita scripserunt: « Sacrificium et sacerdotium ita *Dei ordinatione* coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit » (DENZ. 1764).

Revera, in omni fere religione hoc munus proprium et reservatum fuit sacerdotibus.

In Vetere Testamento, id etiam constat, adeo ut Sauli regi qui, ad placandam faciem Domini, obtulerat holocaustum, Samuel edixit: « Stulte

egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quae praecepit tibi, etc. » (*I Reg.* 13, 12-14).

S. Paulus, cum tradit definitionem sacerdotis, in cap. 5 epistolae *Ad Hebraeos,* officium sacrificandi potissimum effert, et extollit: « Omnis Pontifex ... pro hominibus constituitur in iis qui sunt ad Deum, *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* (*Hebr.* 5, 1). Ubi notant exegetae *emphasim* quo officium offerendi pro peccatis tribuitur *omni pontifici* (πᾶς ἀρχιερεύς); est enim *aliquid essentiale muneri,* et sine quo non datur verum et propriissimum officium sacerdotale, sive agatur de sacerdotibus primi gradus, ut sunt Pontifices, sive agatur de sacerdotibus secundi meriti, ut sunt presbyteri.

Ideo, in ordinatione presbyteri, primum officium quod signatur et presbyteris destinatur est sacrificare: « Sacerdotem oportet offerre ... ». Hoc est primum quod dicitur et ponitur, cum eis officium describitur in allocutione episcopi, praevia ordinationi.

Tandem, in conceptu sacerdotis, est quod sit *mediator inter Deum et homines,* et hoc primario et propriissime habetur per sacrificium quo Deus placatur; nec immerito Sanctus Paulus extollebat in sacerdote quod « *offerat dona* et sacrificia *pro peccatis* » (*Hebr.* 5, 1) qui « debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso *offerre pro peccatis* » (*Hebr.* 5, 3).

Valde placeret si, in textu schematis, hoc officium sacerdotale *offerendi sacrificium* et *reparandi honorem divinum laesum* propter peccata, *directe* et *aperte* efferretur et extolleretur, cum sit *primarium* pro omni sacerdote.

Hoc officium postulat ipse *honor divinus,* qui ante omnia cordi esse debet sacerdoti, ut sit minister fidelis et mediator acceptus coram Deo.

Id postulat *bonum plebis* sibi commissae, ut Deus avertat indignationem ab illa; et suadent *exempla Sanctorum* qui in re pastorali eminuerunt, ut Carolus Borromeo et Ioannes Vianney; immo, in Encyclicis Summorum Pontificum, praesertim in litteris Pii XI *Caritate Christi compulsi,* id saepe declaratum est, nempe, officium satisfaciendi pro innumeris mundi peccatis.

Inde, ex officio *sacrificandi* Deo et coram Deo, necnon *reparandi* pro peccatis, maximum sacerdotibus incitamentum ad sanctitatem esse potest, ita ut Deo « devotum pietatis nostrae praestantes obsequium, dignae quoque satisfactionis exhibeamus officium » — ut verba desumam ex oratione missae Cordis Iesu.

Conclusio. Dolendum est quod aliquae sententiae in hunc sensum, in textu emendato introductae, propter petitiones Patrum, nunc, in textu recognito, exsulare cogantur; *optandum* ut in parte I « De presbyterorum ministerio » novus fiat numerus ut illud « praecipuum munus » Sanctum Sacrificium offerendi, condigne declaretur et extollatur.

42

EXC.MUS P. D. MAURITIUS DE KEYZER

Episcopus tit. Tiniensis, aux. Brugensis

Duas liceat mihi facere animadversiones.

I. Ad n. 4 (pag. 17). Recte et laudabiliter ibi sermo est de munere Christi-Pastoris et Capitis quod presbyteris demandatur et quod pulchre describitur ut *ministerium* et *potestas* ad aedificationem data.

Sed deinceps, linn. 13-20, ulterius progrediendo quasi per transennam et indirecte tantum sermo est de dialogo instituendo cum hominibus ipsis commissis.

Propono ut directe, explicite et magis inculcanter extolleretur necessitas *dialogi* cum hominibus quos docere et quibus « bonum nuntium » afferre debent presbyteri. A. v. sermo ibi esse deberet de presbyterorum officio tum loquendi tum *audiendi, auscultandi.*

Nullo modo imminuere, nedum negare, vellem *potestatem* quam participant presbyteri, sed magis in lucem ponere *quo modo* hoc ministerium revera in aedificationem vergere possit.

Agitur enim de praeconio Evangelico hominibus nostrae aetatis annuntiando ita ut illud accipiant iuxtaque illud vivant. Hominibus *nostrae aetatis* dico, qui maxime solliciti sunt de *valore* huius praeconii tum pro propria vita tum pro vita omnium hominum quibuscum sese arcte ligatos sentiunt.

In scala valorum nostri temporis magnum, ne dicam maximum momentum obtinet « solidarietas » inter homines scil. sincera illa reverentia erga unumquemque hominem sinceraque sollicitudo circa eum, quem agnoscere volunt ut hominem et fratrem, quem amare volunt pro eo laborando eique inserviendo eiusque onera alleviando eiusque problemata sincere aestimando.

Quae solidarietas supponit et requirit dialogum: le face à face du dialogue. Dialogus est conatus sincerus penetrandi in modum cogitandi sentiendique alterius cum animo reverenti et parato aliquid ab eo accipiendi atque aliquid ei dandi. Verus dialogus, uti liquet, supponit mutuam collocutionem et mutuam auditionem. Colloqui quin auscultemus non est dialogus sed monologus vel ut dicitur dialogus surdorum (un dialogue de sourds). Auscultare, audire difficilius est quam loqui quia supponit animum non dominantem sed humilem et paratum alium serio agnoscendi ut hominem aequalem et proximum.

Homines nostri temporis nobis improbant quod auscultare non valemus, quod iam respondemus priusquam quaestiones audierimus, quod eorum angores, difficultates et problemata non serio aestimamus, quod eos tamquam infantes tractamus.

Responsa trita tam facile et quasi in antecessum confecta (des réponses toutes faites) taedio afficiunt nostrates eosque rebelles reddunt.

Ceteroquin observatur facile est plurimos tam pauca habere dicenda quia numquam auscultarunt vel nec auscultare possunt.

Quare bonum, immo necessarium est quod impetramus tam pro nobismetipsis quam pro sacerdotibus nostris gratiam illam quam card. Newman vocavit gratiam *auscultationis*: the grace of listening.

II. Ad n. 5, linn. 36-38. Omittitur in textu recognito vocabulum « hodiernos » quod in textu emendato inveniebatur. Vehementer optarem illud restitui in textu definitivo ita ut legatur: « atque consultant optimos et probatos scientiae theologicae et exegeticae scriptores *hodiernos* ». *Ratio* huius nullomodo est acsi ita *doctrinam* Magisterii et Traditionis imminuere vel alterare intenderemus. Sed iterum hoc maximi momenti est pro dialogo cum hominibus nostri temporis ut possimus « quaestionibus ab hominibus huius aetatis agitatis » sicuti linn. 33-34 scribitur, respondere. Quomodo possumus nuntium a Deo acceptum hominibus afferre absque dialogo cum illis, nisi velimus esse voces clamantes in deserto. Annon praecise provenit ex hoc quod nos non satis auscultavimus homines nostri temporis, quod hi homines tam parum auscultant nuntium nostrum et faciunt sicut invitati ad nuptias in parabola Domini: redeunt ad proprias occupationes quin vel addant: loquere de his et alia vice.

Si praedicatio nuntii evangelici non adaptatur sensibilitati valorum moralium hominum nostrae aetatis, tunc hoc nuntium eis apparet ut « alterius temporis » et non « huius temporis ».

Difficultas persentita et expressa a multis et melioribus sacerdotibus nostris praecise haec est: nesciunt *quomodo* veritatem Evangelii et Ecclesiae hominibus nostris praesentare debeant; nesciunt quomodo respondere debeant difficultatibus hodiernis ortis tum ex scientia tam sacra quam profana, tum ex modo cogitandi sentiendique hodierno.

Et tunc nobis nostraeque instructioni in seminariis probro vertunt quod mittimus vinum semper novum et vivificans Evangelii in utres veteres ita ut rumpantur utres et vinum effundatur (*Mt* 9, 17).

Tam libenter ad S. Thomam appellantes ne obliviscamur ipsum asseruisse: unusquisque iudicat prout affectus est. Nisi ad sensibilitatem hominis hodierni attendimus in vanum praeconium evangelicum ei offerimus. Insuper ne obliviscamur S. Thomam dereliquisse in non paucis magnum et probatissimum tunc temporis doctorem, S. Augustinum scilicet, ut sese ad novum modum cogitandi, quaerendi, exponendi sui temporis converteret. Non nuntium evangelicum adulteravit sed modo funditus novo novaque luce exposuit.

Valde exopto ut presbyteri nostri noscant optimos scriptores *hodiernos* scientiae theologicae et exegeticae simul cum documentis Magisterii: haec enim oportet facere sed illa non omittere.

43

EXC.MUS P. D. AURELIUS DEL PINO GÓMEZ
Episcopus Ilerdensis

Schema *de ministerio et vita presbyterorum* habendum est ut mirabile et aedificans, et meo submisso iudicio, eius fidelis institutio mire vitam Ecclesiae in bonum mutaret, omnes vitae adspectus et cunctas actiones atque inventa progressus et culturae sanctitate imbuendo, omnia ad Dominum nostrum Iesum Christum ordinando, necnon ad veram felicitatem huius temporis atque vitae aeternae.

Multa fervida elogia schemati tributa fuerunt, et firma spes exstat ex eius institutione, quod vividus esse debet stimulus ut nostri presbyteri totis viribus incumbant muneri supernaturali sibi commisso, quin ad minimum laedant eorum navitatem illa iudicia deprimentia quorumdam Patrum conciliarium.

Em.mus card. Tarraconensis, cui non pauci Patres conciliares consentiunt, semel et iterum proclamavit Concilium Vaticanum II esse debere Concilium sanctitatis, plane convictus, si ita esset, transfigurationem vitae Ecclesiae in universo mundo ita mirificam fore, ut nova aetas iniretur in generis humani fastibus. Etsi in aliquo schemate haec indicatio facta fuerit, non tamen singulari vi qua in hoc schemate perficitur, et recte quidem, nam sanctitas, qua presbyteri ornari debent, extollitur cum agitur de « consiliis evangelicis » in n. 14. Et optime affirmare possumus propter permagnum presbyterorum numerum, ob immediatum et per constantem contactum apostolatus eorum cum fidelibus et insuper ob singularem praestantiam eis iustissime agnitam forsan non inveniri locum aptiorem ad vim sanctitatis pro apostolatu extollendam.

Primi nos accipimus verum progressum ex omnibus ambitibus provenientem, atque fovere cupimus et sine ulla dubitatione in vitam apostolicam adducere. Sed persuasi esse debemus ut sanctitas exquisita sit vera scaturigo omnis eventus apostolici, fons primaevus transfigurationum supernaturalium. Sanctum Parochum de Ars perspiciamus eiusque personam videamus, omni cultura humana carentem, ut omnes scimus, sed ita ditatum atque onustum et sanctitatis et caelestis sapientiae et consiliis apostolicis, ut per totum mundum divulgarentur et mirantes facerent eminentiores homines qui ex extremis mundi plagis ut perspicerent et venerarent ad eum adierunt. Immo daemon ipse eius sanctitate commotus eum confodere omnimodo conabatur. Sed perperam, noster enim Dominus Iesus Christus suo fidelissimo famulo adstabat et minae diabolicae penitus irrita manebant. In sanctorum album cito Ioannes Baptista Vianney fuit adscriptus et omnium parochorum patronus renuntiatus.

S. Franciscum Assisinatem, Patronum Italiae, animadvertamus, et sua

ima humilitate et seraphico amore prospiciemus ineffabilem efficientiam sanctitatis in mutatione supernaturali populorum atque gentium.

S. Franciscum Xaverium videamus Indiam et Iaponiam evangelizando, et S. Theresiam a Puero Iesu suam vitam offerendo pro infidelibus in cella humili, et eorum exaltationem cogitemus ad altissimam gloriam patronatus Missionum et clare sentiemus ineffabilem efficientiam sanctitatis in apostolatu.

Quid simile dicere debemus de influxu vitae sanctae et purae orationis in ambitu culturae, praesertim in finibus psychologicis. Cum S. Ignatium a Loyola legimus mirifice miramur eius calliditatem quoad universos animi ambitus, eius perspicacia penetrat ubi doctiores huius disciplinae pervenire non valent.

Quid vero dicendum de S. Theresia a Iesu et de S. Ioanne a Cruce, quorum mentis acies et iudicium subtile potius angeli quam hominis videntur?

Sed perpendere debemus una cum multis Patribus conciliaribus quod si sanctitas lucescere debet in nostrorum dilectissimorum sacerdotum vita, multo magis fundamentum et pulchrius ornamentum nostrae propriae vitae in omnibus adiunctis, primumque in apostolico, esse oportet.

Nisi nos ipsi sancti simus, quomodo exigere valebimus ut sint nostri presbyteri? Nec per momentum praetermittamus nostrum eximium atque praestans exemplum Christum esse crucifixum, nec obliviscamur sanctum Crucis sacrificium augustum esse fontem redemptionis, sanctitatis, apostolatus. Omnis actio quae eo non nitatur, vanus est apostolatus, devia vita.

Sanctos respiciamus, eorum opus miremur, et videamus quid essent facturi nostri presbyteri, quid ipsum Concilium, si omnes qui in illo participamus aliquomodo sancti essemus, plene spiritu Domini nostri Iesu Christi repleremur, et illas species et modos mundanos non induemur, ut habitu sancto sacerdotali exui, magno cum periculo nostrae sanctae adspirationis et non parvo scandalo, quamvis aliter iudicetur.

Pro certo habeo fore magnae aedificationis totius Ecclesiae et mundi universi et ineffabilis efficientiae in executione sanctorum finium quos exequimur, si in hac augusta Basilica inscriptio adponetur ubi haec notio exaretur: Patres Concilio Vaticano adstantes flagitant ut hoc sit Concilium sanctitatis, quo propter sua ardentia desideria iterant sancti deveniendi eorumque amorem filialem et indeficientem adhaesionem Romano Pontifici, Christi Vicario, firmiter persuasi quod amor erga Romanum Pontificem verum amorem erga Dominum nostrum Iesum Christum continet, ideoque signum est praedestinationis.

44

Exc.mus P. D. IGNATIUS M. DE ORBEGOZO Y GOICOECHEA

Episcopus tit. Ariassensis, prael. nullius Yauyosensis

1. Schema mihi valde placet, et censeo ipsum solide inniti super constitutionem dogmaticam *de Ecclesia.* Immo vero, adsunt aspectus theologiae spiritualis sacerdotii, qui in constitutione *de Ecclesia* pertractari non potue-

runt, et merito quidem, propter eius characterem dogmaticum, qui tamen aspectus optime exponuntur in hoc schemate *de ministerio et vita presbyterorum,* ad spiritualem utilitatem omnium eorum qui participant sacerdotium ministeriale Christi Domini, sive episcopi sint sive presbyteri.

2. Laudanda censeo imprimis verba quae in n. 8 schematis adhibentur (pag. 25, linn. 3-9), ad commendandas associationes sacerdotales quae sanctitatem presbyterorum in exercitio ministerii foveant. Revera necessitas talium associationum, de quibus nihil dicitur in Codice Iuris Canonici, valde persentitur, et per ipsas optime ad effectum deduci poterunt ea quae tam pulchre in schemate exponuntur de sanctificatione sacerdotum in ipso exercitio ministerii. Verba autem schematis mihi valde placent, quia prae oculis habetur tales associationes multas esse posse, et inter se diversas, quapropter textus non descendit ad particularia seu ad determinationes iuridicas, nempe ad structuram huiusmodi associationum vel ad earum dependentiam a competenti auctoritate, quae omnia singulis in casibus determinanda erunt, iuxta diversam naturam associationum et perpensis etiam peculiaribus adiunctis. Hoc modo istae associationes florescere poterunt, quia immaturum censeo ut nunc temporis, cum fere ubique terrarum Presbyteri experiuntur necessitatem sese mutuo adiuvandi, nimius numerus normarum condatur, quae forte non respondeant necessitatibus associationum, immo et in earum detrimentum redundare possint.

3. Peculiaris laudis dignum videtur inceptum constituendi dioeceses et praelaturas personales, ad efformandum clerum saecularem specialisatum, qui — cum finibus specificis bene determinatis — suum ministerium exerceat in ceteris aliis mundi dioecesibus. Nos episcopi habere nequimus sacerdotes tali specifica praeparatione praeditos, ut bene incumbere possint in omnes species apostolatus, quae nunc in Ecclesia exerceri debent. Immo vero, quandoque neque sufficientes sacerdotes habemus, qui ordinarium laborem in paroeciis explere possint. Quapropter nihil nobis timendum est, nullus falsus zelus servandi nostra iura nos cohibere debet, nam legitima iura Ordinarii loci in tuto poni possunt per contractum initum cum praelato dioecesis seu praelaturae. Praeterea expedire existimo ut tales dioeceses seu praelaturae, quando habeant characterem universalem, non pendeant quoad proprium regimen a singulis conferentiis episcopalibus, sed directe ab Apostolica Sede, quia hoc modo facilius et expeditius suam missionem adimplere poterunt.

4. Quoad sacrum coelibatum, de quo agitur in n. 14 schematis, multa hodie audimus dicere, quasi perfecta continentia sit aliquid adversus hominis personalitatem, nempe factum negativum in vita presbyteri. Nonnulli enim censent quod homini deest naturale complementum, nisi matrimonium contrahat. Sed consideremus oportet exemplum vivum Iesu Christi Aeterni Sacerdotis, qui assumptam Humanitatem in plenum servitium missionis posuit, quin ex hoc desineret esse « perfectus Homo », uti legimus in Symbolo Athanasiano, immo exemplar perfectum pro omnibus hominibus.

Homini vere deest complementum si matrimonium non contrahat ex

amore egoistico suipsius, haud vero si matrimonio renuntiet propter amorem completum et integralem erga Deum. Sacerdotum vita et ministerium est et semper erit plenum et vividum testimonium quod sacer coelibatus non est aliquid negativum, sed contra est optima manifestatio amoris, qua sacerdos, indiviso corde (cf. *1 Cor.* 7, 34), Deo et animabus totus se tradit. Et hic amor non est sterilis, sed multos filios in spiritu parit, quia ducit ad paternitatem spiritus, uti optime dicitur in schemate.

Si adsunt aliqui sacerdotes pro quibus coelibatus difficilis est, causa huius problematis non in ipso coelibatu, sed alibi reponenda est: aliqui enim dereliquerunt media supernaturalia et necessariam prudentiam in exercitio missionis sacerdotalis; alii vero suum coelibatum considerant tamquam onus post longum processum solitudinis. « Vae soli: quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se » (*Eccles.* 4, 10), legimus in Sacra Scriptura: circa hoc calme et profunde meditari debent Episcopi et Presbyteri, quia numquam contingere debet quod sacerdos permaneat in solitudine! Sed sacerdos experiri potest hanc solitudinem et derelictionem etiamsi degat in aliqua magna civitate, nisi nos eum cum fraterno affectu diligamus.

Innumeri autem sunt in mundo sacerdotes fideles suae vocationi, qui cum gaudio se totos Deo tradiderunt, et centuplum in hac ipsa vita a Deo recipiunt. Ipsi a nobis exspectant ut eos in sua via confirmemus, ut eis dicamus se optimam partem elegisse. Si contrarium diceremus, hoc esset magna iniuria illata illis sacerdotibus.

5. Tandem opportuna censeo constitutio massae communis bonorum, de qua agitur in n. 18 schematis, quia per ipsam vitari poterunt magnae differentiae nunc vigentes inter paroecias divites et pauperes. Iustum non est quod presbyteri pati debeant tales differentias, et necessarium existimo ut huic rerum statui congruum remedium ponatur, quia hoc directe pertinere videtur ad illas condiciones exercitii missionis presbyterorum, de quibus optime loquitur exc.mus relator huius schematis, quarum apta solutio a nobis pendet. Et quidem hoc non est problema secundarium, sed maximi momenti, ut presbyteri suum ministerium efficacius explere valeant. Aequa haec distributio bonorum, meo iudicio, aliquo modo etiam vigere debet inter diversas dioeceses, et hoc esset optimum signum illius sollicitudinis omnium Ecclesiarum, quae ad nos omnes pertinet. Censeo quod invenire debemus medium aptum ut dioeceses divitiores, modo quidem prudenti, alias dioceses adiuvent, quae magna penuria laborant, et quarum presbyteri innumeras difficultates superare debent ad ministerium suum explendum.

45

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

I - *Animadversiones generales.* Schema quoad substantiam placet; sed desiderantur: A) Vividior ordinationis structura; B) Nervosior affirmatio atque magis demonstrativa tum necessitatis, tum presbyteralis sacerdotii excellentiae.

A) *De vividiore construenda ordinatione.* De officiis obligationibusque necnon et presbyterorum virtutibus accurate tractatur; sed unumquodcumque argumentum aliis potius apponitur quam ita connectitur ut potiores quaedam exoriantur notiones.

Possibile tamen videtur, paucis in articulorum textu mutationibus inductis aliter eos ordinari: 1) de sacerdotii theologia (nn. 1-4); 2) de presbyteri vita spirituali atque virtutibus (nn. 11-15 et 5); 3) de presbyteri relationibus ac obligationibus medio in populo Dei (nn. 6-8); 4) de quibusdam quaestionibus in specie (nn. 10, 9, 16-18).

Sine incommodo, ut praesens schematis ordinatio servetur, cap. II et III ordo, quem propono, inverti potest.

Possibile etiam, brevi interposita sententia, articulos quosdam inter se cohaerentes et unum quoddam efformantes colligare. Sic, v. g. nn. 2-4: presbyteri ita ab episcopo ministerio sociantur ut, pro modo suo, trium illius pastoralium munerum participes fiant: circa nn. 6-8 notandum sit relationes officiaque ex illis exorta in interna sacramenti ordinis exigentia fundari et obligationes exsurgere non ab extrinseco. Etc.

In praesenti ordinatione cur nn. 8, 9 et 10 locum assignatum obtineant, quaeritur, argumenti unitate disturbata, cum alibi, capitulo seorsum composito, melius congregentur.

B) *De necessitatis et excellentiae presbyteralis sacerdotii nervosiore et magis demonstrativa affirmatione.* Cum a presbyteris requiratur quem locum inter episcopatum et laicatum obtineant, tum eorum locus, tum officia in populo Dei, clarissime sunt determinanda.

Qua de re, in schemate, doctrinae fundamentum reapse invenitur. Sacerdotii enim necessitas, occasione sacerdotalis vocationis affirmatur (pag. 29, linn. 20-21, 29-30, 34, 36). Illustrat etiam textus tum Verbi Dei proclamationis momentum (pag. 14, linn. 19-35), tum SS. Eucharistiae, in vita Ecclesiae, partes essentiales (n. 3 et pag. 26, linn. 20-24); pronuntiat insuper episcopis opus esse ut presbyteros quasi collaboratores assumant « ad rite explendam missionem apostolicam sibi a Christo concreditam » (pag. 12, linn. 19-21). Quae tamen omnia passim ita allegantur ut demonstratio vix insinuatur, cum recollecta et paululum in paragrapho explanata, in fine n. 4 optime collocentur. Quas nunc sententias, mutuatis quasi ad verbum a con-

stitutione *Lumen gentium* (n. 28) prolationibus, additisque constitutionis *de Liturgia* necnon et nostri *de presbyteris* schematis — in textu notatis — locis, fusis in unum allegatis, exponam: « Quae supra sunt dicta quam necessariae presbyteri partes quibus Ecclesia indiget ad missionem suam divinam explendam (*De ministerio et vita presbyterorum,* pag. 29, linn. 35-36) demonstrant. Episcopus enim ad rite explendam missionem apostolicam sibi a Christo concreditam (*ibid.,* pag. 12, linn. 19-20), cum, solus, gregis pascendi augendique oneri impar sit, ut omnium quorum onus in se receperit, curam sufficientem agat, ad Evangelium praedicandum fidelesque pascendos et ad divinum cultum celebrandum consecratos ut veri sacerdotes Novi Testamenti (pag. 12, linn. 27-30) providos cooperatores ordinis episcopalis sibi adiungit, quorum sacerdotium a missione apostolica episcoporum rite explenda non est seiungendum (pag. 13, linn. 35-36). Episcopus quidem ut sacerdos magnus sui gregis habendus est; sed, cum in ecclesia sua ipsemet nec semper nec ubique universo gregi praeesse possit, necessario constituere debet fidelium coetus localiter sub pastore vices gerente Episcopi (*De liturgia,* n. 42), ita ut episcopus, singulis in fidelium localibus communitatibus, adsit, mediantibus presbyteris, qui, pro modo suo, officii et curae partem acceperint portionis cuiusdam gregis in cotidiana sollicitudine. Eorumdem etiam est praeconium salutis omnibus annuntiare (pag. 15, lin. 33), ad sanctificationem fidelium fidei sacramenta conficere, quod maxime in Eucharistica synaxi adimpletur, quae est centrum et fons vitae congregationis fidelium (*De ministerio et vita presbyterorum,* pag. 15, linn. 37-39, et pag. 16, lin. 4; *De liturgia,* n. 10). Pro fidelibus autem poenitentibus vel aegrotantibus ministerio reconciliationis et alleviationis summe funguntur; in medio gregis degentes, perpetuo illi succurrunt imitantes quod docuerunt; conversatione et cura cotidiana, fidelibus et infidelibus, catholicis et non catholicis, testimonium veritatis et vitae reddunt. Quo fit modo ut presbyteri sacramentalem Christi Pastoris et Capitis praesentiam, pro omnibus fidelibus, immediatam et constantem servent ».

Dictis iteratis, concludam non nova dicenda, cum omnia in schemate inveniantur, sed doctrina, modo magis nervoso atque contracto, magis ordinato et demonstrativo esse proponendam.

II - *Animadversiones particulares.* Pag. 12, linn. 31 ss.: paragraphus, in dictis plumbeus, presbyteris difficilis intellectu. Modo generali, schema iterum conscribendum videtur, quo melius unitatem habeat et vigorem.

Pag. 13, linn. 21 ss.: addendus in paragrapho locus citandus: *Io.* 17, 14-15: voluit enim Christus Dominus ut apostoli in mundo sint, non de mundo.

Pag. 14, linn. 28-35: lineae illae in articuli initio ponantur ut presbyter, in verbi ministerio, episcopi cooperator appareat (cf. supra: Animadversiones generales *a*). Addendum etiam forsan Verbi Dei proclamationi, in ministerio presbyteri, ab episcopo missi, « authenticitatem » conferri, qua ministerii presbyteralis auctoritas augetur.

Pag. 14, lin. 37: « Plenitudinem ... ». Num conveniens verbum? De Verbo Dei tantum dictum est: « De plenitudine eius nos omnes accepimus ».

Pag. 15, lin. 2: post verbum « docere » addendum: fideles, ita ut vitae suae quaestiones, sub lumine Revelationis metiantur et solvant.

Pag. 16, lin. 35: Cum hic paragraphus textui additus videatur, introducendus est dicendo v. g.: « Inter alia, munus presbytero incumbit, cultus eucharistici curam habendi, vigilandi ut domus orationis in qua ... ».

Pag. 16, lin. 40: « Maxime » deleatur.

Pag. 19, lin. 7: addatur: « et ministerium sacerdotale adimplere ».

Pag. 24, lin. 30: post « (*Mt.* 5, 10) » addatur: « His in fraternis commerciis, mutuo sese ita iuvabunt ut conscii magis magisque vocationis suae fiant, divino inspirante Magistro ».

Pag. 25, n. 8: psychologice iuvabit, hoc in articulo, obligationes laicorum erga presbyteros commemorare. Cf. n. 37 constitutionis *Lumen gentium,* qui, cum de laicis tractat, obligationes presbyterorum erga laicos sedulo commemorat.

Pag. 27, linn. 11-19: paragraphus iste post lin. 2 melius collocandus, cum de fidelium cura praecipue agatur.

Pag. 28, lin. 41: post vocabulum « personalia » addendum: « In formatione, ante discessum procuranda, in memoriam instanter revocandum est officium illis incumbere, ut apostolatui suscepto aptos se praebeant atque cum humilitate, sicut qui ministrare, — et non proprios conceptus imponere —, veniant, se exhibeant.

Pag. 30, lin. 24: « Tribulationibus » ... Vocabulum minus aptum videtur. Alleganturne textus S. Pauli?

Pag. 31, lin. 20: vocabula « servi inutiles » ... utpote non apta, sunt detrahenda.

Pag. 32, lin. 26: post verbum « docendae » addatur: « cum admiratione et gratiarum actione divinum salutis consilium contemplent et in se ipsos ... ». *Ratio*: vita spiritualis sicut et ministerium sic ditatur.

Pag. 33, lin. 10: consilium illud ratione quadam theologica est confirmandum, quia non pauci hodie sacerdotes contrarium opinantur.

Pag. 33, n. 13: in uno saltem ex articulis 11, 12 vel 13, commemoranda est *Imitatio Christi* quae unus est e sacerdotalis sanctitatis adspectibus in quo sanctus Paulus libenter commoratur. Cf. *1 Cor.* 1; *Io.* 13, 15.

Pag. 36, lin. 8: locus allegatus est *Lc.* 5, 11 et non 5, 2, qui tamen detrahendus est, cum in illo non de castitate directe agatur.

Pag. 38, lin. 8 ss.: ampliandus sit de oboedientia paragraphus, dicendo presbyterum non personale, sed Ecclesiae opus adimplere, quod, cum plurium collaboratione fiat, omnium agentium coordinationem, sub legitima auctoritate, exigat.

Pag. 38, lin. 30: post verba « Spiritus Sancti » addatur: qui, contemplato Salvatoris opus Redemptionis perficientis amore, eorum zelum aposto-

licum magis magisque renovabit ». Adspectus enim ille in schemate praetermittitur.

Pag. 38, lin. 32: « Instrumentis » ... Presbyter causa instrumentalis est in ministerio sacramentali, non autem aliis in functionibus, in quibus velut « causa secunda », a Christo utique dependens, at non ut causa « instrumentalis », agit.

Pag. 39, lin. 3: mentio devotionis erga Spiritum Sanctum non bene introducitur nec sufficienter ampliatur. Exarandus est specialis paragraphus quo Spiritus Sancti partes in consecratione et missione apostolica presbyterorum commemorentur. Quibus de argumentis, orientalium ecclesiarum traditionem ditissimam, patrimonii universalis Ecclesiae partem, a Concilio ad illam recuperandam, Latinos iuvari decet.

Pag. 41, n. 18: titulus inter uncos positus tantum ad secundam paragraphum pertinet. Commemoranda insuper « praevidentia socialis in favorem clericorum qui sacerdotes non sunt ».

Pag. 42, lin. 7: post verbum « posse » addendum est: « spontanee etiam deficientibus aetate viribus, onera graviora ut deponantur postulabunt, aut saltem, hortante episcopo, libenter liberationem accipient ». Quae regula, in schemate de episcoporum pastorali ministerio adiecta, optime in schemate de presbyteris inveniatur (vel in n. 18, vel in n. 14, cum de paupertate tractatur, vel in alio loco), qui enim textus a presbyteris legetur et meditabitur.

46

Exc.mus P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO
Episcopus Lucknovensis

1. Schema nostrum non est dogmaticum, sed pastorale, ideo de natura sacramenti Ordinis et de eius collatione et receptione in ipso sermo fieri nequit.

2. Tamen verba seu terminologia quae in schemate adhibetur, non tantum clara esse debet, sed confusionem immo omnem dogmaticam perplexitatem vitare debent.

3. Uti iam dictum est quando sermo fuit de sacerdotio universali, communi et hierarchico, ista terminologia nova est et confusionem dogmaticam inducere potest.

4. Eo quod nunc de presbyteris sermo fit, caveatur ne peior confusio dogmatica ex verbis oriatur.

5. Unum quidem certum est, nempe quod theologi et experti, immo et magistri seminariorum accurate studere debent naturam sacramenti Ordinis et invenire id quod usque adhuc clarum non apparet, scil. qua ratione episcopi et qua ratione presbyteri sacramentum Ordinis recipiunt. Sed Concilium quoque ita debet procedere ne videatur retinere presbyteros tantum

participare in sacramento quod episcopi e contra recipiunt. Oro vos, Patres, ut perattente consideretis verbum « participare ».

6. Tum episcopi tum presbyteri sacramentum Ordinis *recipiunt*. Nemo certo certius auderet dicere episcopos sacramentum Ordinis recipere dum presbyteros in ipso tantum partecipare. Tamen in nostro schemate continuo dicitur presbyteros partecipare in potestate docendi, partecipare in potestate sanctificandi, partecipare in potestate regendi. Si presbyteri recipiunt potestatem docendi, regendi et sanctificandi receptione sacramenti Ordinis, dicere nullo modo possumus eos partecipare in hac potestate.

7. Utique veritas dogmatica a theologis, ab expertis et a magistris profunde atque accurate studenda et clarificanda est. Tamen ad omne dubium et forsitan etiam errorem vitandum proponere vellem simpliciorem formam qua mens Patrum clarius exprimatur.

8. Quando de sacerdotio sermo est ita procedere possumus:

a) Fideles uti membra Corporis Mystici Christi participant de sacerdotio Capitis, nempe Christi, qui est summus et aeternus sacerdos.

b) Episcopi et presbyteri non participant, sed vere recipiunt Christi sacerdotium sacramenti Ordinis receptione.

c) Eo quod sacramentum Ordinis potestatem sacerdotalem conferat, nemo est qui non videat potestatem istam conferri vel recipi posse per gradus (by shares). Ideo dicimus Episcopum recipere plenam et perfectam potestatem sacerdotalem.

d) Nunc quin definiamus quo gradu presbyteri recipiunt potestatem sacerdotalem, plene vel cum limite, saltem dicamus presbyteros episcopos adiuvare debere eo quod *potestatem sacerdotalem recipiunt* et non eo quod de illa tantum participant.

47

EXC.MUS P. D. ALBERTUS DEVOTO
Episcopus Goyanensis

Quamvis schema in genere placet, tamen sequentia notanda mihi videtur:

1. *Notio presbyterii.* Presbyterium, utpote conceptus qui manifestat aspectum corporativum sacerdotii presbyterorum in unione cum episcopo, in clara luce poni debet, ita ut profundior habeatur enucleata theologia sacerdotii, ut in aula saepe auditum est.

Ad hunc finem assequendum conveniens erit ut notio presbyterii inde annuntietur a prima paragrapho schematis. Nam ita omnes aspectus, sive theoretici sive practici qui postea tractantur, vera sub luce effulgent: *a*) sic cum de scientia sacra agitur (n. 3) necessaria ut presbyterii deliberare possint cum episcopo suo in bonum Ecclesiae localis; *b*) sic cum de ministerio Eucharistiae agitur (n. 4), cuius altius symbolum in concelebratione presbyterorum

cum episcopo obtinetur; *c*) sic cum de munere gubernandi scribitur (n. 5), quod quidem exerceri prudenter nequit, citra elaborationem et executionem communem programmatis pastoralis; *d*) sic denique, cum de aspectibus practicis agitur (nn. 7 et 8), nempe de fraternis relationibus inter presbyteros et inter presbyterum et episcopum.

2. *Adaptatio schematis constitutioni Lumen Gentium.* Hoc proculdubio requiritur, praesertim in sequentibus: *a*) clare affirmari debet primariam unitatem populi Dei, in cuius sinu deinde inveniuntur distinctiones ex voluntate Christi inter ministros et laicos. Hoc modo melius apparet sensus proprius ministerii et vitae sacerdotalis in relatione ad Populum Dei; *b*) characterem communitarium sive ministerii sacerdotalis sive ipsius sacerdotis. Sacerdotium enim non est quasi isolata functio, sed potius inclusio in aliquo communi ministerio, quamvis gradibus distinctum, semper tamen essentialiter unum.

3. *Vita spiritualis presbyteri.* Ut in textu iacet, mihi non placet. In textu emendato haec prae oculis habeantur: *a*) tota ratio sanctitatis presbyteri fundata atque enutrita in eius ministerio in Ecclesia appareri debet; *b*) ministerium sacerdotale testimonio Resurrectionis Domini praesertim inservit. Mysterium igitur paschale debet esse centrum atque fons vitae sacerdotis, siquidem est centrum Liturgiae et vitae Populi Dei (const. *de Lit.* et *de Eccl.*); *c*) praxis consiliorum evangelicorum in ministerio fundata etiam monstretur oportet; *d*) quoad coelibatum, tali modo loquatur ut appareat clarius vocationem ad castitatem perfectam et vocationem ad ministerium sacerdotale non esse unam eandemque, sed duplicem. Ergo necessitas distinctae formationis (interv. card. Bea).

48

Exc.mus P. D. EDUARDUS IOANNES DOODY
Episcopus Armidalensis

Novum schema perpulchrum est et perutile presbyteris sane erit. Haec tantum dicenda habeo:

1. N. 6 (pag. 21) sermo est « De Habitudine inter episcopos et presbyterium », et bene dicitur « ut ipsa unitas missionis requirat omnimodam eorum (presbyterorum) unitatem cum episcoporum Ordine, cuius cooperatores facti sint ». Proponitur igitur coetus sacerdotum, presbyterium repraesentantium, qui episcopum in regimine dioeceseos efficaciter adiuvare possit. Hic coetus aptiori quam nunc viget modo constitui debet « forma et normis iure determinandis ».

Forma et normae pro constitutione novi coetus maioris momenti esse videntur. Si namque presbyteri ab ipso episcopo nominantur, forsitan illi presbyteri reapse presbyterium non repraesentabunt; si vero ab ipsis presbyteris nominantur, timendum est ne seligantur qui vix vel nullatenus opti-

mum consilium episcopo dare valeant vel qui, ratione circumstantiarum soli episcopo notarum, huic officio satisfacere minime queant vel debeant.

Dicatur igitur quonam modo tales presbyteri seligantur. Et fortasse bene designabuntur et ab episcopo et ab ipsis presbyteris, vel tot hi quot ille, vel melius ut presbyteri nomina dent episcopo eorum e quibus coetum eligi vellent et episcopus ex illis quos velit sumat.

Adiici cupio: ne presbyteri, iuvenes praesertim, proprias opiniones nimis faciant et contra mentem episcopi, necnon contra traditionem Ecclesiae (quod Deus avertat) teneant, meminerint se traditiones tenere obstringi: « Nihil innovatur nisi quod traditum est »: denuo dicendum est.

2. N. 16 (pag. 39) bene dicitur ut aequa remuneratio presbyteris providenda sit et ideo eadem fundamentaliter pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus ecc. Normae tamen non nimis arctae esse debent. Ratio enim habenda videtur difficultatum vel oneris nonnullarum paroeciarum prae aliis eiusdem dioeceseos quaeque remunerationem maiorem afferre debent pro iustitia et aequitate: alioquin vix quispiam talem paroeciam accipere vellet. Presbyteri res materiales probe parvipendunt sed ius habent ut recipiant non solum remunerationem congruam sed et compensationem pro laboribus maioribus. Neque aliter facile acciperent paroecias magnas et difficiliores: sunt enim homines non autem angeli.

3. Adiicere volo: opportunum videtur ut habeatur in Liturgia Commune speciale et pro Missa et pro Officio « De confessore presbytero ». Iam enim habetur Commune pro Summo Pontifice et pro Confessore Pontifice et pro Confessore non Pontifice inter quos numerantur sancti sacerdotes quasi essent laici; sed aliud decretum huius Sancti Concilii prae se fert Sacerdotes laicos non esse. Multum presbyteros adiuvaret talis recognitio status Sacerdotii.

49

Exc.mus P. D. THOMAS IOSEPH DRURY
Episcopus Corporis Christi

Textus in genere placet. Vellem tamen observationes quasdam facere circa problema quod textus quidem tangit sed quod decretum conciliare de sacerdotio tractans enucleare debet modo urgentiore et fusiore — problema nempe presbyterorum qui propter hanc vel illam causam munere sacerdotali iam amplius non funguntur (cf. n. 7, pag. 25, linn. 10-15).

Concilium Vaticanum II scopum et finem pastoralem sibi proponit. Animo humili alloquitur mundum et christianum et non-christianum, loquendo omnibus verba amoris, comprehensionis, spei. Pari saltem affectu illos debet alloqui quos Ecclesia semper sollicitudine speciali prosequi tenetur — illos scil. quos charactere presbyterali signatos infirmitas aut fragilitas humana impedit quominus ministerium suum exerceant. Exemplum nobis dat Ipse Christus a Petro et Apostolis negatus et desertus (*Mt.* 26, 69; *Mc.* 14, 50).

Petro ignoscendo intuens illum amanter et misericorditer (*Lc.* 22, 61), et post resurrectionem suam ceteris apostolis largiendo pacem et veniam dicens: « Pax super vos; Ego sum; nolite timere » (*Lc.* 24, 36).

Falso autem crederetur semper agi de peccato quando vita sacerdotalis dimittitur presbyteris aliquid aliud necessarium esse ad ministerium sacrum iterum obeundum quam ut de peccatis doleant et veniam consequantur. Agitur hic de rebus valde implexis, circa quas, pro dolor inquisitiones scientificae fere totaliter desunt. Nihilominus hoc affirmari potest: multi ex his presbyteris vitam sacerdotalem dimiserunt propter infirmitatem vel physicam, vel moralem vel spiritualem. Infirmitas, defectus valetudinis, quidquid sit, non est peccatum. Infirmitas censuram moralem non meretur. E contra, omni modo conandum est ut infirmo succurratur, remedia praestando. Ut hoc efficaciter fiat, necesse est ut praeparentur et ordinentur media ad praecavenda pericula, ad obstandum principiis, ad infirmum sanandum.

Ad alios pertinet tractare de ipso processu praecavendi pericula. Hoc tamen licet dicere, provocando ad sententiam peritorum qui hanc rem penitus investigaverunt. Si durante cursu seminaristico prudenter adhiberentur normae psychologicae et psychiatricae sanae ad agnoscendam idoneitatem spiritualem, moralem, intellectualem, aliqui candidati utpote non idonei detecti dimitterentur, nec lapsus eorum a vita sacerdotali postea lugendus esset.

Quod ad iam ordinatos attinet, satis sit dicere omnino cavendum esse ne presbyteris imponantur onera et officia quibus viribus et mente impares sunt, quaeque valetudini obesse possunt, causando frustrationem et tensionem mentalem. Quae conferunt ad vitam sanam intellectualem, moralem, spiritualem, sedulo fovenda sunt in omnibus regionibus, praesertim autem in iis locis missionariis qui plenam evolutionem adhuc expectant.

Societates religiosae aliquae et in specie Servi Paracliti Sancti egregie operam iam navant presbyteris subveniendis qui a ministerio suo destiterunt. Nos tamen — dolentes hoc confiteri cogimur — deficimus in hoc praeclaro opere adiuvando et approbando modo debito.

In schemate mentio sana fit obligationis quo tenentur presbyteri erga eos « qui in quibusdam defecerint », et loquitur textus de confratribus prosequendis « misericordia atque magna caritate » (n. 7). Nonne verius diceret schema obligationem ex iustitia, saltem quod ad Episcopos et Superiores Religiosos spectat? Nonne textus debet commemorare obligationem illam correspondentem, episcopis impositam uti statuitur in schemate *de pastorali episcoporum munere* (n. 16, pag. 42, linn. 12-14), addendo hic, ad lin. 13, verba « sicut episcopi »; ita ut hic legatur: « ... Se sciant presbyteri obligatos erga eos quoque, qui in quibusdam defecerint, eosdem igitur, sicut et ipsi episcopi, misericordia atque magna caritate semper prosequantur »?

Venerabiles Fratres: en vobis sententia mea et votum humili animo propositum. Concilium nostrum adhortari debet ut conferentiae episcopales nationales statim suscipiant hoc opus grave curandi presbyteros qui ministerium sacrum exercere cessaverunt. Praebeantur media necessaria; praesto sint

periti tum scientiarum psycho-therapeuticarum, tum vitae spiritualis; stabiliter suppeditentur subsidia pecuniaria his qui huic tanto operi iam incumbunt.

Praeterea, cum remedia, tum physica, tum spiritualia, morbo iam adhibita fuerint, ita ut moraliter certus sit exitus felix, curandum est ne praeter necessitatem, praescripta iuris nimis urgendo, onera iniungantur quae nata essent filium prodigum deterrere a domo paterna petenda. Quod si fieret, Ecclesia videretur se exhibere matrem duram, tardiorem omnibus ad ignoscendum filiis suis errantibus.

Denique, Concilium nostrum gloriatur de ordine presbyterali utpote decore ac laude Ecclesiae catholicae. Carum igitur nobis sit restituere et revocare ad dignitatem huius ministerii infelices qui forsitan vitam presbyteralem dimiserint, et huic operi tam nobili incumbamus, implorato auxilio ipsius Summi Sacerdotis qui « Cum Filius Dei esset, didicit obedientiam ex iis quae passus est et factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis aeternae » (*Hebr.* 5, 8-9).

50

Exc.mus P. D. MARCELLUS M. DUBOIS

Archiepiscopus Bisuntinus

I. *Animadversiones generales.*

1. *De natura sacerdotii.* Schema, ad vitam presbyterorum qui *directe* sunt cooperatores episcoporum pertinet. Sed religiosi contemplativi, et multi sacerdotes iuvenes sed aegroti, sacerdotes veteres et a ministerio abducti, sunt pariter sacerdotes, et plene sacerdotes. Necesse est, igitur, schema perfecte ostendere, saltem in suo initio, quid sit sacerdotium omnium sacerdotum, sacerdotium, ut ita dicam, in statu puro, in sua essentia; aliis verbis: quid sit « ens sacerdotale ».

Hoc fieri potest ex notione « pontificis ». Pontifex enim pontem facit: in hoc casu, inter Deum et homines. Hac de causa, pontifex unicus, pontifex perfectus, est solus Iesus, qui, ex sua natura humana, innititur, ut ita dicam, in ripam hominum, et, ex sua natura et persona divina, innititur in « ripam » divinam; ita ut, non solum pontem facit, sed, in toto ente suo, est Pons: Pons absolute perfectus, et solus Perfectus. Quod Eum reddit Mediatorem summum, i. e. « Illum » Sacerdotem (« Le » Prêtre). Illius Sacerdotis, omnes sacerdotes tantum erunt vicarii, legati: eorum sacerdotium est Sacerdotium Christi prorogatum, propagatum, prolatum in favorem omnium hominum omnium terrarum et temporum.

Sacerdos igitur est alter Christus, vel potius Christus continuatus, qui, vocatione divina et consecratione profunda, iungit Deum et homines, homines et Deum: fit Pons sacratus et sacer, per quem Deus ad homines venit et homines ad Deum.

Haec est essentia sacerdotii, quae in omni presbytero invenitur.

Ex notione fundamentali sacerdotii fluit etiam spiritualitas fundamentalis cuiuscumque sacerdotis. Sicut Christus, sacerdos, suo modo, debet semper inniti (et fortiter, quia hoc difficillimum est) in « ripam » divinam (per « devotionem », in sensu stricto, Deo et Iesu Christo), et in « ripam » humanam (quod multo facilius est, et saepe periculosum).

2. *De Maria in vita presbyterorum.* Nostrum schema non dat Ei partem quae convenit. Etenim:

a) Iesus-Sacerdos fuit talis ex « fiat » Beatissimae Virginis. Ita ut, omnes sacerdotes, qui prorogant Sacerdotium Christi, id prorogant in dependentia eiusdem « fiat ». Quod est astricte factum historicum.

Unde unusquisque sacerdos officium habet grati animi erga sui proprii sacerdotii Matrem. « Etant la Mère du Prêtre éternel, Marie, *à cause de cela,* est la Mère très aimante du clergé catholique » (PIE XII, *Menti nostrae,* 23 sept. 1950). Hanc Matrem, a qua suum sacerdotium originem ducit, omnis sacerdos ut Matrem amare et servire debet.

b) Maria et Ecclesia inseparabiles sunt, ut ostendit Constitutio dogmatica *Lumen gentium.* V. g.: Maria est exemplar Ecclesiae.

Sed sacerdos, ex suis muneribus in Ecclesia, est membrum electum in hac Ecclesia. Debet igitur, melius quam simplex fidelis, aspicere et « imitari » Mariam.

c) Totum « ens » sacerdotale ordinatur ad Eucharistiam, primum sacramentum, sacramentum centrum sex aliorum: Sanctissimum Sacramentum. Ordinatur igitur ad Sacratissimum Corpus et Pretiosissimum Sanguinem Christi.

Sed, hoc Corpus et hunc Sanguinem, Virgo Maria dedit mundo (« nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine ») et itaque, in primo loco, dedit sacerdotibus. Et in Calvario, huic Corpori cruento Eadem Virgo adfuit (« Stabat iuxta crucem Iesu mater Eius », *Io.* 19, 25) in crucis Sacrificio, cuius omne Sanctum sacrificium est iteratio. Quomodo igitur sacerdos devotionem profundam non haberet erga matrem praeclarissimam Eucharistiae?

d) Sacerdos, ordinatus ad Christum, ordinatus est, etiam monachus, ad Corpus mysticum Christi augendum: salus animarum tenet, ut ita dicam, sui sacerdotii visceribus.

Sed, hoc Corpus mysticum, Maria id concepit quando Iesum concepit: est haec Mater spiritualis, de qua abundanter loquitur Constitutio *Lumen gentium.*

B. Virgo igitur adiuvat quicumque, in ministerio suae maternitatis spirituali, Eam ipsi adiuvant. Inter quos, in primo ordine: sacerdotes.

Hae rationes, quibus aliae addi possunt, ostendunt partem originalem et capitalem Matris Unici Sacerdotis in Eius vicariorum sacerdotio et in muneribus sacerdotum.

Itaque paragraphus specialis necessaria est in nostro schemate, sub titulo, v. g.: « de Beata Virgine et sacerdotibus ». Mea humili opinione, aliquae rationes supra dictae possunt de ea materiam dare.

II. *Animadversiones particulares*. Pag. 14, lin. 37: non: « communicant fidem », quae est donum Dei (cf. n. 4, pag. 17, lin. 27: sacerdotes hic dicuntur tantum « educatores fidei », et non « communicantes »), nec « plenitudinem »: solus episcopus hanc plenitudinem habet (cf. n. 6, pag. 22, lin. 12: « plenitudinem »).

N. 3, pag. 16, lin. 40: quid « maxime! artes! »? legendum est tantum: « ... scientias liturgicas recte... ».

N. 4, pag. 17, lin. 31 addendum est: « ad veram libertatem » vel: « ad libertatem secundum Deum ». *Ratio*: quaecumque libertas non est libertas secundum Deum.

N. 7, pag. 23, lin. 31: legendum est: « post impositionem essentialem ab episcopo factam simul cum... ». *Ratio*: impositio ab episcopo facta, est sola essentialis. Noster textus non ad dubia aperire debet.

N. 7, pag. 24, lin. 12: « in officinis »? Delendum est. *Ratio*: hic est modus inadmissibilis — par la bande! — laborem sacerdotalem in officinis (usines) admittere.

Lin. 5: « religiosi activi »: talia officia a contemplativis exigi non possunt.

N. 8, pag. 26, lin. 31: « Libertas quae omnibus in civitate terrestri convenit », non est quaecumque libertas, v. g. libertas communismi qui Deum negat. Proh dolor, aliqui catholici *quamcumque* libertatem vindicant. Quod admitti non potest. Ergo textus immutandus est.

N. 12, pag. 33, linn. 9-10. Textus non est satis clarus. Summus Pontifex in *Mysterium fidei* verbis magis expressis usus est: citanda sunt. Quod est maximi momenti (facilius enim aliqui sacerdotes recipiunt communionem, sed non celebrant).

N. 13, pag. 34, lin. 15: non: « vitae unitatem, quaerant in agnitione... », sed: « vitae unitatem, quaerant in unione arctissima cum Bono Pastore super omnia dilecto, et ita in agnitione... ».

N. 14, pag. 35. Hic numerus est valde bonus et retinendus est. Laicis sacerdotes exempla dare debent consiliorum evangelicorum, quae pro omnibus valent. Sine « votis », sed de facto.

51

EXC.MUS P. D. VILLELMUS IOSEPH DUSCHAK

Episcopus tit. Abiddensis, vic. ap. Calapanensis

Addatur aliqua monitio vel exhortatio pro episcopis, quam episcopi sibimetipsis dent.

Multa enim et magni momenti dicta inveniuntur in diversis schematibus (constitutionibus) de episcopis, sed nihil ibi reperitur de « Peculiari exigentia sanctitatis in vita episcopali ». Quamquam episcopi in statu perfectionis

versari supponuntur, tamen non extra viam procedi videtur, si episcopi uti Patres conciliares, qui aliis praedicant, et sibimetipsis aliquantulum praedicant.

Admoneantur ergo episcopi propono, ut operam dent adquirendis virtutibus sacerdotalibus et proprie dictis episcopalibus (inter quas 4 cardinales), ut fiant forma gregis et sacerdotum ex animo, neque scandalum praebeant ut saepe fit.

Notatu digniora e. g. sunt: episcopi paupertas quoad « palatium » et « automobile », itinera etc.; simplicitas, humilitas, spiritualitas (abolendo e. g. illa abdomina nimis conspicua, redolentia gulam et edacitatem, tam contraria evangelio abstinentiae et sacrificii); « punctualitas » (scandalum est sacerdotibus, laicis, observatoribus, auditoribus, et eis qui assistunt missis congregationum cotidianarum [ut saepius dixerunt], quod tam saepe multi episcopi sero adveniunt et vel ante vel inter orationem "Angelus Domini" iam ad exitum currunt); loquacitas et habitudo inutilis fumandi quae observantur ad locum qui dicitur "Espresso", quo non pauci tempus relaxationis nimis longe protrahunt, etc.

Addatur ergo paragraphus vel saltem sententia (vel aliquae sententiae), quibus (modo humano et urbano) episcopi seipsos cohortentur (vel ultro promittunt), ut sint forma gregis et sacerdotum ex animo, ut mutatis mutandis ea omnia toto corde prosequantur, quae presbyteris praescribunt vel commendant, insuper ea etiam observent, quae ex mente Sacrae Scripturae, Patrum, Traditionis et vitarum episcoporum sanctorum episcopum decent.

52

EXC.MUS P. D. EDUARDUS ELLIS
Episcopus Nottinghamensis

1. Fortiter sustinere volo ea quae plures Patres iam dixerunt de sacerdote et Sacrificio Missae. In n. 1, lin. 28, et n. 2, linn. 1 s. insistitur in munere praedicandi et catechizandi quasi hoc primum et specificum officium sacerdotis esset. Revera effici potest a diaconis vel etiam, permissu episcopi, a laicis. Erat et est multarum Sectarum Protestantium doctrina ministros Christi ad hoc officium ordinari non ad Missam celebrandam. Traditio autem catholica semper affirmavit Missam offerre esse primum et specificum officium sacerdotis, neque alium nisi sacerdotem valide ordinatum hoc sublime munus exercere posse. Cf. Ep. *ad Hebraeos, 5,* 1: « Omnis pontifex... ut offerat dona et sacrificia... ».

Praeterea ita in praedicando insistere ut primo sacerdotis munere, ducere possit ad illam despectionem Missae quae a Sua Sanctitate Paulo VI reprobata est in suis recentibus Encyclicis, *Mysterium Fidei.*

2. In n. 6, recte insistitur in illa unione intima quae esse debet inter episcopum sacerdotesque eius. Urgetur episcopus ut eos habeat « ut amicos...

eorumque bonum spirituale, immo et materiale ipsis pro viribus cordi sit », lin. 33.

Bene haec omnia sunt dicta, sed dicere non est facere. Revera multae dioeceses ita nunc sunt constitutae ut fieri non possit ut episcopus suos sacerdotes etiam cognoscat, nedum eos tamquam amicos habeat vel ipse eorum bonum spirituale et materiale curet. Tot dioeceses tantae magnitudinis sunt ut episcopus quasi parvum exercitum officialium adhibere debeat, et ego vereor ne inter episcopus sacerdotesque quasi densos cancellos interponant. Licet episcopum adiuvent ad dioecesim summa efficacia regendam, illa tamen unio personarum, quam schema inter episcopum et sacerdotem exsistere vult, fieri non potest. Nec sufficit habere vicarios generales vel etiam auxiliares episcopos, cum sacerdotes debeant facie ad faciem suum attingere patrem in Deo, dioeceseos Ordinarium. In hoc et in aliis schematibus, illud dictum, « Bonus Pastor cognoscit suas, et ipsum cognoscunt », saepe usui venit. Hortati sumus sacerdotes nostros ut greges cognoscant, simili nunc modo hortamur episcopos ut sacerdotes cognoscant. Solum remedium est audacter dissecare illas magnas dioeceses in quibus miser parochus et cooperator ab episcopo separantur. Plures parochiae non debent esse quam quas episcopus ipse visitare possit saltem semel quoquo triennio. Numerus cleri dioecesani non tantus esse debet quantus ulli sacerdoti obstet quominus facile episcopum consulere possit in suis propriis problematibus, difficultatibus etc.

53

Exc.mus P. D. VINCENTIUS ENRIQUE Y TARANCON
Archiepiscopus Ovetensis

Schema placet. Immo, valde placet. Discerni posset si opportunius evaderet ut primo loqueretur de *vita* et postea de *ministerio* sacerdotum. Adhuc etiam, si deduci possent latiores conclusiones ex principiis theologicis in constitutione *Lumen Gentium* propositis. Existimo posse admitti ordinem in schemate propositum; suadensque videtur ratio a relatore adlata ut in casus peculiares non veniatur, et aditum patens ulterioribus investigationibus relinquatur.

Forsitan oporteret rationem internam roborare, quae vitam et officium presbyteri explicat.

Si presbyter particeps est missionis et officiorum sacrorum episcopi, ut aperte declarat constitutio dogmatica *de Ecclesia,* congruum est ut ratio quae definit statum, spiritualitatem atque ministerium episcopale, ipsa indicet indolem propriam spiritualitatis et apostolatus presbyteri.

Haec autem ratio est caritas pastoralis.

Episcopus est pro Ecclesia et pro hominibus — « pro hominibus constituitur » —; oves suas, utpote bonus pastor, cognoscere debet et paratus esse ut vitam pro eis ponat.

Etiam ergo et presbyter. Ex quo, ad eius spiritualitatem, deducitur:

1. Vita presbyteri non debet esse *praecipue* contemplativa. Normae spiritualitatis religiosorum vitae contemplativae non possunt simpliciter presbyteris aptari.

2. Consilia evangelica, propria et peculiaria vitae religiosae, non sunt, eadem ratione, propria presbyteris. Legitur, ideo, in schemate: « Ecclesiae sanctitas proprio quodam modo apparet in praxi consiliorum quae evangelica appellari consueverunt »; et hac de causa, ea tribuit etiam presbytero, in cuius sacerdotio est ineludibilis exigentia sanctitatis. Sed ita recoli videntur quaedam elementa vitae religiosae, ut presbyteris accommodentur. Et ideo non proprie specificatur eorum spiritualitas.

Nonne melius esset ex caritate pastorali procedere, quae ab eo exigit servitium absolutum et integrum animarum, ut inde castitas, paupertas et oboedientia deducatur, peculiaribus notis praeditae, et ut, ideo, praxim paupertatis servent, quae eadem ac religiosa non debet esse, et usum etiam oboedientiae?...

Vita presbyterorum exprimi posset formula illa, quae vitae S. Bernardi tribuitur; qui sanctus coadunare valuit plenam Deo deditionem et plenum hominum servitium: « Totus omnibus quia totus Deo ». Ideo quia *totus omnibus,* ut caritas pastoralis postulat, presbyter suae vitae oblationem Deo facere debet et purus, innocens et impollutus esse, ut Hostiae purae sanctae et immaculatae uniatur, quam in altare offert, et ut sua hominibus deditio uberrima sit. Difficile enim non est deducere obligationem ad praxim Consiliorum, cum sua indole propria, ex illa caritate pastorali, quae bonum pastorem cogere valet ut animam suam ponat pro ovibus suis.

3. Ipsa pietatis exercitia, oratio etc. ..., a caritate sacerdotali imperari debent, simulque ei ut adiumentum inservire ad maiores et uberiores fructus in ministerio adsequendos.

Hac in re magnum progressum instituit schema, unitatem vitae sacerdotalis proponens et dicotomiam, seu disiunctionem, consuetam inter vitam et ministerium vitans, ut si sacerdotii officium impedimentum afferret vitae suae spirituali. Ideoque ait: « Ipsum exercitium munerum, quae presbyteris committuntur, requirit et pariter stimulat sanctitatem vitae, ideoque potens est presbyteros efformare ad sanctitatem sacerdotum propriam ».

Quoad ministerium, haec caritas pastoralis:

1. Dignitatem, immo et valorem supernaturalem confert diversis ministeriis a sacerdote implendis: liturgicis, educativis etc. ...

2. Obligat ad quamdam veluti hierarchiam in ipsis ministeriis statuendam. Ita ut primum serviatur necessarioribus et urgentioribus parti populi Dei sibi commendatae. Nam, licet theoretice possimus de ministeriis maioris momenti aut urgentioris necessitatis loqui, ratio tamen ut ordinentur ex ipsa fidelium necessitate deduci debet. Salus enim animarum semper suprema lex in ministerio ecclesiastico erit.

3. Urget ad dialogum tam cum laicis catholicis, qui opem ei praestabunt in suo ministerio pastorali, quam cum dissentientibus ut eis nuntium salutis communicet.

4. Urget, denique, ut ad necessitates universalis Ecclesiae attendat.

Vita presbyterorum propriam indolem postulat in Ecclesia ex hac caritate pastorali, quae eius nota specifica est, quaeque ordini vel corpori episcopali sociat, ut legitur in constitutione *de Ecclesia*: « Omnes sacerdotes, sive saeculares sive religiosi, cooptantur corpori episcoporum ».

Placet, ergo, schema. Hoc autem principium caritatis pastoralis praeficiendum est ut apte spiritualitas presbyterorum significetur et ut unitas eorum vitae ministeriali tribuatur.

54

EXC.MUS P. D. IOSEPH FADY
Episcopus Lilongwensis

Clergé célibataire? Clergé marié? Malgré la pénurie des prêtres, malgré des défections regrettables il faut absolument maintenir le clergé célibataire.

Suivre fidèlement les règles données dans le n. 10 du schéma *de institutione sacerdotali,* concernant le célibat.

Agir autrement ouvrirait des portes à des abus — et en Afrique à des prêtres polygames.

His dictis, le grave problème de la pénurie des prêtres — surtout en Afrique et en Amérique latine — reste entier. Il faut une solution.

Depuis des dizaines d'années les évêques missionnaires jettent dans le monde leur S.O.S. Nous perdons notre temps à exposer nos difficultés, on nous écoute (et encore, pas toujours) on s'excuse, on dit qu'on n'a pas assez de prêtres, ou qu'on à déjà donné deux, trois, qu'on ne peut pas faire davantage pour le moment. Et l'on écoute cela 10, 20, 30 fois et l'on se demande: faut-il après le concile continuer à s'absenter de son diocèse et courir d'un diocèse à l'autre et mendier du personnel?

On comprend dès lors que certains évêques pris de pitié pour des foules de païens, catéchumènes et fidèles qui manquent de prêtres, sont tentés de se tourner vers des solutions qu'au for interne ils condamnent.

C'est un fait que la collegialité reste inactive chez la plupart des évêques d'Europe et d'Amérique du Nord.

Tant qu'il n'y aura pas des réformes dans les vieux diocèses, nous continuerons à attendre... et à perdre nos chances qui sont grandes en Afrique, sans que pour autant l'Eglise gagne dans les vieux pays à retenir leur grand nombre de prêtres.

Toute réforme coûte et impose des sacrifices. Je propose des solutions que j'ai présentées bien des fois à des évêques.

1. Commencer par distribuer *équitablement* le clergé dans leurs diocèses:

a) Créer des presbyterium de 5, 6 ou plus de prêtres qui se chargent d'un district. Chaque dimanche un prêtre ira dans un village ou centre pour assurer le service dominical. Si le centre est important ils iront à deux. On confiera les œuvres d'après l'aptitude de chacun: enfants, jeunes, âge mur, hommes, femmes. On ne mettra pas p. e. un prêtre âgé dans une organisation de jeunes. Les fidèles n'entendront pas toujours le même prédicateur, auront plus de facilité à se confesser à d'autres prêtres sans être trop gênés d'avoir toujours le même confesseur.

Si un dimanche il n'y a pas de prêtre disponible pour tel ou tel centre ou paroisse (succursale) un laïc s'en chargera: service sans messe, mais bien organisé et fervent.

En Mission nous sommes bien obligés de suivre cette méthode. Elle sera plus facile en Europe et en Amérique du Nord vu les *routes, transports, distances* moins grandes etc.

Qu'on ne s'alarme pas qu'une paroisse reste un dimanche sans messe; ceux qui veulent vraiment y assister trouveront moyen de se rendre dans une paroisse voisine. Ils apprécieront davantage le dimanche quand ils auront de nouveau le sacrifice de la messe et la présence du prêtre.

b) Employer davantage de laïcs en suivant le principe que jamais un prêtre ne prenne un emploi qu'un laïc peut remplir. Il y a des collèges où des prêtres enseignent les matématiques, le grec et ne voudront pas se charger des classes de religion (matière secondaire!).

Certes il faut des prêtres savants, experts, spécialisés; mais ils ne sont pas légion et ne font pas tort à la religion, au contraire.

c) Employer des laïcs pour la catéchèse, présider les réunions du dimanche là où il n'y aura pas de messe.

d) Confier de plus en plus des œuvres d'apostolat proprement dit à des Religieuses et faire faire les autres travaux par des laïques.

2. Aller visiter des territoires de Mission et voir sur place. Rien ne peut mieux convaincre nos confrères dans l'épiscopat de l'urgent besoin de nous venir en aide, avant qu'il ne soit trop tard.

Quant à nous évêques missionnaires, nous devons encore intensifier nos efforts à former de bons catéchistes, anciens, volontaires, et mobiliser nos chrétiens à se faire catéchistes bénévoles pour enseigner leurs compatriotes non chrétiens.

Confier aux Religieuses l'enseignement du catéchisme aux catechumènes femmes, visites des familles et malades dans les villages. Pour pouvoir faire cela faire appel à des jeunes filles d'Europe et d'Amérique qui les remplacent ou aident dans les écoles et hopitaux. Toute Religieuse qui vient en Afrique doit avant tout être missionnaire; c.-à-d. avoir une âme d'apôtre. Un évêque de Ceylon me disait que depuis que le Gouvernement a saisi les écoles catholiques, les Religieuses enseignent la religion et tant mieux, ajouta-t-il.

Encore une fois il faut absolument venir en aide aux Missions et pour cela faire des sacrifices. Les laïcs se sont montrés généreux. Ont abandonné

de bonnes positions pour s'expatrier pour 3 ans. Nous avons à Lilongwe 6 familles avec enfants (docteurs, professeurs) et une quinzaine de célibataires, en tout 31. Les laïcs seraient-ils plus généreux que les prêtres ou leurs évêques.

En deux ans nous avons baptisé 20.000 catéchumènes (surtout gens mariés de 30-40 ans) et enfants. Et nous sommes un prêtre en moins que l'an précédent! Nous aurions davantage de baptêmes si nous avions davantage de postes de mission pour occuper le terrain. Mais nous n'avons personne pour y envoyer.

Alors? Retourner les mains vides? Et nous sommes nombreux à parler ainsi.

55

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS FERRAND
Archiepiscopus Turonensis

1. Ad n. 16, pag. 39, lin. 39. Inserenda sunt, post verbum « Quapropter », verba sequentia: « Ubi cleri sustentatio a fidelium oblationibus pendet, sciant fideles se ex iustitia obligari, unusquisque secundum facultates suas, ut clero necessaria ad vitam digne ducendam subsidia procurentur ».

2. Ad n. 16, pag. 40, lin. 4. Maxime placet additio « vel functi sunt ».

3. Ad n. 16, pag. 40, lin. 13. Addenda sunt verba: « Ubi oblationibus fidelium penitus aut magna ex parte cleri sustentationi providetur, congruit ut oblationes in hunc finem factas colligat institutio quaedam dioecesana (caisse commune diocesaine), quam administrat Episcopus, adiuvantibus sacerdotibus delegatis et, si utilitas id suadet, etiam laicis in re oeconomica peritis ».

4. Ad n. 18, pag. 41, linn. 14-32. Valde placet. Attamen vitari debet ne habeatur confusio inter una ex parte massam bonorum quae in subsidium operum et personarum Ecclesiae constituitur, et massam bonorum singularum dioecesium, in multis dioecesibus iam exsistentem, quae constat oblationibus fidelium in cleri sustentationem factis.

Differunt enim pro utraque massa ipsa destinatio pecuniae, conditiones administrationis, et in specie ordinatio consilii constituti in adiutorium Episcopi. Si petitioni nostrae de n. 16 factae satisfit, sufficit ut in n. 18, pag. 41, lin. 20 scribatur: « Itaque, in votis est ut, praeter massam communem qua certis in locis cleri sustentationi providetur, habeatur ... ».

5. Ad n. 18, par. 2, pag. 41, lin. 34 ad pag. 42, lin. 10. *Maxime placet* finis quem persequitur haec paragraphus, scil. ut provideatur sustentationi presbyterorum qui infirmitate, invaliditate aut senectute laborant.

Minus placet praescriptio secundum quam requiritur institutum aut associatio, quae sit unica pro universa natione.

In Gallia omnibus sacerdotibus saecularibus pro tali casu providetur sic dictis « mutuelles-maladies ». Associatio dicta « Mutuelle Saint-Martin » est

nationalis. Ast, in dioecesibus partis orientalis Galliae, associationes dioecesanae, quae iam antea exstabant, servatae sunt, ita statuentibus sacerdotibus ipsis et id agnoscente lege civili. Sacerdotes ipsi partes habent in earum administratione, sive per Consilium administrationis, cuius nempe membra libere eligunt, sive per conventus generales associationis, quibus intersunt.

Nulla datur ratio cur supprimantur dictae associationes dioecesanae. Unica associatio, nationalis, ad providendum presbyterorum sustentationi, ratione senectutis, haud raro multas secumfert difficultates. Quas considerans, Coetus dictus « Comité épiscopal financier français », tribus suffragiis contra unum, reiecit tales unicae associationis intentum, cui nec favet maxima pars membrorum Coetus « Conseil permanent de l'Episcopat français ».

In multis Galliae dioecesibus quaestio optime soluta est, cum omnibus sacerdotibus, tum qui munere funguntur tum qui munere functi sunt, aequalis praebetur remuneratio ab institutione dicta « Denier du clergé ». Hac ratione reapse affirmatur unitas presbyterii cum episcopo et foventur relationes mutuae dilectionis inter sacerdotes.

Quare in votis est ut mutetur dispositio n. 18, par. 2, ut scil. variae possibilitates concedantur ordinationis illarum associationum, iuxta variarum regionum necessitates, sed ut simul conferentiis episcoporum concedatur officium et ius vigilandi ut revera ubique debite provideatur sustentationi presbyterorum qui infirmitate, invaliditate, aut senectute laborant, itemque officium et ius ea statuendi quae requiruntur ut reipsa debite provideatur.

Unde proponitur ut textus mutetur ut sequitur: « Curent conferentiae episcopales ut, sive per instituta dioecesana, etiam inter se confoederata, sive per associationem pro diversis dioecesibus simul constitutam, sub vigilantia hierarchiae, attentis semper legibus ecclesiasticis et civilibus, satis provideatur ... ».

Membra electa Coetus « Comité épiscopal financier français ».

[*Subscripserunt etiam*] Claudius Flusin, ep. S. Claudii; Paulus Chevalier, ep Genomanensis; Paulus Vignancour, ep. Valentinensis.

56

Exc.mus P. D. IOANNES FERRO

Episcopus Rheginensis

Asserere fas est non sine Spiritus Sancti afflatu, quem solum credimus suggestorem et effectorem iudiciorum nostrorum, ampliorem disceptationem nos fecisse circa schema *de ministerio et vita presbyterorum*. Etenim donum quod a nobis offertur dilectis cooperatoribus Ordinis nostri, ipsi Ecclesiae sanctae offertur, quam Redemptor acquisivit Sanguine Suo.

Hoc schema, quod dignum laude fere omnibus Patribus visum est, perfectius absque dubio evadet post emendationes et consilia, quae Patres pro-

posuerunt illo caritatis igne, quo Christus Dominus eos ardere voluit in pascendis ovibus, Petri Successore eorum fidem confirmante.

Non displicet, nec dedecere videtur hortationis stylus ad proposita et incoepta perfectiora in ministerio et in vita sacerdotali assequenda. Certo certius normae clarae deesse non possunt, ut immutabilia principia divinae Revelationis aptentur profundis mutationibus societatis nostrae; at praesertim oportet corda excitare ut ad gratiae effusionem aperiantur Spiritus Sancti, qui solus faciem terrae renovare potest.

Nam sperare licet, Deo favente, haec Concilii Oecumenici hortamenta fore ut novas pandant vias ad veri nominis progressus, in humilitatis et oboedentiae spiritu faciendos in doctrina et sanctitate.

Hoc spiritu ducti ac roborati Patres conciliares scientes quamcumque veram ac mansuram renovationem initium sumere a domo Dei, scil. ab eis qui vocantur ut testimonium perhibeant veritati, ad aeterni Pastoris exempla respiciunt, ut forma facti gregis ex animo, verba salutis proferant.

Presbyteros alloquentes, cum episcopis sacerdotali honore coniunctos et vi Sacramenti Ordinis ad imaginem Christi Summi atque aeterni Sacerdotis consecratos, tantam eorum dignitatem a conformitate et ab intima adhaesione cum Christo oriri et pendere recolere necesse est.

Quod sane exigit ut ministri Domini ex hominibus assumpti et pro hominibus constituti in iis quae sunt ad Deum, ne conformes fiant huic saeculo, nam in mundo degentes de mundo eos esse non licet.

Hoc certum est: quo ardentiori caritatis studio sacerdotes non sua, sed animarum lucra quaerunt, mortificationem Christi circumferentes, eo uberiores fructus sanctitatis et iustitiae Ecclesia ex eorum ministerio in laetitia colliget.

Propterea quae ad sanctitatem assequendam sacerdoti praecipiuntur ut sit in medio populi Dei lucerna ardens et lucens, onera quidem sunt, attenta humana eius fragilitate, sed liberrime suscepta et necessaria ad sacra munera in Ecclesia fungenda et ad altiora progrediendum, ut pastorem decet de ovibus sollicitum.

Huius temporis societas miram contradictionem experiens inter scientiarum et technicarum artium progressus et spiritus egestatem, in summo discrimine versatur, cum monitum Christi oblita sit: « quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius ... ».

Quare ad dialogum cum hominibus prosequendum a Pontifice Paulo VI inchoatum, Concilium Oecumenicum moneat oportet Sacerdotes, eos cum omni fiducia Verbum Dei loqui non posse, neque ministros esse salutis, nisi a temporalium bonorum amore sint soluti, hilari libentique animo evangelica consilia amplectentes.

Haec igitur propono: 1) in textu schematis magis emineat nota iucunditatis ubi de consiliis evangelicis sermo fit.

2) Cum absque spiritu paupertatis divisiones ac dissentiones in societate componi nequeant, Sacerdotes evangelicae paupertatis magistri sint; ideo,

cum em.mo card. Florit proponere audeo ut in ritu Ordinationis addatur promissio de paupertate servanda.

3) Lex coelibatus clarius et firmius confirmetur iuxta emendationem quam propono et mittam secretariae.

57

Exc.mus P. D. GEORGIUS BERNARDUS FLAHIFF
Archiepiscopus Vinnipegensis

Aliqua verba facere intendo circa n. 12, ubi dicitur: « In Mysterio Sanctae Missae, in qua munus suum praecipuum sacerdotes exercent, cuius igitur celebratio cotidiana, etiam non praesente populo, enixe eis commendatur ».

Haec sententia non plene concordare videtur cum eis quae in constitutione *de S. Liturgia* docentur. Hic enim dicitur « celebrationem communem, in quantum fieri potest, praeferendam esse celebrationi ... singulari et quasi privatae » (n. 27). Hoc propositum « inculcari » debet, iuxta verba ipsius constitutionis. Etiam in encyclica « Mysterium Fidei », ubi Missas privatas non carpendas, sed probandas esse explicatur, dicitur tamen Missas privatas « iusta ex causa » celebrari posse.

Praesens textus in schemate decreti *de ministerio et vita presbyterorum* minime inculcat celebrationes communitarias praeferendas esse neque innuit celebrationem privatam approbari, dummodo exsistet « causa iusta ».

Iuxta doctrinam constitutionis *de S. Liturgia,* celebratio sanctae eucharistiae exprimit et aliis manifestat « mysterium Christi et genuinam naturam verae Ecclesiae » (n. 2). Per redemptionem Christi, quae in eucharistia celebratur, christiani in unum congregantur, una sancta fraternitas fiunt, et communione fruuntur cum Christo et cum fratribus suis. Iuxta verba ipsius constitutionis, celebratio eucharistica christianos « aedificat in templum sanctum in Domino, in habitaculum Dei in Spiritu » (n. 2).

Sancta eucharistia signum est unitatis eorum qui in Christo baptizati sunt. Celebratio Missae signum efficax est, quia non solum significat unitatem christianorum in Iesu, sed etiam efficit communionem seu koinoniam cum Iesu et ad invicem. Quapropter, secundum doctrinam S. Thomae, res sacramenti eucharistiae est unitas corporis Christi.

Ipsa natura synaxis eucharisticae, ergo, commendat communem celebrationem, etiamsi Missae privatae, suo modo, indolem socialem praebent.

In celebratione eucharistica christiani vere sanctificantur et in unum rediguntur. Hoc evenit per sacrificium et sacramentum. Si ergo Missa exclusive consideratur tamquam sacrificium, non sufficienter apparet Missam esse plenam celebrationem mysterii paschalis, quae sacrificium quidem amplectitur, sed id etiam transcendit. Sacrificium est pars vel aspectus celebrationis eucharisticae, qua redemptio nostra exercetur et christianis applicatur, familiam

Dei reconciliando et unificando. Eucharistiae celebratio inquantum sacrificium est, eundem habet effectum in Missis communitariis ac in Missis privatis; sed inquantum efficit communionem seu koinoniam cum Iesu et ad invicem, maiorem habet effectum in Missis communitariis ubi multi fiunt unum.

In nostra praesenti aetate, spiritualitas christiana plus quam antea insistit in eo quod fratres sumus per Christum in Spiritu. Ecclesia hodie imprimis intelligitur tamquam fraternitas. Magni momenti est, ergo, ut sacerdotes valde aestimant celebrationem communitariam, in qua Christus confirmat et renovat communionem fratrum, quae est Ecclesia.

Conclusio. Textus citatus ex n. 12 in schemate decreti *de ministerio et vita presbyterorum* emendandus est. Inculcetur sacerdotibus celebrationes communes praeferendas esse. Mentio fiat etiam illorum quae in constitutione *de S. Liturgia* de concelebratione dicuntur.

58

Exc.mus P. D. IOANNES FONDALINSKI

Episcopus tit. Doberitanus, aux. Lodzensis

Vere deploranda horum temporum conditione vocationem nonnullorum sacerdotum — praesertim curae animarum addictorum — in detrimentum adduci constat. Etsi seminariorum educatores atque professores nil intentatum relinquunt, dummodo vocationis igniculos foveant, nullum est dubium, quin aliqui etiam e melioribus a via recta vocationis aberrent vitamque laicalem amplectantur. Numerum talium sacerdotum, in variis nationibus diversum, tamen in Ecclesia haud spernendum esse nemini latet. Haud raro accidit, ut culpabili fragilitate humana, altaris ministri sacra castitatis vota coelibatusque contemnentes, vitam ad instar familiaris eligant et filiorum patres efficiantur. Cum probe sciant, talem vitam neque cum vocatione nec cum conditione sacerdotis conciliabilem esse atque ex altera parte se tum ab Ecclesiastica potestate tum a confratribus tum a christifidelibus quasi proscriptos sentiant, persaepe Dei viventis servi vocati hostes Ecclesiae eius fiunt. Obligationes ex iure naturali erga prolem semel contractae eos in rectam viam peccatum confitendo reverti vetant, quia tales obligationes non possunt irritae nec invalidae reddi nisi ius graviter vulnerando. Quod in anima talium sacerdotum, postquam resipuerint, permultos conflictus, ut dici solet, provocat et eos saepe in devia pugnantis atheismi ducit.

Experientia pastorali constat multos sacerdotes huiusmodi infirmitatis suae sincere poenitere, vitam intra Ecclesiam ducere ac sacramentorum (praesertim Eucharistiae, quam salutis pignus esse firmiter credunt) participes fieri enixe desiderantes. Cum Dominus noster Iesus Christus legem caritatis universalem promulgaverit pretioque sanguinis Suae eam confirmaverit, certissime tales fratres lapsos a salute sua non excludit, dicendo: « Sic non est voluntas ante Patrem vestrum qui in caelis est, ut pereat unus de pusillis

istis » scilicet de ovibus deperditis (*Mt* 18, 14) et iterum « Non veni vocare iustos sed peccatores ad poenitentiam » (*Lc.* 5, 32). Prima christianitatis saecula ne in fide quidem lapsos a communione christiana secludebant, cum poenituerant. Secundum vero consuetudines ac statuta in Ecclesia nunc vigentia, reditus ad Ecclesiae gratias hisce sacerdotibus etiam poenitentibus rarissime possibilis est. De munere sacerdotali iterum plene suscipiendo quaestio esse non potest impedientibus obligationibus contractis; neque disciplina ecclesiastica propter nimiam indulgentiam erga paucos in detrimentum vocanda videtur. Non raro damna ab iis sacerdotibus procul ab Ecclesia errantibus vel — proh dolor! — contra Ecclesiam agentibus vitae christianae illata longe maiora sunt, quando ii instrumenta in manibus Ecclesiae Dei hostium evadant.

Proinde procurandum videtur imprimis saluti animarum eorum hominum, ne fides eorum amplius periclitaretur neve vitae aeternae spe careant. Neque obliviscendum characterem sacerdotalem esse indelebilem et forte aliqua saltem possibilitas illis fratribus infelicibus dari potest quaedam secundaria munera ecclesiastica exercendi in locis, ubi periculum scandali abest. Quod certe non in omnibus casibus possibile erit; tamen vitae aeternae omnium animarum ab Ecclesia deviarum quamprimum remedium praebendum, secundum dictum S. Pauli: « Caritas Christi urget nos » (*2 Cor.* 5, 14).

59

Exc.mus P. D. MARIUS FRANCISCUS FORST
Episcopus Dodgepolitanus

Priestly life and ministry. Schema placet.

I. Yet it could be improved if card. Döpfner's recommendation on Oct. 15, 1965 that the style and composition of the text be shortened, modernized and made more timely in its practical applications.

II. Archbishop Nabaa's (Beirut, Libanon) remarks concerning the salary of priests were important, although I believe the wage-scale for priests should be set by episcopal conferences.

Furthermore, a priest's wages should not include stole fees, Mass stipends or other extraordinary means of supplementing his income. If stole fees and Mass stipends cannot yet be abolished, they should be kept only as part of a parish's revenue.

The priest's salary should be realistically based on his needs: room and board, clothing, books, etc. automobile, insurance, recreation and vacation. A priest should be obliged to beg for others —but not for himself—. His income should come from the offerings of the faithful, and not from his family or from the government.

Conclusion. Such a salary policy should have a healthy effect on a priest's spiritual life, and improve the liveliness of his zeal, the practice of virtue, and for some become even a help toward observing celibacy. Degrading, even embarrassing poverty, is not a breeding ground for the pratice of virtue, for anyone.

60

Exc.mus P. D. IOSEPH ALOISIUS IOANNES M. FORTIER
Episcopus Gaspesiensis

Schema *de ministerio et vita presbyterorum* a presbyteris exspectatur. Quam exspectationem decipere nobis non licet. Timendum est novus textus, quamquam emendatus, hanc exspectationem decipiat. Mihi interest duo praesertim momenta hic explanare: In prima parte, fundamentum theologicum quoad sacerdotium; in secunda parte, in lucem ducere tria elementa constitutiva presbyteratus.

I - Prima pars: *Fundamentum theologicum sacerdotii.* Unum est sacerdotium in Ecclesia, scil. sacerdotium Christi, missi a Patre ut, per suum mysterium Paschale, communionem totius humanitatis cum Patre in Spiritu restituat.

Unde sequitur quod tota Ecclesia, quae dicenda est mitti a Christo sicut Ipse mittitur a Patre, missioni Christi participat, missioni scil. propheticae, sacerdotali et regali.

Attamen sacerdotes (episcopi et presbyteri — subordinato tamen gradu —) peculiari modo huic missioni Christi participiat. Per sacramentum ordinis, non tantum episcopi, verum etiam presbyteri in Ordine suo, participes fiunt, auctoritatis qua Christus Ipse, in quantum Caput, Corpus suum exstruit, sanctificat et regit, ideoque Christi Capitis sacramenta dici possunt. Propterea per presbyterum et actiones eius formaliter sacerdotales unica Christi actio sacerdotalis efficaciter significatur.

Ex his praemissis, duas notationes quoad textum indicare oportet.

a) In textu, quando agitur de natura presbyteratus, illa nimis describitur in terminis « imitationis Christi », « unionis cum Christo » et non satis in quantum est sacramentum Christi Capitis.

b) Dependentia communionis presbyterorum erga episcopos mihi videtur opportune memorata, sed nimis frequenter repetita (pag. 12, n. 1, linn. 17-18; pag. 12, n. 1, linn. 23-24; pag. 14, n. 2, lin. 31; pag. 17, n. 4, lin. 7; pag. 21, n. 6, lin. 12; pag. 22, n. 6, linn. 14 et 16). Melius esset communem dependentiam alterutrum erga sacerdotium Christi exprimere. Sic relationes mutuae episcoporum et presbyterorum ad eumdem sacerdotium implendum melius in luce ponerentur. Denique tandem, textus non videtur sat cum spiritu maturitatis ac virilitatis naturam presbyterii in communione cum episcopo delineare.

II - Secunda pars: *Elementa constitutiva presbyteratus.* Missio Christi Magistri, Pontificis et Regis in historia salutis usque ad novissima per officium presbyteratus perdurat. Quoad haec tria officia hae sunt animadversiones quae, in mea humili opinione, notandae sunt:

1. Constitutio *de Sacra Liturgia* monstravit quod Verbum Dei populum coalescit ut audiat vocem eius et de ea reapse vivat. Hoc in textu videtur potius Verbum Dei Eucharistiae celebrationi iuxtaponere. Mutuam dependentiam et progressum alterutrum melius valeret exponere. Immo fortius posset dici quod de Verbo Dei ad Eucharistiam unum et idem mysterium exprimitur.

2. Textus noster videtur munus Verbi officio docendi nimis reducere; in memoriam revocandum est quod munus Verbi non solum per homiliam sed etiam per Eucharistiam aliaque sacramenta fidei viventi nutrimentum augmentumque affert.

3. Munus Verbi theologia magis elaborata deberet elucidare indolem missionariam presbyteratus cuius missio consistit ad proclamandum Evangelium Christi omnibus gentibus sive credulis sive incredulis. Ad hoc munus implendum mediis technicis modernae communicationis uti importet.

4. Paragrapho 3, indoles Eucharistiae dynamica non sufficienter apparet. Eucharistia enim est sacramentum unitatis ac caritatis cum omnibus effectibus socialibus et apostolicis quorum est fons et qui solummodo efficacitatem eius et confirmant et manifestant.

5. Optandum est quod nexus inter Eucharistiam et alia sacramenta necnon Officium divinum melius exprimetur. Deberet fortiter affirmari munus eucharisticum Officii divini quod ad Eucharistiae celebrationem ducit et eius actionem continuat. Alia ad vitam spiritualem consilia spectantia remittenda sunt ad secundam partem schematis.

6. In paragrapho 4, munus pastorale presbyteri describitur. Illud officium in servitium totius mundi et specialiter Ecclesiae, cuius plebs est sancta et regalis, adimpleatur. Ideoque nunquam obliviscatur illud ministerium in primis consistere in eo quod proclamant mundo et Ecclesiae Dominium Christi et ambos illos gradatim introducent in Regnum usque ad adventum eius.

Concludo. His elementis positis et attente scrutatis, facilius esset ex una parte fundamenta theologica sacerdotii exprimere; ex altera parte paragraphos circa relationes inter presbyteros et episcopos, inter presbyteros et laicos modo magis idoneo conficere.

61

EXC.MUS P. D. BRUNO FRATTEGIANI

Archiepiscopus Camerinensis

Ne optimum schema nostrum eaque praesertim quae Verbo Dei sanaque doctrina suffulti dicimus de valore castitatis sacerdotalis, in quo quam deficiant, oportet ut condicionem non ignoremus aliquorum presbyterorum qui in hac materia defecerunt nec tamen gravia scandala admiserunt, vel etsi admiserunt, resurgere et reparare non sine difficultate conantur. Etiam ipsos Concilium paterna caritate complecti debet eosque peculiariter hortari ne amittant fiduciam (quam veluti incarnatam in Virgine Maria Matre et Fiducia nostra considerare semper velint, immo tunc magis cum miseriores se sentiunt) neve gurgite absorbeantur tristitiae (cf. S. Bernardum), sed considerent quantum gaudium Ecclesiae Matri suae ipsorum defectivo reditu (quamvis in secreto) sint praestituri et omni quo fas est conatu gratiae divinae se commendent suum quisque locum in ministerio — episcopo adiuvante — capessentes strenue in Domino.

62

EXC.MUS P. D. VICTORIUS GARAYGORDOBIL

Episcopus tit. Pudentianensis, prael. null. Fluminum

Es cosa por demás extraña que la Comisión haya cambiado tanto su criterio acerca del Presbyterium en tan poco tiempo.

En el texto emendado, en el número 7, se decía: « Ut vero hoc, aptiore quam nunc viget modo, ad praxim deducatur, *instituendus est,* forma a iure determinanda, coetus dioecesanus constans selectis presbyteris totum presbyterium repraesentantibus, quem episcopus semper audiat in rebus maioris momenti pro regimine dioeceseos ».

En el número 6 del texto reconocido se dice: « Ut vero id ad effectum deducatur, habeatur, aptiore quam nunc viget modo, forma ac normis a iure determinandis, coetus presbyterorum, presbyterium repraesentantium, qui episcopum in regimine dioeceseos efficaciter adiuvare possit ».

Y resulta todavía más extraño que semejantes modificaciones, que debilitan totalmente la consistencia y la misión del Presbyterium en la Diócesis, se hayan introducido a petición de « unius Patris », como se dice expresamente en la nota correspondiente.

Si se quiere organizar de veras un Presbyterium en la linea de los textos conciliares y de acuerdo con las necesidades y exigencias de los tiempos, debe contar indispensablemente con estas tres condiciones:

1. *Debe ser una Institución nueva, y no un reajuste o adaptación de los Cabildos existentes.*

Muchos Cabildos, allí donde todavía existen, tienen su historia y su consistencia, su manera de ser y de hacer, que no será fácil y, a veces, ni posible cambiar a corto plazo. Aunque el Obispo quiera sinceramente, se encontrará con resistencias que no podrá superar, y se granjeará enemistades que le amargarán la vida y mediatizarán su ministerio pastoral.

Más aún, aunque los mismos canónigos quisieran, con frequencia muchos de ellos, por su avanzada edad o por su manera de ser y de pensar, no están en condiciones de comprender y vivir los problemas y planteamientos de hoy. Son, sin duda, sacerdotes beneméritos, pero pertencen a generaciones pasadas.

Por eso, si no se quiere mal gastar inútilmente un tiempo precioso con risultados más que dudosos, se debe tender a la constitución de una nueva institución, que esté de acuerdo con la doctrina conciliare, responda a las necesidades y exigencias de hoy, y pueda organizarse a la mayor brevedad posible.

Por otra parte, en las Diócesis donde existan Canongías rentatadas, vendrían muy bien esas rentas para el sostenimiento de sacerdotes liberados que se necesitan para atender a los diversos movimientos y obras de carácter diocesano.

2. *Debe constar de miembros capaces y aptos que, en buena parte al menos, sean escogidos directamente por los mismos sacerdotes.*

Estos dos puntos son de una importancia capital. Si los Presbyteros con el Obispo forman un solo Presbyterium, como dice el esquema *de Ecclesia,* es obvio y natural que los miembros del Presbyterium compartan « in solidum » con el Obispo su misión y responsabilidad al frente de la Diócesis en la triple proyección de enseñar, santificar y gobernar. Así lo atestigua la Tradición desde los mismos tiempos apostólicos.

Por otra parte, los gobiernos unipersonales no están de acuerdo con las exigencias de la sociedad pluralista de hoy. Y el hecho de que la Iglesia sea, por institución divina, jerárquica, no impide que, en lo posible, se adapte a las exigencias de cada tiempo. Para mayor garantía y efectividad, se debe extructurar, también en las diócesis, un sistema de administración y gobierno de iniciativas y responsabilidades compartidas.

Si los miembros del Presbyterium, en su totalidad, son designados por el Obispo, y tan solo simbólicamente son representativos de los sacerdotes, se corre el riesgo de que el Obispo se vea rodeado de un grupo de personas adictas e incondiciones, pero ineficaces y hasta peligrosas, porque podrían envolverle en una cortina de incienso y hacerle pasar toda su vida contemplando panoramas artificiales, que no responden a las realidades de la Diócesis.

Por fín, si los miembros del Presbyterium viven ajenos a los problemas parroquiales, zonales y diocesanos, mal podrán aconsejar acertadamente al Obispo, y menos intervenir, con prontitud y eficacia, en la elaboración de planes y proyectos, o en la solución de problemas.

Si el Obispo quiere contar de veras con la colaboración y respaldo de todos sus sacerdotes, no encontrará mejor medio que el rodearse de un

grupo de consejeros y colaboradores escogidos, en gran parte, por los mismos sacerdotes. La constitución del Sínodo de los Obispos, recientemente anunciado por el Santo Padre, debe ser el modelo para la constitución de los Presbyteria en todas las Diócesis.

3. *Debe tener ingerencia directa en los asuntos más importantes de la Diócesis.*

No se puede prescindir, en los movimientos y obras diocesanos, de un minimum de garantía en orden a su eficacia y continuidad. No conviene vivir en demasía de sobrenaturalismos utópicos. La triste historia de muchas Diócesis clama contra esa clase de sobrenaturalismos.

Muchos movimientos y obras diocesanos nacen muertos o viven una vida lánguida porque se proyectaron en el despacho solitario del Obispo, de espaldas a los sacerdotes y sin tener apenas en cuenta las circunstancias concretas de la Diócesis.

Otros quedan truncados y a medio hacer porque también a los Obispos nos gusta, con demasiada frecuencia, realizar *nuestras* obras, o cuando menos, a *nuestra* manera, dejando inconclusas las que, con todo entusiasmo, empezaron nuestros predecesores.

Hay no pocos problemas que se resuelven tarde y mal, porque el Obispo, o demasiado confiado en sus criterios personales o demasiado entregado a grupitos que le rodean, carece de visión y de datos para su pronta y acertada solución.

En vista de todo ello, propongo encarecidamente que, en relación con el Presbyterium, se establezcan en el esquema clarísimamente estos tres puntos:

1. Que en el número 6, en vez de « habeatur », se diga « instituendus est », como se decía en el texto enmendado.

2. Que se acentúe lo más posible que el Presbyterium sea representativo de todos los sacerdotes, pero no solo simbólicamente, sino en realidad de verdad.

3. Que en el mismo número 6 en lugar de: « qui episcopum in regimine dioeceseos efficaciter adiuvare possit », se diga, come en el texto enmendado: « quem episcopus *semper audiat* in rebus maioris momenti pro regimine dioeceseos ».

63

Exc.mus P. D. RAPHAEL GARCIA Y GARCIA DE CASTRO
Archiepiscopus Granatensis

Schema in genere mihi bene placet. Speciali autem modo placent mihi in illo momentum vitae spirituali presbyterorum tributum et iterata mentio devotionis erga Sanctissimam Eucharistiam (n. 14, pag. 37, linn. 14 s. et n. 15, pag. 39, linn. 16 s.). Omnino gaudeo de eo quod mentio cultus Sanctissimae Eucharistiae, in numero 16 textus emendati omissa, sit in textum recognitum

(n. 15 olim 16) iterum introducta (Relatio de n. 15, littera D, pag. 60). Velim tamen has mentiones devotionis eucharisticae clariores fieri, ita ut sint verae responsiones ad quaedam problemata hodierna vitae spiritualis presbyterorum et exhortationes, quae presbyteris indicent quaenam sit via illis sequenda.

Diversi motus, qui in Ecclesia, gratia Spiritus Sancti agente, surgunt, non sese excludere debent, sed in superiorem unitatem integrari. Non videtur prudens modus procedendi ille, a quibusdam adhibitus, qui illos diversos motus inter se oppositos considerat ac distinctionem instituit inter motus Concilio praecedentes (verbi gratia, motus marianus, motus eucharisticus) et motus hodiernos (verbi gratia, motus liturgicus, motus biblicus). In nostra materia duo motus in concreto veniunt considerandi: motus eucharisticus et motus liturgicus. Primus magis prae oculis habebat praesentiam realem, ipsum Christum in Eucharistia praesentem, quem fidelis in tabernaculo adorabat et cum quo per communionem eucharisticam intendebat coniungi. Secundus de facto ideam sacrificii eucharistici maxime extollit. Primus prae oculis imprimis habebat Eucharistiam ut sacramentum permanens. Secundus fere exclusive actionem liturgicam considerat.

Fateamur utramque visionem mysterii eucharistici incompletam esse, utramque simul sumptam considerationem Eucharistiae offerre pleniorem. In his tamen rebus semper periculum est, ne postremus motus praecedentem tamquam superatum consideret atque sic ad illum excludendum perveniat. Liturgismus potest tendere in considerationem exclusivam actionis liturgicae. Ne obiiciatur praecedentem modum considerandi mysterium eucharisticum, quatenus parum actionem liturgicam respiciebat, etiam incompletum fuisse. Recipiat ergo ille modus considerandi, pleniores divitias et complementum a motu liturgico. Sed ne, illo priore motu excluso, incompletam visionem per motum liturgicum amplectamur.

Haec omnia expono bene conscius de eo quod mea verba non tangunt quaestionem mere theoreticam, sed vere realem. Omnes norunt, exempli gratia, quas difficultates motus liturgicus experiatur relate ad ipsum tabernaculum: nova altaria et ecclesiae noviter structurae laborant cum problemate collocationis tabernaculi. Saepe videtur ac si illi moderni artifices nescirent quid cum tabernaculo agere possint vel debeant. Haec omnia utique procedunt ex desiderio extollendi altare, sacrificium, mensam Domini. Sed fortasse aliter quaestio proponeretur, si in animis illorum artificum eadem cura haberetur de extollendo Christo in medio discipulorum suorum etiam nunc realiter degente. Necessitas urget inveniendi solutiones aequilibrii, quae utrumque aspectum simul considerent.

Haec necessitas eo maior est, quando simul cum his difficultatibus tendentiae periculosae aliquoties miscentur: ipse Summus Pontifex Paulus Papa VI in recenti Congressu Eucharistico Nationali Italiae eas denuntiabat: « Dicimus pariter hoc — aiebat Summus Pontifex — ut dissipemus quaedam dubia his ultimis annis exorta, quae doctrinae traditionali et auctorita-

tivae Ecclesiae in re tanti momenti interpretationes evasivas dare conatur. Dicimus tandem hoc ut vos omnes, homines nostri temporis, invitemus ad attentionem dirigendam erga hanc antiquam et semper novam praedicationem, quam Ecclesia adhuc repetit: Christus est realiter praesens, vivus et occultus in signo sacramentali, quod nobis Illum offert ». Easdem prorsus praeoccupationes ipse Summus Pontifex exprimit in recentissimis litteris Enc. *Mysterium fidei.*

Propter has ergo rationes et ut pietas sacerdotalis eucharistica non ad solum cultum liturgicum eucharisticum reducatur, sed etiam traditionalem adorationem Christi praesentis atque intimitatem cum Illo comprehendat, propono ut loco verborum, quae in n. 15 habentur, « cultum Sanctissimae Eucharistiae », dicatur: « cultum erga Christum in Sanctissima Eucharistia permanenter praesentem ».

64

Exc.mus P. D. MATTHAEUS GARKOVIĆ
Archiepiscopus Jadrensis

Cum mihi ansa loquendi in aula conciliari non est data, hoc modo animadversiones ad schema *de ministerio et vita sacerdotali* scriptotenus facio.

In schemate *de pastorali munere episcoporum* dicitur quod sacerdotes dioecesani unam familiam cum episcopo ut patre constituant. Et quod sacerdotibus ob senectutem vel aliam iustam causam a munere pastorali desistentibus congrua sustentatio provideatur. In ultimo schemate discusso *de ministerio et vita presbyterorum* sub n. 18, ultimo sed non negligendo, de praevidentia sociali presbyterorum legitur, de massa bonorum communi constituenda et de aliqua associatione in favorem presbyterorum instituenda.

Ergo sermo est de subsidiis materialibus presbyterorum. Magnae et divites dioeceses iam bene provisae sunt. Item instituta et ordines religiosorum. Sed quid dicendum de pauperibus et parvis dioecesibus? Uniantur parvae. Necessitas maior fit. Initia Ecclesiae nobis exempla praebent quomodo in hac re agendum sit. Bona ecclesiae dividebantur in tres partes, ad quas respicit noster n. 17, cultus, clerus, pauperes.

Divitiae sunt quidem irritamenta malorum. Sensum ergo socialem habeant. Ecclesia est una, dioeceses sunt diversae sorores, quae solidarie ad invicem adiuvant et adiuvantur. « Fili, pauperem vitam ducimus » dicit generosus Tobias filio suo. Christus, caput noster, pauper factus est pro nobis membris suis. Ergo nec viri de clero divitiis inhient. Sed dignus est operarius mercede sua. Et si illam non habet, aliunde illi provideatur. Sermo montanus Christi sensu obvio sumendus est: ne simus nimis solliciti de cibu, potu et vestimentis. Sed si quis istis indiget, ex iustitia non tantum ex caritate ipsi ea debentur. Heroicas virtutes a nostro clero curato non debemus exigere. Alioquin queritur quod non tantum aequalibus in societate civili sed etiam

inferioribus postpositus sit. Ubi tunc alacer labor in salute animarum procuranda?

Haec est causa non postrema defectus vocationum; nec ipsi pauperes fideles pauperem parochum magni aestimant. Coniuncti eum evitant; nec personas famulatus invenire potest, quia impar est pacta et assicurationes solvere, cum nec sibi providere potest.

Et tamen decenter vivere et operari debet. Ergo episcopus hos filios indigentes in albo habeat. Sunt dioeceses, difficile creditur, ubi maior pars cleri dioecesani ex solis intentionibus missarum victum et indumenta procurat, ubi parvae paroeciae et ipsi fideles pauperes sunt. Ideo proventus stolae tam exigui sunt. Utinam clerus sanus semper sit! Sed si diuturna sit infirmitas et enormes sumptus in valetudinario, quid tunc?

Invalidus quisque potest fieri et senectus ipsa morbus est. Provideat Ordinarius specialem domum pro clero dioecesano, pro his qui vires suas Deo et animabus consecraverunt, ubi communem vitam degant. Religiosae famulatum praestent. Expensa Ordinarius pro illis, qui nec celebrare possunt, sustineat. Funebra quoque hi veterani decentia habeant. Extraordinarie providebit Ordinarius alicui sorori (vel matri) defuncti quae totam vitam fratri affectuose impendit.

Apud Deum et homines digna et iusta est cura sacerdotum aegrotorum, invalidorum, senum.

65

Exc.mus P. D. IOANNES COLBURN GARNER
Archiepiscopus Praetoriensis

Brevis haec interventio respicit cap. I, par. 6, linn. 12-23. Velitis videre pag. 22. Humiliter proponerem ut, post verba « generoso animo adimpleant » (lin. 18), inserantur haec verba: « Talis etenim sacerdotalis caritas intime participat caritatem apostolicam episcopalem, viamque tutam ad perfectionem sanctitatis ipsius presbyteri pandit »; ita ut legatur: « Presbyteri autem, ante oculos habentes plenitudinem sacramenti Ordinis qua Episcopi gaudent, in ipsis revereantur auctoritatem Christi supremi pastoris. Suo igitur Episcopo sincera caritate et oboedientia adhaereant, nec tantum quae praecipiuntur, sed etiam quae commendantur, generoso animo adimpleant. Talis etenim sacerdotalis caritas intime participat caritatem apostolicam episcopalem, viamque tutam ad perfectionem ipsius presbyteri pandit. Sacerdotalis oboedientia autem speciali ratione fundatur in ipsa participatione ministerii episcopalis, quae presbyteris per sacramentum Ordinis et missionem canonicam confertur ». Et *rationes* sunt sequentes:

1. Schema decreti nimis videtur insistere in notione auctoritatis episcopi erga presbyteros; nonne esset melius magis magisque ostendere caritatem cooperationis inter episcopum et presbyteros? Schema saepe premit conceptum subordinationis presbyteri (pag. 12, lin. 17), dependentiae ab episcopo

(lin. 23), moderationis activitatum presbyterorum (pag. 14, lin. 31), permissionis episcopi ad activitates requisitae. Verum est quod schema una vice vocat presbyteros amicos, adiutores et consiliarios episcopi (in par. 6, ubi de habitudine inter episcopos et presbyterium). Generatim autem schema hoc videtur innuere habitudinem inter episcopum et presbyteros esse relationem inter superiorem et inferiores, vel inter patronum et domesticos. Valde optandum est ut schema ostendat relationem inter episcopum et presbyteros esse caritatem apostolicam. Relatio inter Episcopum et Sacerdotes est amor fratrum, inter quos Episcopus est Frater Maior. Immo, non videtur aptum loqui (ut in par. 6, lin. 31) de Episcopo et presbyteros suos, sensu quasi possessivo.

2. His diebus parum legitur vel auditur de statu perfectionis adquisitae Episcopi; et forsitan melius est raro loqui de statibus perfectionis, saepius autem de perfectione virtutis, de sanctitate re et veritate. Sed, si revera existit status perfectionis adquisitae Episcopi, nihil aliud est quam status caritatis apostolicae, cura diuturna et indefessa gregis dominici. Et, etiamsi dici non potest sacerdotem esse in statu perfectionis adquisitae, intime tamen associatur cum episcopo in caritate apostolica, intime coniungitur in realitate caritatis apostoli et pastoris, qua et episcopus et presbyter simul vitam eorum integram erga unum eumdemque gregem Domini devovent. Certum est omnem presbyterum, sicut et omnem episcopum, perfectionem suam invenire in ista caritate apostolica, in qua omnia et propter quam omnia pro oves et agnos sibi commissos operatur.

3. Schema hoc (in par. 11, lin. 16) recte admonet presbyterum quod per ipsas cotidianas sacras actiones, quas exercet, sicut et per integrum suum ministerium, ipse ad vitae perfectionem ordinatur. Et alibi (in par. 12, lin. 21) quod « ipsum exercitium munerum ... stimulat sanctitatem vitae, ideoque potens est presbyteros efformare ad sanctitatem ». Verum est, si actiones cotidianas et munera sacerdotalia in caritate peraguntur. De hoc nos admonet S. Paulus in capitulo isto celeberrimo de caritate, decimo tertio in epistula I ad Corinthios. Exercitium munerum sacrorum, actiones nostrae cotidianae, etiam obiective optimae, nihil nobis prosunt nisi factae sint in caritate. Anima apostolatus, ut nos optime admonet auctor libri aurei eiusdem nominis « The Soul of the Apostolate », est spiritus orationis; unio animae ipsius apostoli, episcopi vel presbyteri, cum Iesu Christo, Magistro Apostolorum, in caritate perfecta.

S. Bernardus, scribens ad filium suum spiritualem Papam Eugenium, eum graviter admonet contra activitates externas perniciosas, actiones inquit quae non sunt in lucrum animae sed in detrimentum; actiones quae animam non ditant, sed in paupertatem redigant. Et quare sunt condemnandae actiones istae materialiter optimae? Quia spiritum orationis carent; vel peius, quia spiritum orationis suffocant. Actiones nostrae materiales animam habent caritatem; nimis facile occiditur caritas inadvertentia vel negligentia; et nimis facile activitas nostra eius absentia sterilis et infructuosa redditur. Haec

omnia sunt forsitan obiter dicta in variis locis schematis; dici autem debent sine ambiguitate in cap. II, ubi de presbyterorum vita; quia, ut bene scimus omnes, presbyteros argumentosos (activissimos, sit venia verbo), et, ut minus sapiens dicam, episcopos, proh dolor, non semper inter sanctiores habentur.

66

Exc.mus P. D. GABRIEL GARRONE

Archiepiscopus Tolosanus

Quamvis textus novus priori textui multum praevalere constet, aliqui tamen defectus non parvi momenti in eo subsistere videntur. Quaestio enim de vita sacerdotali, ut ex discussionibus satis patuit, examinari non potest quin ad difficultates advertatur quas hodie passim patiuntur sacerdotes, difficultates veras quidem nimis et graves.

Ideo schema perfectum de vita sacerdotali illud esset quod fortiter, plena fide erga virtutem sacerdotii, firmiter denuo nuper definiti doctrinam conciliarem de sacerdotio presbyterali applicare studuerit realitatibus mundi hodierni, lucide aspectis, quibus involvimur et involvuntur sacerdotes: tunc tantum ad hanc necessariam et veram spem pervenietur quam legitime exspectare licet.

Quid de nostro schemate quoad hunc scopum?

Vix hunc attingere dici potest: conclusio enim schematis non ultra verba consolationis procedit, quae nec exspectationi nec necessitati paria esse videntur.

Liceat quasdam animadversiones addere, forsan non inutiles ad emendandum schema aliunde laudibus dignum.

Quod ad thema dogmaticum de sacerdotio. Si priori textu praesens comparatur, progressum essentialem factum esse patet: melius enim in praesenti textu stabiliuntur fundamenta dogmatica, et insuper — quod novum est — ista fundamenta non iam ut adhuc invenienda respiciuntur, ac si iam non exsisterent, sed ut solida et nova ex ipsa constitutione *de Ecclesia* hauriuntur, in qua iam profunde de sacerdotibus tractatum est, quidquid leviter et imprudenter, occasione praecedentis sessionis, ex materialibus apparentiis, dictum fuerit et diffusum.

Ab hac dependentia essentialem vim suam schema nostrum ducit. Attamen quaedam ab isto fonte, non sine periculo aliquantulum seiunguntur, ut v. g. quaestio de presbyteratu.

Etenim per constitutionem *de Ecclesia* modus communis sentiendi de sacerdotio presbyterali renovatus est, et in hoc praesertim quod sacerdotium presbyterale sacerdotii episcopalis veluti extensio ostensum est. Nequit igitur admitti aliquis « ordo sacerdotalis » quod esset aliquod totum organicum aliquo modo ab episcopo distinctum et aliquo modo extra eum et coram eo « organizabile ». Quae tamen conceptio rerum hodie multis discussionibus

vel dialogis subiacens invenitur et saepe toleratur, non sine gravi periculo quoad ipsius dioecesis sensum, vitam et etiam structuram. Hoc autem periculum schema nostrum non sufficienter praevenire videtur, ubi de presbyteratu loquitur qui extra episcopum iam non est, cum quo communionem intimam et essentialem constituit, in ordine ad Regnum Dei.

Praeterea, textus constitutionis *de Ecclesia* sacerdotem fortiter extrahebat ab ista ut ita dicam « solitudine theologica », qua sacerdos in libris theologicis usualibus extra episcopum considerabatur « sine patre et matre, sine genealogia » ut Melchisedech: timendum est ne, loquens de presbyteratu schema nostrum hanc solitudinem firmet eo ipso momento quo istam ut maximam difficultatem et dolorum fontem solvere intendit.

Quod ad condicionum rerum praesentem paucissima dicam. Nullibi enim hanc condicionem clare definitam in schemate nostro invenimus; quod maxime dolendum est. Intemporale remanet. E. g. textus noster ignorare videtur quantopere hodie problema vocationum stricte ab intentione missionaria et universali pendeat, quae tam expresse ab Ecclesia requiritur in mundo hodierno; quamdiu autem intra fines angustos alicuius dioecesis anachronice problema vocationum continetur, solutio inveniri non poterit.

Tandem, videtur schema nostrum, quoad activitatem instituendam, deficiens. Ad determinationes enim particulares et concretas descendit quae ad commissionem de codice pertinerent vel ad organa directiva post-conciliaria. E contra, omnino deficit in enuntiandis, ad usum organorum post-conciliarium, his principiis imperativis quae ipsis lex fierent ad formationem et reeducationem permanentem sacerdotum. Et hic denuo invenitur etiam quod iam denuntiatum est damnum oriens ex disiunctione inter id quod respicit vitam presbyterorum et id quod respicit eorum formationem.

Tandem aliquando in schema locus invenietur ad meditationem valde aptam. Utrum autem invenietur, quod apprime urget, lex agendi? De hoc dubitare fateor.

Concluditur. Textus igitur veri valoris est, sed videtur mihi secundum quod dictum est, denuo examinandus, ordinandus, abbreviandus et firmandus.

67

Exc.mus P. D. SAMUEL LUDOVICUS GAUMAIN
Episcopus Monduensis

1. Auditis de hoc schemate relationibus em. card. Léger, Döpfner et Suenens quibus plene assentio fere nihil mihi restat dicendum, quia ipsi optime denuntiaverunt fundamentalia vitia nostri schematis.

2. Propter haec vitia et propter alios defectus quos indicare vellem, mihi et plurimis sacerdotibus schema videtur in sua actuali praesentatione esse inacceptabile: in plurimis enim locis sapit « episcopalismum », non vitat

abundantiam exhortationum et stylum « moralizantem » et timeo ne occludat mentes et corda sacerdotum ad verba nostra cum gaudio et fructu accipienda.

En quaedam exempla de mea propositione:

N. 1, pag. 12, lin. 17: « subordinato tamen gradu ».

Id., lin. 22: « quamvis Pontificatus apicem non habeant ».

N. 3, pag. 15, lin. 34: « Presbyteri ab auctoritate episcopi diversis rationibus pendent eumque in singulis localibus fidelium congregationibus quodammodo praesentem reddunt ».

N. 6, pag. 21, lin. 33: « Episcopi presbyteros suos ut amicos considerent ». Cur non dicitur simpliciter: ut fratres?

Id., lin. 38: « Pretiosam constituunt spiritualem coronam episcoporum »: Nonne hic modus dicendi est aliquantenus desuetus?

Aliquae observationes videntur « pueriles »: vide n. 10, pag. 30, linn. 12 s.: « Haec tamen vox nequaquam ita exspectanda est ut modo quodam extraordinario ad aures futuri presbyteri habitualiter perveniat ... ».

3. Insuper omnia vel fere omnia quae in secunda parte schematis dicuntur non tantum presbyteris sed et episcopis conveniunt. Quod expresse dicatur. Si enim episcopi et presbyteri non sunt nisi una familia et vere fratres ad eamdem missionem implendam vocati, nonne convenit ut omnes simul instituant reflexionem de suo ministerio fraterne exercendo et de vita Christi Summi Sacerdotis et apostoli imitanda.

4. Circa n. 10 « Presbyterorum cura de vocationibus sacerdotalibus » clare dicatur quod prima conditio ut desiderium sacerdotii accendatur in hominibus est ipsa vita sacerdotis vitae Christi conformis.

5. Circa n. 16, multa essent dicenda de systemate stipendiorum missarum. Sed, quamvis multi sacerdotes desiderent ut aliud systema inveniatur, haec gravissima quaestio non est publice tractanda. Anno elapso quasdam observationes de hoc capite tradidi secretariae Concilii.

6. Quasdam observationes a sacerdotibus Galliae factas secretariae tradam: mihi enim videntur esse magni momenti et seriose ponderandae ad efficiendum schema a fratribus nostris sacerdotibus tandem acceptabile.

68

Exc.mus P. D. XAVERIUS GEERAERTS
Episcopus tit. Laganitanus

Cum anno elapso de schemate propositionum disceptaretur, desideraverunt nonnulli patres ampliorem tractationem coelibatus. Quae nunc de hac re schema praebet valde placent.

Quae pag. 36 referuntur praeclaram summam exhibent spiritualitatis quam vocant coelibatus sacerdotalis. Bene ibi ostenditur praxim coelibatus non fundari rationibus negativis, e perspectiva velut manicheistica naturae

humanae desumptis, sed valorem eminenter positivum habere. Addi possit ut elementum magni momenti convenientia coelibatus in eo qui eucharisticum sacrificium offert, ut imitetur quod tractat. Nam sicut Christus « se totum Patri obtulit, ita ut nihil in eo remaneret quin totum in sacrificium divinae placationis transiret » (Im. Chr. Lib. IV, cap. I) ita convenit ut etiam sacerdos quasi « proprio sanguine introeat in sancta » (*Hebr.* 11, 12) i. e. tendentiae cuidam prorsus normali renuntiet ut Deo totum se voveat.

Placet etiam, pag. 37 lin. 20, facta mentio de conversatione cum confratribus, de qua tota par. 7 bene agit sub titulo « de fraterna coniunctione ». Etenim, etsi amori sexuali presbyter renuntiat, affectum tamen in se extinguere non potest. De ipso sicut de quovis homine valet illud « vae soli! », ideoque indiget sana amicitia.

Haec omnia ut patet, non possunt inde a die ordinationis velut improvisari. Optime tamen providetur in schemate nostrae suffragationi proposito *de institutione sacerdotali,* nempe sub n. 3, ubi exigitur ut educatio in seminariis minoribus legibus sanae psychologiae regatur, sub n. 10, quae de positiva educatione ad castitatem optimas normas edicit, ita ut coelibatus non quasi mera conditio habeatur, sed ut verus valor religiosus et humanus in tota vita integretur, et denique sub n. 21, qui edicit multiforma exercitia praxis pastoralis, in humanitate scilicet sicuti est, nempe quae pro bene dimidia parte puellis et mulieribus constat, quibuscum futurus sacerdos modo normali agere discat.

Haec sapienter edicta, ut speramus, iuvabunt ut etiam in posterum coelibatus presbyterorum, ut sanctae memoriae Papa Ioannes XXIII dixit, gloriam Ecclesiae constituat.

Ut autem haec gloria plene fulgeat, ut coelibatus plenum valorem testimonii servet, oportet prorsus libere, id est per totam vitam spontanee et libenter suscipiatur. Numquam ut onus quoddam imponatur alicui qui eius servandi impar evasit.

Atqui hoc non tam raro evenit. Inter eos qui sacerdotium reliquerunt, longe maior pars non ob defectum fidei vel oboedientiae, sed propter difficultates de coelibatu defecerunt.

Quis est eorum numerus? Statisticae non prostant, sed certe plura milia erunt.

Plerumque uxorem et filios habent. Excommunicatione tamen plectuntur donec resipiscant. Sed, dato non concesso quod psychologice capaces sint, habentne in conscientia ius familiam derelinquendi? Interim tamen arcentur a matrimonio, in quibusdam nationibus etiam a matrimonio civili, et a nonnullis aliis iuribus civilibus, sicut facultate docendi in scholis et his similibus. Nonne sic etiam innocentes puniuntur, nempe eorum liberi? Quod Mater Ecclesia se tam severam, immo duram exhibet, crescens in dies numerus optimorum catholicorum, inclusis permultis sacerdotibus, non iam intelligit.

Sane imprudentias, immo veras culpas commiserunt. Sed cur per totam vitam eas sic expiare debent? Ceteroquin, fuitne semper culpa exclusive

eorum? Receperuntne omnes praeparationem adaequatam quam supra laudavimus? Nonne quandoque dubia quae ante susceptionem ordinum habebant leviter a quodam confessario vel superiore dissipata sunt? Fueruntne semper positi in conditionibus quae observationi coelibatus favebant?

Ideo peto ut Mater Ecclesia, nomine Christi misericordis, eis veniam indulgeat. Nonne possit Concilium velut amnestiam generalem in favorem eorum edicere, ut denique tandem vitam normalem ducere valeant.

Quid autem in posterum agendum? Ultimis annis saepius dispensatio concessa est eis qui iam filios habebant. Sed periculum adest ne Ecclesia videatur cedere eis qui satis audaces sunt ut scandalum moveant.

Meo humili iudicio, Ecclesia erga presbyteros procedat sicut erga religiosos etiam votorum solemnium. Si ipsi, cuiusvis sint aetatis, instanter petunt, post necessarium tempus reflexionis dispensatio, seu potius commutatio voti fiat. Si quos per annos Ecclesia conscientiarum iudices deputavit, nunc ipsi iudicant in conscientia votum suum non iam esse de bono in concreto possibili et meliore, ne videatur Ecclesia eis imponere velle iugum quod non est iugum Christi, suave et leve.

Ne timeamus ne si lex relaxetur, quidam exodus fiat. Sciunt religiosi laici sibi exitum sat facile patere. Nihilominus tot centena milium fideliter in vocatione perseverant. Ponimusne in presbyteris minorem fiduciam?

Ceteroquin, qui prae metu excommunicationis vel ignominiae socialis in sacerdotio remanent, saepe amaritudinis pleni, sine alacritate et fervore, sacramenta perfunctorie administrantes et quandoque ut aiunt duplicem vitam agentes, nonne Ecclesiae magis oneri quam auxilio sunt? Si recedunt, tam Ecclesiae quam ipsis proderit.

Concludo. Valde laudandus est totus numerus decimus quartus. Verba tamen « vigentem itaque legem coelibatus haec Synodus iterum comprobat », in sensu quod reductio ad statum laicalem facilius, et semper inclusa facultate matrimonii contrahendi, concedatur, pressius determinanda videntur.

[*Subscripserunt etiam*] P. Kimbondo; U. Morlion, ep. Baudouinville; P. Bouckaert; G. Van Kester; L. Nanga, ep. Lisala; A. Lefebvre, ep. Kikwit; H. Piérard; J. Malula, arch. Léopoldville; J. Nkongolo, adm. ap. Bakwanga; M. Van Rengen, ep. Mweka; G. Ukec, ep. Bunia; A. Mbuka, aux. Kikwit.

Dictum est mini a quodam em.mo moderatore — id quod nesciebam — ab aliquot mensibus facilius concedi etiam iunioribus sacerdotibus adhuc ministerium exercentibus reductionem ad statum laicalem, inclusa licentia matrimonii contrahendi. Haec autem mutatio disciplinae non publice nuntiata est. Credo bonas rationes huic discretioni subesse. Iure sperari potest fore ut res intra sat breve tempus presbyteris quorum interest innotescat, et timetur ne scandalum parvulorum oriatur praesertim si « prelum sensationale » modo suo consueto rem « orchestraverit ».

Attamen, salvo meliore iudicio, credo hanc discretionem multo plus damna quam emolumenta habere ob sequentes rationes.

1 hypothesis: res cuidam periodistae « ephemeridis sensationalis » innotescit. Quam pulchra materia cuidam articulo explosivo cui reliquae ephemerides echo facient. Cum autem desit authenticum documentum, omnes phantasticae interpretationes possibiles erunt. Danda erit rectificatio, sequetur fortasse quaedam coarctatio liberalioris hodiernae praxis, quod dolendum sit. Sed certe damnum illatum magnum erit. Ut experientia primae sessionis concilii patuit, impossibile custoditu secretum magis nocivum est moderata publicitate.

2 hypothesis: paulatim res iis solis quorum interest innotescit. Hoc etiam, meo humili iudicio, magna damna affert. Etenim:

a) valor testimonialis coelibatus prorsus liberi, de quo in mea interventione, non in tuto ponitur. Etiam nunc nonnulli catholici praticantes nondum bene noverunt novam legem ieiunii eucharistici, quamvis simplex sit, ample divulgata et cotidianae applicationis. Quot annorum opus erit priusquam recta notio disciplinae de reductione ad statum laicalem passim sparsa sit. Interea pergunt homines credere legem coelibatus ferream esse, plerique vero de eius observatione sceptici; alii sacerdotes ut angelos considerantes. Utraque categoria valde scandalisabitur si presbyterum videant ad saeculum redire et uxorem ducere, boni christiani vero prorsus perplexi erunt si audierint matrimonium fuisse religiosum;

b) pro ipsis sacerdotibus gravis forma exterioris coactionis remanebit, nempe ignominia socialis. Sicut antea ut proditores considerabuntur, ut dedecus familiae. Quidam sicut nunc in statu clericali remanebunt, quia nolunt matrem suam senescentem mortali dolore afficere aut quia timent ne velut « paria » vitam agere debeant. Motiva valde impura eos quos maxime oportebat sacerdotium relinquere inspirabunt;

c) pro bona fama Supremae Auctoritatis apud « elite » catholicam. Inter maiora crimina quae hodie in Curiam Romanam diriguntur (etiam in Concilio prolata sunt) est illa sphaera mysterii, « incontrolabilis » et « administrativus » modus quo multa tractantur, et factum quod practice numquam error quidam agnosci videtur. Haec omnia, quae temporibus monarchiae absolutae intelligebantur, nostris diebus non iam admittuntur, immo cum methodis regiminum totalitariorum comparantur. Confidentia quam Curia Romana meretur ei multo magis obveniret si psychologiae hominum huius temporis magis se aptaret.

Ob has rationes suggerere audeo ut authentice quamvis prudenter, nova praxis publici iuris fiat.

Haec omnia, solo desiderio motus Deo et Ecclesiae inserviendi, reverenter iudicio Sancti Patris Nostri submitto.

69

Exc.mus P. D. ERNESTUS GONÇALVES DA COSTA

Episcopus Inhambanianus

Hac in aula, de materia in causa, volo tantum tres observationes facere:

1ª observatio: Adspectus generalis. Schema actuale, *de ministerio et vita presbyterorum,* est magnificus et notabilis tractatus, quo commissio et ii omnes qui cum ea adlaboraverunt laudandi sunt.

Omnia quae in hoc decreto dicuntur, excellentiam presbyterorum vitae et normas practicas ad meliorem efficacitatem pastoralem consequendam, praebent.

Interea, magis presbyterorum munera et gravia onera manifestantur quam iura et sacerdotii dignitatem. Haec, per schematis decursum crebro obnubilata permanent.

Doctrina pastoralis exposita, etsi metam idealem assequendam significans, valde angelicalis et minus humana exhibetur. Tendentiarum et motus humanae naturae obliviscuntur.

Copia munerum, hodiernae vitae manifestationes, novae exigentiae sociales, magni et parvi paroeciae eventus, et omnia quae praesentiam sacerdotis requirunt, non modo qualitates supernaturales et vitam asceticam profundam, verum etiam virtutes humanas exigunt. Efficacitas pastoralis, si ex una parte a gratia Dei et a supernaturali vita presbyterorum pendet, ex alia parte in persona humana et valoribus naturalibus nititur.

Ad schematis methodologiam servandam, doctrinae iterationes oportet devitari, ut textus clare et maxime distincte appareat.

Itaque, materia exposita in pag. 24, n. 2, circa presbyteros, uti verbi Dei ministros, iterum praesentatur in linn. 17 s., pag. 17.

Comma novum inter linn. 27 et 34, extra locum invenitur. Melior esset id transferre ad pag. 33, post lin. 33, ubi loquitur « de Officio divino ».

Pariter, presbyteris scientiae commendatio, pag. 16, lin. 20, melior manebat in par. 5 in qua « de studio ad praecipua officia sacerdotis » agitur.

Schemate quoque inquisito, miratus sum, cum magna angustia et maestitia, laudes ad presbyterorum coelibatum in Ecclesia Occidentali non invenire, cum presbyteri coniugati Ecclesiarum Orientalium laudati sint (pag. 35, n. 14, linn. 37-38).

Mihi videtur coelibatum, uti sacrificium generosum presbyterorum et Ecclesiae Occidentalis praestantissimum ornamentum, amantissima et optima verba, de nobis, in hoc schemate, bene merere.

2ª observatio: Presbyterorum cooperatio. Prout legitur pag. 12, n. 1, linn. 20-21, presbyteri « providi cooperatores ordinis episcopalis » sunt.

Eo sensu, presbyteri non sunt servi sed episcopi amici, personae Christi

Sacerdoti configuratae, in Aeterno Sacerdotio participantes et cum potestatibus ab Ordinis Sacramento collatis.

Episcopus, cum apostolorum successor sit, sine presbyterorum cooperatione, eius missionem non adimpleret.

A nostra sacra Synodo episcopos inter et presbyteros arctissimam collaborationem evadere necesse est.

Episcopis presbyteri confidunt ut, ex omni parte, *Dialogi structuras,* surgant, in quibus, sincere, aperte et frequenter, experientias, difficultates successus atque solutiones exponantur.

Presbyteri non tantum simplices exsecutores sunt, sed in dioecesis pastoralis elaboratione participare debent.

In schema, effusius et magis in diem explanationem circa presbyterorum in episcopali ordine exhibere decet.

3ª observatio: *Presbyterorum apostolatus ad omnes.* In schematis textu et in aliis, persaepe commendatur ut presbyteri perspiciant *imprimis* pauperes et debiliores... *maxime* solliciti sint aegrotantium et morientium, etc. (pag. 18, n. 4, linn. 8 s.). Apostolatus, apud pauperes et humiles personas, instantius inculcatur permultis documentis.

Omnia recta sunt. Iamvero iterata verba circa pauperes et debiliores ducere potest ad divitum et potentium oblivionem.

Nostris temporibus, apostolatus, praeprimis et ante omnia, apud operariorum classes non sufficit. Evangelizare classes dirigentes, corda divitum tangere et reipublicae moderatores catechizare et cum omnibus hominibus dialogare oportet, quia eorum manus problematis socialis claves posita sunt.

Sine collaboratione divitum et potentium, apostolica ac pastoralis presbyterorum actio apud pauperes et debiles valde difficilis est. De cetero, Iesus Christus, regnum suum praedicavit etiam dives et classes intellectuales instruxit.

Ideoque, presbyterorum praesentia in omnibus humanis classibus et mentalitatis hodiernae adspectibus necesse est, ut attente mundi vitam, humani cultus foenomena et concretas realitates adspiciat atque omnia quae spiritualibus et humanis valoribus favere possit. Presbyteri sunt homines, in Ordinis Sacramento constituti et cum mundo hodierno dialogando. Vita sacerdotalis inter homines apparere debet velut signum et testimonium Dei.

Conclusiones. 1) Postulo ut valores humani sacerdotii in lucem magis ponantur.

2) Rogo ut *presbyterorum cooperatio* in Ordine episcopali effusius tractatur et structurae dialogi inter episcopos et sacerdotes ubique incipiantur.

3) Exopto ut presbyteri et omnes nos, signum et testimonium Dei simus inter homines, sine classis distinctione, et etiam divitum et potentium et socialis institutionis moderatorum non obliviscamur.

70

EXC.MUS P. D. MICHAEL GONZÁLEZ IBARRA
Episcopus Rivoriensis

Ad istam expositionem in hac aula conciliari vobis faciendam, permotus et quasi compulsus omnino sum ex pastorali consideratione factorum quorumdam, fere universim in Ecclesia detectorum, ad vitam presbyterorum spectantium, et quae in Ecclesia detrimentum non parvum afferre videntur, ut, si fieri potest, profundior causa ac remedium vere efficax inveniatur.

1. Certissime plurimi existunt presbyteri qui zelo sacerdotali et sanctitate praediti sunt, attamen, quisnam ex hic praesentibus Patribus non posset plura praebere testimonia de temporali ambitione aliquorum sacerdotum, qua vere trahuntur ad dignitates, honores, retributiones, privilegia, beneficia, magno cum animi ardore et anxietate exquirenda, vel saltem expectanda? Nonne colores canonicales aut ulterioris dignitatis, aut paroeciae ditiores, aut munera honorifica ut premium vitae sacerdotalis nimis appetuntur?

Hoc autem idem est ac incomprehensio tam vocationis quam missionis sacerdotalis, ita ut hoc sacrum ministerium, vera fide et sensu supernaturali evacuatum, veluti temporali tantum officium assumatur, adeo ut sola servetur exterior forma pastoralis ministerii et plurimae evasiones producantur ad terrenos fines attingendos.

2. Remedium vere efficacissimum, ut mihi videtur, esset: sublimitatem Sacerdotii Christi, quod est fons et exemplar omnium officiorum Ecclesiasticorum, ante oculos eis semper praebere. Mirandum est valde quod *nullibi* in documentis huius Concilii *explicite* de Sacerdotio *Ipsius Christi* loquatur, quamvis saepe saepius de Sacerdotio agatur, sive in plenitudine episcopali, sive in eius participatione presbyterali de qua fusius in hoc schemate.

3. Omnino ergo necessarium videtur in hoc solemni et pastorali documento explicitam quamvis brevem, sed clarissimam et completam de *personali Christi Sacerdotio descriptionem praemittere.*

4. Propono ergo, ut initio huius schematis, *in prooemio, Christi sacerdotis visio offeratur,* in sua mirabili missione a Patre accepta ad evangelizandos homines ut ipsos divinitatis suae participes efficiat, et sic eos ad Sanctam Dei Civitatem perducat, quod forsan in simplici formula ita describi posset: « Christus Dominus, unicus Mediator, a Patre missus et a Spiritu Sancto continuo permotus, pertransivit in terra benefaciendo, salutem hominum operando, ad gloriam Patris ».

71

EXC.MUS P. D. IOSEPH MARCUS GOPU
Archiepiscopus Hyderabadensis

1. Ad n. 4, pag. 17, linn. 13-14. Verbum « dialogus » bene adhibetur quando agitur de nostris relationibus cum non-catholicis, non-christianis et ceteris huiusmodi; non autem quando agitur de relationibus pastoralibus inter presbyteros et fideles. Hae relationes debent esse ad modum boni pastoris. Verbum « dialogus » non est aptum, meo humili iudicio. Ergo liceat mihi petere ut deleantur verba: « Etsi enim expediat actionem pastoralem etiam per modum dialogi exercere ».

2. Ad n. 6, pag. 21, linn. 38-40 et pag. 22, linn. 1-3.

Liceat mihi petere deletionem totius huius periodi (sentence). Non est necessarium hic agere de coetu sacerdotum consultorum. Hoc pertinet ad Codicem Iuris Canonici et ad Commissionem revisionis Codicis. Si forsan agitur de alio coetu novo, nequaquam talis coetus est desiderandus. Praesertim verba « Presbyterium repraesentantium » erunt in praxi valde nociva, ansam praebentia malae interpretationi et actibus pacem et disciplinam laedentibus ex parte cleri. Explicatio data in pag. 56 nullatenus adiuvabit. Ergo deleatur, quaeso, tota periodus.

72

EXC.MUS P. D. IOANNES GRAN
Episcopus Osloensis

A - *In genere.* Ut breviter dicam: de hoc schemate consentio em.mis cardd. Döpfner, Suenens et (praesertim quod ad disciplinam orientalem de coniugatis presbyteris attinet) Augustino Bea.

Stylus non semper satis brevis et sobrius est, ut deceret documentum ad hodierni temporis presbyteros destinatum. Iterationes vitentur, inutilia verba eliminentur, sententiae pro possibilitate simplices et clarae reddantur.

Saepe difficile cernitur utrum de omnibus presbyteris an de saecularibus tantum agatur.

Aliquando ab episcopis renovatio pendet (apta distributio presbyterorum, aequa remuneratio, etc.) et tamen de ea inter exhortationes ad presbyteros tractatur. Aliquando nonnullae materiae occurrunt quae melius ad decretum de missionibus pertinerent (ut adaptatio ad novas regiones, pag. 28, linn. 30 s.).

Proponitur tripartita divisio schematis: 1) de ministerio presbyterorum; 2) de vita presbyterorum; 3) de presbyterorum habitudine cum membris populi Dei (nempe episcopis, aliis presbyteris, diaconis et laicis).

B - *Singillatim.* Prooemium. Alia decreta prooemium melius ut n. 1 habent. Uniformitas optatur.

Pag. 11, lin. 11: « indole sua » deleatur. *Ratio*: non verum est de commate « et in dies quidem difficiliores », cum hoc ad presbyteratus Ordinis indolem non pertineat.

Pag. 11, lin. 19: loco « statuit » dicatur « declarat ». *Ratio*: textus prosequitur « Christus Dominus, ad populum Dei pascendum, etc. », quod patet non esse Ecclesiae aut Concilii *statutum*.

Pag. 12, linn. 12-16: duo textus de constitutione *de Ecclesia* sumpti in unam sententiam confluunt cum styli et claritatis detrimento. Velut duae sententiae diversae magis serventur.

Pag. 12, linn. 36-38: « quo *omnes... offerunt* ». Utinam verum esset! Verius: « quo omnes ad sacrificium... offerendum vocantur ».

Pag. 13, lin. 7: « in persona Christi Capitis etc. ». Unus Christus Caput est, et gratia capitalis est ei propria. Dubium est utrum participari possit a presbyteris ut capitalis. In omni casu sufficit dicere « Magistri, Pontificis et Rectoris », quod etiam cum praxi concordat.

Pag. 14, lin. 15: non opportunum videtur presbyteros de individuorum oeconomica, etc. ... vita inquirere. Loco « vitam » dicatur «necessitates », quas, ut sublevari possint, oportet cognoscere.

Pag. 14, lin. 37: quid significat « plenitudinem » hic in contextu? Estne reminiscentia Scripturae (pleroma)? Textus clarior fiat.

Pag. 15, lin. 1: nonne existit verbum magis aptum quam « utiliter »: quod de rebus spiritualibus non bene sonat?

Pag. 15, lin. 39 - pag. 16, lin. 3: communio Corporis Christi non agit sine communicantis recta dispositione. Modus proponitur: « Communicando enim... credentes *rite dispositi...* plen*ius* fiunt Corpus Christi mysticum ».

Pag. 16, lin. 14: modus proponitur: « corde paenitenti Deo et Ecclesiae confiteri ad remissionem et gratiam ». *Ratio*: submittere clavibus Ecclesiae a Deo abstrahit.

Pag. 16, linn. 18-19: « canticis spiritualibus in cordibus suis » est expressio satis biblica, sed non accommodata hodierno loquendi modo.

Pag. 16, linn. 24-26: deleatur « eos, qui magis in virtute profecerint » et scribatur « eos, qui hoc capere possint ». *Ratio*: experientia docet nonnullos adhuc graviter in re morali laborantes et peccatores tamen gratiam accipere orationis mentalis et consilia evangelica sequendi, praesertim paupertatem.

Pag. 16, lin. 35 - pag. 17, lin. 3: ministerium liturgicum ecclesiae nitore anteponatur ut magis spirituale, i. e. ordo sententiarum mutetur.

Pag. 17, lin. 5: « et Capitis » deleatur (cf. supra ad pag. 13, lin. 7).

Pag. 18, linn. 8-21: *peculiaris* commendatio *multorum diversorum* vana commendatio exsistit. Commendatio pauperum et debilium satis est.

Linn. 14-21 deleantur post (*Lc.* 4, 18). Patet presbyteros omnium debitores esse, sed evangelizatio pauperum signum est a Christo datum.

Pag. 19, linn. 31-38: hae commendationes ita evidentes sunt, ut parvam

aestimationem presbyterorum manifestent. Deleantur. Et si servantur, de Conciliorum doctrina etiam loquatur.

Pag. 21, linn. 37-38: deleatur « pretiosam spiritualem coronam » ut paululum risibile hodie.

Pag. 22, lin. 23: quid est « missio canonica » presbyteri? Missionem canonicam episcopi novimus, non presbyterorum. Dicatur: « quae Presbyteris in ritu ordinationis confertur », quia ritus ordinationis haec omnia includit.

Pag. 23, lin. 1: deleatur « diversis ex causis » ut superfluum.

Pag. 25, lin. 14: constitutio *de Ecclesia* diaconatum nuper restauravit. Loquendum est etiam de habitudine inter presbyteros et diaconos! Valde enim speramus ut constitutio *de Ecclesia* multos fructus afferat.

Pag. 26, lin. 27: dicatur « Romani Pontificis et ceterorum episcoporum ». *Ratio*: Summus Pontifex est episcopus.

Pag. 27, linn. 3-10: ne in una sententia cum a fide deficientibus de non credentibus et acatholicis loquamur! Non credentes et acatholici nunquam Ecclesiam catholicam ut unam veram Ecclesiam agnoverunt. Duae sententiae requiruntur, melius duae paragraphi: *primo* de his qui nullam culpam habent et non defecerunt, *secundo* dicatur: « Exemplum Boni Pastoris, etc. ». Haec animadversio magni momenti est in re oecumenica.

Pag. 27, linn. 20 s.: in n. 9 tractatur et de presbyterorum officio et de episcoporum munere. Si habitudo inter presbyteros et alios in quadam tertia parte evolveretur, facilius de unius et de alterius officio tractaretur.

Pag. 28, linn. 11-18: textus obscuritate non caret. Quis talia seminaria est constituturus? Quid est « peculiaris dioecesis » aut « praelatura personalis »? Explanationes optantur ut fructus meliores textus afferat.

Pag. 28, linn. 30 s.: ad decretum *de missionibus* pertinet, si hoc decretum sic emendatur ut de omni missionali navitate tractetur.

Pag. 30, linn. 12-16: hic timor de nimis materiali vocationis conceptu superfluus est et paululum risibilis in expositione.

Pag. 31, linn. 19-33: haec unica sententia nimis longa est et innodata. Recognoscatur, dividatur, clarificetur.

Pag. 32, lin. 13: cuius « diffusionis »? Regni Dei?

Pag. 33, linn. 6-13: sententia dividetur claritatis causa: *a*) missa quotidiana commendatur, *b*) de aliis tractatur.

Pag. 33, linn. 35 s.: totum n. 13 verbosum est et ab hodierno modo loquendi satis alienum. Presbyteri multas tales exhortationes etiam antea acceperunt. Paucis verbis dicatur ubi presbyteri vitae unitatem et harmoniam invenire possint: in pastorali labore pro presbytero cum bona valetudine, in oratione et sacrificio pro presbytero aegrotanti, infirmo, senescente aut ab actione apostolica quoquo modo impedito.

Pag. 35, linn. 22 s.: consentio dictis em.mi card. A. Bea de hoc numero, praesertim de disciplina orientali recte aestimanda.

Pag. 36, linn. 8-11: textus satis obscurus: « viam subditis vivendo denuntient, etc. »?

Pag. 37, linn. 1-2: non omnino verum apparet presbyteros omnes coelibatum eligere « libera voluntate ». Coelibatus nunc est conditio sine qua non ut quis ad presbyteratum accedat. Qui ad presbyteratum vocatur, ad coelibatum eligere tenetur. Summus Pontifex de hac re disceptationem in aula recusavit: melius est ergo de hac difficili materia in decreto non tractare quam incompletam assertionem praebere: Redeatur ad textum anteriorem (sic dictum textum emendatum) qui hic melior erat textu recognito.

Pag. 37, linn. 9-10: non aequiparentur traditio Ecclesiae et scientia psychologica, sicut nunc in textu fit. Dicatur v. g. « ... subsidiis, quae a traditione Ecclesiae commendantur. Scientia psychologica etiam non negligere oportet ad rectam antiquae disciplinae adaptationem ».

Pag. 38, linn. 4-7: nimis onerosum videbitur presbyteris habitationem suam « omnibus perviam » habere. Nonne satis est ad omnes, tam tenuiores quam locupletiores, tempus generose praebere et hospitalitatem pro posse non negligere?

Pag. 38, linn. 8-25: paragraphus de oboedientia debilior est praecedentibus textibus de paupertate et castitate. Abbrevietur.

Pag. 39, linn. 31 s.: nn. 16 et 18 de episcoporum munere tractant et cum similibus iungi possunt.

Pag. 41, lin. 5: facile possunt verba « in bonum Ecclesiae » male interpretari. Bono enim Ecclesiae episcopi praeponuntur: num ad episcopos presbyteri superfluum suum mittere debebunt? Melius esset dicere « quae vero supersint, ad sublevandas spirituales aut corporales necessitates destinare velint ».

Pag. 41, linn. 14 s.: vide supra ad pag. 39, linn. 31 s.

73

Exc.mus P. D. ANTONIUS HACAULT

Episcopus tit. Mediensis, aux. S. Bonifacii

Pag. 13, linn. 24-31: textus sic legatur: (Presbyteri vero, ex hominibus assumpti et pro hominibus constituti in iis quae sunt ad Deum, cum ceteris hominibus conversantur in terris). Dominus enim, pontifex noster, quem Pater misit in mundum (cf. *Io.* 10, 36) Verbum Dei incarnatum, ut verus Emmanuel, homo factus, humanitatem universam in se assumpsit ut eam salvam faceret: nihil vero est salvum quin prius fuerit assumptum, sicut plures Patres testantur.

Pag. 13, linn. 31-36: textus emendandus sequitur: « Paulus ipse omnia omnibus factus, singularum Ecclesiarum et uniuscuiusque vitae semper, ubique cum sollicitudine particeps factus est. Presbyteri etiam, cum hominibus conversantur, unum fiunt cum fratribus quos evangelizant, eorum existentiam cum aerumnis et expectatione suscipientes, in servitium gregis penitus se dedunt ».

Hic addendum est pag. 14, linn. 12-18, dicitur: sicut boni pastores, oves suas cognoscunt, persentientes mentem hominum eorumque vitam non solum individualem et familiarem, sed etiam oeconomicam, culturalem et socialem. Ita apto modo eis loquuntur eosque adiuvare ut Evangelio totam suam imbuant vitam » (Delendum est: *enim solummodo possunt*).

Pag. 13, lin. 37 - pag. 14, lin. 5: novus textus proponitur: « Ad hoc in sinu populi Dei segreguntur non ut separentur ab eo nec etiam a quovis homine, sed ut omnino (et non totaliter) consecrentur operi ad quod assumpti sunt (*Act.* 13, 2), ita et apostoli reliquerunt omnia ut sequi possent Christum (cf. *Mt.* 19, 27; *Lc.* 5, 11), piscatoresque fieri hominum (cf. *Mc.* 1, 17). Ministri tamen Christi esse non possunt nisi regni Dei testes sint, evangelistae et dispensatores.

Dixit enim Apostolus: "Modo enim hominibus suadeo, an Deo? An quaero hominibus placere? Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem ... sed per revelationem Iesu Christi" (*Gal.* 1, 10-11; cf. *Gal.* 3, 2-3) ». (Delendum est quod dicitur: pag. 14, linn. 5-11: ut iam dictum aut non specificum ad sacerdotium pertinet.)

Rationes emendationum: 1. Stylus exhortativus vitandus est ut melius sacerdotis missio describatur. Praesens tempus praefertur eadem ex causa. V. g. Presbyteri debent pag. 13, lin. 35; ne se conforment pag. 14, lin. 9; simul tenetur pag. 14, lin. 12.

2. Repetitiones vitandae sunt, v. g. de exempl. apostolorum bis tractatur pag. 13, linn. 12 et 41.

3. Abutitur « imitatione » Christi aut apostolorum quod externa videtur: sacerdotes vices gerunt Christi et eius « sacramentum » sunt.

4. Pag. 13, linn. 33-34: textus extrapolit Scripturam: semper Paulus non sibi sed gratiae salutem tribuit hominum.

5. Totus numerus de natura presbyteratus tractat secundum hunc scopum. Novus textus proponitur qui pressius evolvit indolem ontologicam sacerdotii antequam conclusiones ministeriales eruantur.

6. Conditio concreta presbyteratus, qui est in et non de mundo, manifestius apparet si deducitur e Christi incarnatione historica et concreta quae homines et mundum cum defectibus assumpsit.

74

Exc.mus P. D. PAULUS HALLINAN
Archiepiscopus Atlantensis

I. Desideratur in par. 6 schematis amplior et clarior declaratio de relatione inter episcopum et presbyteros suos. Aperte dicendum est problema aliquamdiu adesse in reconciliando, ex una parte, dependentiam sacramenta-

lem presbyteri relate ad episcopum et, ex altera parte, libertatem personalem, immo et christianam, presbyteri, inquantum est vir intellectu et voluntate propria praeditus et libertate filiorum Dei gaudens. Quaestio haec non est irrealis sed in dies magis magisque est maioris momenti in vita Ecclesiae nostrae aetatis. Concilium saltem indicare debet aliqua principia seu normas solutionis huius quaestionis. Forsan, e. g., in dioecesibus statui debet media determinata quibus regulariter et satis frequenter dialogus sincerus et fraternus fiant inter episcopum et presbyteros, etc. Nisi aliquod medium concretum saltem suggeritur a Concilio, relatio « fraterna » inter episcopum et presbyteros remanebit nimis vaga et theoretica. Notandum est hoc votum non proponi ut auctoritas episcopi limitetur sed ut tota vita dioeceseos vere floreat, quia ubi vera et Christiana libertas adest ibi Spiritus Dei plene operatur.

II. Spiritualitas sacerdotalis quae proponitur in parte II huius schematis sapit, ut in plurimo, spiritualitatem saeculi XIX. Saepe saepius videtur merus elenchus virtutum. 1. Non est nexus intimus et clarus inter principia dogmatica in Parte Prima proposita et eorum applicationem practicam in parte secunda. Non apparet, e. g., quomodo vita ipsa activa et apostolica sacerdotis sit fons et impetus orationis et spiritualitatis. Dichotomia saltem innuitur inter vitam apostolicam et vitam spiritualem sacerdotis. 2. Spiritualitas sacerdotis non satis radicatur in spiritualitate Christiana quae oritur ex baptismo et confirmatione. Quae dicuntur in schemate de castitate, e. g., quasi nullam relationem habent cum his sacramentis initiationis Christianae. 3. Doctrina spiritualis huius schematis non satis integratur cum spiritu doctrinae quae pronitur in documentis conciliaribus iam promulgatis de Liturgia et de Ecclesia.

III. Quaedam puncta particularia: 1. Nulla mentio fit in schemate de sacerdotibus qui ministerio perutili funguntur ut cappellani sive in nosocomiis sive in aliis institutis (asylums, prisons, etc.) sive in exercitu (military service).

2. Quae dicuntur in par. 9, linn. 41 s.: de sacerdotibus qui ad novam nationem pergunt proponenda sunt in schemate ut principium generale ex quo applicatio facienda est non solum de situatione supra dicta sed etiam de situatione parochiali et dioecesana, ubi saepe saepius requiruntur methodi pastorales novae et scientifice probatae.

3. In par. 10 nimis dicitur de presbyterorum cura de vocationibus sacerdotalibus. Quaestio haec iam satis tractatur in schemate de institutione sacerdotali. Magis insistendum est in hoc schemate in relatione inter sacerdotem et iuvenes, qua formatur, in praxi, idea seu mentalitas iuvenum relate ad sacerdotium. Si sacerdos vere est exemplum, in omnibus, caritatis Christi, tunc ipsum sacerdotium in magna aestimatione habebitur a iuvenibus.

[*Adhaeserunt etiam*] J. Byrne; B. Flanagan; F. Green; L. Dworschak; L. Hoch; J. Hackett; E. Unterkoefler; Ch. Buswell; W. Curtis; A. Schladweiler; G. Speltz.

75

EXC.MUS P. D. CAROLUS VILLELMUS HARTL
Episcopus tit. Stratonicensis in Caria, vic. ap. Araucaniaensis

In communi confessorum non pontificum Breviarii et Missalis invenimus non pauca festa sanctorum sacerdotum. Ut dignitas sacerdotalis ante oculos fidelium magis effulgeat, gaudium et gratitudo propter excelsam vocationem in cordibus sacerdotum augeantur, et eis maiore splendore eximium sanctitatis sacerdotalis exemplum exhibeatur, introducere « commune sacerdotum » in Breviario et Missali valde opportunum mihi videtur.

76

EXC.MUS P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET
Episcopus tit. Doritanus, prael. null. Cluniensis

Optimum schema *de ministerio et vita presbyterorum* aliquando deficere videtur non in doctrina proposita, sed potius in modo non satis exacto et theologico loquendi.

Imprimis desideratur maior cohaerentia cum cap. III constitutionis *de Ecclesia,* in quo optime distinguitur ministerium a potestate, missio divina a missione canonica; ibi invenitur felicissima illa formula « communio hierarchica », quae in hoc schemate omnino ignoratur.

E contrario invenimus nonnullas expressiones vagas et incertas, de quibus singillatim agam.

I. *De natura theologica et missione canonica presbyteratus.*

Iuxta constitutionem *de Ecclesia,* cap. III, hi duo conceptus optime distinguuntur.

Theologice ordo presbyteralis est in adiutorium et cooperationem ordinis episcopalis, seu collegii episcopalis. Unde sacerdos participat gradu subordinato in missione universali, in officio, munere et ministerio collegii episcopalis. Haec participatio datur per ordinationem sacerdotalem, quae munera tribuit sanctificandi docendi et regendi gradu subordinato, in communione hierarchica cum collegio episcopali; unde munera sacerdotalia exerceri non possunt nisi in ipsa communione hierarchica. Missio quae in ordinatione sacerdotali confertur, seu missio divina, est ex se universalis.

Missio autem canonica fit per incardinationem sed adscriptionem determinato episcopo, unde determinatae Ecclesiae particulari vel Instituto religioso. Unde canonice, non theologice, presbyter participat ministerio sui episcopi, qui etiam divinam missionem universalem in consecratione receptam, circumscriptam habet in determinata Ecclesia per missionem canonicam.

Missio canonica nihil addit sacerdoti in ordine ministeriorum in ordinatione receptorum, sed tantum facit ut potestas sacerdotalis sit expedita ad exercitium concretum.

Sub hac doctrina constitutionis *de Ecclesia* perficiendus est textus.

Unde emendationes concretae proponuntur:

Ad prooemium, linn. 5-6 dicitur: « Presbyteri enim sacra ordinatione *atque missione ... promoventur* ad inserviendum Christo Magistro, Sacerdoti et Regi, cuius participant ministerium »; dicatur: « Presbyteri enim sacra ordinatione, ... Christi Magistri Sacerdotis et Regis participant ministerium ». *Ratio*: supprimitur « missio », quia participatio sacerdotii Christi datur per ordinationem; expeditum exercitium huius participationis per missionem canonicam. Textus vero ambiguus manet utrum ad missionem divinam referatur (quod esset reiterativum), vel ad missionem canonicam (quod esset inexactum).

Pag. 13, lin. 4, dicitur: « Sacerdotium enim presbyteri non tantum in initiationis christianae sacramentis fundatur, sed etiam peculiari *initiatione sacramentali ...* qua presbyter *speciali modo* Christo Sacerdote configuratur ... »; dicatur: « Presbyter non tantum *sacerdotium commune* in initiationis christianae sacramentis fundatum habet, sed etiam *sacerdotium ministeriale,* quod peculiari *sacramento* datur, et quo Presbyter *novo modo* Christo Sacerdoti configuratur ». *Ratio*: inter sacerdotes et fideles laicos duo omnino diversi gradus intercedunt participationis in unico sacerdotio Christi; non agitur de eadem participatione sub diversis titulis.

Oportet ergo ut distinguatur sacerdotium ministeriale a sacerdotio communi.

Dicimus « peculiari sacramento datur » et non « peculiari initiatione sacramentali », quod inauditum est et inexactum.

Dicimus « novo modo » et non « speciali modo », quia « specialis modus » nihil dicit nisi incertum.

II. *Modus theologicus loquendi.* In genere totum schema aliqua revisione indiget ut loquatur modo proprie theologico et conciliari, id est, unisono cum omnibus documentis, praesertim cum constitutione *de Ecclesia.*

Notavi aliqua, licet aliquando minuta, quae ita corrigenda iudicavi.

Pag. 12, lin. 17, dicitur: « Rursus *episcopi munus ministerii sui ...* Presbyteris legitime tradiderunt »; dicatur: « Rursus ipsi munus ... ». *Ratio*: in schemate videtur asseri episcopos presbyteratum instituisse, en in nota 5 remittitur ad constitutionem *de Ecclesia,* n. 28. Sed Concilium non vult dirimere quaestionem de origine historica presbyteratus, nec in constitutione *de Ecclesia* res dirimitur. Unde simpliciter et generice dicimus « ipsi », sicut in constitutione praedicta dicebatur « qui ».

Pag. 14, linn. 4-5, dicitur: « Ministri enim Christi *esse non possent* nisi ... »; dicatur: « Ministerium enim Christi *rite non exercerent* nisi ... ». *Ratio*: valor sacerdotii non pendet a sanctitate ministri.

Pag. 14, lin. 9, dicitur: « titulo tamen *peculiari* »; dicatur: « *proprio* tamen titulo *sacramentali* ». *Ratio*: « Peculiari » nihil dicit nisi incertum.

Pag. 14, lin. 32, dicitur: « *generali* mandato »; dicatur: « *universali* mandato ». *Ratio* obvia est, ut in praecedenti.

Pag. 15, lin. 22, dicitur: « Ad hoc specialiter ... consecrantur »; dicatur: « Ad hoc *ministerialiter* consecrantur ». *Ratio* ut supra.

Pag. 15, linn. 26-27, dicitur: « sanctificationem fidelium, quam *peculiari modo procurant* fidei sacramenta ... »; dicatur: « Sanctificationem fidelium, quam *ex opere operato conferunt* sacramenta », vel aliquid simile. *Ratio*: « Procurare modo peculiari » est locutio valde incerta et impropria documentorum Magisterii ecclesiastici. Non adest ulla ratio abstinendi a formulis dogmaticis, ab Ecclesia probatis et praecedentibus Conciliis sancitis (cf. Trid. Sess. VII, c. 8), ut loquamur verbis indeterminatis.

Pag. 15, lin. 12, dicitur: « annuntiatio ... et responsum populi audientis uniuntur *inseparabiliter* cum ipsa oblatione »; dicatur idem, sed supprimatur « inseparabiliter ». *Ratio*: theologice falsum est ita *inseparabiliter* uniri. Secus nullae et irritae fierent Missae privatae, quibus populus non assistit, et celebratio absque populo et ministrante quae conceditur saepe missionariis et aliis ex privilegio, qua ratione permittenda esset?

Pag. 19, linn. 4-6, dicitur: « neque nomine suo agere, *sed ut missos* ab Episcopo, quocum *coniuncti* profitentur ... »; dicatur: « neque nomine suo *sed Christi,* missos ab Episcopo agere, quocum *in hierarchica communione* coniuncti profitentur ». *Ratio*: additur « sed Christi » ut clarius et positive exprimatur in cuius nomine agunt (cf. n. 1, pag. 13, linn. 5-8: « in persona Christi »). Additur « in hierarchica communione » ut exprimatur qualiter coniuncti cum episcopo sint; et verba desumuntur ex constitutione dogmatica *de Ecclesia.*

Pag. 21, lin. 16, dicitur: « ut ipsa unitas missionis requirat *omnimodam eorum unitatem* cum episcoporum Ordine ... »; dicatur: « ... eorum *communionem* hierarchicam cum episcoporum ordine ». *Ratio*: « omnimoda sacerdotum unitas cum episcoporum ordine » vel nimis dicit vel saltem obscure dicit. Ut supra diximus, oportet verba ad modum loquendi constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* aptare.

Pag. 22, linn. 20-22, dicitur: « sacerdotalis oboedientia *speciali* ratione fundatur in ipsa *participatione* ministerii episcopalis, quae Presbyteris per sacramentum Ordinis et *missionem canonicam* confertur »; dicatur: « sacerdotalis oboedientia fundatur in *communione hierarchica* cum ministerio episcopali, *scilicet in ipsa ordinatione sacerdotali et in missione canonica* ». *Rationes*: « Ratio illa specialis » de qua in textu est « communio hierarchica », iuxta constitutionem dogmaticam *de Ecclesia.*

Ordinatio sacerdotalis confert munera et ministeria quae ex natura sua sunt ad cooperationem ordinis episcopalis, et item ex natura sua indigent missione canonica ut exerceantur.

Num. 8. Notanda: *a*) Totus numerus revisione styli latini indiget. *b*) Ita

insistit in servitio presbyterorum relate ad fideles, ut potestas sacra eorumdem quasi evanescat.

Revera relatio submissionis inter presbyteros et episcopum iterum atque iterum affirmatur in toto schemate. Sed quando sermo est de relatione inter presbyteros et populum aequalitas quaedam proclamatur (« frater inter fratres »), et sic textus quandam diffidentiam insinuat erga presbyteros: ne episcopis inoboediant, ne dominentur in populo, quod revera displicebit presbyteris.

Res ergo *modo positivo* proponatur et servetur proportio iusta cum de munere inserviendi populo — quod quidem valde opportune fiet — textus loquatur.

Num. 9, linn. 22-23, dicitur: « Donum spirituale, quod presbyteri in ordinatione receperunt, illos non ad limitatam et coarctatam *tantum* missionem *praeparat,* sed ad amplissimam ... »; dicatur: « ... receperunt, *ipsis* non limitatam et coarctatam missionem *confert,* sed amplissimam ... ». *Ratio*: *a*) Omittendum est verbum « tantum ». Ordinatio non potest conferre missionem simul « limitatam » et « universalem »; *b*) Ordinatio *confert* donum spirituale, non *praeparat* ad illud.

III. *Pauca proponuntur addenda.* Liceat tandem huic optimae de sacerdotio expositioni aliqua addenda proponere, quae contextui videntur convenire et doctrinam complere huius decreti conciliaris.

1. *Valor expiatorius sacrificii missae.* Ad pag. 16, lin. 11, addantur haec vel similia: « Presbyteri igitur pro semetipsis et pro populo offerant sacrificium pro peccatis (cf. *Hebr.* 5, 3) et edoceant fideles ». *Ratio*: quia omittitur in textu haec idea de expiatione peccatorum in Sacrificio Missae (cf. PAULUS VI, Enc. *Mysterium fidei* in *L'Osservatore Romano,* 12 sett. 1965, 1 pag. col. 6, ubi citatur Trident.).

2. *Cultus eucharisticus a sacerdote reddendus.* Ad pag. 16, lin. 39, addantur haec vel similia verba: « Curent ergo presbyteri latriae cultum Eucharistiae Sacramento praestare, etiam extra Missarum solemnia, consecratas Hostias solemni fidelium venerationi proponendo, in processionibus frequentissimi populi laetitia circumferendo ». *Ratio*: nihil de hac re habetur in textu. Verba desumpta sunt ex Enc. *Mysterium fidei.* Opportunitas autem haec addendi patet ex iisdem rationibus quibus Paulus VI de hac re in Encyclica agit.

3. *De catechesi biblica.* Pag. 20, linn. 21-22. Addatur in recensione: « ... liturgica, *exegetica,* ascetica ... ». *Ratio*: quia constitutio *de Liturgia* magnopere commendat quod praedicatio in historia salutis fundetur. Non decet quod *praecipua* commendatio Concilii in uno documento facta, in alio oblivioni videatur tradita.

4. *Episcopus centrum et principium unitatis.* Pag. 23, linn. 5-8, ubi dicitur: Presbyteri ... « sub ductu eorum, qui Ecclesiae praesunt »; dicatur: presbyteri ... « sub episcopo suo, qui visibile principium et fundamentum est

unitatis Ecclesiae suae particularis ... ». *Ratio*: functio episcopi, uti principium et fundamentum unitatis, nullibi in hoc schemate exprimitur, sicut in constitutione *de Ecclesia* habetur. Sed in hac tractatione sacerdotali opportunissime revocabitur.

5. *Maria Virgo, Regina, Mater et exemplar sacerdotum.* Valde placeret totam expositionem de ministerio et vita sacerdotali concludere, oculos convertendo ad Mariam, Matrem Ecclesiae, Matrem Christi, Matrem ergo speciali titulo illorum qui « in persona Christi » ex officio sibi concredito agunt (cf. PIUS XII, Adhort. Ap. *Menti Nostrae, A.A.S.,* 42 1950, 673).

77

EXC.MUS P. D. IOSEPH HILTL

Episcopus tit. Constantiniensis, aux. Ratisbonensis

Liceat mihi, ut pristino parocho ad « evangelicam paupertatem » exercendam (n. 14) et ad « aequam remunerationem » presbyteris providendam (n. 16) sequentem considerationem proferre.

In singulis dioecesibus hodie apparet curam domesticam in domibus presbyterorum esse *notabiliter neglectam* et quidem in regionibus, ubi praevidentia socialis in favorem cleri apte ordinata sunt.

Non raro quidem etiam habitationes presbyterorum inveniuntur ita ordinatae, ut sint omnibus perviae et tam tenuinos quam locupletiores in eis libere facileque se habeant.

Quae est *causa* tam neglectae quam bene ordinatae curae domesticae in domibus presbyterorum?

Causa prior huius conditionis melioris vel peioris persona praefectae domesticae opinari potest in singulis domibus presbyterorum.

Quid sequitur ex hac consideratione?

1. *Exercitium paupertatis a parte presbyteri* non inchoare *a nimia parsimonia* et ideo ab *insufficienti remuneratione* patris familiaris erga praefectam domesticam, id est presbyteri.

2. In aequa et pro nostris temporibus congrua remuneratione presbyteris providenda episcopi *curent,* ut debite etiam consuletur non solum sustentationi presbyterorum sed etiam congruae remunerationi a presbyteris famulis domesticis praestandae, ut etiam istae fideles domesticae sine anxietate de sorte futura vivere et laborare possint.

De necessitate et de aequa remuneratione et assecuratione domesticorum servientium iam enixe locutus sum in congregatione generali 100 sessionis III.

Conclusio. In schemate *de ministerio et vita presbyterorum* n. 16 pag. 40 lin. 4 addatur: « inclusive domesticis, qui curae oeconomicae domus presbyteri incumbunt ».

78

EXC.MUS P. D. CAROLUS M. HIMMER

Episcopus Tornacensis

Textus recognitus in multis laudandus est. Animadversiones quaedam ibi proponuntur ut textus adhuc magis perpoliatur.

1. Generatim in toto hoc schemate traditur sacerdotis figura quae nimis classica et traditionalis apparet. Est imago idealis alicuius parochi, catechizantis, sanctificantis et regentis populum qui adhuc ipsum circumdat et eidem fiduciam servat. Sed in hodierno mundo res non ita se habet. A. v. dimensio missionaria non satis indicatur et hoc necessario suscitabit deceptionem multorum sacerdotum. En quaedam indicationes et suggestiones ad hanc rectiorem perspectivam obtinendam.

Pag. 14, lin. 35 (n. 2): post verbum « omnibus » addatur « etiam iis qui a Christo longe sunt ». *Ratio*: quia vox « omnes » quae pluries invenitur hoc in contextu nimis abstracta, nimis statica videtur.

Neque ceterum sufficienter loquitur schema in hoc numero, tractante de presbytero ut verbi Dei ministro, de dialogo praevio hodie saepe requisito ad annuntiandum mysterium Christi. Propterea:

Pag. 15, lin. 6: post sententiam « Hoc ministerium verbi multiformiter exercetur » fiat locus saltem pro quadam allusione ad munus proprium sacerdotis qua verbi Dei ministri in formatione laicorum qui testimonio et actione Christum annuntiare debent. V. g. addatur aliquid huiusmodi: « Sic studeant presbyteri sustinere et formare laicos ut et ipsi actione apostolica atque praesertim vitae testimonio iis qui longe sunt Christum revelare possint ».

2. Imago ministerii presbyterorum descripti in nn. 2, 3 et 4 textus recogniti nimis limitatur ad ministerium quod in paroecia adimpletur dum clerus *nostra aetate* magis ac magis « specialisationem » obtinet.

In schemate nostro non tractatur de hac « specialisatione » nisi velut per accidens quando quaestio fit explicite de cooperatione inter presbyteros dioecesanos et religiosos, scil. in n. 7 (pag. 24, linn. 4-5).

Quidquid sit, optatur: *a*) ut mentio huius « specialisationis » cleri, si possibile est, obtineat alium locum in schemate; *b*) ut saltem inter formas ministerii adnumeretur munus sacerdotum qui, ab aliis laboribus liberati, sese devovent in ambientibus hodiernis quae a Christo segregantur.

3. N. 4, pag. 18, lin. 22. Ubi agitur de efformatione communitatis christianae localis a presbytero. Opportune ibi posset afferri textus const. *Lumen gentium,* n. 28: « suae communitati locali ita praesint et inserviant, ut ista digne vocari possit illo nomine, quo unus et totus populus Dei insignitur, Ecclesiae scilicet Dei » (*A.A.S.,* 57, 1965, p. 35).

4. N. 5, pag. 19, linn. 31 s. Ut responsionem adaequatam praebeant sacerdotes « quaestionibus ab hominibus huius aetatis agitatis » oportet praepri-

mis quod mundum hodiernum cognoscant per contactum cum ipso et praesertim cum laicis christianis hoc in mundo degentibus.

Textus uti habetur non satisfiet sacerdotibus si non fit allusio ad hanc aliam fontem cognitionis quae constituitur ex experientia nostrae aetatis hominum et ex reflexione communi inter sacerdotes consequente. Documenta traditionis et magisterii non omnes solutiones continent.

5. N. 6, pag. 23, linn. 5-6. In fine huius numeri recordetur momentum non tantum unionis presbyterorum inter se in actione apostolica sed etiam laboris praevii in quo fraterna conversatione problemata pastoralia concreta percipient et eorum solutionem quaerent (le travail d'équipe).

6. N. 10, pag. 29 et 30. Oportet etiam unum verbum facere circa curam presbyterorum in favorem vocationum religiosarum ut eas reperiant et adiuvent atque modo generaliori circa munus pastorale eorumdem presbyterorum erga religiosas et religiosos non sacerdotes.

7. N. 14, pag. 35, lin. 27. addatur post « sacerdos »: « vi sacrae ordinationis ad sanctitatem peculiarem vocetur... ».

* * *

Pag. 15, linn. 10-16 legatur: « Requiritur praecipue in Missarum celebratione, qua mors Domini annuntiatur donec veniat (cf. *1 Cor.* 11, 26) ». *Ratio*: haec longa sententia complectitur elementa nimis numerosa, quorum synthesis imperfecta manet. Non debent hic repeti quae dicta sunt a const. *de sacra Liturgia*. Definitio SS. Missae iam supra data est.

Pag. 31, linn. 10-19 legatur: « Presbyter pro populo Dei se sanctificandi officio tenetur. Etsi per integrum suum ministerium ipse ad vitae perfectionem ordinatur, non ita sese externis sui muneris devoveat inceptis, ut propriam sanctimoniam neglegat, memor verborum S. Pauli etc. ... efficiar » (*1 Cor.* 9, 27). Praeterea, quamquam... ». *Ratio*: additio facta in « textu recognito » impedit sequentiam idearum. Quamquam doctrina in hac additione enuntiata denuo enuntiabitur in initio n. 12, tamen in sententia praecedenti (linn. 10-16) videtur brevissime notanda ne illa intelligatur ut avertens a necessaria et sancta activitate externa.

Linn. 16-19 (« Quinimmo » etc.) expungantur.

Pag. 31, linn. 25-27 legatur: « ex doctrina Domini nostri (cf. *Io.* 15, 4 ss.), vita Sanctorum iugiter illustrata, per illos... ». *Ratio*: « textus emendatus » hic inutiliter gravatus est. Tantummodo videtur retinenda referentia ad doctrinam Domini, quae vix « roboratur » doctrina Patrum vel SS. Pontificum, tamen illustratur vita Sanctorum.

Pag. 32, lin. 24 legatur: « ... stimulat sanctitatem vitae, ideoque potens est presbyteros adducere ad perfectionem sacerdotum propriam ». *Ratio*: « adducere ad » fortasse latinius sonat quam « efformare ad ». Substituendo « perfectionem » pro « sanctitatem » vitatur repetitio vocis « sanctitatem » in lin. 23 adhibitae.

Pag. 35, lin. 41 legatur: « Christi enim discipulis commendatur ut in coelibatu, propter Regnum caelorum servato, ... ». *Ratio*: « virginitate » solum acceptabile est; item « coelibatu » solum; non autem « virginitate *vel* coelibatu », quia hae duae voces neque sunt aequivalentes neque offerunt occasionem eligendi inter duas possibilitates. In lectione supra proposita, idea virginitatis retinetur implicite, utpote quae normaliter includatur in « coelibatu propter Regnum caelorum servato ».

79

EXC.MUS P. D. PAULUS HNILICA
Episcopus tit. Rusaditanus

Ad schema *de ministerio et vita presbyterorum,* qui nostri cooperatores in officio pastorali sunt, addere quaedam cupio de necessitatibus peculiaribus nostrorum dierum praesertim in relatione ad problema atheismi sive practici sive militantis.

1. Ad par. 4, in qua de presbyteris populi Dei rectoribus, et 5, ubi de studio agitur, quod attinet, necessitatem videmus, ut sacerdotes circumstantiis hodiernis adaptentur non solum ratione studiorum, sed ante omnia exemplo vitae et sanctitatis. Atheismus enim propagatur certo etiam propter minorem praeparationem et negligentiam pastorum, qui dormiebant nescientes periculum et ignorantes influxus novos ambientis socialis in animos fidelium, dum inimicus zizaniam in agro Ecclesiae seminabat. Non sufficit curam habere paucorum fidelium, qui in ecclesiam adhuc confluunt ignorando periculum, quod omnibus instat extra ecclesiam. Quapropter sacerdotes debent cognoscere tempus hodiernum eiusque problemata praesertim atheismi doctrinam et praxim, qui est haeresis hodierna.

Studia autem a candidatis ad sacerdotium ita perficiantur, ne contactum cum humilibus et rudioribus impediant, ne praesertim pauperes et opifices ab Ecclesia longius fiant propter distantiam sacerdotis, qui linguam populi non loquitur.

2. Pag. 6 (de habitudine inter episcopos et presbyterium) et 7 (fraterna coniunctio et cooperatio inter presbyteros) quaedam pulchra extollunt.

Episcopus presbyteros tamquam pater vel frater consideret et magis exemplo ducat quam praeceptis rationem agendi Christi imitando. Experientia regionum, in quibus atheismus potestatem politicam obtinet, nos multa docet. Qui conatur sacerdotes ab episcopis dividere, ne omnino communicent. Istis in circumstantiis non sufficit vinculum iuridicum inter sacerdotes et episcopum, quia solum ab inimico facile solvitur ad damnum Ecclesiae, sed ii sacerdotes, qui in episcopo patrem et Christum amabant, fidelitatem integram illi servaverunt.

Eadem experientia habetur de unione fraterna sacerdotum. Quam atheismus summopere impedire conatur, quia in unione sacerdotum vigorem in-

vincibilem timet. Et ideo unitas in caritate, quae etiam a Domino commendabatur, quando discipulos binos ad praedicandum mittebat in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus, valde commendanda est, ut habeatur praesentia Christi Dei in medio nostrum iuxta eiusdem promissum, ubi duo vel tres sunt in nomine meo congregati, ibi ego sum in medio eorum (*Mt.* 19, 20). Mundus nostri temporis valde indiget, ut Christus semper in medio nostrum sit, ita ut omnes de presbyteris dicere debeant: videte, quomodo se ament et numquam scandalum patiantur fideles ex discordia et divisione sacerdotum.

3. In par. 8 (Presbyterorum cum laicis conversatio) extolli debet melius necessitas laicorum apostolorum, quatenus sacerdotibus tempus, vires et facultas desunt ad omnia simul attendenda et ideo Ecclesia multa membra amittit. Sacerdos hodie aliquem influxum in 15 vel 20% fidelium exercet, in alios nullum, omnes tamen in circumstantiis versantur, quae religioni minime favent et illi intense adversantur. Opus est laicorum, qui spiritu caritatis et unitatis ducantur iuxta regulam Corporis mystici Christi et in Ecclesiae pastoribus Deum eiusque voluntatem agnoscant, regnum caelorum eiusque iustitiam sincero corde ante omnia quaerant. Paucae animae huiusmodi sufficiunt, ut anima paroeciae vel societatis fiant.

4. Peculiaris exigentia sanctitatis in vita sacerdotali (par. 11 ss.) valde commendat vitam communitariam sacerdotum, si est in vera caritate, quae in unitate consumetur.

5. De recto usu bonorum in par. 17 quod attinet, curent sacerdotes, ut exemplum evangelicae beatitudinis paupertatis dent fidelibus. Asseclae atheismi non debent amplius sacerdotibus calumniam obiicere de avaritia, divitiis et amicitia divitum. Praesertim in locis pauperioribus a luxu externo se abstineant, ut videantur ut illi, qui ante omnia regnum Dei eiusque iustitiam quaerunt et exemplum Domini sequuntur, qui pauper fuit, aliquando esuriit et manibus suis operatus est, sicut etiam alii apostoli et apostolus Paulus.

In quaestione de usu bonorum omnino exprimendum puto obligationem, ut sacerdotes bonis huius mundi mutuo se iuvent iuxta indigentiam quorumdam et abundantiam aliorum et ita practice unitatem caritatis exprimant.

Concludo recolens grandem nobis instare obligationem figuram Boni Pastoris et unitatis in caritate mundo spectaculi instar praebere et ita praesentiam continuam Christi in medio nostrum mereri.

80

Exc.mus P. D. THOMAS HOLLAND
Episcopus Salfordensis

Laudes omitto (nisi generale hoc encomium exprimam scil. quod sacerdotes nostri gaudebunt de schemate).

1. Vellem omnino adhaerere dictis card. Landázuri (Theologus Orthodo-

xus Nissiotis mecum sponte convenit in indicando hoc interventu esse inter « facile principes » totius Concilii). Inter varios quos consultavi Patres, nulla vox discordat de primario puncto card. Landázuri.

2. Cum illis oratoribus (praesertim exc.mo Guyot, ep. Coutances) sentio qui plura desiderabant de Spiritu Sancto. Recte, m. h. o., card. Jäger textum premebat ex Ep. ad *Hebr.* 9, 14. Sine hoc textu decretum nostrum minus bene articulatum et formosum videbitur. Nam ibi, miraculoso quodam compendio, Apostolus intellectum valde profundum aperit sacrificii Christi, adeoque nostrae conformitatis cum Eo in sacerdotio.

Quid non potest non erui ex hoc eloquente exemplari? Specialis initiatio quam confert sacramentum Ordinis erit consecratio qua christianus fit instrumentum illius motus Spiritus quo Ipse Christum movit in Coena et in Cruce. (Dum, forsan, per baptismum et confirmationem homo consecratur ut instrumentum motuum Spiritus quibus Ipse Christum movebat in aliis operibus erga Patrem; non tamen in illo praeciso opere immolandi sese in victimam?).

Eruitur etiam cogens motivum ad sanctitatem sacerdotalem. Nam qui immaculatum Christi sanguinem offert, se ipsum, tali sanguine redemptum, non potest non offerre. Sed seipsum qualiter? Eodem modo ac victima; scil. immaculatum, purificatum etc.

Et quoad finem oblationis? Finis nostri sacerdotii idem erit ac Christi: scil. emundare conscientias ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi in remissionem peccatorum et in vivificationem populi Dei.

3. Cum card. Florit vellem *Io.* 17, 19 ita enucleare ut relatio sacerdotii nostri ad Christum (et populum) intimius perspiciatur.

4. Cum cardd. Richaud et Colombo affirmandum censeo nexum inter sacerdotem et episcopum non solum (nec primarie) oriri sive ex participatione in eodem ministerio sive ex canonica missione, sed ex ordine illo profundo inter plenitudinem sacerdotii in episcopo et participationem in sacerdotio. En radix paternitatis episcopi respectu filiorum eius sacerdotum.

Vellem (cum card. Colombo) schema saltem innuere vinculum quo Christus, episcopus et sacerdotes uniuntur vividius (et fortius?) haberi in clero dioecesano.

81

Rev.mus P. D. ROLANDUS HUOT

Superior generalis Congr. Presb. a Ss.mo Sacramento

Circa schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum.* Pag. 39, n. 15, lin. 15.

Commissioni maximas agimus gratias, quod voto plurimorum Patrum annuens, textum primigenium de cultu Ss.mae Eucharistiae restituit, ut videri potest si legitur n. 15, pag. 39.

Quam tamen brevem mentionem, quasi obiter factam, insufficientem esse videbitis si attenditis animos ad tria quae sequuntur:

1. Hodie apud aliquos catholicos cultus Ss.mae Eucharistiae parvi ducitur. Quorum error tanta mala attulit vel allaturus timetur, ut Ss.mo Domino nostro Paulo VI opportunum, immo necessarium, visum sit ter his postremis quattuor mensibus in mentem omnium revocare sanam doctrinam Ecclesiae: nempe in Homilia pro Congressu Italicae Nationis Eucharistico, in radiophonica Allocutione pro Peruvianae Nationis Congressu Eucharistico, ac denique sollemniori modo in Encyclicis Litteris *Mysterium Fidei.*

Accedit quod fautores novae doctrinae cultum Eucharisticum evertere nitentes, quo facilius placita sua disseminent, ad ipsum Concilium Oecumenicum appellare audeant. Mens Concilii, ex eorum sententia, erui potest ex hoc quod in constitutione *de Sacra Liturgia,* de cultu Eucharistiae, quo nempe ipsa Eucharistia fit obiectum adorationis, omnino siletur.

Quibus adversariis frustra obiicitur: Silentio transmittendo hanc quaestionem, commissio, et proinde Concilium, nullam intentionem habebant minuendi cultum tanto Sacramento debitum. Etenim Patri petenti ut mentio huius cultus fieret, commissio respondit: « Certo certius cultus latriae exhibendus est Christo, sed satis est inculcatum a Concilio Tridentino necnon a quam plurimis documentis Magisterii, ut a nullo christifidelium ignorari possit ». Quia tamen haec declaratio non est in constitutione *de Sacra Liturgia,* sed invenitur, vel potius absconditur in libello cui titulus est « Modi », reservato Patribus conciliaribus, parum valet ad sententiam adversariorum refellendam. Cum adversarii ad documentum a Patribus confectum provocent, in alio documento pariter confecto ab eisdem Patribus commorandum est in doctrina quae in dubio ponitur.

2. Inter adversarios cultus eucharistici, vel saltem inter eos qui hunc cultum minuere conantur, adnumerantur — pro dolor — aliqui sacerdotes. Suo exemplo suisque verbis fideles ab hac devotione deterrere conantur, dictitantes agi de cultu qui medium aevum deceret. Multitudini sacerdotum qui visitationem Ss.mi Sacramenti quotidie peragentes praxim Ecclesiae sequuntur gratissimum erit exhortationem fusiorem legere in hoc documento.

3. Attente legenti huius numeri textum recognitum statim apparet pericopem harmonia et aequilibrio carere. Etenim cum agitur de Beata Virgine textus non satis habet sacerdotes cohortari ad magni faciendam devotionem erga Eam sed apte inducit rationem cur haec devotio valde utilis sit. De Ss.ma autem Eucharistia tractans, textus satis habet affirmare: Magni faciant cultum Ss.mae Eucharistiae, quin mentio fiat de ratione cur sacerdotes hanc devotionem colere debeant. Cum textus affert motivum propter quod aestimanda sit devotio erga Beatam Virginem, homonia et logica postulant ut idem fiat quando agitur de devotione erga Ss.mam Eucharistiam.

Conclusio. Ut ergo efficaciter et summa vi resistatur adversariis cultus Ss.mae Eucharistiae; ut omnes sciant Patres Concilii idem sentire ac Sanctis-

simus Dominus Noster Paulus VI; ut tranquillentur animi plurimorum sacerdotum qui auditis opinionibus insolitis circa cultum Eucharistiae vehementer perturbantur, ut haec omnia fiant, humiliter peto ut ad exhortationem *magni faciant cultum Ss.mae Eucharistiae* adiungatur motivum sumptum ex Litteris Encyclicis Papae Ioannis XXIII, primo exeunte saeculo a morte S. Ioannis Mariae Vianney editis: Sacerdotalis precatio diutissime producta ante adorabile Altaris Sacramentum tali pollet dignitate atque efficacitate, quae a sacerdote nulla alia ratione haberi, nullo alio modo substitui possit ».

82

Exc.mus P. D. FRANCISCUS JOP
Episcopus tit. Dauliensis

Schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum,* anno elapso iam emendatum, impenso studio et labore a commissione iterum recognitum et perpolitum, maiore nunc pollet claritate et perfectione, quamvis eius essentialis structura fere eadem immutata permansit.

Meliore modo definita est natura presbyteratus per notionem ex constitutione dogmatica *de Ecclesia* desumptam et in n. 1 schematis insertam.

Aliquas animadversiones relate ad schema liceat mihi facere.

1. Optimo modo exponuntur in decreto tria principalia munera presbyterorum, qui vocantur et revera sunt: *a*) Verbi Dei praecones, *b*) Eucharistiae et Sacramentorum ministri, *c*) Populi Dei rectores; quod quidem ultimum munus secumfert etiam obligationem educandi singulos fideles in fide ad suam ipsorum personalitatem iuxta evangelicam fidem excolendam et ad genuinam communitatem christianam efformandam.

Valde desiderandum est, immo forsan necessarium erit, adhuc unum munus presbyterorum in schemate addere, illudque bene illustrare: Munus Testis Christi. Presbyteri ratione suae participationis in sacerdotio Christi speciali modo testes Christi sunt, qui indesinenter testimonium dant de Christo.

Si in n. 2 schematis, ubi de presbyteris uti de doctoribus fidei, seu de ministris Verbi Dei, sermo est, ponitur illa citatio ex Evangelio Marci de munere docendi sumpta: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » et ad presbyteros, quorum primum munus est, moderantibus Episcopis, praeconium salutis omnibus annuntiare, merito applicata, non possunt praetermitti in schemate verba Christi ante Ascensionem pronuntiata: « Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae » (*Act* 1, 8).

Quae quidem verba non ad solos apostolos, sed etiam ad discipulos Christi, proindeque et ad veros sacerdotes Novi Testamenti prolata sunt.

Sunt ergo presbyteri testes, qui de Christo, eius veritate, divinitate, missione et doctrina testimonium dant propria sua vita, sua fide et indole sacerdotali necnon sua dispositione tum interna, tum praesertim externa. Qualibet die, in omnibus circumstantiis, presbyteri semper testimonium ferunt de Christo, sive Verbum Dei praedicando, sive Missam celebrando et Sacramenta administrando, sive Populum Dei regentes. Numquam possunt se hac obligatione exui, numquam ab ea liberari queant.

Nostris praesertim temporibus multa milia sacerdotum in adversis potius, quam in prosperis, in innumeris difficultatibus et aerumnis testimonium hoc de Christo proferunt. Testimonium propriae vitae a presbyteris datum magnum influxum habet in aedificationem spiritualem fidelium.

Experientia docet, homines magis pronos esse ad credendum iis, quae vident, quam iis, quae audiunt, quae vero ipsis praedicantur. Sanctus Pius X in sua Exhortatione *Haerent animo* optima de hac re scripsit verba: «Il sacerdote non è tale che possa essere buono o cattivo semplicemente per se, ma l'esempio della sua vita è fecondo di conseguenze sull'indirizzo della vita dei fedeli. Dove c'è un sacerdote veramente buono c'è un tesoro largito dal cielo ».

Etsi in schemate inveniuntur multa bona et maxime utilia praescripta, quae ad vitam presbyterorum referuntur, necessaria mihi videtur haec saltem brevis expositio de munere presbyteri, prout testis Christi.

2. In schemate aliqua verba inserenda sunt de habitudine presbyterorum ad Sedem Apostolicam et ad Summum Pontificem, et de plena fidelitate Ecclesiae debita a presbyteris semper servanda, non solum ergo in iis, prout aliquando asseritur hodie, quae fidem et mores spectat, sed etiam in observanda universa disciplina ecclesiastica et in vitandis iis, etsi minimis, quae unitatem Ecclesiae debilitare possunt.

3. In n. 14, lin. 35, supprimenda sunt verba, quae dicta sunt de perfecta continentia presbyterorum, scil.: « Etsi non exigatur (continentia) a sacerdotio suapte natura, uti apparet ex praxi Ecclesiarum Orientalium, ubi sunt optime meriti presbyteri coniugati, multimodam convenientiam cum sacerdotio habet ». Verba illa forsan minus opportune sunt applicata, parum utilia esse videantur etiam pro sacerdotibus coniugatis.

4. In eodem n. 14, linn. 30 ss., illa quae statuuntur de paupertate presbyterorum, meo humili iudicio, non possunt sufficere ad quaestionem hanc decernendam. Certe, decretum Concilii non potest continere minutissimas normas et specialia praescripta iuridica, sed post ea, quae praesertim hisce ultimis hebdomadis in hac aula dicta sunt de paupertate et egestate, de fame multorum, necessarium est, ut Concilium Oecumenicum aliqua praescripta magis concreta in hac materia constituere dignetur, verbi gratia, praeceptum, ne presbyteri res immobiles, praeter patrimoniales, acquirant.

Presbyteri nostri generatim alieni sunt a divitiis, modesta utuntur sustentatione, sed adhuc magis in spiritu paupertatis progredi debemus, ne aliqua

species, etsi minima, divitiarum presbyteros a populo fideli separare possit.

Ecclesia condita est a Christo Domino, qui semper pauper erat et de seipso locutus est: « Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet » (*Mt.* 8, 20).

Ecclesia ex pauperibus excrevit, Ecclesia pauperum vocatur, ideoque et presbyteri eius paupertatem Iesu Christi imitare debent, sortemque non exiguae partis populi Dei in eius paupertate dividere.

5. Tandem in illa finali valde pulchra exhortatione schematis optanda sunt aliqua verba corroborationis spiritualis ad presbyteros dirigendae. Omnes sacerdotes testimonium dant de Christo, multi eorum magnis difficultatibus cruciantur.

Utinam a Concilio Oecumenico saltem uno verbo corroborati, maiore cum alacritate animi et quiete cum gaudio servitium Christo et Ecclesiae praestent.

83

Exc.mus P. D. FRANCISCUS GERARDUS KRAMER
Episcopus Lunganensis

Pag. 16, linn. 35 ss.: videtur artificialiter additum. Totus numerus agit de presbyteris. Hic inopinate agitur de domo orationis. Subiectum deberet esse « presbyteri » et quidem in quantum sunt Sacramentorum ministri. Dicatur ergo e. g. « Domum quoque orationis, in qua Sanctissima Eucharistia celebratur et servatur fidelesque congregantur, quaeque praesentiam Dei hominibus manifestare debet, nitidam semper et orationi ac sacris solemnibus aptam conservent. Scientias tandem et maxime artes liturgicas recte colant ut ... ».

Pag. 18, linn. 3-8: clarius videtur si diceretur: « Eos adsistunt presbyteri, ut in ipsis eventibus ...

Pag. 18, linn. 34-43: uti logica sequela quis hic exspectaret subiectum presbyterum, e contra est « ecclesialis communitas »! Magis logice, quae his lineis dicuntur inseri possent, si ponerentur tanquam ratio cur « presbyteri ad genuinam communitatem christianam efformandam fideles adducant », e. g. dicendo post « ducere debet »; « Ecclesialis *enim* communitas erga animas ad Christum adducendas caritate sua, oratione, exemplo, paenitentiaeque operibus veram exercet maternitatem et simul efficax constituit instrumentum quo excitantur ... ».

Pag. 19, linn. 32 ss.: « ad aptas responsiones reddendas quaestionibus ab hominibus huius aetatis agitatis » Magisterii et Romanorum Pontificum documenta bene cognoscere debent — sed non sufficit: sunt enim quaestiones multae quae a Magisterio solutae nondum sunt; neque omnia apud « probatos scientiae theologicae et exegeticae scriptores » inveniuntur. Quare haec absolute dicerem, omittendo « ad aptas responsiones ... agitatis »;

deinde, post « scriptores » adderem: « Quaestiones autem ab hominibus huius aetatis, imprimis inter fideles sibi commissos, agitatas apprime noscant eisque aptas responsiones reddere satagant ».

Pag. 21, linn. 38 ss.: clarius: « Ut hoc vero aptiore quam nunc viget modo ad effectum deducatur, instituatur, forma ac normis a iure determinandis, coetus sacerdotum, Presbyterium repraesentantium, qui ... ».

Pag. 24, linn. 23-24: non bene intelligitur quid concrete intendatur verbis « hospitalitatem ne obliviscantur ». Forsan expressio magis positiva clarior esset.

Pag. 24, lin. 38: « a periculis solitudinis forte orientibus » grammaticaliter deberet dici: « a periculis e solitudine forte orientibus ».

Pag. 25, lin. 12: « obligatus erga aliquem » significat « gratitudine erga aliquem teneri »!

Pag. 29, linn. 32-33: clarius si omitteretur « necesse est »: « ideo universus populus christianus sciat suum esse officium ... ».

Pag. 32, linn. 40-41: dicatur « personam Christi » vel « Cum presbyteri », ne negatur « presbyteri Christi ».

Pag. 33, linn. 6-12: cum pro celebratione Missae et pro Sacramentorum administratione brevis ratio addatur, harmonia styli requirit ut etiam pro Officio Divino recitando brevis addatur ratio, e. g. « in quo publice populum Dei repraesentant ».

Pag. 33, lin. 13: « excitent » in se an in aliis?

Pag. 39, linn. 16-19: cum additus sit cultus Sanctissimae Eucharistiae, et quidem in eadem linea ac devotio erga B. M. V., explicatio quae sequitur (ipsa enim) ad utrumque referri deberet, e. g. Eucharistia est fons omnium gratiarum quibus apostolatus sustentatur et B. M. V. est Regina Apostolorum.

Pag. 39, lin. 34: vox « presbyteri » melius vel omittitur vel initio phrasis ponitur, ne videatur declaratio eos esse dignos presbyteros.

Pag. 40, linn. 9-11: cum post enumerationem eorum quae in remuneratione comprehendi debent, ministerium erga pauperes peculiarem habet explicationem, etiam in enumeratione peculiarem deberet habere locum. Quapropter, post « sit congrua » ponerem punctum cum virgula (;) et dein « sed praeterea eis tribuat ... subveniendi: hoc enim ministerium erga pauperes ... ».

Pag. 40, linn. 14-15: clarius diceretur: « Praecipuum vero momentum officio quod sacri ministri adimplent, tribuere oportet ».

84

Exc.mus P. D. FRANCISCUS KUHARIĆ
Episcopus tit. Metensis, aux. Zagrabiensis

1. Denuo propono, ut pro clero dioecesano, praesertim iuniore, institutio patris spiritualis commendetur. *Ratio*: sacerdotes persaepe solitarii, in dioecesi dispersi, multis periculis ordinis moralis expositi desiderant — tot sacerdotes hoc mihi fatebantur —, ut etiam pro ipsis pater spiritualis, caritate et scientia praeditus, instituatur, qui adiumentum sanctitatis, incitamentum fraternitatis, custos perseverantiae esset. Obiicitur, quod haec institutio contra libertatem esset. Medicus corporis non est contra libertatem hominum, sic pater spiritualis etiam contra libertatem sacerdotalem non esset. Sacerdotes prima acies in proeliis Dei existunt, de eorum sanctitate maxima ex parte sanctitas populi Dei dependet. Quibus omnia media ac adiumenta sanctitatis porrigenda sunt!

2. Propono, ut in articulo etiamsi brevi sed separato, de necessitate mortificationis et poenitentiae, tum rationibus psychologicis tum theologicis fundatarum, loquatur. *Ratio*: Christus nobis caritatem cruce demonstravit. Sacerdos Christo in omnibus similis fiat. Fovendo spiritum poenitentiae caritatem erga Deum et animas maxime demonstrat ac similitudinem cum Christo consequitur. « Si quis vult me sequi, deneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me » (*Mc.* 8, 34). « ... Sine sanguinis effusione non fit remissio » (*Hebr.* 9, 22). Unice sacerdos mortificatus medicus mundi hedonismo obnoxii esse potest. Deinde mortificatione seipsum contra « varietatem quam maximam oblectamentorum quibus alliciuntur » custodire potest. Expressius ac fortius loquendum est de hac re contra negantes mortificationem, declarantes poenitentiam superfluam ac nocivam esse. De hac re nimis disperse dictum est!

3. Innuatur saltem in schemate existentia et solutio valde gravis ac concreti problematis, nempe problematis domesticarum sacerdotum. Saepe sacerdos coactus circumstantiis aliquam mulierem tanquam domesticam sumit. Si ista sine vero spiritu religioso servit, in damnum vitae moralis sacerdotis eiusque ministerii evadit. Periculum permanens! Hac de causa sacerdotes soli remanentes, sacerdotale ac domesticum munus exercentes damnum spirituale patiuntur. Innuatur formatio alicuius instituti saecularis mulierum, quae speciali modo ad munus domesticarum sacerdotum praepararentur.

4. Ne obliviscantur sacerdotes etiam in apostasia versantes. Cum caritate invitentur, ut ad Cor Christi et Ecclesiae revertantur orationibus totius Ecclesiae commendati!

85

EXC.MUS P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ
Episcopus Sideropolitanus

(Quamvis non sunt a 70 Patribus subscriptae, nihilominus peto ut legantur et pro possibilitate etiam deliberentur).

1. *Ad prooemium. a*) Propono, ut etiam in hoc schemate, similiter ut in schemate *de institutione sacerdotali* destinatarii clare nominentur. Qui, secundum meam opinionem, sunt sacerdotes saeculares et religiosi, saltem ii, qui in cura pastorali cuiusvis dioecesis laborant (cf. pag. 5, linn. 11 ss. supranominati schematis: « Quae sacerdotalis conformatio ob ipsam catholici sacerdotii unitatem, omnibus sacerdotibus utriusque cleri et cuiusvis ritus necessaria est; ideoque haec praescripta; quae clerum dioecesanum directe respiciunt, congrua congruis referendo, omnibus accommodanda sunt »).

b) Quia autem haec formula fons multorum dubiorum esse potest, uti de facto in praenominato schemate erit, peto ut consequentiae huius formulae aut similis, ubi dubia exoriri possint, clare pronuntientur. E. g. in nn. 6, 7, 9, et aliis.

2. *Ad n. 7.* 1) Divisio inter presbyteros dioecesanos et religiosos (pag. 24, lin. 5) mihi non videtur recta esse et propterea omittatur, quia non correspondet unitati presbyterii in unaquaque dioecesi. Omnes sacerdotes, etiam religiosi, saltem pro tempore commorationis et cooperationis in aliqua dioecesi ad clerum dioecesanum pertinent. Ergo tantum distinctio inter clerum saecularem et religiosum admitti potest, non autem inter clerum dioecesanum et religiosum (vide pag. 24, lin. 5, n. 7). Aut si forte verbum « saecularis » non placeat, in schemate « de utroque clero » tantum agatur.

2) In linn. 3 ss., pag. 25 associationes sacerdotales commendantur. Peto ut hac in connexione etiam aliquid dicatur de licentia sacerdotum sese associandi ad vitam communem in aliquo loco centrali, de quo postea suum laborem pastoralem in ista regione peragere possint. Talis ordinatio non pauca pro se haberet, e. g. ut sacerdotes, etiam saeculares, in communitate vivere possint, ad dialogum possibilitatem haberent, a variis curis vitae cotidianae liberi necnon a multis periculis, quae vita solitaria secumfert, securi essent. Ex altera parte talis ordinatio nullum detrimentum labori pastorali afferret, quia hodie variis mediis technicis (telephonicum, autocineta et alia) quivis locus facile adiri et attingi possit.

Propono ergo ut post verba « associationes » (pag. 25, lin. 4) addantur sequentia aut similia: « etiam vitam communem inter sacerdotes promoventes », quae etc.

Talis additio hunc finem haberet, ut postea ius canonicum, quod usque adhuc residentiam tam urget, ad hanc novam formam vitae sacerdotalis saecularis facilius adaptetur.

3. *Ad n. 8.* N. 8 satis ample, quod forte non esset necessarium, de presbyterorum cum laicis conversatione agit. Officia sacerdotis erga laicos demonstrantur (praeprimis pag. 25, linn. 35 ss.) et non minus etiam iura laicorum erga suos presbyteros (pag. 26, linn. 20 ss.).

Non satis, ut non dicam fere nihil, de officiis et de caritate laicorum (e. g. parochianorum et similium) erga suos sacerdotes dicuntur. Sine dubio talia officia existunt et eorum omissio pro sacerdotibus non raro non sine malis consequentiis remansit. Ita laici saepe non sufficiens adiumentum suis sacerdotibus praebent, eos solos relinquunt, eorum monitiones et invitationes non audiunt, cum iis non collaborant, pro iis non orant et non sibi conscii sunt, se suo modo etiam pro vita et moribus suorum sacerdotum responsabilitatem habere. Vita sacerdotalis tali negligentia non tantum difficilior evadit, sed etiam, uti experientia docet, saepe cum periculis pro vita sacerdotis coniuncta est. Forte unus aut alter sacerdos a recta via non defecisset, si laici satis pro suis sacerdotibus solliciti fuissent. Mihi ergo videtur, quod n. 8 non tantum de officiis presbyterorum et de iuribus laicorum agere debeat, sed non minus etiam de officiis laicorum, quae erga suos sacerdotes habent. Allusio ad decretum *de apostolatu laicorum,* quae forte fieri possit, non valet, quia ibi materia sub alio respectu tractatur.

Propono ergo ut n. 8: 1. abbreviatur, i. e. contentum huius numeri magis concinne dicatur; 2. ut nonnulla verba ad ita abbreviatum textum in sensu supra declarato addantur, quae, uti sequuntur, aut similiter sonare possint (post ultimum comma huius numeri): Ipsi (nempe fideles) autem ne obliviscantur, se etiam suis sacerdotibus obligatos esse et responsabilitatem coram Deo pro iis habere. Propterea eos libenter excipiant et pro possibilitate etiam eos adiuvent in variis suis sollicitudinibus, praeterea iis uti suis patribus et pastoribus cum amore filiali adhaereant, et denique eos iterum atque iterum in orationes suas includant, ut sacerdotes varias difficultates vitae suae sacerdotalis superent et ita omnes, pastor sicut et grex, in bono coram Deo crescant.

4. *Ad n. 14.* Quae de coelibatu dicuntur placent. Minus autem placet, coelibatum ad consilia evangelica, non autem ad eorum auctorem, nempe ad personam Christi reduci, ad cuius vitae imitationem et sequelam sacerdotes modo eximio destinati sunt. Si autem hoc prae oculis habeatur, coelibatus non tantum « multimodam convenientiam » cum statu sacerdotali habet, sed pro eo summe conveniens est.

Certe vera sunt, quae aliquis clarissimus Pater in aula de valore sacerdotii coniugati dixit, sed de eo non evenit, sacerdotium coelibatarium in suo adhuc existenti valore, deminui.

Peto ergo, ut in argumentis afferendis pro coelibatu sacerdotali etiam eius nexus cum persona Christi magis elaboretur et ita melius demonstretur, coelibatum pro vita sacerdotali summe convenientem esse. Sacerdotium coniugatum ita non deminuitur, quia coelibatus etiam in Ecclesia orientali tum de facto tum de iure existit.

86

EXC.MUS P. D. LUCIANUS LEBRUN
Episcopus Augustodunensis

N. 1. Objet: *C'est par l'Esprit-Saint que les prêtres sont ordonnés ministres du Christ, et ils le sont pour accomplir leur ministère dans l'Esprit même du Christ.*

La première partie du n. 1 définit la nature du presbytérat sans dire explicitement une seule fois que c'est par une onction spéciale de l'Esprit-Saint que les prêtres sont ordonnés, à leur rang, ministres du Christ. Le texte « recognitus » se trouve même, sur ce point, en retrait par rapport au texte « emendatus » (cf. pag. 13, ligne 5). Il importe beaucoup de réparer cette omission qui est regrettable en elle-même et par les conséquences qu'elle a sur le reste du Schéma.

I - *Cette omission est regrettable en elle-même.* Cette omission est d'abord très regrettable en elle-même, parce qu'il s'agit là d'une doctrine fondamentale qu'on ne peut se contenter de sous-entendre. Il est tout-à-fait anormal de ne mentionner qu'au n. 6 du présent schéma (pag. 12, lignes 16-18), et encore seulement « in obliquo », le don de l'Esprit-Saint qui est fait par l'Evêque au prêtre dans son ordination.

S'il est vrai qu'« il y a un ordre ou une hiérarchie des vérités de la doctrine catholique en raison de leur rapport différent avec les fondements de la foi chrétienne » (Décret *Unitatis redintegratio,* n. 11), il convient bien plutôt de donner au rôle de l'Esprit l'importance fondamentale qui lui revient dans une juste définition du presbytérat.

Mais cette omission est facilement réparable. En s'inspirant de la constitution *Lumen Gentium* le n. 1 commence, en effet, très heureusement par situer la consécration et la mission épiscopale et presbytérale dans le prolongement de la consécration et de la mission des Apôtres et du Christ lui-même. Or il suffit d'expliciter cette doctrine pour faire apparaître que le même Esprit qui a consacré Jésus pour sa mission consacre aussi Evêques et prêtres, comme avant eux les Apôtres, pourqu'ils accomplissent leur ministère au Nom du Christ et dans l'Esprit même du Christ.

L'Esprit-Saint descend sur Jésus au commencement de son ministère (cf. *Lc* 3, 22) et le Christ, dans sa première prédication, tient à commenter la prophétie d'Isaïe: « L'Esprit du Seigneur est sur moi, parce qu'il m'a consacré par l'onction pour m'envoyer porter la Bonne Nouvelle aux pauvres » (*Lc* 4, 18). De même Jésus n'associe pas les Apôtres à la mission qu'il a lui-même reçue du Père et n'en fait pas ses ministres sans leur prescrire d'attendre à Jérusalem la promesse du Père, c'est-à-dire le Saint-Esprit; et les Apôtres ne commencent effectivement leur ministère qu'après que cet Esprit soit descendu sur eux et les ait revêtus de sa force pour être jusqu'aux extremités

de la terre les témoins du Ressuscité (cf. *Act* 1, 4-8). A leur tour, c'est en communiquant le même Esprit par l'imposition des mains que les Apôtres ont consacré ministres du Christ leurs successeurs (*2 Tim* 1, 6), et depuis il en a toujours été ainsi dans l'Eglise. Sa Tradition est unanime sur ce point et dans toutes les Liturgies, qu'elles soient orientales ou latines, c'est toujours par un don spécial de l'Esprit-Saint que le sacrement de l'Ordre est conféré.

II - *Cette omission est regrettable par ses conséquences sur la suite du Schéma.*

Parce que le rôle du Saint-Esprit n'a pas été mis en lumière dans la définition du presbytérat, le Schéma est ensuite gêné pour définir le ministère sacerdotal comme un ministère dans l'Esprit-Saint.

Le ministère de la Nouvelle Alliance, confié par le Christ à ses Apôtres et par ceux-ci à leurs successeurs est pourtant défini par saint Paul, par opposition au ministère de l'Ancienne Alliance: *ministratio Spiritus* (*2 Cor* 3, 8). Cette définition inspirée, qui ne figure même pas dans le Schéma, lui permettrait pourtant de dire avec plus de justesse et de netteté en quoi, combien et à quelles conditions le ministère sacerdotal (presbytéral) est saint, sanctifiant et unifiant. Il l'est, en effet, dans l'exacte mesure où il est accompli dans l'Esprit même du Christ.

Ce qui importe à la justesse de la doctrine importe aussi, et par voie de conséquence, au rayonnement surnaturel du ministère des prêtres et à l'épanouissement de leur vie. Plus il leur sera clairement montré en quoi leur ministère n'est pas d'abord leur œuvre, mais celle de l'Esprit du Christ qui ne cesse de sanctifier l'Eglise, plus les prêtres comprendront que tout leur ministère est un constant appel à coopérer dans la foi avec cet Esprit pour le vrai service de l'Eglise. Quoi qu'un prêtre fasse, dès lors qu'il agit en vrai ministre du Christ, l'Esprit vivifiant est là, envoyé par le Christ, pour le faire avec lui. Et, en effet: quand le prêtre prêche authentiquement l'Evangile, seul l'Esprit-Saint peut donner à ceux qui accueillent la Parole de Dieu comme à celui qui en est le ministre, d'entendre cette Parole dans sa signification surnaturelle (cf. *1 Cor* 2, 12) et d'y répondre par la foi (cf. *Lumen Gentium*, n. 19: ... Evangelium ab audientibus Spiritu Sancto operante acceptum); quand le prêtre célèbre l'Eucharistie, c'est dans l'Esprit-Saint qu'il rend grâces au Père par le Christ, et c'est ce même Esprit qui convertit la substance des oblats en la substance du Corps et du Sang du Sauveur et qui rend ce Corps et ce Sang, pour ceux qui y communient dans la foi, source de vie éternelle (cf. *La Tradition Apostolique,* édit. BOTTE, coll. *Sources Chrétiennes,* p. 33); quand le prêtre absoud au Nom du Christ, l'Esprit-Saint est lui-même la rémission de tous les péchés (cf. Postcom. du mercredi des Quatre-temps de Pentecôte); quand le prêtre paît le Peuple de Dieu en vrai ministre du Christ, c'est encore l'Esprit-Saint qui est à l'œuvre, lui qui seul sait régir les âmes sans les violenter et les configurer intérieurement au Fils unique et bien-aimé; et quand le prêtre accomplit tous ces ministères en union avec ses confrères et dans la soumission et généreuse coopération avec son

Evêque, c'est encore l'Esprit qui « unit l'Eglise dans la communion et le service » (*Lumen Gentium,* n. 4).

Toute la doctrine développée dans le Schéma gagnerait à être située beaucoup plus ouvertement qu'elle ne l'est dans cette «Lumière de la Vie» (*Io.* 12, 35): elle y trouverait un principe de cohésion et d'unité interne.

III - *Raisons d'opportunité à mettre en valeur le rôle du Saint-Esprit.* Si nous demandons que le rôle du Saint-Esprit dans la théologie du ministère sacerdotal soit mis en lumière, c'est d'abord pour les raisons théologiques précédentes qui valent toujours par elles-mêmes, quelles que soient les circonstances, mais c'est aussi pour des raisons d'opportunité. Nous n'en donnerons que trois, et brièvement.

Qu'il soit permis à l'Evêque d'Autun, le diocèse de Taizé, de dire combien il est important du *point de vue œcuménique* que la théologie du ministère sacerdotal soit ouvertement présentée par le Concile dans le contexte plus large d'une pneumatologie.

Par ailleurs, s'y employer, c'est aussi permettre aux prêtres de mieux comprendre combien obéissance à l'Eglise et vraie docilité au Saint-Esprit vont de pair. Et il n'est sans doute pas de meilleur remède pour prévenir la *crise d'autorité* que le Souverain Pontife redoutait dans ses derniers discours (été 1965).

Plus profondément encore, on prémunira par là le clergé contre le *matérialisme* ambiant en lui faisant apprécier combien la véritable efficacité de son ministère est surnaturelle, et en le gardant de vouloir renouveler la face du monde autrement que par « les fruits de l'Esprit qui sont: charité, joie, paix, longanimité, affabilité, bonté, fidélité, mansuétude et tempérance » (*Gal.* 5, 22).

Pour toutes ces raisons qui motivent par avance les « modi » que nous proposons par ailleurs pour d'autres numéros de ce même schéma, nous demandons les brèves corrections suivantes au n. 1:

Pag. 12, lignes 7-9. Christus Dominus ad populum Dei pascendum semperque augendum, in Ecclesia sua per Spiritum Sanctum ministros instituit sacra potestate pollentes, qui etc.

Pag. 12, lignes 16-18. Rursus episcopi munus ministerii sui, subordinato tamen gradu, per manuum impositionem presbyteris legitime tradiderunt, ut in virtute Spiritus Sancti sint, ad rite explendam missionem apostolicam sibi a Christo concreditam, providi cooperatores ordinis episcopalis.

Pag. 12, lignes 31-33. Officium ergo non tantum episcopatus, verum etiam presbyteratus in ordine suo, est ministratio Spiritus (*2 Cor.* 3, 9) participans auctoritatem qua Christus ipse Corpus suum extruit, sanctificat et regit, etc.

Pag. 13, lignes 1-5. Sacerdotium enim presbyteri non tantum in initiationis christianae sacramentis fundatur, sed etiam peculiari initiatione sacramentali indiget, qua presbyter unctione Spiritus speciali modo Christo sacerdoti configuratur, ita ut etc.

Pag. 14, lignes 16-18. Ita enim solummodo possunt apto modo eis loqui

eosque adiuvare ut Evangelium totam suam imbuant vitam et in ea Spiritu Dei agantur (cf. *Rom.* 8, 14).

N. 2. Objet: *Le ministre de la Parole de Dieu coopère avec l'Esprit-Saint.* Des quatre corrections que nous proposons à ce n. 2, pag. 14

1. La première (ligne 23) et la dernière (ligne 38) visent à mettre en lumière le rôle du Saint Esprit dans l'accès à la foi et, par suite, combien le ministère de la Parole de Dieu fait du Prêtre le coopérateur de l'Esprit-Saint.

Nous avons développé dans notre amendement au n. 1 les motifs qui appellent ces corrections.

2. La deuxième (ligne 32) vise à souligner le devoir proprement missionnaire ou évangélisateur des prêtres.

Le texte « emendatus » précisait que les prêtres sont, comme ministres de la Parole de Dieu, débiteurs de tous les hommes, incroyants y compris. Cette mention spéciale des incroyants a été supprimée dans le texte « recognitus » sans qu'il en soit donné raison. Peut-être a-t-on pensé que la formule: « Omnibus enim, exemplo apostoli, debitores sunt » était par elle-même assez nette. Nous préférons cependant que soit souligné le devoir d'évangéliser les incroyants, en raison même de l'importance que cela revêt aujourd'hui et pour que les prêtres voient que l'Eglise les encourage à la confiance et à la hardiesse de la foi qui est requise pour un tel ministère (cf. *1 Thess.* 2, 2; *2 Cor.* 3, 12).

3. La troisième (ligne 37) est surtout stylistique. En utilisant des formules scripturaires (*Act.* 10, 45 et *Eph.* 3, 19), elle vise à donner un rythme trinitaire à la phrase qui définit le but de la prédication et à rappeler que l'objet et la fin de cette prédication n'est pas n'importe quelle foi mais la foi de l'Eglise.

En suivant le texte « recognitus » nous proposons donc les corrections suivantes:

Pag. 14, ligne 23. Verbo enim salutari, Spiritu Sancto illuminante (cf. *Lumen Gentium,* n. 10) suscitatur fides, etc. ...

Pag. 14, ligne 32. ... praeconium salutis cum multa fiducia in Deo (cf. *2 Cor.* 3, 12; *1 Thess.* 2, 2) omnibus annuntiare, fidelibus et incredulis, generali mandato Domini respondentes: ...

Pag. 14, lignes 35-39. Omnibus ergo debitores sunt presbyteri, ut cum eis communicent fidem Ecclesiae, gratiam Spiritus Sancti (*Act.* 10, 45) et plenitudinem Dei (*Eph.* 3, 19) quas in Domino habent. Cooperantibus igitur Spiritui Sancto, sive mysterium Christi annuntiant, etc. ...

N. 4. Objet: *Conduite des âmes et docilité au Saint-Esprit.* La première et la seconde partie de la pag. 17 (textus recognitus) ne s'enchaînent pas parfaitement.

Pour remédier à cet inconvénient nous proposons d'ajouter à la première de ces deux parties, c'est-à-dire au développement qui se termine lignes 18-19 par la recommandation de l'Apôtre à Timothée, une phrase brève qui, tout

en montrant pourquoi la docilité au Saint-Esprit est nécessaire au pasteur d'âmes désireux d'accomplir sa mission selon les exigences de la doctrine chrétienne, annoncerait le développement suivant consacré au prêtre éducateur de la foi et de la liberté chrétienne.

Militent par ailleurs en faveur d'une telle transition les arguments que nous avons développés dans notre amendement au n. 1 du présent schéma (nécessité de situer la théologie du ministère presbytéral dans le contexte plus large d'une pneumatologie).

Le parallélisme antithétique que nous mettons entre les verbes passifs *doceantur et agantur* qui terminent la transition que nous proposons et les verbes actifs *docere et agere* de la ligne 17 est intentionnelle: elle rappelle au prêtre qu'il n'est pas le premier acteur de son activité pastorale et qu'il est appelé de ce fait, dans l'exercice même de son ministère pastoral, à la « passivité » de type mystique qui doit, selon l'enseignement de saint Paul, caractériser toute la vie chrétienne (cf. *Rom.* 8, 14).

Nous nous sommes enfin efforcés de donner à notre transition le rythme trinitaire si heureusement présent dans la première phrase de ce n. 4.

Nous proposons donc la rédaction suivante, pag. 17, lignes 14 à 33: ... Presbyteri tamen non iuxta placita hominum (cf. *Gal.* 1, 10), sed iuxta exigentias doctrinae et vitae christianae docere et agere debent, monente Apostolo: « insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina » (*2 Tim.* 4, 2), et quia solius est Spiritus Sancti oves Christi regere sine ulla vi eis adhibita, instanter a Deo postulent ut ipsi Spiritu doceantur et agantur.

Presbyteri ergo, ut fidei educatores, singulos fideles ad suam ipsorum personalitatem secundum evangelicam fidem excolendam, ad sinceram operosamque caritatem et ad libertatem, qua Christus nos liberavit (cf. *Gal.* 4, 31; 5, 1; 5, 13), adducere debent.

N. 6. Objet: *De trois omissions concernant l'obéissance des prêtres à leurs Evêques, et d'un manque de rigueur sur la doctrine du sacerdoce ministériel.* L'abréviation de la dernière partie du n. 6, pag. 22-23, a entraîné l'omission par le texte « recognitus » de trois points importants qui figuraient dans le texte « emendatus » et qu'il semble très utile, voire nécessaire de conserver. La chose est d'ailleurs possible en ne faisant que de brèves retouches.

1. L'obéissance aux autorités instituées par le Christ dans l'Eglise a cette caractéristique essentielle d'être une obéissance dans et pour la communion fraternelle en Jésus-Christ (cf. *1 Io.* 1, 3). Cela était évoqué dans le texte emendatus pag. 22, lignes 24-25 et n'apparait plus dans le texte recognitus. Aussi proposons-nous d'écrire pag. 22, lignes 15-16: Suo igitur episcopo sincera caritate et oboedientia adhaereant in communione fraterna.

2. L'obéissance des prêtres et des fidèles d'un diocèse à leur Evêque ne se conçoit que si cet Evêque est lui-même en communion avec l'ensemble du Collège épiscopal et avec son chef. Il importe de le préciser si l'on veut que

le présent décret ait valeur universelle. Il suffit d'ailleurs pour cela de reprendre ce que le texte emendatus disait très heureusement pag. 22, lignes 34-35.

3. A la fin du texte emendatus, pag. 23, lignes 17-20, il était demandé à tous les prêtres, *etiam religiosi,* de collaborer unanimement avec l'Evêque sous l'autorité pastorale duquel ils se trouvent placés et avec l'ensemble du Corps épiscopal. Cette mention spéciale des prêtres qui sont religieux a disparu dans le texte recognitus et nous le regrettons car sur ce point comme sur les autres il est bon que les religieux soient exemplaires. Aussi demandons-nous que soit appliqué ici aux religieux prêtres ce qui est affirmé pour tous les religieux au n. 45 de la Constitution *Lumen Gentium*: « reverentiam et oboedientiam secundum canonicas leges praestare debent episcopis, ob eorum in Ecclesiis particularibus auctoritatem pastoralem et ob necessariam in labore apostolico unitatem et concordiam ». L'exemption, en effet, sagement prévue par l'Eglise pour la vie intérieure des Ordres et Instituts religieux, ne doit pas être étendue au ministère pasoral de leurs membres. Il peut suffire, pour indiquer cela, de commencer le paragraphe central de la pag. 22 (ligne 12) par les mots: *Omnes* presbyteri, etiam *religiosi,* ante oculos habent etc.

Signalons enfin que la note (1) de la pag. 22 (ligne 15) n'est pas pleinement satisfaisante. En effet, si d'une part on distingue en Jésus-Christ, comme le fait la constitution *Lumen Gentium,* une triple fonction « capitale » de Maître, de Pasteur et de Prêtre du Peuple de Dieu, et si d'autre part on observe que le propre du ministère hiérarchique est de rendre sacramentellement présent à l'Eglise pérégrinante le Christ-Chef et unique Médiateur entre Dieu et les hommes, dans sa triple fonction, ou, ce qui revient au même, d'exercer ces trois fonctions en son Nom, il est préférable de ne pas désigner par une seule d'entre elles, fut-ce celle de Souverain Pasteur des brebis (*Hebr.* 13, 20), les deux autres, même si elles y sont impliquées. On pourrait aussi bien dire que la fonction sacerdotale du Christ implique les deux autres puisqu'elle a raison de fin par rapport à elles (cf. Constitution *De sacra Liturgia* n. 10).

En attendant que le développement doctrinal ait précisé les rapports qu'ont entre elles les trois fonctions prophétique, pastorale et sacerdotale du Christ, il semble préférable de s'en tenir à ce qui est certain: Le Père a donné le Christ, au sommet de tout, pour tête à l'Eglise qui est son Corps (*Eph.* 1, 22) et c'est cette autorité du Christ-Chef que les prêtres doivent révérer dans les Evêques, successeurs des Apôtres.

Pour tenir compte de toutes ces remarques, nous proposons que les lignes 12 à 18 de la pag. 22 soient rédigées de la manière suivante: Omnes autem presbyteri, etiam religiosi, ante oculos habentes plenitudinem sacramenti Ordinis qua episcopi gaudent, in ipsis revereantur auctoritatem Christi-Capitis, supremi Magistri, aeterni Pastoris et summi Pontificis. Suo igitur episcopo, qui in sua Ecclesia particulari totum ordinem episcopalem veluti

praesentem ac efficacem reddit, sincera caritate et oboedientia adhaereant in communione fraterna, nec tantum etc.

N. 10. Objet: *Ne pas omettre le commandement du Seigneur de prier le Maître de la moisson.* A propos du soin que les Prêtres doivent avoir des vocations sacerdotales, le texte « recognitus » omet de rappeler le commandement formel que le Sauveur fit à ses disciples, de prier le Maître de la moisson d'envoyer des ouvriers à sa moisson. Il importe beaucoup de rappeler ce commandement du Sauveur et de le faire en terminant ce n. 10, car c'est en définitive la prière du Peuple de Dieu qui permettra à toutes les recommandations faites en ce numéro de porter leur fruit surnaturel.

Aussi proposons-nous de terminer le n. 10, pag. 30, ligne 27 de la manière suivante: « ... potest dari Christo maximum testimonium amoris. Praesertim presbyteri omnes fideles instruant suppliciter "rogare Dominum messis, sicut mandavit, ut mittat operarios in messem suam" (*Lc.* 10, 2) ».

N. 11. Objet: *Il faut préciser pourquoi et en quoi le ministère presbytéral ordonne à la perfection chrétienne.* Ce n'est pas l'exercice du ministère sacerdotal qui par lui-même sanctifie les prêtres, mais leur union à Jésus-Christ accomplissant lui-même par eux ce ministère.

La raison pour laquelle les prêtres sont ordonnés à la sainteté par tout leur ministère est donc qu'avant d'être leur œuvre, ce ministère est d'abord l'œuvre du Christ en personne, Maître unique, Souverain Prêtre et Pasteur éternel; et que, par suite, un tel ministère requiert de par sa nature même d'être accompli humblement au Nom du Christ et dans l'Esprit même du Christ.

Ce point est si important qu'il mérite d'être exprimé dans le n. 11 avec plus de netteté, aussi proposons-nous la correction suivante: pag. 31, lignes 16-19: « Quinimmo per ipsas cotidianas sacras actiones, quas humiliter exercet in nomine Domini, sicut et per integrum suum ministerium, quod in Spiritu Christi efficiendum est, ipse ad vitae perfectionem ordinatur ».

Enfin à la fin du n. 11, pag. 32, ligne 17, nous proposons d'écrire pour être plus fidèle à la pensée qui inspire la fin de ce numéro et l'ensemble du schéma: pag. 32, lignes 15-18: « ... vehementer hortatur omnes presbyteros ut ad illam semper maiorem sanctitatem tendant, qua possint esse in dies validiora instrumenta in propagationem fidei et servitium totius populi Dei ».

N. 12. Objet: *Correction stylistique.* L'expression utilisée pag. 33, ligne 12: « Officium Divinum recitare » n'est pas heureuse. Elle relève du langage parlé plus que du style des documents ecclésiastiques. Il serait préférable d'utiliser les verbes celebrare, peragere ou persolvere qui sont traditionnels quand il s'agit de l'Office Divin (cf. Constitution *de sacra Liturgia,* nn. 83 et 84).

Aussi proposons-nous la correction suivante: « ... in Officio Divino peragendo, vividum spiritum fidei et laudis excitent ».

N. 13. Objet: *C'est quand il est accompli dans l'Esprit du Christ que le ministère, si divers soit-il, loin de disperser, unifie la vie.* Pour les raisons

déjà exprimées dans nos amendements aux nn. 1 et 11 du présent schéma, et pour donner un rythme trinitaire à une proposition centrale, nous proposons la correction suivante, pag. 34, lignes 5-9: « Quod ut vitent, visionem rerum semper habeant supernaturalem, et meminerint semper officium suum talis esse naturae ut, si quod agunt agnoscant et adimpleant in Spiritu Dei, integra eorum vita ducat ad maiorem semper unionem cum Christo, quocum ut in opere Redemptionis cooperentur vocati sunt ».

N. 15. Objet: *Composition défectueuse du n. 15.* Importance du thème traditionnel de l'« Oratio continua ». Précision sur la dévotion des Prêtres envers la T. S. Vierge. C'est avec raison que ce n. 15, consacré aux moyens qui favorisent la vie intérieure des Prêtres, commence non pas par indiquer directement ces moyens, mais par rappeler l'idéal vers lequel doit tendre la vie spirituelle du prêtre et au service duquel doivent être employés les moyens: « Ante omnia presbyteri contendant... ».

Pour plus de netteté dans l'exposé et de justesse dans la doctrine, il convient donc que le premier paragraphe de ce n. 15 (pag. 38, ligne 26 à pag. 39, ligne 5) ne mélange pas les moyens à la fin et soit tout entier consacré à l'idéal proposé. Le second paragraphe pourrait alors commencer pag. 39, ligne 6, par: « Subsidia ad talem vitam interiorem fovendam », et non par: « Sed etiam alia subsidia ad vitam interiorem fovendam ».

Adopter ce plan amène à faire au premier paragraphe deux retouches qui ne sont pas de pure forme:

1. Le conseil d'invoquer souvent le Saint-Esprit, à la fin du premier paragraphe (pag. 39, lignes 3-4), ne fait pas corps avec ce qui précède. La comparaison du texte « recognitus » avec le texte « emendatus » suffit d'ailleurs à montrer qu'il s'agit d'une incise surajoutée. Or l'importance de son objet est tel que ce n'est pas à la fin mais au début du paragraphe qu'il faut en parler. Que le n. 15 commence donc par rappeler qu'il n'y a de mission apostolique véritable et de ministère sacerdotal authentique que vivifié par l'Esprit-Saint, et tout le reste, à commencer par l'intime union des prêtres à Jésus-Christ, découlera justement de ce que leur ministère est « ministratio Spiritus » (*2 Cor.* 3, 9).

2. Un Père a demandé (cf. note A, pag. 60) de ne pas donner comme moyen d'union au Christ l'oratio continua, dont il était fait mention dans le texte « emendatus » (pag. 38, ligne 28). Il est vrai que l'oratio continua est moins un moyen d'union au Christ que le contenu et l'expression de cette union habituelle, et, parce qu'en elle consiste l'épanouissement ici-bas de la vie de la grâce, cette oraison continuelle appartient davantage à l'ordre de la fin qu'à celui des moyens. L'exercice de l'oraison mentale, au contraire, est justement indiqué pag. 39, ligne 9 parmi les moyens.

Or le fait de consacrer le premier paragraphe à l'idéal de vie spirituelle vers lequel doivent tendre les prêtres non seulement permet mais demande expréssement que soit réintroduit ici, bien que d'une autre manière que dans le texte « emendatus », le grand thème traditionnel de l'oratio continua.

Ce thème est d'abord évangélique (cf. *Lc.* 18, 1) et Saint Paul le propose avec insistance à tout chrétien comme l'épanouissement normal ici-bas de la vie dans l'Esprit-Saint (cf. *Rom.* 12, 12; *Eph.* 5, 20; *Col.* 3, 17; *1 Thess.* 5, 17). Il en donne lui-même constamment l'exemple au milieu de ses labeurs apostoliques, soit qu'il implore, soit plus encore qu'il rende grâces (cf. *Eph.* 1, 16; *1 Thess.* 1, 2; etc.). Tous les maîtres spirituels en Orient (v. g. la tradition hésychaste et « la prière de Jésus ») comme en Occident (v. g. St François de Sales) ont commenté avec prédilection ce commandement évangélique de la prière continuelle qui se réalise quand la journée est parsemée d'invocations et, sous les mille formes que suggère l'Esprit-Saint, d'actes de foi, d'espérience et de charité.

Aussi demandons avec insistance que l'expression même d'oratio continua soit reprise dans le présent décret. Tout ce qui est dit dans les nn. 11, 12 et 13 se trouve d'ailleurs y introduire.

Par ailleurs, nous souhaitons que la dévotion des prêtres à la Mère du Souverain Prêtre et Pasteur soit plus explicitement mise en relation avec le ministère qu'ils accomplissent dans l'Esprit-Saint pour former Jésus-Christ dans les âmes. Et nous proposons pour cela de s'inspirer d'une phrase célèbre de Saint Louis Marie Grignon de Montfort: « Quand le Saint-Esprit trouve Marie dans une âme, il y vole pour y produire Jésus-Christ » (cf. *Traité de la vraie dévotion,* n. 36).

Pour tenir compte de ces diverses remarques, nous proposons la rédaction suivante:

15. Quia nihil prodesse potest ulla missio apostolica nisi a Spiritu Christi vivificetur (cf. *Io.* 6, 63; 15, 4-5), presbyteri ante omnia contendant ad arctiorem cum Christo unionem in oratione continua, quae e fide viva procedit sub inspiratione Spiritus Sancti, et qua magis magisque intelligere valent omnia opera proprii ministerii a se, tanquam Christi instrumentis, esse perficienda « in spiritu humilitatis » *et gratiarum actione.* Ita etiam etc. ... quae desunt passionum Christi (cf. *Col.* 1, 24).

Subsidia autem ad talem vitam interiorem fovendam, etc. ... exemplo demonstratur. Magni tandem faciant cultum Sanctissimae Eucharistiae, et devotionem erga Beatam Virginem: ipsa enim est Mater Summi et Aeterni Sacerdotis, ideoque Mater et Regina Apostolorum; praeterea ubi Virgo Maria, ibi ad formandum Christum Spiritus Sanctus adest.

Plurima quidem etc. ...

N. 16. Objet: *La suppression du « système bénéficial ».* La note (C) du n. 16, pag. 40, indique pourquoi la définition de l'Office ecclésiastique a été maintenue avec raison contre le souhait d'un Père, mais elle n'indique pas pourquoi à l'expression: « suppresso systemate sic dicto beneficiali », a été substituée la formule: « reformato systemate sic dicto beneficiali » (textus recognitus). La correction est pourtant d'importance!

En effet, maintenir un principe dont on sait bien quels abus il ne manquera pas d'entraîner comme par la force des choses, n'est-ce pas signifier

qu'on entend limiter la réforme envisagée à une déclaration d'intention. On ne guérit pas un mal sans en supprimer la cause.

Mais il y a plus. La suppression du « système bénéficial » était dans le texte « emendatus » l'aboutissement logique du principe de rémunération, très évangélique par sa teneur, donné quelques lignes plus haut: « ut, ratione habita locorum temporumque condicionum, remuneratio ab unoquoque percipienda, fundamentaliter eadem sit pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus » (lignes 5-8). Si on adopte un tel principe, et nous le souhaitons vivement, on ne voit pas qu'on puisse en même temps adopter celui qui est impliqué dans le système bénéficial et qui veut que les rémunérations augmentent à proportion des responsabilités pastorales. Une telle conception ruine la gratuité du ministère évangélique et empêche, en fait, assez souvent de confier les responsabilités les plus lourdes à ceux qui en seraient le plus capables.

De toute façon, il est capital que la Commission postconciliaire de révision du Droit Canon sache qu'il lui est demandé non pas d'essayer d'aménager le système bénéficial de façon que le bénéfice ne prime plus sur l'Office, mais de partir sur de nouvelles bases et notamment sur celle qui est donnée aux lignes 5-8 de la pag. 40, pour que l'Office ait effectivement toute priorité sur la rémunération.

Aussi, parce que le « système bénéficial » s'est en fait, dans le passé, malgré toutes les règlementations, presque toujours opposé à l'idéal de pauvreté évangélique que le Concile s'efforce de promouvoir, et plus encore peut-être parce que ce système ne correspond plus du tout à la situation de l'économie moderne, nous désirons non seulement la réforme, mais la suppression du système bénéficial.

Que le schéma revienne donc sur ce point au texte « emendatus »: « Quare, suppresso systemate sic dicto beneficiali, etc. ».

87

Exc.mus P. D. EMMANUEL LLOPIS IVORRA

Episcopus Cauriensis-Castrorum Caeciliorum

In pag. 14, in initio n. 2 textus recogniti (« Presbyteri verbi Dei ministri ») ubi invenimus « Populus Dei primum constituitur verbo Dei vivi, quod ... », additionem quamdam propono ut textus dicat: « Populus Dei primum constituitur gratia Spiritus Sancti et roboratur verbi Dei vivi, quod ... ».

Quaestio minoris momenti videtur. Hoc ego etiam cogito. Interest quidem constitutio populi Dei. Sed quo modo aut pacto ad eius constitutionem venimus? Verbo Dei, ab ore sacerdotum proditum, seu potius gratia Spiritus Sancti, qua verbum corde recipitur?

Hoc postremum censeo, quod si vobis placet, placerem et ego additionem intentam textui inserendi. *Rationes*:

1. Constitutio populi Dei aggregatione hominum efformatur. Sed non ideo ut vocare quam assensum vocationi obtinere. Sermo Dei in ore sacerdotum omnibus invitat ad ingressum. Gratia tantum consequitur acceptatio regni. Ergo regnum, id est, populus Dei, gratia Spiritus Sancti constituitur.

2. « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto (*Io.* 3, 5). Hanc nativitatem seu denuo renasci omnes intelligunt operationem internam Spiritus qua quis, seu omnis homo, ducitur ad populum Dei per susceptionem alicuius baptismi. Baptismum enim, eiusque gratia, praeit ac facit populum, ante susceptionem verbi ...

3. In missionum regionibus nec non populis nostris praedicatio verbi non tantum fidelibus, sed etiam adultis infidelibus ordinatur ut et ipsi fidem christianam recipiant. Praedicatio verbi tunc catechesi completur et adulti baptizantur. Sed forma adultorum baptismi extraordinaria est inter nos, cum Ecclesia expostulet parvulorum baptismum, quando homines inhabiles sunt actione directa sacrorum verborum.

Quae omnia, ceteris rationibus, brevitatis gratia, omissis, clariore luce mihi demonstrant populum Dei constitui gratia Spiritus Sancti ac firmius evadere seu roborari verbo Dei vivi; quare, attentis expositis, praedictam additionem etiam vobis trado, cuius acceptatione vobiscum gratulabor.

In pag. 14, super textum recognitum, n. 2, lin. 38, post punctum hanc additionem merito inserendam censeo: « Studio et orationi sese tradere debent ministri verbi Dei ut eorum verba sacrae contionis efficaciter fideles ducant ad altiorem vitam spiritualem ».

In hoc quidem schemate decreti *de ministerio et vita presbyterorum* invitationem habemus ad eorum studium et orationem mentalem, validis rationibus. Cum vita hominum ut unum totum consideranda est, si ipsis eloquimur de studio et oratione in ultima parte schematis, necessarium non videtur in altera ipsas quaestiones tractare.

Attamen ut doctrina magis elucescat contrarium mihi videtur et hoc propono, sequentibus observationibus:

1. In n. 2 huius schematis de ministerio verbum Dei praedicandi agitur quod presbyteris incumbit sub episcoporum ductu. Hic et nunc synthesim saltem doctrinae tradere debemus ut res non appareat debilis et incompleta. In referentia schematis de sacra contione, eius notionem, obligationem necnon et modos ipsam exercendi habemus. Attamen verbum unum non apparet circa principaliorem causam gratiae et efficaciae huius ministerii, sicuti est prae omnibus ut ministri studio et orationi vacent.

2. « Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus » (*1 Cor.* 3, 7).

Quibus verbis omnium Magister et Verbum Dei verum nobiscum incarnatum, omnibus docet necessitatem orationis in ministris Sacrae eloquentiae. Quia non importat praedicare sed bene praedicare, seu arcana cordis Dei

hominibus tradere. Sedulo studio et oratione sacerdos, homo Dei factus, Deo coniungitur ut Deum amplius cognoscat et ardentius diligat. E contra, verba sacerdotum verba tantum hominis erunt, de quibus apostolus « tamquam aes sonans aut cymbalum tinniens » (*1 Cor.* 13, 1).

Ergo hoc loco recursus spirituales sacrae contionis expandere debemus.

3. Novum instando iterum dico: Hominibus verbum Dei inservire tenemus efformationi conscientiae, gustui et honestis ac rectis appetentiis accommodatum. Hodie progressu rerum omnium, perfecta legum naturae cognitione, usu ampliori methodorum notitiarum eventumque diffusionis ... hominibus displicet sermo vacuus et doctrina carens. Haec omnia presbyteris suadent ad studium, reflexionem seriam et orationem.

Unde, vobis, Patres dilectissimi, propono adhaerere schemati supplicationem ut in sacris contionibus presbyteri sese tradant studio et iugi orationi.

Quod si bene vultis et ego vobiscum volo.

Pag. 20, lin. 12. Sermo hic agitatur de ministerio presbyterorum; schema caute progreditur omnibus patefaciens naturam et conditionem presbyterorum, quas quidem, et optime valde, inspicit in ipsorum missione dicens (pag. 12, lin. 21): « Presbyteri ergo, quamvis pontificatus apicem non habeant, et in exercenda sua missione ab episcopis pendeant, cum eis tamen sacerdotali honore coniuncti sunt, et, vi Sacramenti Ordinis, ad imaginem Christi, summi atque aeterni Sacerdotis, ad Evangelium praedicandum, fidelesque pascendum et ad cultum divinum celebrandum consecrantur ut veri sacerdotes Novi Testamenti ». Ex triplici hac altissima fonte, omnia iura et actus sacerdotales presbyterorum schema nostrum procedere sentit et explicat.

Secundam rationem, seu actuum radicem exponens nobis loquitur « de scientia et arte pastorali presbyterorum pro diversis adiunctis » et desiderans ipsis monstrare arduam et plenam eorum dedicationem studio ac pastorali arte, dicit « presbyteros esse plurimis quidem occupationibus implicatos ».

Hanc assertionem impugno ac, si vobis placeret, de schemate eradicaremus. *Rationes*:

1. Ad rem nec verbum, nec sensus pertinent.

2. Hae occupationes quibus presbyteri religarentur, ex contextu schematis, intelliguntur occupationes ministerio absonantes, ut non dicam ipso contrariae. Earum mentionem aliquis interpretasset ut assensus Concilii et legitimatio, quando vera mens Concilii mihi videtur est hortare presbyteros sese ex integro vacare ministeriis proprii officii et rebus cum eo connexis, episcopis notis ac approbantibus.

3. In postero etiam video quod si revera multi sunt presbyteri qui maxima diligentia de ministerio curant, etiam innumeri sunt, forsan plurimiores, qui in promptu absolvunt obligationes, quaecumque sint, et vehiculis, extra residentiam et fere otio sese tradunt.

Quare, si ipsos alloquimur, silentium ore teneamus de plurimis occupationibus quae ipsis implicant et hortemur sicut, sine verbis conscriptis bene,

annuntiat schema: « Quo facilius presbyteri in studio incumbant et methodos evangelizationis et apostolatus efficacius addiscant, omni cura ipsis opportuna subsidia comparentur ».

Sic ego intelligo; quod, tamen, omne, vestro superiori arbitrio subiicio.

Pag. 28, lin. 18. Maximi momenti hic agitatur quaestio: « Apta presbyterorum distributio ». Schema valide et luci clariore modo rem attentat et definit: sunt regiones clero plenae; alterae presbyteris carent, saltem numero efficaci. Unde ex illis in istis transferantur sacerdotes. Bene quidem in ipsa hac paragrapho, schema statuit: « Donum spirituale, quod presbyteri in ordinatione acceperunt, illos non ad limitatam et coarctatam tantum missionem praeparat, sed ad amplissimam et universalem missionem salutis "usque ad ultimum terrae" (*Act.* 1, 8), ita ut quodlibet sacerdotale ministerium participet ipsam universalem amplitudinem missionis a Christo apostolis concreditae. Sacerdotium enim Christi, de cuius plenitudine presbyteri participes facti sunt, ad omnes populos et ad omnia tempora necessario dirigitur, neque ullis limitibus sanguinis, nationis vel aetatis coarctatur ».

Unde, ex hac habitudine, principium desumitur « aptae presbyterorum distributionis ».

Illam intendere et facere, eos de una in aliam regionem redistribuentes, quamvis bonum, non optimum remedium videtur: in regionibus carentibus sacerdotibus sacerdotales vocationes sunt suscitandae.

Sic enim suadetur additio nostra: « Attamen cum in similibus adiunctis, Ecclesia et Magisterium Pontificum suam monstrent voluntatem et in omni regione ministri sacerdotes assumentur ex illius regionis incolis, nunc sacrosanctum hoc Concilium Episcopos et Ordinarios regionum clero carentium hortatur ut tota diligentia promoveant sacerdotes proprios propriae regionis ».

Rationes:

1. Cum eadem sit quaestio quam de opportunitate ac necessitate cleri indigenae pro missionibus, hic etiam illa argumenta valent quae eum in territoriis missionum iustificant. Splendidiora sole sunt ac semper in recordatione Magisterii; ideoque, pro brevitatis gratia, indicem sed non repetam.

2. Desumere sacerdotes de territorio unde eorum felicissima copia habetur, timorem gignat depauperationis spiritualis istius regionis; hoc, enim, malum non tantum futurum sed praesens etiam est, quia in dioecesibus presbyteris clarioribus iam deficentia notatur convenientis ministerii sacerdotalis assistentiae. Sicque suscitandi sunt sacerdotes cuiuscumque regionis ubi paucissimi numerantur. Ergo additio nostra merito proponitur.

3. Notandum, denique, quod universalis Ecclesiae conatus, iuvamen sacerdotale uni regioni extra ipsam tribuens, insufficiens semper erit et legitima illius regionis desideria ac stimula proprium clerum suscitandi laederet. Ergo praeter aptiorem presbyterorum distributionem, pro viribus exoptanda sunt cognomina ut « Dominus messis » advocet operarios in ipsa regione sacerdotibus carente. Significet hoc schema nostrum.

Si vobis placet, vobiscum gratulabor.

Pag. 30, lin. 27. Pro viribus debemus presbyteros exhortare ut ipsi maximam quoque ac diligentem curam habeant de vocationibus sacerdotalibus. Quamvis, enim, a gratia Dei, ab ipsa sodalium voluntate, a parentum ac aliorum iugi oratione et iuvamine vocatio pendeat, parum non est in quaestione, prudens ipsorum sacerdotum actio personalis et pastoralis.

Sed vocationes sacerdotales non tantum in genere et in supplicatione divina ac moderamine conscientiae iuvenum, in adhortationibus et in sacris contionibus presbyteri debent tutare. Ampliorem hiis relationem seu influentiam habent seminarium eiusque moderatores in sacerdotes conficiendos, si vobis verbum non displicet. Unde in perseverantia vocationum obtinenda etiam relationem video, inter presbyteros, maxime qui curam animarum agunt et Seminarium.

Miror, attamen, de silentio schematis in hac maximi momenti quaestione. Quare huic inserere propono aperte dicens schema: « Immo denique: curent presbyteri omnes praesertim qui animarum curam habent, intimam cum Seminario cooperationem ut multi vocati fiant et electi ». *Rationes*:

1. Iuvenes sacerdotii gratiam exoptantes a parochia exierunt et crebrius quam extra, intra ipsam primum vocationis verbum audierunt. Parochiae enim interest eos providere quos aqua baptismatis genuit et actione sua, verbi Dei nempe praedicatione, prima susceptione Sacrae Eucharistiae, Sacramentorum servitio, etc. aluit et roborat. Omnes insuper confirmant dependentiam mutuam existere inter sodales aspirantes et parochiam, ubi degunt sodalium parentes, amici, piae Associationes et organizationes apostolicae, ubi forsan vocationi sese operuerunt. Ergo quamvis in Seminario recipiantur adhuc et parochia et parochi, i. e., presbyteri debent pro ipsis providere.

2. Vocatio sacerdotalis externe conficitur et completur Episcoporum voto, quo postulantes acceptantur et sacramentali ordine signantur. Episcopus tamen levitas nec recipere nec conservare debet nisi ei certiori Seminarium faciat de iuvenum aptitudine. Cum ergo, de facto, etiam post in Seminario ingressum tirones degunt in parochia, hanc commorationem Seminarium videre et investigare tenet, sacerdotes et presbyteros cura animarum gaudentes interrogans. Inquisitioni enim huic honeste, recte et vere presbyteri respondere debent. Ergo et cum Seminario collaborare.

3. « Multi sunt vocati, pauci vero electi ». Cognomina non pauca ex omni Ecclesiae parte sunt Dominum messis deprecantes ut et electi fiant vocati. Nunc vero: defectio a via et maxima quaeque pericula vocationibus adversantia e mundo plus quam e Seminario proveniunt. Ergo eos invigilare et tuere parochia debet cum sint extra Seminarium.

His rationibus ego sum victus. Si etiam et vos, omnes una voce coetui episcoporum adprecemus ut schemati inserere iubeat: « Immo denique: curent presbyteri omnes, praesertim qui animarum curam habent, intimam cum Seminario cooperationem ut "multi vocati fiant et electi" ».

Pag. 37, lin. 11. Hoc loco sermo est, Patres carissimi, de congruis subsidiis quibus presbyteri uti debent ut continentia seu castitas refulgeant. Inter

quae (subsidia) principale et maximum, i. e., orationem spiritualem non invenimus. Sic se pronuntiat paragraphus nostra: « Quae quidem perfecta continentia, quam libera voluntate presbyteri amplectuntur, in mundo huius temporis fere impossibilis non paucis consideratur. Quae autem "impossibilia apud homines, possibilia sunt apud Deum"; ideoque donum illud, a Patre datum, a presbyteris perseveranter postulandum est, et in humilitate custodiendum, adhibitis congruis subsidiis, quae a traditione Ecclesiae, necnon ab scientia psychologica commendantur. Inter illa vero reponi debent: cordis cogitationumque custodia, vitae disciplina, passionum moderatio, christiana mortificatio, ardens vita spiritualis, devotio erga Sanctissimam Eucharistiam et Beatam Virginem Mariam, ac denique illa omnia » ... etc. Hic deficitur specialis orationis spiritualis mentio. Unde eam addere omnibus propono. *Rationes*:

1. Christus Dominus sese omnibus nobis exemplum tradit: « Discite a me ». Ipse est et cultor et omnium virtutum amator, ideoque perfectissimae castitatis. Exemplar enim nostrum nos aspicere ac attente considerare debemus ut eius vestigia sequamur. Hanc tot nostrarum potentiarum facultatumque spiritualem elevationem sine divina oratione attingere non possumus. Ergo ad perfectam continentiam observandam orationi mentali recurrere debemus. Unde et hoc in schemate notare praestantissimum est.

2. Specialem difficultatem perfectae castitatis observandi adesse schema ipsum confitetur, et asserit: « Quae autem impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum ». Ubi enim viam inveniemus possibilia faciendi hominibus, opere Dei, impossibilia? Perseverante et iugi oratione. Ergo ...

3. Schema enumerare voluit si non omnia saltem utique principaliora media seu subsidia acquirendi et in praxim tradendi perfectam castitatem. Optima sunt insignita iuvamina. Sed forsan presbyteri mirarentur si cordis cogitationumque custodia, passionum moderatio, christiana mortificatio inter cetera proponantur et una, scil., elevatio mentis in Deum excludatur. Sacra Scriptura, Patres, auctores, vita et exempla sanctorum, propriaque experientia ... nos haec omnia docent sine mentali oratione, qua Deo coniungimur, continentiam vitae et castitatem vires humanas superare. Referre enim publice importet quod omnes in cordis secreto habemus.

His rationibus firmatus vobis dico, Patres et dilecti et desideratissimi, opportunitatem et necessitatem in schemate conscribendi propositam additionem sicque, prima fonte, omnibus appareat Concilium hoc nostrum mentalem orationem suadere inter praecipua media quibus amplexatur roboraturque continentia et virginitas vitae. Quare et dicta et audita in additione, ultimo vestro altiori iudicio submitto.

Pag. 38, lin. 4. De clericorum seu presbyterorum paupertate studium faciens Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum II maximae instantiae quaestionem facit, tot ephemeridibus, diffusionis mediis valde nostris temporibus agitatam. Maximum ergo importat « vigilanti verbo » progressum facere ut verae paupertatis validum testimonium « et dictis et factis »

omnes presbyteri praestemus. Ultro mihi visum est incompletum, hac in parte, schema remanere, quare aliqua addenda puto ita ut convenienti hoc loco textus, prodita affirmatione: « Prae ceteris fidelibus ministri Christi animo ab imo dico amore rerum temporalium soluto eluceant atque ab omni specie vanitatis fugiant », continuo dicat: « Se ipsos exhibendos illa paupertatis forma praeditos quae ministerio sacerdotali non dedeceat ». *Rationes*:

1. Non omnis paupertas presbyteris convenit. In mundo sumus ubi si testimonium paupertatis necessarium intelligimus ad pauperes et operarios attrahendos, etiam divites alloqui et evangelizare debemus. Et non tantum stricto verbo « divites » sed homines, in genere, retrahuntur, nec audiunt, nec considerant pauperem quemquam, quisquis ille sit. Cum sacerdos omnibus missus sit, spiritum quidem paupertatis semper habere oportet, sed signa externa extremae paupertatis corrigere debet.

2. Paupertatem hinc intelligimus carentiam bonorum victui convenientium. Schema in n. 16 considerat « aequa remuneratio presbyteris providenda » et dicit « Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere ». Postea haec Concilio proponit approbanda: « Quapropter episcopi curent ... ut normae instituantur, quibus debite consulatur honestae sustentationi eorum qui in populi Dei servitium aliquo munere funguntur vel functi sunt, ita quidem ut, ratione habitaculorum temporumque conditionem, remuneratio ab unoquoque percipienda fundamentaliter eadem sit pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus, eorum conditioni sit congrua et eis praeterea tribuat facultatem per se ipsos indigentibus aliqua ratione subveniendi ». Si ergo presbyteros aliqua bona propria sic interest habere ut possint per se ipsos indigentes subvenire, illi indigentes vel pauperes, stricto sensu, non erunt. Ergo non omnis, sed ordinata paupertas eis convenit.

Propterea, Patres, vobis reverenter formulam statuendam propono: « Se ipsos exhibendos illa paupertatis forma praeditos quae ministerio sacerdotali non dedeceat ».

Semper ac attente si vobis placet.

Pag. 41, lin. 7. Perutile quidem omnibus apparet, reverendissimi ac dilectissimi Patres, sollicitudine habere Concilium considerans res omnes quae presbyteris quocumque modo attingant. Ex quibus, quaestionem facere (n. 17) « De recto usu bonorum » toto corde plaudimus. Sed nobis displicet quam vidimus oblivionem parentum quando schema, usum bonorum concordat his verbis: « Presbyteri, non secus ac episcopi, adhibeant imprimis ad suam honestam sustentationem et ad officiorum proprii status adimpletionem; quae vero supersint, in bonum Ecclesiae vel in opera caritatis destinare velint ». Hic ego, si vobis placet, propono additionem: « Attenta semper congrua et honesta parentum ac familiarium sacerdotis, subventione ». *Rationes*:

1. Concilium obstare non debet, sed legi naturali ac positivo-divinae oboedire. Nemo est qui non admittat subvenire pauperes praesertim ac aliquando et familiares etiam esse praeceptum natura stabilitum ac auctoritate

Sacrae Scripturae sancitum: Sanctus Paulus dicit: « Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior » (*1 Tim.* 5, 8).

Ergo nos in Concilio, hoc schemate, summare et recordare debemus.

2. Filii parentibus obstricti sumus honore et reverentia, eis debitis. « Filii, obedite parentibus vestris: hoc enim iustum est. Honora patrem tuum, et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, et sis longaevus super terram » (*Eph.* 6, 1-3).

Iam vero: Honor et reverentia important attentionem etiam oeconomicam, maxime si ipsa parentes indigent. Ergo ...

3. Presbyteros Concilium alloquitur ut in opera caritatis velint destinare bona propria quae supersint. Caritas non opponitur, sed hic iustitiae coaptatur. Caritas enim et iustitia exigunt retribuere parentibus ea saltem quae pro filiorum sustentationem, studia et victui necessaria, etc. ipsi primo dederunt. Ergo filii presbyteri tenentur congruam et honestam subventionem parentibus praestare. Et nos hic discretis verbis confirmare.

Quod, si vobis addere placet, et ego vobiscum gratulabor.

88

Exc.mus P. D. FERDINANDUS LONGINOTTI
Episcopus S. Severini

Intendo revocare ea quae dicuntur: n. 6, pag. 22, linn. 12 s.; et n. 14, pag. 38, linn. 8-25.

Compertum est Summum Pontificem Paulum VI f. r. in audientia generali die 14-7-1965 dixisse: « Oggi poi tutti sanno come questo stato d'animo ostile al principio d'autorità sia molto diffuso, non solo nella società temporale, ma si manifesti in diversi settori della stessa vita cattolica.

L'obbedienza, cioè il riconoscimento cordiale e pratico dell'autorità, è messa continuamente in questione, come contraria allo sviluppo della persona umana, come indegna di esseri liberi, maturi e adulti, come metodicamente sbagliata, quasi creasse spiriti deboli e passivi, e perpetuasse nei tempi moderni criteri sorpassati di rapporti sociali. Vi è chi pensa essere meritorio affrontare il rischio della disobbedienza liberatrice, ed essere gioco lodevole mettere l'autorità di fronte al fatto compiuto. E non mancano persone di ingegno che, forse senza dirlo apertamente, si illudono che si possa essere eccellenti, o almeno sufficienti cattolici rivendicando per sé una assoluta autonomia di pensiero e di azione, sottraendosi a qualsiasi positivo rapporto, non solo di subordinazione, ma altresì di rispetto e di colleganza con chi nella Chiesa riveste funzioni di responsabilità e di direzione ».

Ad haec confirmanda vellem recolere esse huc atque illuc unum alterumve ecclesiasticum qui dicat — forsan bona fide — se teneri in conscientia ad non oboediendum quando verbum vel praeceptum Superioris (episcopi) eidem

non appareant rationabilia. Hoc exigitur dignitate personae humanae quae praestare potest et debet solummodo rationabile obsequium (*Rom.* 12, 1).

Haec omnia videntur suadere: 1) opportunum esse simul colligere ea quae in schemate duplici loco exponuntur; 2) esse necessariam clariorem declarationem circa fundamentum, naturam, necessitatem verae oboedientiae sive pro sanctitate personali ipsius sacerdotis sive pro eiusdem ministerii fecunditate (*Lc.* 5, 5).

Et hoc quidem iuxta adhortationem Apostolicam *Menti nostrae* Papae Pii XII f. r. die 23-9-1950: « Illius humilitatis studium, quae fidei luce collustraretur, hominem ad quandam voluntatis immolationem per debitam oboedientiam compellit. Christus ipse in societate a se condita legitimam constituit auctoritatem, quae suam in aevum perpetuaret: quamobrem qui Ecclesiae obtemperat moderatoribus, Divino ipsi Redemptori obtemperat.

Aetate hac nostra cum auctoritatis fundamentum temerario ausu concutiatur, opus omnino est ut sacerdos, fidei praecepta firma retinens mente, hanc eandem auctoritatem agnoscat riteque observet, veluti necessarium non modo religiosarum ac socialium rerum tutamentum, sed suae etiam ipsius procurandae sanctitatis principium. Dum divini nominis osores nefaria quadam calliditate immodicas nonnullorum cupidines incitare ac pellicere idcirco enituntur, ut adversus Sanctae Matris Ecclesiae iussa eos erigant, debitis Nos cupimus exornare laudibus paternoque confirmare animo frequentissimum illorum sacrorum administrorum agmen, qui quidem ut christianam suam oboedientiam luculenter profiterentur, utque integerrimam suam fidelitatem erga Christum ab eoque constitutam auctoritatem servarent incolumem, "digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati" ac non solum contumelias sed insectationes, sed carcerem atque etiam mortem ».

Ceterum non deberent aliquid docere: et exemplum Christi Domini fatentis: « Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me ut perficiam opus eius » (*Io.* 4, 34) et condicio eius naturae assumptae quae, vi unionis hypostaticae, caret quidem personalitate humana, sed perficitur excellentissime persona Verbi?

89

EXC.MUS P. D. AUGUSTINUS IOACHIM LOPES DE MOURA
Episcopus Portalegrensis-Castri Albi

Textus noster, ut recognitus exhibetur, multum indubitanter confert tum ad ministerium sacerdotale magis magisque definiendum, tum ad vitam sacerdotalem cum veri germanique discipuli Christi evangelica imagine intimius compaginandam.

Ad amplius autem progrediendum in textus recognitione, triplicem animadversionem vestro iudicio submisse proponam:

I. N. 4 (pag. 17) legitur: « Parum proderit caeremonias, etsi pulchras, vel consociationes, etsi numerosas, curare, si de educandis hominibus usque

ad maturitatem christianam insufficiens studium habeatur ». Haec formula, prout prostat, retinenda non videtur quia: *a*) caerimoniae liturgicae, magis si pulchrae conspiciuntur, maxime si dilucide explicentur, nedum obstent, multum ad maturitatem christianam adipiscendam adiuvant; *b*) consociationes, autem, si sodales ad maturitatem christianam non adducunt in earum commune fine obtinendo deficiunt. Igitur, quae ut opposita innuebantur, ut media, positis ponendis, adhibeantur.

II. N. 7 agitur, inter alia, de associationibus sacerdotalem sanctitatem inservientibus.

Curandum videtur ut, in limine, pericula arceantur, ne in sacerdotum vita duplex quaedam auctoritas praeter intentionem instituatur, ne servitium dioecesis et associationis optata inter se collideant, ne in sacerdotum persona aliqua divisio paulatim appareat.

Cur omnia adminicula vitae spiritualis sacerdotum ab ipsa Ecclesiae dioecesanae vitali ac supernaturali fonte non scaturiunt?

Cur sacerdotes dioecesani, formaliter qua tales, non omnia sanctificationis media obtinere possunt, etiam veram et completam consiliorum evangelicorum professionem, quin ad instituta saecularia aggregentur?

III. Desideratur in textu aliquod verbum de habitu sacerdotali, forsitan cum in n. 14 de habitatione sermo est et sacerdotes ab omni specie vanitatis fugere exhortantur.

Conveniens immo necessarium videtur hoc argumentum tangere quia: *a*) ipse spiritus paupertatis in textu enucleatus ad aliquam aequalitatem nos invitat quae, in indumentis, clare manifestatur; *b*) consecratio sacerdotis et eius totalis deditio Deo exterius per signum inaequivocum exhibenda est, ut Sacerdos testis visibilis Regni Dei ab omnibus hominibus immediate conspiciatur; *c*) inter « nostri temporis signa » germana sic dicta « authenticitas » adnumeratur, cuius exigentia est ut sacerdos qua talis, semper et ubique, ab omnibus distinguatur; *d*) hoc in mundo signis multiformibus materialismi, etiam athei, insignito, omnino fas est ut minister Christi suo habitu, incessu, verbis et operibus, in memoriam omnium revocet, et quidem sine aliqua dubitatione, suam ad Deum relationem personalem et sic, semper, et ubique, et pro omnibus hominibus ut epiphania Dei inveniatur.

90

EXC.MUS P. D. CAROLUS MACCARI
Archiepiscopus Montis Regalis in Pedemonte

Schema in textu « recognito » generatim valde placet. De opere egregie confecto gratias plurimas membris Commissionis agens, velim speciali ratione sublineare doctrinae aequilibrium quod in genere harmonice componere conatur nova et vetera in re tanti ponderis, ex una parte vive inserendo mis-

sionem sacerdotalem in contextu historico nostrae aetatis, ex altera opportune servando ea quae decursu saeculorum sancta Mater Ecclesia, sapientia atque experientia divinitus illuminata, acquisivit firmiterque tenuit. Sperandum est ergo Decretum nostrum, iuxta vota ac suggestiones Patrum in aula attente revisum, fore ut documentum evadat aptissimum ad ministerium vitamque Sacerdotum, nobis in Christo dilectorum, melius in dies respondentia sublimi vocationi omnes homines evangelizandi ac salvandi.

Stylus quoque placet, etsi forsan nimis exhortativus, quia afflatu pastorali pervaditur sinceraque veneratione et caritate erga carissimos cooperatores nostros.

Animadversiones, quas modo exponere audeo, ad hoc unum tendunt, ut schema compleatur ac perficiatur.

1. Ad n. 1, pag. 12, linn. 10-13: sacra presbyterorum potestas dicitur consistere in « exercendo » virtutem perennem sacerdotii Christi et in eiusdem actionem salvificam « manifestam reddendo »; at verba « exercere » et « manifestam ostendere » non videntur adaequate pleneque sub aspectu dogmatico exprimere vim salvificam actionis Christi, quam Sacerdos non tantum manifestam ostendit sed reapse applicat ad animarum salutem. Semper in eodem n. 1, pag. 13-14, linn. 21 ss., quae dicuntur circa missionem sacerdotalem inter homines aliquatenus modificanda sunt, ne ministerium sacrum in mundo hodierno magis inclinatum appareat ad res humanas quam ad res divinas. Tendentia (et periculum) actionis pastoralis nostris diebus non tam consistit in aliqua sacerdotis tentatione sese ab hominibus segregandi, quam in tentatione contraria. In praxi, sane arduum est mediam viam hac in re tenere et ministerium sacerdotale in suo ordine conservare. At officium est Concilii presbyteros cuiuscumque aetatis, et praesertim iuniores, paterno animo exhortandi ad virtutem prudentiae et ad supernaturalem rerum visionem, ne cum hominibus conversatio, semper magis necessaria atque intensa, in damnum sit et ipsorum vitae interioris et eorum ministerii authenticae foecunditatis. Sequitur inde quod instrumenta technica apostolatus moderni sunt utique commendanda utpote valde utilia, immo haud raro etiam necessaria, sed non ut aliquid absolutum ad fructuosam sacri ministerii actuationem. Sub hoc respectu, supprimenda vel temperanda est affirmatio in linn. 16-18: loco « Ita enim solummodo possunt apto modo eis loqui eosque adiuvare etc. », dicatur « Ita enim possunt aptiori modo eis loqui etc. ».

2. Ad n. 2, pag. 14, lin. 20, non dicerem « populum Dei primum *constitui* verbo Dei vivi », quia, etsi ministratio divini verbi est via ordinaria per quam fides in audientibus suscitatur, non tamen per se sufficit ad populum Dei « constituendum »; eumdem e contra illuminat, roborat, vivificat.

3. Ad n. 3, pag. 15, linn. 24-25, nova propositio admissa in textu recognito — nempe « qui in Liturgia sacerdotale munus suum iugiter exercet » — non necessaria videtur nec sine opportuna explicatione accipienda, quia Dominus Christus sacerdotale munus suum non solummodo in sacra Liturgia exercet. In eodem n. 3, pag. 16, perquam opportune addita fuit explicita

mentio Poenitentiae Sacramenti; at sacerdotale munus in ordine ad hoc Sacramentum (sicut ceterum ad alia) non potest reduci ad institutionem catecheticam, qua fideles ad Poenitentiam praeparantur, sed completur et expletur recta Sacramenti administratione. Sacerdotes igitur hortandi sunt, ut sedulo fideles instituant ad fructuosam Poenitentiae receptionem, sed praeterea et speciali ratione ut huius Sacramenti sint administri rite parati, prudentes, generosi.

4. Ad n. 4, pag. 17, linn. 13-15, quid significent verba haec « Etsi enim expediat actionem pastoralem etiam per modum dialogi exercere », sincere non video. Darine potest vera actio pastoralis, in genere sumpta, quae in sua explicatione non fiat per modum alicuius dialogi? Quodsi « dialogus » heic sensum peculiarem retinet, clare explicetur ad confusiones et ambiguitates vitandas. In eodem n. 4, pag. 17, lin. 28, minus placet incisum « ut fidei educatores », quia eius significatio praecisa et perspicua non apparet. Fortasse, melius contextui responderet dictio « ut veri Christi pastores »; quorum vero actio educativa et formativa personalitatis fidelium excludere nequit supernaturalem functionem *spei;* quare, post mentionem fidei et caritatis, addatur oportet et spei mentio.

5. Ad n. 15, pag. 38-39, subsidia ad vitam interiorem Sacerdotis fovendam opportunissime vim suam hauriunt ex unione cum Christo in diem arctiore. Haec autem unio, intima ac suavissima, cotidie actuatur aliturque per celebrationem Mysterii Eucharistici, quod est centrum pietatis ac apostolicae navitatis Sacerdotis. Schema, e contra, cultum Ss. Eucharistiae ponit ultimo loco (pag. 39, linn. 17-18).

91

Exc.mus P. D. CAROLUS GARRET MALONEY

Episcopus tit. Capsitanus, aux. Ludovicopolitanus

N. 4, pag. 18, linn. 8-21: in genesi huius pericopae omnes fere laici commemorationem gradatim consecuti sunt, praetermissis tantummodo iis qui ad vitam innuptam vocati sunt.

Atqui in unaquaque paroecia vel instituto spes Ecclesiae speciali modo etiam in his elucet.

Ergo aut omittantur quidam ex recensitis aut addantur verba huiusmodi: « necnon vocationi innuptae deditorum », ita ut linn. 16-17 legantur: « et insuper coniugum ac parentum necnon vocationi innuptae deditorum, qui ut in amicales coetus etc. ».

92

EXC.MUS P. D. GEORGIUS MANRIQUE HURTADO
Episcopus Orurensis

Schema in genere placet. Aliqua tamen desiderantur perpolienda. Quae sunt:

I - Bene distinguatur inter naturam theologicam presbyteratus, i. e. id quod ordinatio sacramentalis eis confert (missionem universalem, munera, ministeria) in adiutorium ordinis episcopalis, et naturam canonicam, i. e. circumscriptio campus in quo exercenda sunt ministeria et adimplenda est illa missio universalis. Ex natura enim theologica presbyter habet missionem divinam universalem, quae circumscribitur a missione canonica; ex natura theologica presbyter fit adiutor et cooperator ordinis episcopalis, ex missione autem canonica fit cooperator in concreto illius Episcopi cui adsignatur; ex natura theologica seu vi ordinationis sacramentalis omnes presbyteri sunt « adiutorium et organum » ordinis episcopalis et efformant ordinem presbyteralem, ex missione autem canonica omnes presbyteri uno Episcopo adsignati efformant cum et sub ipso episcopo presbyterium.

Haec omnia, quae sufficienter in constitutione dogmatica continebantur loquendo de episcopis, hic in hoc schemate confunduntur.

Peto ergo ut schema revideatur sub his principiis, praesertim in nn. 1, 7 et 8.

II - Schema nec etiam principia communionis inter ordinem presbyteralem et ordinem episcopalem sufficienter statuit, in n. 6.

Omnes enim, sive presbyteri sive episcopi in eodem sacramento, alii non plene, alii autem plene recepto, et exinde in eodem sacerdotio et ministerio Christi, alii non plene alii autem plene, participant. Presbyteri ergo et episcopi inter se intime et fraterne coniunguntur in eodem sacramento et in eodem sacerdotio: *Fratres ergo sunt.* At etiam, quia presbyteri sunt in adiutorium ordinis episcopalis, sunt sub ordine episcopali et cum ipso et sub ipso exercere tenentur propriam missionem et propria munera in ordinatione recepta. Unde communio hierarchica, presbyterorum erga Ordinem episcopalem. Unde episcopi dici possunt patres presbyterorum.

Haec autem communio non sufficienter exprimitur in schemate, et subordinatio hierarchica, etsi iterum atque iterum diversis modis et verbis iteretur, non sufficienter fundatur vel exprimitur. Ex quo apparet quasi fundamentatio mere practica, non doctrinalis.

Corrigenda ergo et perpolienda haec omnia videntur ad tenorem constitutionis *de Ecclesia,* cap. III, in qua bene et distincte distinguebatur communio et subordinatio hierarchica, ita ut felix formula « Communio hierarchica » inventa fuerit, quae tamen plene ignoratur in hoc schema.

III - Exinde sequitur in schemate quod etsi insistatur in subordinatione presbyterorum relate ad episcopos, hoc fiat inadaequate relate ad episcopum proprium repente et absque sufficienti ratione theologica. Dependentia enim a proprio Episcopo fit per missionem canonicam (per incardinationem), tamquam modus canonicus quo illa dependentia theologica et ex natura ipsa sacramenti recepti relate ad totum ordinem episcopalem, concretisatur ad fit ut in concreto sit relate ad episcopum proprium. Quod in n. 6 non sufficienter exprimitur. Unde perpoliendus est.

IV - Ex alia parte, ex insufficienti expressione theologica, illius communionis inter presbyteros et episcopos, in schemate apparet quasi maiorem differentiam et distantiam inter episcopos et presbyteros in eodem sacramento et sacerdotio communicantes, quam inter presbyteros et laicos (cf. n. 8); quod tamen verum non est, etenim laici distinguuntur a presbyteris ex sacramento Ordinis. Unde inter laicos et presbyteros communio in eodem ordine et sacerdotio non datur.

V - Etiam videndum est ut perpoliatur in eodem n. 8, pag. 26, linn. 28-31, cum loquitur de agnitione et promotione dignitatis et missionis laicorum. Ita proponimus textus corrigendus: « ... Presbyteri sincere laicorum dignitatem atque peculiarem, quam in missione Ecclesiae habent partem, ita agnoscant et promoveant, ut non substituant propriam eorum responsabilitatem sed alliciant et attente efformantes impulsent ». *Ratio* enim huius additionis patet: sacerdos enim, sicut a fortiori ipse Episcopus, « totam missionem salvificam Ecclesiae versus mundum in se soli (non) suscipiant », seu clericalismum non exerceant, ut in constitutione *de Ecclesia,* n. 30 optime dicebatur.

VI - Ultime, proponere audeo ut, considerantes quod ex hoc Concilio, et specifice ex cap. III constitutionis *de Ecclesia* et ex totis schematibus *de episcoporum munere* et *de ministerio et vita presbyterorum,* novi episcopi et novi presbyteri exsurgent, ut fructus huius Concilii, sicut ex Tridentino exsurrexerunt Episcopi sic dicti « tridentini » spiritus, consideranter etiam quod hic novus spiritus Vaticani II debetur magno Pontifici Ioanni XXIII, qui Concilium nuntiavit, convocavit et incoepit, cumque omnes cognoscamus et agnoscamus magnam figuram et sanctitatem illius hominis venientis, cuius nomen Ioannes XXIII, peto ut Ioannes XXIII in numero sanctorum Ecclesiae inscribatur et a Concilio per acclamationem canonisetur, vel saltem quam primum processum canonisationis inchoetur.

Nemo enim est qui non videat omnes magnos huius Concilii fructus huic Pontifici Maximo nos debere, cum divina Providentia per ipsum in Ecclesia perpulcherrime et perfructuose adlaboraverit.

Itaque instanter, instantius et instantissime peto ut sic fiat, in memoriam, in gratiarum Ecclesiae actionem, in ornamentum Ecclesiae, in exemplum omnibus fidelibus et mundo, qui ipsum iam colunt et ex imo cordis amant et invocant ut « patrem pauperum » qui « Mater et Magistra », « Pacem in terris », « Sacerdotii nostri primordia », « Ad Petri cathedram » aliaque ma-

gnifice scripsit; qui pro pace et amore omnium hominum ita adlaboravit ut praemium internationale pacis ei concederetur; qui novi hominis exemplum coram omni Ecclesia et omnibus hominibus dedit; qui novam faciem Ecclesiae dare voluit ut omnes ad unitatem promoverentur ... Praesertim ut bonum exemplar pro omnibus episcopis pastoribus et presbyteris cooperantibus fuit, ita ut de ipso sicut et Apostolus Paulus de seipso dixit, dici possit: « imitatores mei estote sicut et ego Christi » (*1 Cor.* 4, 17).

Ita enim iam ab initio post-Concilii exemplarem quod imitandum, ad quod invocandum, habebimus.

Et Deus ita fiat in ornatum Ecclesiae suae.

93

Exc.mus P. D. IOSEPH MARAFINI

Episcopus Verulanus-Frusinatensis

Procul dubio sacerdotibus et etiam clericis hoc schema magno solacio et iuvamini erit, praesertim quia validissimis rationibus excellentiam tam pastoralem quam spiritualem presbyteratus extollit. Revera compertum habemus clerum dioecesanum structuram effingere quae totam vitam pastoralem Ecclesiae sustinet atque pondus diei et aestus ministerii sacri quotidie et humiliter portare ad aedificationem populi Dei. Qua de causa spes effulget fore ut hoc decretum a cooperatoribus ordinis nostri grato et magno animo recipiatur.

Super schema in genere unum animadvertere fas mihi sit.

Aspectus educativus et paedagogicus ministerii presbyterorum non ita enunciatur et commendatur uti oportet. Innuitur in n. 4; sed reapse raptim ac insufficienter; e contra, cum nostris temporibus munus educatoris et magistri apud aestimationem communem parvipendatur, a viris deseratur et mulieribus relinquatur, simulque apud ecclesiasticos navitas apostolica potius ad apparandum dirigatur quam ad educandum, potius ad aedificia construenda quam ad animas formandas atque illa tam proficua directio spiritualis animarum facile negligatur, necesse est hoc munus fortius asseratur ad substantiam ministerii presbyteralis pertinere et explicite urgeatur revocando directionem spiritualem animarum. Quod nobismetipsis prae oculis habendum est ut signa aestimationis et laudis dentur sacerdotibus, qui non tantum operum muralium numero et mensura praestant sed potius fidelitate in mysteriis Dei dispensandis ac magistri et educatoris officio perfungendo.

Pariter et consequenter verbis vibrantibus affirmandum est curam officii pastoralis esse curam iuvenum, qui Ecclesiae semper cordi maxime fuerunt et sunt.

Nunc ad particularia venio.

1. In n. 2, ubi de ministerio verbi agitur, aliqua principia addenda esse mihi videntur de genere dicendi et arte oratoria sacra; ad hoc sufficit revo-

care methodum evangelicam, quae efficit ut praedicatio simplex, clara, vitae adhaerens fiat, ab omnibus intelligibilis ac veritatibus revelatis imbuta. Praeterea aliquid hic dici perutile erit de ministerio calami seu scripturae, quod hodie, attenta facilitate diffusioneque librorum et ephemeridum ac maiore legendi usu, medium evangelizationis magni momenti constituit.

2. Primae lineae n. 4 affirmant presbyteros populi Dei rectores esse; adiungere velim: et patres. Nam relatio, quae presbyterum cum christifidelium communitate coniungit, non est tantummodo rectoris, sed et maxime patris. Presbyteri igitur spiritualis paternitas in mentem reducenda est et in maiorem lucem proferenda, cum ipsa laborem apostolicum et vitam spiritualem sacerdotis magnopere sustentare ac reficere valeat.

Ad rem faciunt beati Pauli verba: « Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per evangelium ego vos genui » (*1 Cor.* 4, 15); et alia dulciora ad Galatas: « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis » (*Gal.* 4, 19).

Ex hac paternitate presbyteri mensuram desumunt et methodum relationum cum communitate, quae speciem familiae prae se ferre debet: quae relationes suavitate et fortitudine simul, iuxta morem parentum, afficiuntur. Ex eadem novum vigorem haurit educationis munus, quo presbyteri erga omnes fideles et praecipue iuniores fungi tenentur.

Insuper perutile est cum paternitate spirituali coelibatus ecclesiastici sensum et virtutem coniungi. Etenim illi paternitati maiorem significationem et fecunditatem coelibatus praebet, quippe qui, quamvis sacerdoti amorem coniugalem et filiorum neget, ei tamen permittat ut Ecclesiam tamquam sponsam et animas sibi concreditas tamquam filias amore prosequatur.

Praeterea solitudo, de qua saepe sacerdotes dolent et queruntur, cum profecto potius solitudo affectuum et cordis sit quam absentia personarum, optime quidem huius paternitatis conscientia vinci potest. Si enim sacerdotis cor amore et sollicitudine animarum occupatur et repletur, iam solum et vacuum non se experitur, etiamsi solus domi vivat.

3. In linn. 22-37 eiusdem n. 4 presbyteri monentur ut sensu communitatis fideles imbuant; simulque declaratur celebrationem Eucharistiae radicem fontemque communitatis esse; deinceps innuitur opera caritatis ad communitatem fovendam conferre.

Optime quidem, sed mihi videtur hoc argumentum, id est exercitium caritatis ad communitatem christianam promovendam, vehementius premi debere. Nam communitas christiana, praesertim paroecialis, praeterquam in participatione eiusdem eucharistici panis, demonstratur et alitur in participatione eiusdem panis triticei; a. v., communitas non datur nisi eius membra communi actione caritativa, sociali et assistentiali animetur, qua debiliores et pauperes a fratribus ditioribus et valentibus adiuventur.

Huius actuosae caritatis vincula inter fideles cuiuscumque communitatis corroborare et dilatare officium sacerdotis est, qui exercitio caritatis ordinato, more patrisfamilias, praeesse tenetur, cum sibi persuasum habeat fideles se-

cundum spiritum christianae communitatis sincere vivere non solum si partem capiant celebrationum liturgicarum, sed etiam si expleant opera misericordiae corporalis et spiritualis, praecipue inter fratres quibuscum quodam ligamine sive loci sive conversationis sive laboris sive sanguinis vinciuntur.

4. In fine n. 7 commendantur associationes quae sanctitatem sacerdotum in exercitio ministerii favent. Hoc addere velim textui, quod hae associationes altae directioni conferentiarum episcopalium subiciantur. Iamvero talis directio impedit quominus associationes numero prolificentur atque simul efficientiam et stabilitatem tribuit illis quae teste experientia cum fructu operantur, sicut constat de bene merita Unione Apostolica Cleri.

5. In eodem n. 7, ubi optima ac nova dicuntur de habitudine inter presbyteros, addatur obligatio correptionis fraternae. Huiusmodi correptio, de qua divus Thomas late disserit per octo articulos, q. XXXIII, II, II, valde iuvat presbyteros, maxime iuniores, qui periculis inexperientiae, solitudinis et mundi magis obnoxii sunt. Enimvero dissonum est sacerdotes, qui zelo animarum incensi suas oves corripere et ad bonam frugem trahere totis viribus contendunt, nullam sollicitudinem de suis fratribus demonstrare, tamquam si sua faciant illa Genesis verba: « Num custos fratris mei ego sum? ».

6. Ad n. 9. Cum activitas pastoralis formas magis missionales his temporibus postulet etiam in medio populo christiano, videtur opportunum principium facilioris mobilitatis in officiis perfungendi in schemate proponi, sive ex rationabili petitione presbyteri sive ex pastorali necessitate dioecesis sive ex caritate adiuvandi Ecclesias clero carentes. De hac re iam in parte provisum est in decreto *de pastorali episcoporum munere,* n. 31, ubi norma statuitur amotionis vel renuntiationis; sed hic proponitur possibilitas mutationis ex rationabili desiderio sacerdotis. Nam officii vel loci prudens mutatio (avvicendamento) non paucas offert utilitates: impedit quominus sacerdotes inertes fiant vel obsolescant, ministerii renovandi et augendi stimulos praebet, experientiam pastoralem dilatat ac perficit. Insuper non parum confert ad spiritum missionalem excolendum, qui periculum desiderii definitivae collocationis (sistemazione) avertere potest atque sacerdotes ad operandum in locis et condicionibus diversis ac ad varia obeunda magis paratos facit.

Quae mobilitas, post exoptatam a Concilio emendationem instituti beneficialis, facilior evadit et accedit ad regimen sacerdotum religiosorum, quod experientia laudabile demonstrat: dummodo mutatio sit rationalis nec prae se ferat speciem actus extraordinarii, vel, peius, punitivi.

7. N. 15 memorat inter subsidia ad vitam interiorem fovendam, recessum spiritualem. Cum maior frequentia exercitiorum spiritualium communiter exoptetur et actuetur, eo quod activitas ministerii sacri nostris temporibus magis dynamica, dispersiva et consumens evadit atque necessitas redeundi ad vires spiritus restaurandas magis sentiatur, mihi videtur proponi obligationem canonicam de exercitiis spiritualibus tertio quoque anno peragendis mutari in obligationem: semel in biennio.

Animadversiones, quas propono, ad hunc finem tendunt: ut, remoto quo-

cumque minimismo spirituali ac modo mediocriter immobiliterque vivendi, agendi et sentiendi (imborghesimento), magis appareat vocationem ad sacerdotium esse idem ac vocationem ad sanctitatem atque vitam et ministerium presbyterorum requirere necessario perfectionem evangelicam.

94

Exc.mus P. D. HANNIBAL MARICEVICH FLEITAS

Episcopus tit. Diocletianopolitanus in Palaestina, coad. Villaricensis

Descriptionem ministerii sacerdotis in schemate nostro factam, non mediocrem, immo, omnium concordia, egregia multa continet: apprime enim plene satisfit naturae atque finalitati Ecclesiae, cuius sacerdos minister est. Verum tamen sacerdotem collocat, ut merito ab aliquibus Patribus observatum est, in plano, ut ita dicam, intemporali. Concilium nostrum vere conatur ea praesertim quae sacerdotem in mundo huius temporis respiciunt, afferre; quod quidem tum sacerdotes tum fideles exspectant. Certe, nihil ex iis quae alii egregie dixerunt in animo est repetere; aggredior, igitur, aspectum ab aliis nullibi explicito modo relatum, ni fallor, qui tamen respicit conditiones fere maioris partis mundi (ita v. g. in America Latina). Loquor de regionibus quibus multa deficiunt in ordine ad progressum modernum. Accidit itaque ut sacerdotes, immo et episcopi, praeesse debeant civitatibus, regionibus, pagis quibus cum spiritualibus multa etiam materialia deficiunt, sicut, scholae, habitationes, viae publicae, locomotionis media, valetudinaria, sive saltem stationes pro pharmacis et curationibus (quem saepe aqua, electrica energia!), etc. Quae omnia negativum influxum cum habeat, efficacitatem externam pastoralis actionis, experientia duce, minuunt. Quibus accedit penuria sive absentia personarum apta praeparatione dispositarum ad anxia problemata solvenda. Sacerdos, vero, his in locis, aliis frequentissime excellit cultura et praeparatione, necnon favore et fiducia fidelium gaudet.

Nunc autem quaerere licet, talibus in adiunctis, num sacerdos, sive episcopus, non tenetur ex caritate sociali ad collaborandum, immo, ad sese occupandum quodammodo in solutione temporalium problematum, ex statu relativae evolutionis promanantium? De facto, historia tum hodierna cum praeterita mirum in modum testatur de interventione sacerdotum, episcoporum et communitatum religiosarum in operum ambitu quae directe ad temporalem progressum individuorum et societatum humanarum diriguntur.

Schemata *de munere pastorali episcoporum* necnon *de vita et ministerio presbyterorum,* nullum plane verbum faciunt, ni fallor, de quaestione activitatis suppletoriae Ecclesiae, quae, nostra sententia, postulatur a caritate sociali, qua non tantum bonum commune religiosum sed etiam bonum commune temporale diligitur. Ecclesiae minister, quin relinquat missionem suam religiosam, indifferens esse non potest de humana communitate, cuius membrum est, quae careat conditionibus basicis ad normalem progressum neces-

sariis. Proinde, existimo in schemate nostro inserendum esse explicationem quamdam de hac suppletoria actione Ecclesiae. Quae expositio claritatem et quietem animarum multorum episcoporum et sacerdotum ex nationibus in via progressus, afferet, qui caritate sociali et humana solidaritate compulsi, de facto aggrediuntur opera quaedam ordinis temporalis pro fratribus suis; quod certe in bonum efficientiae pastoralis etiam vertetur. Neque oblivioni mandandum est Ecclesiam, dum in re temporali suppletorium praestat opus, debitis observatis limitibus et iuxta loci temporisque adiuncta, splendens atque commovens caritatis socialis testimonium praebere. Quis, enim, negaret dioecesim sive paroeciam actionem prudenter de bono temporali sollicitam, quin missionem suam specificam praeiudicet, Ecclesiam veluti matrem demostrare, cui nulla filiorum necessitas indifferens relinquit?

Minime nos latet in actione suppletoria Ecclesiae periculum subesse a recta via aberrandi. Ipsum vero periculum magis urget necessitatem delimitandi condiciones intra quas sacerdos possit vel debeat actionem temporalem suppletoriam exercere in solvendis problematibus de quibus supra.

Uno verbo: necesse est, humiliter affirmo, exponere breviter et clare condiciones loci et temporis necnon et limites quibus Ecclesia, mediantibus sacerdotibus vel episcopis, possit *suppletorie* adlaborare in rebus temporalibus, praesertim in nationibus adhuc progredientibus et in missionibus. Haec descriptio, ut mihi videtur, pleniorem ostendet figuram sacerdotis huius temporis.

95

Exc.mus P. D. MARIUS MAZIERS

Episcopus tit. Augustopolitanus in Frigia, aux. Lugdunensis

Decretum *de ministerio et vita presbyterorum* summam continet rerum quas Concilium ad illos loqui debet ut consocientur operi renovationis et expansionis Ecclesiae. Sed frustra quaesivi in hoc textu vocem quam exspectabam: nempe vocem « gaudium ».

Multum agitur de doctrina, de exigentiis, de exhortationibus, sed non satis de grato animo quocum presbyter conscius esse debet de missione sua, et ministerium exercere. In his diebus defectus est, ut mihi videtur, magni momenti, qui in diversis partibus Decreti complendus est, ope locorum Sacrae Scripturae.

1. Consecratio qua Spiritus Sanctus presbyterum configurat Christo Salvatori et Sacerdoti, illumque ponit in servitium populi Dei, fons est maximi gaudii.

Statuit enim presbyterum in altiorem amicitiam cum Christo Iesu, iuxta ipsius Domini testimonium: « Iam non dicam vos servos ..., vos autem dixi amicos » (*Io.* 15, 15).

« Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur » (*Io.* 15, 11).

Si, iuxta Paulum, in qualibet anima christiana fructus agentis Spiritus Sancti gaudium est (*Gal.* 5, 22), quanto fortius in corde presbyteri!

Gaudium quod patefacit presbyter, pulcherrimum signum est amicitiae quam habet in Christum Iesum.

2. Verbum Dei quod ex officio presbyter hominibus annuntiat, verbum est quod illuminat et liberat.

Presbyter nuntius est Evangelii, id est boni nuntii.

Ut testatur apostolus Ioannes in prima epistola, cum gaudio et in gaudium hominum diffundere debet presbyter hoc bonum salutis nuntium: « Haec scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum » (*1 Io.* 1, 4).

Ipsae etiam difficultates quas experitur presbyter in annuntiando Evangelio, non impediunt quin exsistat huiusmodi gaudium: « Et illi quidem (Apostoli) ibant gaudentes a conspectu Consilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati » (*Act.* 5, 41).

3. Mysterium Paschale quod in medio populi et in eius fructum presbyter innovat per sacrificium missae, mysterium salutis est et redemptionis, ad gratiarum actionem invitans.

Missa fons est gaudii tam cordi presbyteri quam populo christiano, in cuius nomine presbyter celebrat.

Res ita se habent de omnibus sacramentorum actibus per quos presbyter vitam Christi hominibus communicat.

4. Presbyter, quatenus pastor, signum privilegiatum est quod Christus resuscitatus praesens sit in medio populi.

Gratia huius praesentiae est pax. « Nolite timere, pax vobis » (*Lc.* 24, 36): haec optabat cum apostolis videbatur Christus resuscitatus. « Pax huic domui »: ita precatur presbyter, quia certum testimonium praebet quod Christus sit praesens. « Illud a quo me omnino liberat Christus, timor », ut dicebat Carolus de Foucald.

5. Mundus hodiernus ad quem mittitur presbyter, expectat quod ei reveletur et diffundatur gaudium christianum.

Saepe in tristitia, in timore, in taedio, in desperatione versatur.

Presbyter testimonium praebere debet de gaudio quod in Christo Iesu invenit, et hominibus quorum consors est, dicere: « Nec aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri » (*Act.* 4, 12). Gaudium discipuli: optimum signum victoriae quam reportavit Magister.

Quod expansio populi Dei cuius est pastor, eius gaudio et spei coniungitur, testant Actus Apostolorum: « Quotidie ... frangentes circa domos panem sumebant cibum cum *exsultatione* et *simplicitate* cordis ... Dominus autem augebat qui salvi fierent quotidie in ipsum » (*Act.* 2, 46, 47).

Concludimus. Omnes partes decreti aliquem huiusmodi gaudii sonum praebere debent. Exhortatio finalis incipi debet verbis exhortantibus ad gratiarum actionem, ut facit Paulus in omnibus epistolis. Unde haec propono: « Sacrosancta haec Synodus omnes denique Presbyteros hortatur ut gratia-

rum actiones Deo reddent ob missionem quam acceperunt perhibendi testimonium de Resurrectione Christi Iesu in mundo hodierno. Sint servi laeti et fideles quos constituit Dominus super populum eius, ut dent illis in tempore tritici mensuram ».

96

Exc.mus P. D. IOSEPH THOMAS McGUCKEN

Archiepiscopus S. Francisci in California

In optima nobis proposita schemate *de ministerio et vita presbyterorum,* humillime suggero ut magis extollatur officium sacerdotum suscitandi inter laicos *actionem apostolicam.*

Schema quidem habet (n. 8, linn. 28-31) « Presbyteri sincere laicorum dignitatem atque peculiarem quam in missione Ecclesiae habent partem, agnoscant et promoveant ».

Haec autem verba, quamvis in se bona, propter eorum paucitatem et lenitatem, magnum momentum officii sacerdotum in hac re, vix, aut ne vix quidem, indicant. Facta conlatio ad ea quae dicuntur in schemate *de apostolatu laicorum* (cap. V, n. 25), et in schemate *de pastorali episcoporum munere* (cap. III, n. 30), mihi videretur opportunum, immo necessarium esse, schema nostrum consentaneum reddere cum schematibus supradictis, non autem inutiliter repetendo eadem verba, sed ministerium presbyterorum quoad progressum apostolatus laicorum in mundo hodierno magis vehementer extollendo.

Propter inopiam sacerdotum tam in nationibus catholicis quam in missionibus, omnino necesse est ut sacerdotes nostri probe sciant se debere curam animarum spiritu missionario informare, et (ut ait Papa Pius XII) suam praesentiam multiplicare ope laicorum spiritu apostolico cum debita scientia imbutorum.

97

Exc.mus P. D. IACOBUS EUGENIUS LUDOVICUS MÉNAGER

Episcopus Meldensis

Remarques générales. I - Le nouveau texte est sans conteste bien meilleur que le précédent et répond mieux à ce que l'on attendait.

a) La partie théologique tendant à fonder ce qui suivra sur une véritable « ontologie du sacerdoce » est une excellente innovation. (On signalera plus loin quelques points à eclaircir pour éviter des équivoques).

b) Le ton est moins purement moralisateur.

c) Le lien est plus clairement exprimé avec la charge pastorale de l'Evêque. (Encore faudrait-il y insister comme sur l'un des fondements de tout ce qui sera dit par la suite).

II - Cependant, le plan choisi ne me parait pas sans danger. On semble séparer la théologie du sacerdoce et la fonction pastorale qui en découle de la « vie » du prêtre, en en faisant deux parties à part l'une de l'autre. On a beau ensuite affirmer l'unité, cela ne convainc pas.

Pour ma part, je ne vois pas l'intérêt de séparer ainsi l'exposé en deux morceaux. Je préfèrerais, par exemple, mettre les nn. 11, 12, 13, 14, 15 entre les nn. 5 et 6. La vie du prêtre comporte aussi les relations avec l'Evêque et les confrères prêtres comme avec les fidèles, et ces relations doivent être imprégnées de cette vie spirituelle dont on ne parle qu'après, dans le texte actuel.

De même les nn. 16, 17, 18 trouveraient bien leur place après le n. 8 (relations avec les fidèles) puisque ce sont les fidèles qui fournissent la subsistance des prêtres d'une manière ou d'une autre. Tout ceci est très lié: à le séparer dans le texte on semble en faire des problèmes distincts: or la vie du prêtre doit être une et tout concourt à cette unité.

Remarques particulières. Pag. 12, lin. 29, adderem: « perpetuo consecrantur ». *Ratio*: on entend dire quelquefois que dans certains pays des jeunes gens affirment qu'ils seraient volontiers « prêtres pour quelques années »!! Il semblerait important, à une époque où on admet si difficilement un « engagement perpétuel », le Concile réaffirme que le Sacerdoce consacre le jeune prêtre *pour toujours.* Cela n'est dit nulle part dans notre texte.

Pag. 14, linn. 13-15, dicerem « persentientes per fraternum colloquium mentem hominum... ». *Ratio*: pour montrer qu'il ne s'agit pas d'abord d'une connaissance livresque mais de cette connaissance qu'on n'acquiert que dans le contact, la présence et le dialogue fraternel avec les hommes de son temps et de son pays.

Pag. 14, lin. 37, verbum « plenitudinem » non mihi placet, etsi biblicum sit. Quid significet « fidem, gratiam *et plenitudinem* »? Saltem addatur: « plenitudinem gratiae » vel « plenitudinem vitae ».

D'autre part, cette plénitude semble ici communiquée par la seule Parole. Or cette plénitude est communiquée par la Parole et par les Sacrements, comme cela sera affirmé plus loin au n. 3.

Pag. 15, lin. 1, libenter adderem post verba « tractare student »: « necnon vitam concretam hominum huius temporis ». *Ratio*: il ne suffit pas d'étudier les « problèmes » (modo abstracto) mais plus encore de connaître *la vie concrète des personnes à évangéliser.*

Pag. 15, lin. 22, verbum « specialiter » non mihi placet. *Ratio*: on vient de dire que le premier devoir du prêtre est l'annonce de la Parole et l'on dit maintenant qu'il est ordonné surtout pour l'Eucharistie.

Est-ce qu'une certaine ambiguïté ne découle pas de cette manière de parler, comme si l'ordination n'était faite que pour l'Eucharistie et que la mission de prêcher n'était pas liée aussi ontologiquement à l'ordination qui associe à la charge pastorale de l'Evêque en toutes ses dimensions.

Il me semble que si l'on supprimait ce mot « specialiter » l'affirmation

serait plus forte et ne serait plus ambigüe. Si l'on veut un mot, je dirais plutôt « etiam » pour montrer la complémentarité par rapport au paragraphe précédent.

Mais je préfèrerais que l'on indique plus clairement cette complémentarité en montrant le lien organique qu'il y a entre l'annonce de la Parole et la Liturgie (sacrements).

Pag. 15, lin. 26, même remarque sur le vague de cette expression: « peculiari modo » pourquoi ne pas indiquer la raison théologique et profonde de ce lien.

Je dirais à tout le moins « singulari modo... cum in eis virtus salutifera a Divinitate Christi per eius Humanitatem allata exerceatur ». Ainsi le lien serait plus nettement indiqué.

Pag. 16, lin. 35, tout ce paragraphe apparaît comme une ajoute qui fait retomber l'exposé au niveau des petits détails techniques et pratiques.

A tout le moins faudrait-il l'introduire par une phrase qui *relie* ce paragraphe à ce qui précède et montre pourquoi on fait ces remarques annexes.

Par exemple je dirais: « Le prêtre chargé de la dignité et de la sainteté du culte eucharistique et de toute la Liturgie, veillera avec respect et amour sur la maison de Dieu, comme le lui demande la constitution *de sacra Liturgia.* C'est pourquoi etc. ... ».

Pag. 18, linn. 22 s.: Il est excellent d'inviter les prêtres à se soucier de former la « communauté chrétienne », mais on aimerait trouver ici des raisons théologiques plus fermes et plus clairement exprimées. On pourrait se référer à la const. *Lumen Gentium* et *de sacra Liturgia.*

Notamment le lien entre l'Eucharistie et le Corps mystique du Christ devrait être au moins rappelé: on le dit en passant à la ligne 27-30: ne serait-ce pas à dire en commençant ce paragraphe pour insister sur le caractère fondamental de ce lien (qui n'est pas seulement une impossibilité pratique ou de fait)?

De même ce n'est pas seulement une question d'efficacité pratique qui motive la recherche de la communauté pour le soutien des fidèles dans leurs luttes et pour l'annonce de la foi aux non croyants: il y a là une question de nature de l'Eglise, de la vie chrétienne et de l'apostolat (tout se tient). (Voir le schéma des Laïcs n. 18 pag. 41 et note A pag. 48 les remarques des Pères in aula à ce propos).

Pag. 19, linn. 5-7. Ce passage est une conclusion qui vaut pour tous les aspects de la charge pastorale et pas seulement dans la célébration de l'Eucharistie.

C'est dans tout leur ministère (annonce de la Parole, Liturgie, conduite du Peuple) que les prêtres doivent se considérer comme les envoyés de l'Evêque.

Le texte *semble* ne parler que de la Synaxe. Volontiers j'ajouterais à la fin du paragraphe: « celebrare, totum ministerium suum adimplere et populum sibi commissum ad Christum ducere ».

Pag. 21, lin. 38, verbum « coronam episcoporum » non mihi placet. Textus

citati nihil dicunt de hac « corona ». Nonne verbum esset: « concilium » (sicut in textu citato) vel « consilium »?

Pag. 24, linn. 10-13, sous le terme vague « incepta » on met pêle mêle des organismes propres à l'Eglise comme l'apostolat des laïcs, les écoles chrétiennes (?) les œuvres de charité et les instituts de recherche scientifique, les usines etc.

Ne serait-il pas préférable de mettre un peu d'ordre et de clarté en toute cette énumération?

Il faudrait distinguer la collaboration entre prêtres dans les organismes d'Eglise et d'autre part la collaboration avec les prêtres qui travailleraient dans des organismes profanes ou neutres (écoles d'Etat neutres, instituts scientifiques profanes, usines etc. ...) ou dans des milieux de vie au service desquels l'Evêque les a envoyés même s'ils ne sont pas dans des organismes constitués.

Pag. 25, lin. 14, « magna caritate » verum est sed melius esset dicere v. g. « caritate activa, generosa et patienti semper prosequuntur ». Le mot « magna » est bien vague.

Pag. 25-26, in n. 8. On parle des devoirs des prêtres à l'égard des laïcs, c'est bien. Mais ne serait-il pas nécessaire de rappeler ici ce qui est dit ailleurs des devoirs des laïcs à l'égard de leurs prêtres? Sinon cela parait un peu unilatéral et les prêtres auront l'impression que ce sont les laïcs qui font la loi dans l'Eglise, qu'ils peuvent tout exiger des prêtres sans retour... Psychologiquement cela me paraitrait utile. (Cf. schéma des Laïcs, const. *Lumen Gentium,* n. 37).

Pag. 27, linn. 3 s. 1. Mihi videtur quod haec paragraphus (linn. 3-10) poni deberet *post* paragraphum sequentem ut ordo logicus servetur.

Primo loqueretur de fidelibus catholicis, postea tantum de deficientibus, de seiunctis et de non credentibus.

2. Lin. 5 verbum « etiam » non mihi placet. *Ratio*: apparet ut quid superadditum...; atqui prima missio sacerdotis et episcoporum est « Christum annuntiare non credentibus » sicut bene dictum est in pag. 14, linn. 19-40; loco verbi « etiam » dicerem ergo « singulari prorsus modo » vel similibus verbis (sollertia...).

3. Lin. 14 complerem phrasim duobus verbis: « ut nemo eorum extraneum / vel ignotum aut despectum / in fidelium communitate se sentiat ». *Ratio*: verbum « extraneum » non amplectitur totam realitatem.

Pag. 30, lin. 6, verbum « directio spiritualis » quandam difficultatem secum affert pro multis. Locutio illa sane traditionalis est, sed dicerem « ... ac prudens *s. d.* directio spiritualis » qua sacerdos, sicut pater spiritualis et amicus, exigentias Evangelii progressive patefacit et ad sequelam Christi indesinenter et fortiter animum discipuli ducit ».

Pag. 30, lin. 24, verbum « tribulationibus » non mihi placet. Mallem dicere « sollicitudinibus » (fortasse quia verbum « tribulations » in lingua gallica sensum odiosum habet).

Pag. 30, n. 10. Dans tout ce numéro on aimerait voir non seulement la nécessité de l'appel oral aux vocations par l'enseignement etc. ... mais aussi qu'on dise clairement soit lin. 6 en le joignant à la direction spirituelle, soit lin. 24 (in vivida luce ponantur), que l'exemple de la vie sacerdotale *généreuse* et *joyeuse* est d'une efficacité merveilleuse.

Pag. 33, lin. 8, il serait très nécessaire de donner les raisons théologiques qui invitent le prêtre à célébrer quotidiennement (sans qu'il y soit obligé).

Il y a en effet des doutes et des laisser aller en ce domaine qu'on cherche à justifier doctrinalement. Il faudrait donner les éléments de réponse et ne pas se contenter d'une exhortation.

Pag. 33, lin. 34, la spiritualité ici présentée, à partir de la triple mission, fait appel à la conformité de la vie à la doctrine ou aux actes ministériels accomplis... et c'est très bon.

C'est toutefois une présentation plus « dominicaine » que « Jésuite » ou « Franciscaine » ou « P. de Foucauld »...

Ne serait-il pas utile pour correspondre à toutes les vocations et à toutes les spiritualités d'ajouter quelques mots au moins (soit au début du n. 12, soit à la fin de préférence) sur la « sequela Christi prout vivit et loquitur *in Evangelio* » (scil. Modo concreto per exemplum suum).

Ce qui est dit linn. 20 s. devrait être repris plus nettement en ce sens, à mon avis (cf. *1 Cor.* 2, 7; *Io.* 13, 15 etc.).

Pag. 36, lin. 8, citatio S. Lucae nonne est 5, 11 et non 5, 2? Haec citatio non mihi videtur esse ad rem: de paupertate magis loquitur quam de castitate...

Pag. 36, lin. 39, verbum « comprobare » non est sat forte. *Ratio*: actuellement, on parle à tort et à travers de la loi du célibat. On semble faire croire que l'Eglise pourrait abandonner cette loi. On crée des mouvements d'opinion en ce sens, même dans le clergé. Un doute plane dans le peuple chrétien et chez certains membres du clergé. Il faut donc décourager ces tendances et ces articles de revues par des affirmations très nettes et absolument catégoriques. Je dirais donc volontiers: « firmiter (et inhaesitanter) comprobat ». Faudrait-il ajouter « et poscit ut nullus (fidelis) audacter eam impugnet »?

Pag. 37, linn. 1-4. Il serait dangereux de laisser cette phrase isolée et complète en elle-même (terminée par un point). Elle risquerait d'être citée et commentée...

On peut faire allusion à cette opinion de certains médecins, mais il faut apporter la réponse dans la même phrase, pour ne pas donner l'impression au lecteur que le Concile est d'accord et ne déclare la chasteté possible que par un vrai miracle... ce qui est trop dire. Il faut la grâce de Dieu qui accompagne une véritable vocation et une lutte persévérante dans la prière.

Dicerem: « Quae quidem perfecta continentia quam libera voluntate presbyteri amplectuntur donum Dei est a Patre datum (cf. *Mt.* 9, 2) ideoque a presbyteris perseveranter postulandum est et in humilitate custodiendum,

adhibitis congruis subsidiis, quae a traditione Ecclesiae necnon a scientia psychologica commendantur etc. ... » usque ad finem paragraphi in lin. 26; postea adderem (reassumendo ea quae dicta erant in initio paragraphi): « Sic haec perfecta continentia quae a non paucis in mundo huius temporis fere impossibilis declaratur, secundum promissionem Christi possibilis evadit et sancte servari potest et debet: quae, enim, impossibilia sunt apud homines possibilia sunt apud Deum » (*Lc.* 18, 27).

Pag. 37, linn. 28 et 36, non mihi placent verba « quoque » et « etiam ». *Ratio*: cela semble des ajoutes sans lien les unes avec les autres. Il serait plus simple d'indiquer au début les trois conseils évangéliques et de leur consacrer un paragraphe à chacun, sans utiliser ces liaisons sans vigueur.

Pag. 38, lin. 32. En rigueur théologique, le mot « instrument » ne convient pas en toutes circonstances. Le prêtre est « instrument » au sens technique de cause instrumentale, seulement lorsqu'il « confectionne » ou « fait » un sacrement, car là il agit, au sens fort, « in persona Christi »: c'est la puissance du Christ qui fait le Sacrement comme cause principale par le ministère du prêtre. Par contre lorsque le prêtre « prêche ou donne des conseils spirituels, ou prend des orientations pour diriger le Peuple de Dieu (= ministère) il agit bien au nom de l'Eglise et au nom du Christ, mais il est vraiment, cause principale à charge par lui de se conformer à la doctrine du Christ.

On ne peut dès lors le dire instrument qu'en un sens tout à fait impropre (sens « moral »). Le vrai mot est « ministérielle »: le « ministère » correspond aux divers cas.

Cela parait de quelque importance au point de vue œcuménique pour ne pas laisser croire que pour nous tout ministère est proprement sacramentel au sens fort du mot. (Efficace ex opere operato).

Pag. 39, linn. 3 s. Ces trois lignes sur le Saint-Esprit sont encore visiblement « une ajoute tardive » non intégrée au texte.

Ce devrait être l'occasion de faire, selon le désir des Orientaux, une théologie du Saint-Esprit qui nous manque gravement.

Ces trois lignes risquent d'irriter les Orientaux, surtout les séparés, sans rien apporter de constructif.

On trouverait dans la constit. *Lumen Gentium* des textes sur ce rôle du Saint-Esprit qui enrichiraient ce passage et permettraient de le relier à l'ensemble.

Pag. 41, lin. 14, le titre « praevidentia socialis » ne s'applique pas au premier paragraphe (linn. 14-32). Il faudrait dire dans le titre: « de aequitate et praevidentia sociali in favorem presbyterorum ».

Pag. 42, lin. 39, verbum « victoria » non mihi placet, quia victoria *contra* aliquem obtinetur. Plures dicent: « Ecclesia vult vincere alios in quodam bello ».

Il faudrait trouver un mot comme « pleine efficacité » ou « plein succès », vel addere: « perfectam victoriam *contra Malum* ».

98

EXC.MUS P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO

Episcopus Cuernavacensis

Textus multo melior est quam textus nobis anno elapso oblatus; attamen nescio utrum omnibus numeris respondeat conscientiae sacerdotali hodiernae.

Ignoscite mihi, Patres conciliares, si propter fidem Spiritui Sancto nos per discussionem conciliarem agenti adhuc, die extremo nostrae convocationis iam iam appropinquante, audeo nonnullas ex meis adnotationibus coram vobis hac in aula proponere.

Maxime opportunum mihi videtur ex professo et systematice, quia nullibi factum est, presbyteros adhortari ut adaptationem conditionibus humanis acceleratissimo rythmo in dies mutantibus quaerant et monumenta huius Concilii edita vel edenda tanquam media indigentiis hominum apta reverenter recipiant, diligenter considerent et studiose applicent.

Haec adhortatio non omittenda videtur propter voces undequaque exsurgentes; sed praeterea ex ipsa rei natura commendatur, prout facile videre est cuicumque attente perscrutanti tempus evangelicum, necnon tempus apostolicum et totam Ecclesiae historiam.

Talis igitur vel similis esset allocutio: « In praesenti rerum humanarum mutatione, qua nulla maior in historia fuit, cum acceleratio lex historiae humanae effecta sit, Sancta Synodus sibi conscia est modos et manifestationes vitae presbyterorum aggiornamento exigere, quo nullus maior in historia fuerit.

Ministerium et vita presbyterorum novis vitae hominum conditionibus et consequenter renovatae activitati missionali Ecclesiae constanter quotidieque aptari debent.

Sancta igitur Synodus presbyteros omnes suos in Domino cooperatores, fortiter et fraterne adhortatur ut in oboedientia sincera, prudenti, activa et perspicaci novas methodos novasque formas vitae indesinenti vigilique animo quaerant, quae indigentiis novis fluentibusque hominum respondeant.

Cum vero Sancta Synodus in hunc finem fuerit praecise convocata a s. m. Ioanne Papa XXIII et a Pontifice nostro Paulo VI, ut Ecclesiam renovaret et, signis temporum inspectis et Evangelio iterum iterumque considerato sub lumine Spiritus Sancti, quae Ipsi et nobis, Patribus conciliaribus, cum et sub Petri Successore, constitutiones, decreta et declarationes inde edere placuerit, fidenter decerneret, vos qui in participatione muneris nostri Pastores (*Act.* 20, 28; *Eph.* 4, 11; cf. *Io.* 21, 16) sicut Christus (*Io.* 10, 11 ss.; *1 Pt.* 2, 25); apostoli (cf. *Io.* 21, 16); Duces (*Hebr.* 13, 7, 17. 24; cf. *Act.* 15, 22), sicut Christus (*Mt.* 2, 6); Praesides (*Rom.* 1, 8; *1 Tim.* 5, 2; cf. *1 Tim.* 3, 4 s. 12. 17) et presbyteri (*Act.* 11, 30; etc.; *Hebr.* 11, 2 et *1 Tim.* 5, 1 et *1 Pt.* 5, 1. 5; *Jac.* 5, 14) estis in Ecclesia Dei pro omnibus hominibus, maxima

cura monumentis istis conciliaribus studere satagite ut medullam ipsorum vestram faciatis et cum domesticis fidei et cuiuscumque generis vel ideologiae hominibus communicetis divitias ipsorum, non obstantibus habitudinibus convictionibus et traditionibus revera contrariis (cf. *Act.* 15; *Lc.* 7, 8-13), quae si sanctae et rationabiles tempore anteacto fuerunt, nunc diversimode nobis obstare visae sunt veritati quam Spiritus Christi nos sine fine edocebit (*Io.* 14, 26; 16, 13; etc.), ita tamen ut quae servanda sunt, indubitanter serventur (cf. *Mt.* 28, 20; *1 Cor.* 11, 25; 15, 3; 2 *Th.* 2, 15; *Ph.* 4, 9).

Hoc maxime cordi nostro altum sit, ne propter duritiam cordis in acceptandis novis formis et ulteriori penetratione Evangelii, conditionibus humanis mutantibus sero medicina paretur et quod praevenire et anteire oportuerit magno cum labore et dolore, persaepe opera et oleo perditis, necnon tempore terito, obviam hominibus nostri temporis iam inutiliter ire teneamur ».

Ratio huius propositionis et modi est quia nullibi Concilium hortatur presbyteros ex professo et systematice ad adaptationem conditionibus in acceleratissimo rythmo in dies mutantibus quaerendam, neque ullibi exhortationem huius generis Concilium proclamat, systematice dico, ut presbyteri, qui magis in populo Dei et in hominibus cuiuscumque generis inserti sunt, conscii fiant de laboribus conciliaribus tanquam de mediis indigentiis hominum hodiernorum respondentibus, quos labores, monumenta nempe edita vel edenda reverenter recipienda sunt, etsi non adamussim concordent traditionibus, immo contraria sint, quibus imbuti vitaliter eramus. Hoc videtur maxime opportunum propter voces undequaque exsurgentes; sed ex ipsa rei natura commendatur, prout videre est in citationibus temporis apostolici immo et evangelici, necnon in tota historia Ecclesiae, hinc inde tensionibus reformationis semper agitanda.

II. Cum Ecclesia sit essentialiter vere pneumatica, nam Spiritus Christi manifestatur in abundantia donorum spiritualium (*1 Cor.* 12, 1 et *ib.* 4. 9. 28. 30) ut docetur in constitutione *Lumen Gentium* (praesertim in nn. 7 et 12), mihi visum est maxime conveniens

a) ut in « habitudine inter episcopos et presbyterium, qui ambo emulari debemus charismata meliora (*1 Cor.* 12, 31) perspicue dicatur quod etsi presbyteri praedicta charismata episcopo submittere tenentur, episcopus Spiritui Sancto in presbyteris sese manifestanti oboedire debet.

Non semel, Patres conciliares, in hac aula monebamur magnas in Ecclesia Reformationes a presbyteris annuntiatas fuisse prophetice et in praxi reductas fuisse non sine diuturna hierarchiae oppositione, quae etiam bona fide extinguebat Spiritum propter nimiam probationem (cf. *1 Th.* 5, 21).

Ideo additionem propono in n. 6 (pag. 22, lin. 23). Dicatur nempe cum de oboedientia sermo est: « Haec oboedientia erga superiores ne impediat oboedientiam quae Deo ipsi debetur. Spiritus enim Dei etiam in presbyteris charismata sua "dividit singulis prout vult" (*1 Cor.* 12, 11), qua omnia cooperantur in Ecclesiae aedificationem. Haec charismata ab episcopis libenter agno-

scantur et foveantur. Ita Spiritus non extinguitur, sed libertas filiorum Dei in Ecclesia magis ac magis effulgit ».

Propter similem rationem non mihi videtur laudabile commissionem conciliarem acceptasse suggestionem unius Patris delendi in n. 5 (pag. 19, lin. 37) vocem « hodiernis », cum de theologis et exegetis loquitur, nam non sunt pauci qui hodiernos despiciunt vel negligunt, quin considerent theologos et exegetas et ceteros scriptores hodiernos donum esse Spiritus Sancti quo ditatur et ducitur Ecclesia in hodiernis praecise circumstantiis.

b) Praeterea actio Spiritus Sancti totum populum Dei, etiam laicos penetrat et vivificat; laici sanctificantur et in aedificationem Dei aguntur a Spiritu Sancto et sunt instrumenta renovationis in Ecclesia universali et promotionis vitae christianae in dioecesibus, in paroeciis et in pagis quam infimis, nec non penetrationis fermenti Dei Verbi in mundum, proinde prorsus insufficiens mihi videtur quod de presbyteris coram charismatibus laicorum dicitur in n. 8 (pag. 26, lin. 39), ideo propono ut dicatur: « Charismata laicorum multiformia, tam humilia quam altiora, instinctu fidei detegant, cum gaudio agnoscant, cum diligentia foveant. Sicut laici Spiritui per ministeria agenti ita ministri eidem Spiritui per charismata laicorum loquenti, reverentiam ac oboedientiam praebere debent ».

Alias observationes ad secretariam iam misi.

[*Subscripserunt etiam*] J. Alba Palacios; J. Pulido, arch. tit. Cirro; A. Henriquez, aux. Caracas; C. Maradei, ep. Cabimas; J. Torres y Castañeda, ep. Ciudad Obregón; J. Dammert, ep. Cajamarca; J. Maurer, arch. Sucre; J. Sahagún, ep. Tula; J. Martinez, ep. Tacámbaro; M. Talamás Camandari, ep. Ciudad Juarez; J. Bernal, arch. ep. Los Teques; L. Lopez, arch. Jalapa; F. Gonzalez, ep. Maracay; D. Roa Perez, ep. Maracaibo; R. Primatesta, arch. Córdoba; P. Koop, ep. Lins; J. Van Cauwelaert, ep. Inongo; J. Navarro, ep. Ciudad Altamirano; M. Castro, ep. tit. Cincari; A. Ramos, arch. Belém; J. Prata; L. Cabrera Cruz, ep. S. Luis Potosí; E. da Costa, ep. Campina Grande; V. Marchetti Zioni, ep. Baurú; J. Podestà, ep. Avellaneda; A. Quarracino, ep. Nueve de Julio; E. Pironio, ep. tit. Ceciri; R. Bogarin; Iosephus, ep. Montes Claros; C. Rada, ep. Guaranda; A. Maricevich; João B., arch. Vitoria E. S.; A. Fragosa, ep. Crateus; Iosephus, arch. Fortaleza; W. Calheiros, aux. Rio; A. Melillo, ep. Piracicaba; D. Picâo, coad. Santos; Iosephus, ep. tit. Ospita; A. Barbosa, ep. Campo Grande; W. Battú Wichrowski, ep. tit. Felbes; D. Ribeiro Guedes, ep. São João del Rei; A. Alves, ep. Palmares; H. Malzone Hugo, ep. Governador Valadares; Ioannes, arch. São Luis do Maranhâo; J. Gomes, ep. Bagé; J. de Castro Pinto, ep. tit. Gerapoli di Isauria; Iosephus Petrus, ep. Caetité; A. Pietrulla, ep. Tubarâo; S. de Aguiar, ep. Pesqueira; M. Pereira, aux. Belém; Caietanus, ep. Ilheus; D. Bueno Miele, ep. tit. Bararo; E. Angelelli, ep. tit. Listra; A. Frondosa, ep. Capiz; E. D'Souza, arch. Bhopal; J. de Lange; J. Rosario, ep. Amravati; M. Blanchoud, ep. Rio Cuarto; A. Wildermuth, ep. Patna; J. Manrique; L. Audet, ep. tit. Tibari; A. Galbiati; C. Benítez Fonturvel, ep. Barquisimeto; P. Grimm, ep. Tsinchow; J. Cornelis, arch. Elisabethville; J. Tawil, ep. tit. Mira; R. de Roo, ep. Victoria; O. Sevrin, ep. tit. Mossina; C. Geromini, ep. tit. Zabi; L. Tigga, ep. Dumka; St. Tigga, ep. Raigarh-Ambikapur; Fr. Garaygordobil, prael. Los Rios; Fl. Ariola, ep. Legazpi.

* * *

N. 2, pag. 14, linn. 38 s.: loco « sive... sive... sive... » dicatur « si... (aut: quando) ». *Ratio*: non agitur de navitatibus quae se invicem excluderent, sed potius de diversis aspectibus eiusdem navitatis, i. e. annuntiationis mysterii Christi.

N. 2, pag. 15, linn. 8 s.: addatur: « ministerio Sacramentorum, quae sunt "verba Dei visibilia" ». *Ratio*: etiam administratio sacramentorum habet relationem intrinsecam cum praedicatione verbi divini, sicut S. Augustinus optime et saepe saepius explicat. Ita inculcatur sacerdotibus quod administratio ipsa sacramentorum ut praedicatio evangelii intelligatur et exerceatur.

Addatur quoque: « pro illis fidelibus ». *Ratio*: ne negligatur fides in administratione sacramentorum.

N. 4, pag. 19, linn. 5 s.: loco: « ut missos ab episcopo »: dicatur: « a Christo ». *Ratio*: ne missio presbyteri sub aspectu potius canonico intelligatur, indicetur aspectus proprie theologalis missionis, qui est fundamentalis.

N. 5, pag. 20, lin. 2: addatur: « quae, uti psychologia et paedagogia, ... ». *Ratio*: illae scientiae in hodierna aetate sub aspectu pastorali sacerdotibus speciali modo necessariae sunt.

N. 5, pag. 20, lin. 21: addatur: « liturgica, oecumenica... ». *Ratio*: ne aspectus oecumenicus negligatur, praesertim cum iam diversa instituta oecumenica existent.

N. 6, pag. 21, lin. 14: addatur: « unitatem et fraternam ccllegialitatem... ». *Ratio*: textus uti sonat nimis subordinationem premit et negligit veritatem evangelicam fundamentalem, *omnes* nempe (et ita praesertim episcopi et sacerdotes) sub uno Magistro *fratres* esse. Evitandum est ne ipsi presbyteri de schemate nostro postea dicere valeant: opus est episcoporum, qui collegialitatem pro se postulant, sed confratribus in sacro ministerio sibi coniunctis denegant! Vera cooperatio, de qua infra, sine vera collegialitate haud possibilis est. (Cf. quoad relationem inter *presbyteros* et *laicos,* n. 8: « *fratres* inter *fratres* », « *fraterne* considerent »).

N. 6, pag. 21, lin. 33: addatur: « ut fratres et amicos... ». *Ratio*: in sacerdotio vere fratres sunt, quod est plus quam esse amicos. Si in Ecclesia paternitas sine fraternitate affirmatur, paternalismum sapit.

N. 6, pag. 22, lin. 2: addatur: « repraesentantium, una cum peritis laicis, ... ». *Ratio*: hodiernis temporibus adiutorium et cooperatio laicorum in dioecesim dirigendam omnino praetermitti nequit.

N. 6, pag. 22, lin. 23: addatur in fine: « Haec oboedientia erga superiores ne impediat oboedientiam quae Deo ipso debetur. Spiritus enim Dei etiam in presbyteris charismata sua « dividit singulis prout vult » (*1 Cor.* 12, 11), quae omnia cooperantur in Ecclesiae aedificationem. Haec charismata ab episcopis libenter agnoscantur et foveantur. Ita Spiritus non extinguitur, sed libertas filiorum Dei in Ecclesia magis ac magis effulget ». *Ratio*:

charismata maximum momentum etiam pro relationibus inter episcopum et presbyteros habet. Oboedientia, si praesentatur modo unilaterali, potius aversionem quam adhaesionem presbyterorum creat.

N. 8, pag. 26, lin. 35: addatur: « experientiam et competentiam... ». *Ratio*: etiam presbyteri saepe experientiam habent, ubi laici experientiam *et competentiam* possident.

N. 8, pag. 26, linn. 39 s.: verba: « charismata laicorum magni aestiment » nimis abstracte et superficialiter sonant. Ad extollendum momentum maximum charismatum laicorum textus sequens proponitur: « ... charismata laicorum multiformia, tam humilia quam altiora, instinctu fidei detegant, cum gaudio agnoscant, cum diligentia foveant. Sicut laici Spiritui per ministeria agenti, ita ministri eidem Spiritui per charismata laicorum loquenti, reverentiam ac oboedientiam praebere debent ».

N. 11, pag. 31, lin. 1: loco « arctiore modo » dicatur « speciali modo ». *Ratio*: *arctior* coniunctio cum Christo non dependet a sacramento ordinis, sed a caritate, quae etiam in presbytero adesse vel abesse potest!

N. 12, pag. 33, lin. 9: loco: « etiam non praesente populo » dicatur: « simul cum populo ». *Ratio*: hoc concordat cum spiritu constitutionis *de sacra Liturgia*. Modus dicendi *negativus* minus recte interpretari potest.

N. 14, pag. 37-38: fere omnes citationes S. Scripturae non sunt ad rem: pag. 37, lin. 6: *Lc.* 18, 27: non de coelibatu, sed de paupertate agitur; pag. 37, lin. 7: *Mt.* 9, 2: non invenitur; pag. 37, lin. 35: *Phil.* 4, 12: loquitur non de « necessariis », sed de « superabundantia »; pag. 38, lin. 11 et 22: *Phil.* 2, 7-9 et *Rom.* 5, 19: utrique textus non de oboedientia erga homines, sed de oboedientia erga *Deum* agunt.

* * *

[*Addidit animadversiones*: cf. pag. 437 n. 114].

99

Exc.mus P. D. CONSTANTIUS MICCI
Episcopus Larinensis

De bonorum administratione et proventuum distributione inter presbyteros.

Hae observationes in congregatione generali legendae non sunt: 1. quia tantum pro aliquibus regionibus particularibus valent; 2. ne forte scandalum inde aliquis patiatur.

Schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum,* valde laudandum humiliter censeo. Perplura enim ibi dicuntur vere apta ad presbyterorum sanctitatem fovendam, eorumque activitatem apostolicam faciliorem reddendam magisque urgendam.

Tamen adhuc perficienda aestimo quae dicuntur circa n. 18, scil. « praevidentia socialis in favorem presbyterorum ». Quam ob rem praeclarae commissionis attentioni, praesentes has observationes profero.

1. Textus nimis paraeneticus, exhortativus videtur, ideoque insufficienter ad dioecesim regendam episcopo inserviet. Pro regimine enim parum proficiunt exhortationes quando auctoritas deerit quae in legibus fundamentum habeat. Nunc autem in iure actuali eiusmodi leges desunt, *nec schema eas sufficienter praedisponere videtur.* Exhortatio valet pro sanctis, legislatio convenit hominibus.

Exhortationibus et consiliis Ecclesiae homines semper ditati sunt, iam inde a primis momentis promulgationis Regni Caelorum, per os Divini Magistri, deinde Sanctorum Apostolorum et Patrum, usque adhuc per exempla et dicta sanctorum necnon asceticae magistrorum. Tamen exhortationes ad perfectionem animarum magis quam ad regimen populorum vel coetuum apta videntur.

Decursu viginti fere saeculorum omnia haec non valuere ad quandam peraequationem inter dioeceses et inter presbyteros. Egoismus, spiritus sic dictus terrestris, paupertatis amori praevaluit, ita ut plerumque hoc factum sit: unusquisque quaesivit — laudabilibus exceptis casibus — pinguia beneficia; officia onerosa e contra vitare sategit. Quod si hoc turpe et indecorum pro presbyterorum coetu transactis temporibus visum est, in praesens autem absurdum et anachronisticum foret.

2. Ex alia parte tamen nobis episcopis — sic stantibus rebus — impossibile generaliter evadit quandam peraequationem statuere inter singulos, quia aliqua beneficia lucrosa inveniuntur, quae tamen fere muneribus carent; officia e contra dantur, quibus proventus fere nulli adnectuntur. Quaedam naturae humanae infirmitas singulis suggerit (proh dolor!) tentationem appetendi non quod efficacius animarum saluti apparet, sed quod magis lucrosum est.

3. Tunc autem haud raro episcopi ad panem alicui procurandum ita coarctantur ut ei tribuant munus cui minus aptus invenitur (e. g. munus docendi in publicis scholis), quia illi muneri stipendium adnectitur; dum e contra eidem tribui non potest officium eiusdem indoli vel ingenio magis accommodatum, quia huic officio nulla vel minima retributio competit.

4. Insuper in hodierno systemate fere numquam clare patescit, quaenam sint in proventibus sacerdotum, pars quae inservire debeat sustentationi, quaenam vero devolvenda sit apostolatus operibus.

Experientia testatur plures esse sacerdotes qui — ex una parte — totam suam pecuniam pro salute animarum necnon pro reficiendis aedificiis ecclesiasticis impendunt; plures tamen — ex alia parte — esse etiam qui numquam in sua scarsella inveniant aliquid ut quasdam saltem expensas sustineant pro confessariis, pro exercitiis spiritualibus populo procurandis, aliisque huiusmodi.

5. His omnibus perpensis proponendas has quae sequuntur conclusiones censeo:

a) omnes presbyterorum proventus ex quocumque titulo, cuiuscumque naturae — Missae excepta stipe — in massam communem profluant;

b) prospectus stipendiorum vel remunerationum pro diversis officiis vel activitatibus, vel pro diverso uniuscuiusque gradu, vel pondere munerum, exstent, ut omnibus omnino via iustitiae pateat, et episcopis eam sequi datum sit;

c) distinguantur quae personae sustentationi dantur (quibus totaliter unusquisque pro suo lubitu uti potest), ab his quae dantur ad apostolatus incepta sustentanda.

Quae omnia certe difficultatibus certe non carent; oportet tamen bene perpendere difficultates hodiernas, quae evidenter maioris ponderis sunt, quaeque vulnera saepe iustitiae commutativae afferunt.

Faxit Deus ut omnia secundum Dei voluntatem et presbyterorum complurium exspectationem fiant.

In n. 18, pag. 41, in lin. 20, propono verba « in votis est ut quantum fieri potest » substituenda simpliciter « necesse est », ut futuri legislatores ad immutandas leges vi verborum decreti magis firmentur.

100

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZÁLEZ
Archiepiscopus Matritensis-Complutensis

Sperabam fore ut aliquis Patrum de natura sacerdotii directe et ex professo loqueretur.

Necessarium omnino est ut doctrina de natura et condicione presbyteratus elucidetur et plane exponatur in schemate. Necessarium etiam est ut doctrina et ipsa expositio componantur cum ea quae de episcopis Concilium tradidit in constitutione *de Ecclesia*. Necessarium, dico, quia spiritualitas et apostolatus presbyterorum magna ex parte ab ea quam statuet Concilium doctrina pendet, necnon et ipsa canonica disciplina ab ipsa doctrina derivari oportebit.

I. Vera doctrina, puto, dari potest si haec lineamenta ad amussim prae oculis habemus:

Presbyteri immediate instituti sunt ab Ecclesia sive ab ipsis apostolis, sive ab episcopis successoribus apostolorum.

Sacerdotium presbyterorum configuratur uni et summo sacerdotio Christi, sicut configuratur sacerdotium plenum episcoporum, sicut configuratur sacerdotium spirituale baptizatorum.

Sacerdotium presbyterale est participatio ipsius sacerdotii Christi, ideoque participatio muneris Redemptionis quod Christi proprium est.

Presbyteris manus impositae fuerunt ut sint cooperatores ordinis (i. e. collegii) episcoporum. Sacerdotium, ergo, presbyterorum, natura sua, subordinatur sacerdotio pleno episcoporum et est communio cum illo, quia in eodem sacerdotio Christi communicant, in eodem sacramento Ordinis communicant, in eadem missione communicant et in eadem successione apostolorum communicant quamvis subordinatim diversoque gradu communicent.

In hoc sensu, presbyteri dicendi sunt cum Tridentino *successores Apostolorum in sacerdotio* (cf. sess. XXII, c. 1 et sess. XXIII, c. 1) quia de eodem et unico sacerdotio Christi plene apostolis collato suo gradu participant.

Per manuum impositionem (i. e. per ordinationem presbyteralem) obtinentur et communio hierarchica (communio cum collegio episcopali huiusque capite) et munera et ministeria proprie dicta sacerdotalia, nempe: ministerium seu « diakonía » verbi, « diakonía » Sacramentorum et Eucharistiae, et « diakonía » regiminis. Concilium Tridentinum ita nobis affirmatum reliquit: « Hoc (sacerdotium) autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem Eius, necnon et peccata dimittendi et retinendi, Sacrae Litterae ostendunt et catholicae Ecclesiae traditio semper docuit » (sess. XXIII, c. 1). Et in alio loco dicit quod presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiunt (cfr. sess. XXIII, c. 15).

Munera illa, illaque ministeria, cum in adiutorium et organum ordinis episcopalis collata sint, natura sua nonnisi in communione cum collegio episcoporum eorumque capite exerceri possunt. Sed in communione cum illo missio presbyterorum universalis est quoad munera, quoad gentes, quoad necessitates atque ad universam Ecclesiam extenditur, sicut universalis est et ad universam Ecclesiam protenditur missio collegii episcoporum.

Cum, vero, collegium episcopale multis constet episcopis qui singuli singulis Ecclesiis dioecesanis praesunt, communio hierarchica uniuscuiusque presbyteri habetur, servatur, ac roboratur per communionem cum proprio episcopo, sicut rumpitur per rupturam cum illo. Communio hierarchica sacerdotum religiosorum habetur, servatur ac roboratur per communionem cum Petro capite collegii episcopalis vel cum episcopo proprio iuxta diversitatem casuum.

« Presbyteri ... unum presbyterium cum suo episcopo constituunt, diversis quidem officiis mancipatum » quia « episcopum ... praesentem reddunt eiusque munera et sollicitudinem pro parte suscipiunt » (Const. *de Ecclesia,* III, 28) in singulis localibus fidelium congregationibus. Presbyterium hoc dioecesanum est quia « Christi Ecclesia vere adest in omnibus legitimis fidelium congregationibus localibus » (*ibid.* III, 26) quae suis legitimis pastoribus adhaerent quippe quae omnia habent quae ad salutem populo Dei necessaria sunt (verbum, Eucharistiam et Sacramenta, regimen, communionem cum universa Ecclesia Dei). Presbyterium, tamen, non est universale quia,

vi ordinationis membrorum suorum et communionis cum Episcopo proprio, perfecte communicat cum collegio episcoporum.

II. Ex dictis, nonnullae et notatu dignae conclusiones eruuntur quoad spiritualitatem, quoad laborem apostolicum, quoad disciplinam canonicam:

a) *Quoad spiritualitatem*: Spiritualitas et tota vita sacerdotis pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum. Si, ergo, cum hominibus conversatio sacerdotis, vitam suam absconditam habere debet cum Christo in Deo. A. v., spiritualitas et vita sacerdotis, qui mediator est, non potest nisi christocentrica esse quia Christus unicus mediator est Novi et Aeterni Testamenti. Illa, quam inadaequatissime et abusive « incarnationem sacerdotis » dicunt, nihil aliud esse potest nec esse debet nisi prompta capacitas condolendi iis qui ignorant et errant et humilis sinceraque conscientia de infirmitate qua et ipse circumdatus est (cf. *Hebr.* 5, 1-2). Si conversatio Christi cum hominibus in oboedientia, in paupertate, in abnegatione sui, in labore, in passione et cruce, in caritate exstitit, spiritualitas sacerdotis non potest in aliquo alio consistere. Alioquin, longe a sacerdotio Christi et a communione hierarchica sacerdos discedet.

b) *Quoad laborem apostolicum*: Per ordinationem, presbyteri cooptantur collegio episcoporum tamquam cooperatores eiusdem. Missio presbyterorum, proinde, eadem est ac missio universalis episcoporum, suo tamen gradu subordinato utpote adiutorum et cooperatorum ordinis episcopalis, adiutrix missio universalis, inquam, saltem in sollicitudine, ita ut parati semper inveniantur obviam ire necessitatibus Ecclesiae sive generalibus, sive particularibus in Ecclesiis dioecesanis, sive inter gentes nondum baptizatas. Et missio universalis etiam quoad munera adimplenda et ministeria praestanda quae ea omnia dicenda sunt (verbum, Eucharistia et Sacramenta, regimen) quae ad salutem hominum Christus tradidit apostolis eorumque successoribus.

c) *Quoad disciplinam canonicam*: Quia communio hierarchica uniuscuiusque presbyteri cum collegio episcoporum per communionem cum episcopo proprio obtinetur, sartaque servatur, necesse est ut singuli presbyteri adscribantur seu incardinentur uni dioecesi, quod nihil aliud est quam adiutorio unius et proprii episcopi se devovere. Si, autem, de presbyteris agitur qui missionem interdioecesanam adimplent, communio servatur, secundum casuum diversitatem, per adscriptionem vel ad Sanctam Sedem vel ad conferentiam episcopalem. Quodsi de presbyteris religiosis, idem sentiendum quia, eadem ratione ordinationis, collegio episcoporum cooptantur et communionem hierarchicam servant mediante Instituto Religioso quod vel Summo Pontifici directe vel singulis episcopis devincitur. Missio, ergo, canonica presbyteris collata nihil aliud est nisi assignatio loci, personarum et generis laborum ut munera et ministeria quae iam per ordinationem recepta habet (memineritis illud Tridentini supra transcriptum necnon allusionem ipsius Concilii ad munus et ministerium verbi et ipsum decretum secundum sessionis V super lectione et praedicatione) legitime, ordinatim et efficaciter exerceant.

Consequenter, haec quae sequuntur Patribus et commissioni propono:

a) Natura sacerdotii presbyteralis accuratius et profundius exponatur in schemate.

b) Doctrina et expositio huius schematis componantur cum doctrina et expositione luculentissimis constitutionis *de Ecclesia.*

c) Servetur modus theologicus loquendi illius constitutionis et corrigantur expressiones inexactae quandoque nobis occurrentes in schemate, illa praesertim quae n. 9 legitur (« Donum spirituale ... non ad ... coarctatam tantum missionem *praeparat* »), quia ordinatio *non praeparat sed confert* sacerdotibus amplissimam et universalem missionem; et ea quae in n. 6 (pag. 22, linn. 20 ss.) invenitur nam missio canonica non confert participationem in ministerio sed applicat personis et locis potestatem participatam et collatam per manuum impositionem in ordinatione sacra.

101

EXC.MUS P. D. THOMAS VILLELMUS MULDOON

Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis

Pag. 12, n. 1. De natura et condicione presbyteratus.

Dolendum satis est quod tota ratio essendi et dignitas presbyteratus petitur ex relatione presbyteratus ad episcopatum. E contra, natura et dignitas presbyteratus inveniuntur in eius relatione ad Christum Sacerdotem. Porro, hoc postulat ut doctrina de charactere sacramentali sacerdotii in schemate proponatur. Character enim est vera consecratio sacramentalis, qua sacerdos non tantum configuratur ad Christum Sacerdotem, sed etiam vere participat ipsum Christi sacerdotium. Episcopus, contra, non est nisi instrumentum sacrum quo Christus utitur ad sacerdotes consecrandos, eosque sui proprii sacerdotii participes efficiendos.

Humiliter igitur peto ut relatio presbyteratus ad Christum Sacerdotem, charactere fundata, in schemate tractetur. Expositio in schemate habita sacerdotes iure meritoque irritabit et nausea afficiet.

Pag. 25, n. 8, linn. 22 s. « Presbyteri ergo semper memores sint se ... esse fratres inter fratres ... ».

Non placet: Id quod maxime manifestat officium et munus sacerdotis in Corpore Mystico, et ideo eius relationem ad fideles, est nomen « Patris ». Propterea, populus noster hoc nomen vere amat. Hic conceptus nullo modo obscurari debet, uti facit textus schematis, sed potius roborari debet.

Praeterea, textus S. Scripturae citatus (*Rom.* 12, 10), ad rem non est, nam sermo ibi non habetur de relatione sacerdotum ad fideles.

Ergo, peto ut textus sic mutetur: « Presbyteri memores sint, praeterea, se inter christifideles esse tanquam veros patres, quo nomine munus eorum in Corpore Christi Mystico eximie manifestatur ».

Pag. 36-37: De coelibatu. Tractatio de coelibatu in schemate exhibita nimis negativa est.

Hodie, praesertim, uti omnes nos episcopi scimus, opus est mentes sacerdotum, praesertim iuniorum, ad positivum et idealem conceptum coelibatus erigere. Sacerdotes a Concilio universim expectant animationem et altam inspirationem.

Iamvero, coelibatus est maxima oblatio puri amoris Christo Domino facta in signum reale et testimonium eximium totalis deditionis et consecrationis.

Obsecro vos, fratres, ut modo positivo, fortiori quo fieri possit, hanc sui-oblationem proponatis.

Citentur verba Christi et S. Pauli de hac re ut mentes sacerdotum nostrorum ad idealem conditionem revocemus. Parcant nobis fratres Orientales si rem verbis urgentibus premamus!

102

EXC.MUS P. D. EDUARDUS NÉCZEY

Episcopus tit. Veliciensis, adm. ap. Nitriensis

Decretum *de ministerio et vita presbyterorum* sua doctrina et tono exhortationis vere aptum iudico, ut adimpleat finem sibi propositum in sacerdotibus excitare sensum ardentis caritatis erga Deum et erga homines et ita vitam eorum ad Evangelium conformare. Ideo hoc decretum meretur, ut in manus uniuscuiusque presbyteri deveniat.

Liceat tamen mihi aliquas animadversiones, resp. proposita facere, ut Decretum adhuc perfectius evadat.

1. In n. 1 sermo est de natura et condicione presbyteratus. Ad hoc numerum reverenter propono, ut statim in initio, ubi sermo est ad qualemnam finem Christus Dominus in Ecclesia sua ministros instituerit, ne dicatur tantum, ut « fratribus suis inservirent », sed extollatur essentialis et primarius finis sacerdotii: Deum Patrem verbis, operibus et vita glorificare. Ipse Domiminus in fine suae vitae terrestris protulit verba: « Ego te clarificavi super terram: opus quod dedisti mihi ut faciam, consummavi » (*Io* 17, 4). Prima et essentialis vocatio sacerdotum est laudare, glorificare Deum, Ei gratias agere et dein venit fratribus inservire.

2. In n. 2 (pag. 14) sermo est de ministerio verbi. In hoc numero dicitur: « Populus Dei primum constituitur verbo Dei vivi, quod ex ore sacerdotum omnino *fas* est requirere ».

Ministerium verbi est tam essentialis obligatio sacerdotis, ut illud ex ore sacerdotum requirere non tantum fas sit, sed illud gravissimum eorum officium sit. Christi Aeterni Sacerdotis exemplum praeluceat omnibus. In eius vita publica primo in loco extollitur praedicatio Evangelii. Revertens ex deserto regressus est in virtute Spiritus in Galileam... et docebat in syna-

gogis. « Et ut evolvit librum, invenit locum, ut scriptum est: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus » (*Lc.* 4, 14 s.). Et cum semet in desertum conferret, turbae requirebant eum... et detinebant eum, ne descederet ab eis. Quibus ille ait: « Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum » (*Lc.* 5, 42).

Talis missionis erant conscii Apostoli, qui crescente numero discipulorum elegerunt septem diaconos sibi adiutores ideo, ut ipsi orationi et ministerio verbi instantes sint (*Act.* 6, 4). Et Apostolus nec vinculorum nec aliarum tribulationum est veritus et nec animam suam pretiosiorem fecisset... « dummodo consumem cursum meum et ministerium verbi, quod accepi a Domino » (*Act.* 26, 14).

Talis est missio et obligatio ministerii verbi et hoc ideo, quia « vivum est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti » (*Hebr.* 4, 12). Et efficaciam verbi Dei, quod ex ore sacerdotum debet requiri, S. Augustinus non haesitat comparare efficaciae Sacramentorum appellans verbum Dei vivum « sacramentum audibile ». Certe loquitur de efficacia verbi tantum in sensu comparationis cum efficacia « sacramenti visibilis », at sufficienter elucet, quantum aestimet ministerium verbi. Ideo Ecclesia in actu ordinationis sacerdotalis monet: « ut praedicatione et exemplo aedificetis domum id est familiam Dei ».

Ex his rationibus liceat mihi proponere, ut in n. 2 (pag. 14), haec missio et ministerium verbi tamquam gravissimum officium sacerdotum inculcetur et huius sanctae obligationis sint omnes presbyteri conscii, cum liturgiam verbi Ecclesia partem integralem Sacrificii Novi Testamenti habeat et nostra in aetate multis in regionibus vivum Dei verbum unicum sit medium dilatandi Regnum Dei et conservare fidem in cordibus hominum.

3. et ultimo pauca tantum ad n. 15, pag. 38, ubi de vita interna presbyterorum fovenda est sermo.

Prae oculis habeo praesertim iuvenes sacerdotes, qui obtenta s. Ordinatione et seminarium relinquentes saepe talia in adiuncta deveniunt, ubi eorum vita interna multis periculis exponitur, semet saepe solos et derelictos sentiunt et ideo indigent adiutorio ne veneno materialismi inficiantur et maneant, uti necesse, vere « homines Dei » qui vitam internam non negligunt.

In sectione III n. 15 (pag. 39) sermo est de mediis ad internam vitam fovendam. Inter talia media sacerdotibus praesertim iunioribus potest commendari *Unio Apostolica* cleri, quae in fovenda et conservanda interna vita optime est merita et a pluribus Summis Pontificibus non tantum approbata, sed multis privilegiis donata est et commendata. Ideo — ita humiliter opinor — interiori vitae sacerdotum multum conferret, si haec *Unio Apostolica* etiam in Decreto Concilii commendaretur, vel saltem eius mentio fieret. Teste experientia enim constat, pro interna vita fovenda et servanda multum prodesse, si plures eandem vitam internam fovere desiderantes et conantes uniantur et ita mutuum sibi auxilium praestent, quod Unio Apostolica eximio in modo facit.

103

EXC.MUS P. D. DRAGUTIN NEŽIĆ

Episcopus Parentinus et Polensis

Ad n. 5 et quidem de studio scientiarum naturalium. De scientiis naturalibus locuti quidem sunt aliqui Patres in disceptationibus circa schema: *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Nihilominus necessarium esse duco etiam occasione disceptationum de hoc schemate *de ministerio et vita sacerdotum* aliqua de hac re dicere.

Propono ut in fine n. 6 huius schematis sequentia aut similia verba addantur: « Cordi sit episcoporum, respective conferentiarum episcopalium, superiorumque religiosorum, ut *sacerdotes* ad hoc apti ad studia specialisata scientiarum *naturalium* mittantur, qui postea episcopis ac sacerdotibus informationes utiles, scientifice certas, praestare, et plena competentia praediti, seminariorum alumnis praelectiones disciplinarum naturalium tenere, poterint ». Rationes seu argumenta adduco:

1. In terris illis quae sub dominatione marxistarum inveniuntur, primarium ac principale argumentum contra religionem consistit in assertione: religionem cum scientiis simul stare non posse. Quapropter in terris illis, episcopus vel sacerdos laurea aut titulo professoris scientiarum naturalium praeditus, magni aestimatur eiusque libri aut articuli editi, Ecclesiae honorem magnum afferunt. Docet casus exc.mi episcopi Misnensis in Germania Orientali, qui tales libros typis edidit. Omnibus notum est quam multum honori Ecclesiae confert scientia em.mi card. Decani qui etiam membrum est illius insignis « Académie Française ».

Notum est Carolum Marx gratulationes simul cum laetitia magna Darwino expressisse, cum audivisset Darwinum suam theoriam de evolutione spontanea specierum adinvenisse. In terris ab atheismo militanti dominatis, sacerdotes ab adversariis religionis uti senes decrepiti, ignorantia pleni, fautores tantum superstitionum, iuventuti in scriptis ac dictis repraesentantur.

2. Non pauci iuvenes, studentes scientiarum naturalium etiam in mundo occidentali, praesertim si in universitatibus sic dictis liberalibus student, sensim sine sensu dicto modo cogitandi de superioritate scientiarum naturalium supra religionem, deque absoluta independentia ac separatione horum camporum, mentem sibi efformant.

3. Episcopis in litteris pastoralibus scribendis ceteroque clero pro praedicatione, sacerdotes in scientiis naturalibus versati, magno auxilio esse possent. O, quam libenter fideles exempla ex natura desumpta audiunt et legunt! Nam illud quod hic in aula dictum est de diminuto valore apologetico argumentationis ex rerum natura propter contingentiam factorum, hoc magis in campo miraculorum stricte dictorum valere potest, dum in campo perfectionis ordinis, finalitatis ac pulchritudinis creationis, res creatae qua tales mentem ad Creatorem semper sponte elevant. Valde dolendum est, quod disciplina

astronomiae in seminariis nostris ceterisque scholis catholicis minime aut non satis foveatur. Nam: « Caeli enarrant gloriam Dei! ».

Forsitan aliqui sacerdotes de rebus naturae minore cum cognitione loquuntur, quam iuvenes qui in scholis nunc talia student.

Sunt etiam redactores textuum scholasticorum theologicorum qui, in scientiis naturae minus bene versati, de quaestionibus cum biologia, anthropologia vel etnologia connexis, vel sententias iam antiquatas adhuc proponunt vel sententiis modernis adhuc non sat maturis nimis facile indulgent: exempli gratia quando concedunt uti factum iam probatum evolutionem vivi ex non vivo, ex solo titulo insufficientiae probationis per Pasteur-i experimentum productae.

Quaestiones scientificae de formatione mundi, de historia generis humani speciarumque entium viventium, maximum nexum cum scientiis theologicis habent. Non sine ratione tempore Alberti Magni disciplinae naturales simul cum theologicis in Universitatibus publicis tradebantur.

Aliqui ex nobis, historiae scientiarum saeculorum praeteritorum ignari, casum Galilei tam facile Ecclesiae docenti primarie in culpam vertunt, dum, e contra, historia scientiarum illius temporis patefecit quaestionem illam Galileianam ab hominibus scientiarum naturalium fautoribus primarie motam fuisse. Fuit certus quidam religiosus insignis scientiarum naturalium cultor (non Bellarminus), qui nomine scientiae naturalis illius temporis defendendae, quaestionem Galilei apud Summum Pontificem urgebat. Sacerdotes, episcopi, cardinales, viri religiosi singularum epocharum, doctrinae illius respectivae epochae discipuli semper sunt. Quapropter non licet tempora praeterita conceptibus scientiae hodiernae mensurare.

Nunc adhuc aliqua proposita concreta:

Efformentur in gremio Ecclesiae aliqua entia seu studiorum centra pro scientiarum naturalium studio ac divulgatione; pro divulgatione ope praesertim unius periodici in quo de his rebus homines periti tam sacerdotes quam laici articulos publici iuris facerent, informando clerum de omnibus libris editis et quaestionibus in singulis campis agitatis necnon de factis et veritatibus serio studio comprobatis.

a) Habemus iam insignem illam *Academiam Pontificiam* scientiarum cuius membra scientiati eximii ex toto mundo sunt. Academia ista nobis in sensu praedicto multum conferre posset, praesertim ope periodici scientifici ac institutione laboratoriorum pro studio scientiarum naturalium.

b) Summus Pontifex feliciter regnans Societati Iesu uti munus speciale studium atheismi proposuit. Sicuti iam dixi, ad debellandum atheismum militantem modum quam maxime aptum esse, ostendere: fidem et scientiam sibi invicem non opponi, quia ambae ab eodem Auctore ortum ducunt.

Exemplo nobis sit pater Matthaeus Ricci ceterique missionarii, qui mundo extremi Orientis uti studiosi ac periti scientiarum naturalium prae primis se praesentaverunt. Quae via etiam hodie valde apta est *pro dialogo* cum scientiatis hominibus etiam cum non-credentibus instituendo.

c) Tertium institutum quod in campo studiorum naturalium una cum Academia Pontificia patribusque Societatis Iesu (ceterisque religiosis sodaliciis si quae maluerint) multum nobis prodesse possit, esset facultas biologiae in Universitate Sacratissimi Cordis Iesu quam primum instituenda. O quam parva peritia adhuc gaudent non pauci professores biologiae ceterarumque disciplinarum naturae in nostris seminariis, dum ex alia parte non habemus possibilitatem professores-sacerdotes peritos praeparare, quia facultas biologica in dicta ecclesiastica Universitate, ni fallor, adhuc non existit.

d) Profundioribus studiis scientiarum naturalium in gremio Ecclesiae ex parte entium supradictorum, sine dubio, etiam fratres nostri aliarum ecclesiarum vel communitatum christianarum ceterique scientiati credentes vel diversa eorum instituta, libenter manum adiutricem porrigerent.

Quo autem non obstante, amanter petimus, ut in periodicis (etiam biblicis iam existentibus) de auctoribus singulorum articulorum vel librorum criticae subiectorum semper nobis dicatur cuius religionis auctor sit: hoc non propter aliquam discriminationem, sed pro pleniore cognitione ac valutatione dictorum, petimus.

Conclusio. Exemplo nobis sit sanctus Carolus Borromaeus, qui temporibus suis disceptationes ac studia in palatio Vaticano instituerat ac fovebat, non tantum de rebus theologicis sed etiam de materia scientiarum naturalium. Si studia ista viris ecclesiasticis illius temporis quam maxime profuerint, sine dubio etiam nobis, episcopis, religiosis ac sacerdotibus huius temporis moderni, quattuor saecula post sanctum Carolum, profutura erunt.

104

Exc.mus P. D. ADOLFUS ALEXANDER NOSER

Episcopus tit. Hierpinianensis, vic. ap. Portus Alexii

In schemate optime tractatur de ministerio et vita presbyteri, sed in toto schemate ne quidem semel fit mentio de paternitate spirituali sacerdotis, etsi semper hoc nomine salutatur a fidelibus « Pater! ». Non est nomen vacuum, nam sacerdos vere est pater spiritualis fidelium, quia eis dat vitam spiritualem, ut pulchre dicitur in const. *de Ecclesia* (cap. III, n. 28). Multum confert ad veram pastoralem conversationem cum laicis, si sacerdos meminit se vere esse patrem spiritualem, fideles vere filios suos spirituales. Unde propono ut textus de const. *de Ecclesia* inseratur in n. 8, linn. 1-4, pag. 26, sic, vel similiter: « ... pro multis (*Mt.* 20, 28). Presbyteri " fidelium quos spiritualiter baptismate et doctrina genuerunt (cf. *1 Cor.* 4, 15; *1 Pt.* 1, 23), curam tamquam patres in Christo agant. Forma facti gregis ex animo (*1 Pt.* 5, 3) suae communitati locali praesint et inserviant ". Sectentur iustitiam, fidem, ... ».

105

EXC.MUS P. D. IOSEPH NKONGOLO
Episcopus Lueboensis

Schema in genere valde placet. Proponere tamen vellem aliquas emendationes.

1. Ad n. 2. Ministerium verbi recte textus in luce ponit. Sed, ad talem ministerium solvendum, oportet instetur ut praedicatio dominicalis et accurate proferatur et accurate praeparetur. Pro multis enim ex fidelibus christianis, divinae familiae congregatio in die Domini unicam occasionem praebet verbo Dei occurrendi et fidei educationem nutriendi. Sed saepe saepius et ipsi fideles de dominicalis praedicationis paupertate lamentantur.

Oportet ergo ut, in isto n. 2, in memoriam presbyterorum animarum cura praeditorum revocetur gravis obligatio ministerio verbi, et praesertim in die dominica sese accurate tradendi.

2. In schemate nostro nulla invenitur definitio sacerdotii — nec ulla invenitur etiam in constitutione *Lumen Gentium*. Hic datur solummodo aliqua descriptio sacerdotii presbyterorum. Et forse hic quaedam descriptio potest sufficiens videri. Sed in nostra descriptione, meo humili iudicio, deest quoddam magni momenti elementum.

Etenim, si presbyter vere est verbi minister, sacramentorum minister et populi Dei rector, ut recte in textu exponitur, oculis tamen populi christiani, maxime etiam apparet ut imago Dei viventis.

Sacerdos alter Christus: sicut ipse episcopus in Ecclesia particulari, ita presbyter in communitate sibi commissa est quasi imago Dei in medio sui populi degentis. Et exinde quoque sumi debet peculiaris exigentia sanctitatis in vita sacerdotali: non tantum a triplici muneris exercitio ut in n. 12 bene notatur, sed etiam a legitima expectatione populi Dei qui desiderat aliquid de Dei ipsius sanctitate et bonitate in tota vita et in tota persona suorum presbyterorum tangere.

Presbyter ergo oportet ut appareat totaliter et exclusive sicut vir Dei et consequenter sicut vir omnibus aequaliter deditus. Hoc principium textui nostro includatur.

Et exinde oriuntur quaedam exigentiae particulares quoad vitam presbyteri.

1) Presbyter, ut vir Dei — et vir omnibus deditus — oportet sese ab activitate politica omnino abstineat; et dico activitatem politicam sive apertam sive clandestinam. Et ratio facile apparet: vir politicus quasi necessarie videtur vir unius factionis; insuper activitas politica ad campum proprium activitatis laicorum pertinet et eis relinqui debet.

Unde humiliter peto ut in n. 8 (de presbyterorum cum laicis conversatione) dicatur presbyteros ab actione politica sese abstinere debere sicut decet viros servitio Dei in sacro ministerio deditos.

2) Ut vir Dei, presbyter non potest simul esse negotiator commercio deditus (un commerçant) quod tamen fit in nonnullis locis. Ergo humiliter peto ut in eodem n. 8 vel in n. 17 (ubi de recto usu bonorum agitur) revocetur Codicis Iuris Canonici praescriptio clericos omnes commercio prohibens.

Item oporteret in eodem numero ut textus presbyteros severe moneat de necessitate integritatem et perfectam honestatem observandi in usu et gestione bonorum temporalium. Quia:

a) presbyter tenetur oboedire, sicut quilibet homo, legibus simplicis naturalis honestatis, quibus legibus subiiciuntur et religiosi et etiam religiosae, id est tota ecclesiastica gens. Hoc non est inutile dictu;

b) presbyter qui peculatum facit (= qui commet des malversations) maximi scandali est omnibus hominibus.

3) et ultima exigentia. Ut vir Dei in sacro ministerio constitutus, oportet ut presbyter diligenter caveat — et speciatim in paroeciis urbanis numerosis — ne paulatim fiat quasi simplex curator vel administrator paroeciae qui cum fidelibus (ne de aliis dicam) consuetudines non facit nisi mere iuridicas.

[*Subscripserunt etiam*] J. B. Hanrion, ep. Dapango; J. Bretault, ep. Koudougou; J. Strebler; J. Lesourd; P. Dodde, ep. Ziguinchor; H. Thiandoum, arch. Dakar; A. Dupont, ep. Bobo-Dioulasso; Berlier, ep. Niamey; A. Duirat, ep. Bouaké; N. Boucheix, ep. Porto Novo; P. Dery, ep. Wa; A. Ndongmo, ep. Nkongsamba; G. Briard, ep. Mopti; J. Van Cauwelaert, ep. Inongo; P. Kimbondo; J. Malula, arch. Leopoldville; A. Lefebvre, ep. Kikwit; G. Bouve, ep. Kongolo; G. Van Kester, ep. Basankusu; V. Keuppens, ep. Kamina; M. van Rengen, praef. ap. Mweka; U. Morlion, ep. Baudouinville; G. Ukec, ep. Bunia; P. Bouckaert; J. Leroy, ep. Kilwa; M. Chauvin, ep. Fada N'Gourma.

106

Exc.mus P. D. COLMANUS O'CARROLL
Episcopus Miamiensis

N. 16. Dolendum est, quod in ultimo textu schematis decreti *de ministerio et vita presbyterorum* omnino siletur de cultu Ss.mae Eucharistiae.

Quod silentium eo molestius ferimus quia: *a*) affert mutationem textus iudicio Patrum submissi et a nemine repudiati; *b*) inducit deletionem unici loci ex omnibus schematibus, qui mentionem faciebat de cultu erga Ss.mam Eucharistiam; *c*) omissionem secum fert unius ex mediis ad pietatem sacerdotalem nutriendam iam in can. 125 C.I.C. peculiari modo recensitis.

Ex quinque mediis de quibus agitur in can. 125 C.I.C. schema duo omittit, quorum, proh dolor!, unum ad visitationem SS. Sacramenti refertur.

Quod autem in relatione ad n. 16 dicitur, nempe: opportunum visum esse aliqua praecipua media enumerare, in quibus hoc pium exercitium non includatur, id non potest errorem non confirmare eorum qui autumant Con-

cilium Vaticanum II parvipendere devotionem vel pietatem erga Ss.mum Sacramentum.

Placet praeterea hic referre verba Ioannis XXIII f. r., quae leguntur in Litteris Encyclicis *Sacerdotii Nostri primordia,* primo exeunte saeculo a morte S. Ioannis M. Bapt. Vianney editis: « Sacerdotalis (enim) precatio diutissime producta ante adorabile Altaris Sacramentum tali pollet dignitate atque efficacitate, quae a sacerdote nulla alia ratione haberi, nullo alio modo substitui possit » (*A.A.S.* 51 [1959], n. 11, pag. 562).

Insuper plus quam 100.000 sacerdotes adoratores per universum orbem dispersos ex restitutione mentionis de piis ad Tabernacula visitationibus, ad hoc pium exercitium se fortiter excitatos esse sensuros nemini latet.

Quamobrem enixe rogamus ut primus textus qui explicitam mentionem de cultu erga Ss.mam Eucharistiam faciebat restituatur.

107

Exc.mus P. D. MICHAEL OLÇOMENDY

Archiepiscopus Malacensis-Singaporensis

1. Ad n. 7, pag. 24, lin. 15, post verba: « eosque in primis oneribus ministerii adiuvent » addantur verba: « gradatim eis responsabilitates concredentes ». *Ratio*: in exercenda responsabilitate praesertim experientia et fiducia acquiruntur, zelusque sacerdotis stimulatur.

2. Ad n. 8, pag. 26, lin. 4, post verba: « forma facti gregis ex animo », addantur haec verba vel similia: « in verbis, veste et actibus ecclesiasticam dignitatem simul et simplicitatem servantes ». *Ratio*: de obligatione pro clericis ecclesiasticam vestem habendi in publico mentionem saltem facere oportet. Multi sacerdotes hanc regulam non servant — sacerdotes recognosci debent — hoc fideles debito expectant. Non observatio huius regulae Ecclesiae debitam reverentiam apud fideles et infideles minuit.

3. Ad n. 14, pag. 35, lin. 4, retineatur clara mentio « consiliorum evangelicorum » pro sacerdotibus. *Ratio*: omnes fideles invitantur ad sanctitatem, etiam fideles laici « consilia » in mundo observant; a fortiori sacerdotes ea particulari modo servent oportet.

4. Ad n. 14, pag. 36, linn. 6-7, etc., omittantur hic verba: « relictis omnibus secuti sunt eum ». *Ratio*: verba haec non videntur referri coelibatui vel virginitati sed potius domui, patriae ritibus sicut in *Mc.* 1, 18, *Mt.* 4, 22.

108

EXC.MUS P. D. IOANNES PATRICIUS O'LOUGHLIN
Episcopus Darvinensis

Loqui velim de lacuna quadam quae existere videtur in schemate nostro *de ministerio et vita presbyterorum*: quae lacuna in eo consistit, quod schema non satis attente considerat arctam relationem (vel: coniunctionem) quam presbyteros omnes oportet habere cum Romano Pontifice.

Vix inveniri potest sacerdos qui non magni pretii habeat illas tres epistulas ad sacerdotes nostri temporis missas a Pio X, Pio XI et Pio XII f. r.

Iamvero S. Pius X litteris *Haerent animo* (*Acta Pii X,* vol. 6, pag. 301) ad universum clerum catholicum destinatis, hortationibus episcoporum suas addere proprias hortationes non dubitavit. Haec enim scripsit: « ad hos (sacerdotes) porro Cor Nostrum per hasce litteras patere volumus ut Cor patris »; et textum ex ep. *Hebr.* 13, 17 adducens: « ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri », addidit: « haec nimirum sententia si ad omnes pertinet quotquot in Ecclesia praesunt, at maxime in Nos cadit qui licet impares supremam in Ea auctoritatem, Deo dante, obtinemus. Quare noctu atque interdiu sollicitudine affecti ... unum praecipue Nos occupat: homines sacri ordinis eos omnino esse, qui pro munere officio esse debent ».

Pius vero XI, ut bene nostis, cum de sacerdotio tractare sibi proposuisset, Litteras Encyclicas ita significanter incepit: (*A.A.S.,* vol. 28, pag. 5) « Ad Catholici Sacerdotii fastigium vixdum evecti ... », ut omnes intelligerent ipsum tamquam sacerdotem sacerdotes adloqui. Ceterum iisdem Litteris sacerdotes esse declaravit « Nobis et Nostris in Episcopatu Fratribus adiutores » (*A.A.S.,* vol. 28, pag. 49).

Pius denique XII, memor verborum illorum quibus Princeps Apostolorum episcopos et sacerdotes aetatis suae adhortabatur: « Pascite qui in vobis est gregem Dei ... », et ipse Adhortationem Apostolicam, cui titulum *Menti Nostrae* (*A.A.S.,* vol. 42, pag. 692) apposuit, ad clerum universum misit.

Ex quibus manifeste apparet quanta sollicitudine Summus Pontifex, qui est et ipse sacerdos et fastigium sacerdotii obtinet, sacerdotum vitam et mores et ministerium semper curaverit; cui quidem sollicitudini certissime respondere debent, ex parte sacerdotum, et maxima adhaesio spiritus et perfecta oboedientia, iuxta illud quod etiam in constitutione dogmatica *de Ecclesia* habetur (*A.A.S.,* vol. 57, pag. 35): « Quia genus humanum hodie magis magisque in unitatem civilem, oeconomicam et socialem coalescit, eo magis oportet ut sacerdotes coniuncta cura et ope, sub ductu episcoporum et Summi Pontificis omnem rationem dispersionis elidant ut in unitatem familiae Dei totum genus humanum adducatur ».

Haec autem « dispersio », de qua in textu citato agitur, mihi non videtur posse vitari, nisi sacerdotes ipsi unum se sentiant cum Romano Pontifice:

quod ego dico, duas praesertim circumstantias prae oculis habens, quarum altera ad sacerdotes religiosos attinet in Dioecesi degentes atque adlaborantes, altera vero illam peculiarem inclinationem spectat qua homines nimis cupide res novas sequuntur.

Quoad primam circumstantiam, qui locus est attribuendus sacerdotibus religiosis in dioecesi, tum praecipue, cum totum coetum sacerdotalem ipsius dioeceseos constituunt? Nonne eorum positio aequiparanda est condicioni fidelium, qui sunt in mundo, sed non sunt de mundo? Sunt enim et ipsi in hac dioecesi, sed non sunt de hac dioecesi, cum quemdam Lymbum habitare videantur extra fines veri presbyterii. Si e contra omnes sacerdotes, tum dioecesani tum religiosi, circa Romanum Pontificem sunt congregati, presbyterium vere catholicum efficiunt, quod nullo modo presbyterium circa singulos episcopos debilitat, sed potius corroborat intimiusque unit.

Quoad alteram circumstantiam de qua dixi, omnibus sane temporibus viguerunt res novae, et, ex parte hominum, semper extitit quaedam effrenata cupiditas eas amplectendi — vel, ut clarius dicam, semper extitit illud, quod italice « moda », anglice « fashion » dicitur. Quod quidem factum, quamvis sit ex natura sua caducum et omnino mutabile, magnam tamen habet dominationem in mentibus actionibusque hominum, ita ut vere fortis ille censendus sit qui ad eius arbitrium sese non accommodet. Sed nostra hac aetate « moda » viget atque imperium tenet etiam apud locutiones et scripta theologorum! Fortis est ille sacerdos qui illi non se conformat! Quomodo vero fiet fortis sacerdos, si animum continenter non intenderit ad Cathedram Petri, ex qua Magisterium Ecclesiae abundantissime emanat? Quantum autem hoc ipsum Magisterium sic traditum possit fidem confirmare necnon viam ab omnibus tenendam ut in veritate permaneant, perlucide demonstraverunt hisce diebus Litterae Encyclicae *Mysterium fidei* a Paulo VI fel. regn. nuperrime editae. Quot dubia, quot anxietates hoc documentum composuit!

Verum est quod nostrum schema (pag. 19, lin. 35) presbyteros hortatur ut bene noscant magisterii et in primis Romani Pontificis documenta, et pag. 36, lin. 27 monet ut solliciti sint in tradendis Romanorum Pontificum atque episcoporum normis, sed mentio haec fit sicut per transennam et prorsus minor iusto apparet in re tanti momenti.

Ad hoc accedit, quod in schemate, iuxta textum recognitum, omissa fuit omnis mentio collegii episcopalis et consequenter eius Capitis, Romani Pontificis. Uti in relatione legitur, omissio ipsa facta est « brevitatis causa ». Numquid etiam « brevitatis causa » omissa est paragraphus quae in textu emendato, pag. 27, lin. 39 continebat verbum « Papa »? Sed ratio brevitatis non adducta est relate ad par. 6 et 8, in quibus sat ample tractatur materia de habitudine inter episcopos et presbyterium, necnon de conversatione presbyterorum cum laicis.

Ergo propono ut schemati inseratur nova paragraphus, quae expressis verbis de habitudine presbyterorum ad Romanum Pontificem agat: « Ad vincula fraternae dilectionis inter se existentia magis firmanda, ad co-ordina-

tionem laborum apostolicorum securius tenendam; ad pabulum omnino sanum et nutriens suis ovibus praebendum; presbyteri omnes, Romano Pontifici, utpote Sancti Petri successori et Christi Domini in terris Vicario, summum obsequium, summam reverentiam, summam oboedientiam et pietatem sedulo praestent ».

109

Exc.mus P. D. ANTONIUS ONA DE ECHAVE

Episcopus Lucensis in Hispania

Infrascriptus episcopus Lucensis in Hispania expostulat ut n. 12 schematis *de ministerio et vita presbyterorum,* cui titulus « Triplicis muneris sacerdotalis exercitium sanctitatem requirit simul ac fovet », cum in lin. 6 pag. 33 dicitur: « In mysterio Sanctae Missae, in qua munus suum praecipuum sacerdotes exercent, cuius igitur celebratio cotidiana, etiam non praesente populo, ... » addatur: « simul ac Sanctissimi Sacramenti visitatio, enixe commendatur ». *Ratio*: in nullo alio loco schematis explicite dicitur de hoc medio ad sacerdotalem sanctitatem acquirendam tali modo expresso in can. 125, § 2 C.I.C.; et tantopere opportuno cum Summus Pontifex fel. regnans, in sua Encyclica *Mysterium Fidei* de Eucharistia hoc in plano dicat ut curetur quod nostra existimatio christiana ne in penumbra cadat, et quod tantae generationes sanctorum nutritae fuerint adoratione Sanctissimi Sacramenti.

Spero firmiter de vostra acceptatione huic humili suggerentiae, quia etiam mens vestra est; nam cum in praecedenti sessione Concilii Vaticani II ego dixerim de includendo cultu erga Sanctissimam Eucharistiam, responsum vestrum est in relatione: « Haec verba, quae in textu propositionum inveniebantur, omissa quidem erant, sed non consulto ».

110

Exc.mus P. D. EMMANUEL DE IESU PEREIRA

Episcopus Brigantiensis

Ad n. 17.

1. Plurimas gratias exc.mae commissioni ago, quia, me suggerente, ut censeo, in sermone meo anni praeteriti in aula conciliari, verba duriora aequo in primo schemate attenuavit, in quibus exponebatur quaedam doctrina quae immerito traditionalis vocabatur. Recte egit commissio haec corrigendo, quod placuit, ut scio, multis presbyteris.

2. Haec « bona quae occasione exercitii alicuius ecclesiastici officii sibi comparant », de quibus hic loquitur, eadem sunt ac illa, quae in Compendiis Theologiae Moralis vocabantur quasi-patrimonialia, quae definiuntur — « quae ipsi occasione sacrarum functionum, e. g., missae vel conciones tribuuntur »...

Tamen ne obliviscamur hanc regulam generalem hactenus vigentem: « De

omnibus bonis, nempe, de patrimonialibus (quae clericus tanquam persona privata quocumque titulo possidet, e. g., ex haereditate), quasi patrimonialibus (quae ipsi occasione sacrarum functionum, e. g., missae vel contionum etc.) et parcimonialibus (quae clericus, parcius vivendo, retinet e redditibus beneficii quos rationabiliter in sustentationem suam impendere potuisset ») clericus libere, sicut alius civis, disponere potest.

Si qui peculiares limites ipsi apponuntur, id oritur ex obligatione scandali vitandi vel modestiae clericalis servandae.

3. Valde mihi placet in praesenti schemate (pag. 41, linn. 2 s.) haec dispositio quae omnino cohaeret cum doctrina traditionali: « bona quae occasione exercitii alicuius ecclesiastici officii sibi comparant... adhibeant imprimis ad suam honestam sustentationem et ad officiorum proprii status adimpletionem ».

Sed mihi non placent cetera quae ibidem leguntur: « quae vero supersint, in bonum Ecclesiae vel in opera caritatis destinare velint », si illum « velint » intelligendum est in sensu imperativo.

Ideoque propono ut « velint » substituatur pro « suadeantur ».

Cetera quae sequuntur — « neve redditus ab eo provenientes in propriae rei familiaris amplificationem impendant » — simpliciter omitterem, nam minus cohaeret cum doctrina traditionali et mihi videtur fore ut fonti anxietatibus non parvis pro sacerdotibus timoratis et occasioni peccati pro minus scrupulosis.

Sicut in Actibus Apostolorum forsitan non deficient inter sacerdotes de suis bonis disponentes Ananiae et Saphirae. Si nostris sacerdotibus tollamus libertatem disponendi, ut hactenus, de bonis quae occasione exercitii alicuius ecclesiastici officii sibi comparant, nonne quidam sacerdotes incident in quoddam nihilismo ita ut non incumbant concionibus etc. ... Ne obliviscamur proloquium: « summum ius, summa iniuria ».

Ne imponamus sacerdotibus saecularibus onus aliquantulum intollerabile. Ne sit praeceptum, sed unice consilium.

111

Exc.mus P. D. NORBERTUS PERINI
Archiepiscopus Firmanus

I. Noto imprimis in n. 5 plurima inventa enuntiata esse ad finem prorsus necessarium ut presbyteri tum sacra tum profana polleant scientia qua melius et cognoscere possint et docere quae Deum respiciunt, iuxta mundi nostri temporis exigentias.

Inter media utique optima quae indicantur utillimum censeo ut alterum specialissimo modo perpendatur, ita ut non tantum (uti cetera) sicut consilium vel pium desiderium Sacri Concilii sonet, sed sicut praeceptum magni ponderis ad effectum brevi tempore in tota Ecclesia producendum.

Dico de instituto de qua in ultima linea folii 20 et in primis lineis folii 21, iuxta quod « omnes presbyteri paucos post annos a sua ordinatione frequentare possint cursum ad scientiam acquirendam et semper novis adiunctis adaptandam ».

Hoc quod medium utique aptum extat ad scientiam presbytero necessariam, inspiciamus, Patres venerabiles, ut medium optimum ad finem sine dubio maioris momenti, immo primarium consequendum, scilicet ad spiritualem vitam eiusdem presbyteri corroborandam et restaurandam.

Nemo est qui non videat quantam utilitatem afferre posset longior et pia pausatio post decem circiter annos ab incepta sacerdotali missione, post tot rerum et hominum experientias, post labores et dolores, satisfactiones et delusiones, ne dicam post errores et pericula plus minusve superata.

Nonne aliquid huiusmodi iam experti sunt, maximo sane cum spirituali lucro, religiosi Societatis Iesu pro sacerdotibus dioecesanis mediante usu recessuum unius integri mensis, et pro suis ipsis sodalibus mediante quem aiunt secundo novitiatu? Qui usus exstat etiam in aliis Congregationibus, ut e. g. in Societate S. Ioannis Baptistae de La Salle « Fratrum pro scholis Christianis ».

Propono igitur ut verba quae leguntur in fine folii 20 et in principio folii 21 hoc modo mutentur: « Praeter omnia media, optima quidem, quae superioribus lineis suggessit, hoc Sancta Synodus praecipit ut proprium et novum, ut in unaquaque dioecesi vel regione vel natione episcopi vocent presbyteros suos paucos post annos ab eorum ordinatione ad cursum longioris temporis summaque diligentia dispositum, quo ipsis praebeatur occasio cum ad pleniorem multimodae scientiae et pastoralium methodorum cognitionem acquirendam et ad mutuo communicandas experientias apostolicas, tum praecipue ad propriam vitam spiritualem roborandam et restaurandam, illud Pauli ad effectum adducendo: "Rememoramini pristinos dies in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum" (*Hebr.* 10, 32) ».

II. Aliquid simile liceat mihi dicere circa ea quae sub numero 14 leguntur de coelibatu presbyterorum.

Digna laude utique sunt quae valido sermone proponuntur ad celebrandam et extollendam multimodam convenientiam quam coelibatus cum sacerdotio habet, nisi forte potius quam de convenientia loquendum esset de morali necessitate, in Ecclesia latina, ubi ex tot saeculorum traditione et ex plurimis iisque patentibus bonis inde profluentibus, felix efformata est mens (mentalità) tum in clericis tum in laicis alte clamans ad sacerdotum coelibatum.

Non pari laude dignam duco tantae argumentationis conclusionem, quae in blandiora haec verba desinit: « legem coelibatus Sancta Synodus iterum comprobat ».

Quo instantius enim a nonnullis qui lapsi sunt, pro quibus oratio nostra et caritas et misericordia et adiutorium, si possibile, contra legem coelibatus impetitur; quo latius dolosa notitia subdole per ephemerides diffunditur,

Ecclesiam in eo esse ut veterem rigorem remittat circa hanc legem; quo adiuncta et formae societatis nostri temporis difficiliorem reddunt huius legis observantiam, eo firmior et omni dubietate expers esse debet eiusdem legis affirmatio.

Quod in futuribus temporibus, mutatis adiunctis, possit Ecclesia, firmis manentibus principiis, disciplinam immutare, quis est qui neget? Cum vero hodie, Deo favente, haec futura tempora, haec adversa adiuncta minime appareant, ita ut Ecclesia, cuius est iudicare et decernere de re tanti momenti, persuasum habeat antiquam beneficam legem hactenus, immo nunc cum maxime, fecundam esse innumerabilium bonorum, quam ideo possit et debeat absque ulla dubietate retinere, eiusdem legis affirmatio et sanctio sonet clara, firma, severitate signata.

Rogo igitur ut verbis « iterum comprobat » folii 36 lin. 29 vel addatur alterum verbum, ut, e. g. « et confirmat » vel « et sancit » vel « et ratam facit » vel saltem addatur adverbium, ut e. g. « Omnino - prorsus - firmiter - absolute ».

Faxit Deus ut haec quam suadeo rigidior dicendi forma valeat ad differendam immo et ad evadenda tempora in quibus flens dicat Ecclesia: « Abrogamus pro sacerdotibus latinis legem coelibatus »: scimus enim moenium soliditatem saepius ipsam destruere voluntatem incursionis.

De cetero non sine utilitate existimo quod, etiam manentibus verbis uti nunc iacent, pateat mentem Concilii fuisse rigidiorem quam pro formula.

III. Transeo ad tertiam animadversionem quae est paucis verbis tractanda. Respicit vitam communem inter presbyteros dioecesanos, de qua fit mentio in n. 7 in foliis 24 et 25, forma tamen omnino insufficienti, quippe quae aliqualem dubitationem prodeat, quasi dicat et non dicat, quasi moneat simul et monitionis veniam petat. Huiuscemodi forma dicendi minime congruit momento quod vita communis habet in vita presbyterorum sive propter spiritualia et pastoralia lucra quae secum affert; sive propter discrimina quae vel removet vel superat.

Favet imprimis supernaturali rerum visioni omnino necessariae presbyteris ponens illos in morali aëre minus indulgenti mundanis commodis quae enervant ac fere extinguunt perceptionem et saporem eorum quae sunt spiritus Dei (*1 Cor.* 2, 14). Faciliorem insuper reddit collaborationem inter presbyteros eidem officio addictos et unitatem obtinet actionis circa eundem gregem pascendum. Mutuo sane consilio necnon concordi labore multiplicantur et ampliantur incepta in bonum christifidelium, in quorum aedificationem ipsum cedit vivum caritatis exemplum.

Minime denique praetermittenda sunt spiritualia discrimina quae vitae communis fraterna consuetudo valet adimere, profluentia: ex mala suada solitudine; ex nimia eaque non facile inspecta propinquitate cum laicis; ex profanis influxibus qui plus minusve in ipsam pastoralem actionem agunt qui, consanguinei vel non, laici, in domo habitant presbyteri.

His considerationibus ducta Sacrasancta Synodus dum viva prosequitur

laude religiosos et presbyteros dioecesanos qui iam meliori qua possunt forma vitam communem degunt, profitetur suam mentem esse ut ab omnibus presbyterorum coetibus vita communis tamquam meta habeatur constanter inquirenda, progressive ad effectum deducenda et ultimo feliciter contingenda.

Propterea satagant episcopi ut in sua quisque dioecesi et sententia et veritas promoveatur vitae communis, et in suo quisque Seminario iam a primis annis in alumnorum mentes persuasio irrepat et convalescat, post adeptum sacerdotium, ad validiorem foecunditatem Sacri Ministerii, vitae communis, ad nutum episcopi, se esse praestitutos.

IV. Corrigendas denique puto formulas quibus utitur schema in n. 16 ubi agit « de aequa remuneratione presbyteris providenda ».

Speculatori duae emergunt e schemate notiones quae duobus vocabulis indicantur, prima quidem fronte quasi synonyma, re vere diversissima: « merces » et « sustentatio ».

Merces aequatur quantitati et qualitati fatigationis. Sustentatio respondet iuri vivendi quo omnis homo pollet.

Mercedem dat operum conductor operario idest operum executori. Episcopus vero non est operum conductor, neque presbyter est operarius nisi translato sensu. Conductor operum est Christus, cuius est vinea colenda, cuius est mittere operarios in vineam suam, cuius est de mercede pacisci, de fidelitate et fructu fatigationis iudicare, cuius est tandem mercedem reddere, quam pollicitus est copiosam in caelis, iis tantum utique concedendam quibus nequeat obiicere: « Iam (scilicet in terrestri vita) recepisti mercedem tuam ».

Neque obiiciat quis sententiam Christi de operario qui « est dignus mercede sua ». Si enim bene perpendantur loca ubi Christus discipulis loquitur de mercede, facile perspicitur semper illum loqui velle de cibo, uti aperte eruitur ex *Mt.* 10, ubi monitio Christi sic evolvitur: « Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris; non peram in via neque duas tunicas neque calceamenta neque virgam: dignus est enim operarius cibo suo ». Conferatur etiam totum cap. 9 epistolae *1 Cor.* necnon cap. 6 *1 Tim.* quod in aurea verba resumitur: « Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus » (6, 8).

In hac vita igitur et ex sacro ministerio non est expetenda a sacerdotibus merces sed tantum quod sufficit ad congruam substentationem, ne apostolus « incidat in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva quae mergunt homines in interitum et perditionem » (*1 Tim.* 6, 16).

Ex mercede enim quis non solum vivit, sed thesaurizat, monente Christo: « Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra... thesaurizate autem vobis thesauros in caelo » (*Mt.* 6, 19-20).

Mercedem insuper omni tempore, sed maxime hisce diebus, comitantur insatiabilitas, reclamationes (proteste), operum disertiones (scioperi), voluntariae abdicationes (dimissioni): quae omnia toto caelo absona sunt sive a vocatione quae a Deo est, sive a missione quam non nos fingimus nobis sed

Deus per Ecclesiam nobis committit, quae ergo tota est supernaturaliter accipienda et pro regno Dei et iustitia eius perficienda.

Cum igitur tanti ponderis et prorsus opposita sint consectaria duarum notionum quarum altera naturalisticis altera supernaturalibus innititur fundamentis, omnino necessarium duco ut vocabula ipsa prudenter eligantur et proprie adhibeantur.

Removeatur ergo vocabulum « merces » et aperte dicatur officio quod ab episcopo assignatur ad modum unius, congruenti viribus et dotibus uniuscuiusque Presbyteri, nihil amplius respondere in presbytero nisi ius ad propriam sustentationem in terris et spem mercedis utique copiosae in caelis.

Hinc legitime progreditur ad reformationem systematis sic dicti beneficialis iuxta quem bona distribuuntur illa inaequalitate quae in hoc mundo et maxime nostris his diebus fons extat et origo tot dissensionum et qui permittit ut in ipsa Ecclesia verificetur indecorum iam a Paulo defletum in *1 Cor.* 11, 21: « alius quidem esurit, alius autem ebrius est ». Systema qui sua historica explicatione certe non caret, nequit vero defendi hodie in tanto triumpho oecumenismi.

Si quis tandem me insimulet simplicitatis, quasi nesciam totum mundum positum esse in coacervanda pecunia, respondeo me utique scire, Evangelista Ioanne auctore, totum mundum positum esse in maligno (*1 Io.* 5, 19) Christum vero dixisse suis: « Vos estis in mundo sed non estis de mundo » (*Io.* 17 passim). Scio pariter ultimis horis vitae terrestris Christum quaesiisse suis: « Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? ». At illos respondisse: « Nihil » (*Lc.* 22, 35).

His qui fide non illuminantur simplicitas est et risibilis ingenuitas fiducia in Dei providentia (et iisdem in divitiis multa desunt); sapientia vero est nobis qui testes sumus et saepius instrumenta mirabilium eius; quibus in honesta paupertate nihil deest.

112

Exc.mus P. D. URBANUS M. PERSON

Episcopus tit. Cymaeus, vic. ap. Hararensis

N. 14, linn. 21-30 sic mutentur: « Ecclesiae sanctitas apparet in praxi consiliorum evangelicorum et in sequela Christi. Cum vero sacerdos peculiari ratione ad sanctitatem vocetur, peculiari quoque illa consilia in honore habeat.

Inter quae in primis eminet paupertas evangelica, qua Christo intimius conformantur et ad sacrum ministerium promptiores fiant ». *Raison*: c'est de façon arbitraire et injuste que les conseils évangéliques ont été réduits aux trois conseils classiques de « pauvreté, de chasteté et d'obéissance ».

En effet l'évangile est rempli de conseils: faire le bien, éviter le mal, pardonner, prier, être humble, vigilant, détaché, toujours prêt à mourir etc.; ... Ces conseils sont le seul moyen de réaliser les préceptes qui se résument dans

la charité. Voilà pourquoi Saint Paul dit que la charité est patiente, bénigne etc. ... et son enseignement est calqué sur l'évangile.

Les trois conseils « classiques » ont été choisis parce qu'ils aident à vivre tous les conseils évangéliques dans leur intégrité. Et par le fait même ils aident à réaliser dans sa perfection le précepte de la charité.

Malheureusement ces conseils ont été monopolisés par la vie religieuse et codifiés par les vœux. Il ont été ainsi arrachés à leur contexte évangélique et desséchés. Et aujourd'hui ils sont dépréciés.

Il faut les remettre dans leur contexte évangélique et, comme le Seigneur, mettre la pauvreté à la première place, mais la vraie pauvreté sous toutes ses dimensions car le vrai pauvre est serviable, humble, détaché etc. ... La chasteté a le même sens... Quant à l'obéissance, il vaut mieux la laisser, car elle ne paraît pas dans l'évangile qui parle sans cesse de service... Celui qui est serviteur est prêt à obéir à tous et à fortiori à son supérieur et à son Evêque.

113

Rev.mus P. D. QUINTINUS PESSERS

Praefectus apostolicus Kiangchovensis

Indicium generale. Etiam nova schematis redactio non est talis, ut vel a longinquo respondeat huius rei momento. Spes sacerdotum vehementer falletur.

1. Prima pars ex constitutione *Lumen Gentium* quaedam novae reflexionis elementa assumit, ut sunt indoles ministerialis ac apostolica sacerdotii, participatio in sacerdotio episcoporum, collegialitas presbyterialis. Tamen theologia, quae textui nostro subiacet, in genere tam trita est, ut novas quaestiones vix suspicari videatur.

2. Capita de vita spirituali presbyterorum videntur ipsum illum aspectum apostolicum et ministerialem fere ignorare, quem prima pars exponit. Laborant insuper illo defectu, quem passim correxerunt recentiores doctrinae spiritualis magistri, secundum quem vita spiritualis restringeretur ad orationem et praxes asceticas. Exercitium ministerii etiam externi vix et ne vix quidem apparet tamquam schola et exercitium caritatis, ideoque tamquam eminens locus sanctificationis, sed primo loco consideratur tamquam periculum pro vita spirituali. Quapropter sacerdotes in textu nostro non invenient adiutorium ac stimulum, quo solvant problema vitale harmonicae compenetrationis inter activitatem suam et vitam spiritualem. In hac re Textus Emendatus, licet valde defectuosus, tamen notabiliter melior est quam novus Textus Recognitus qui nunc proponitur (vide n. 11, olim 12).

Singula. Ad prooemium, pag. 11, linn. 5-11. Sententia omittatur. *Ratio*: nexum idearum perturbat. Eadem mox fusius dicuntur.

Ad n. 1, pag. 12, linn. 17 s. Verba « subordinato gradu » omittantur.

Ratio: ex contextu satis patet. Odiosum est, hoc iterum iterumque iterare. Vel scribatur: « Rursus episcopi partes muneris ac ministerii sui presbyteris legitime tradiderunt » etc.

Ad n. 1, pag. 13, lin. 4. Scribatur: « peculiari initiatione sacramentali confertur, qua » etc. *Ratio*: verbum « indiget » mire sonat.

Ad n. 1, pag. 13, lin. 21 - pag. 14, lin. 11. Totus passus denuo redigatur, quia: 1) est confusus et male ordinatus; 2) infeliciter incipit a verbis *Hebr.* 5, 1, quae aliquam proprietatem sacerdotii veteris ad solam personam Christi applicant. Sed relatio sacerdotum ad populum in Novo Testamento essentialiter diversa est.

Scribatur: « Vocatione et ordinatione sua presbyteri quodammodo in sinu populi Dei segregantur, non tamen ut ab eo vel a quovis homine separentur, sed ut toti consecrentur operi ad quod Dominus eos assumit (cf. *Act.* 13, 2) et ministerio apud fideles et infideles. Dominus enim Iesus, Filius Dei homo ad homines a Patre missus (cf. *Ep. ad Diognetum,* c. VII, 4), ex hominibus assumptus et pro hominibus constitutus (cf. *Hebr.* 5, 1), inter eos conversabatur.

Quem Apostoli sequentes, omnia reliquerunt, ut piscatores fierent hominum (cf. *Mc.* 1, 17-18). Sic et Paulus, « vocatus apostolus, segregatus in evangelium Dei » (*Rom.* 1, 1), omnia omnibus se factum esse testatur ut omnes faceret salvos (cf. *1 Cor.* 9, 19-23 Vg.). Ita et Presbyteri, qui vitae novae ex cruce ac resurrectione Christi oriundae testes et dispensatores electi sunt, hominibus tamen inservire non valerent si eorum vitae ac condicioni extranei remanerent. Peculiari quidem titulo monentur Presbyteri, quippe qui forma gregis exsistere debeant (cf. *1 Pt.* 5, 3), ne se conforment huic saeculo (cf. *Rom.* 12, 2), neve tamquam sal evanescens ad nihil iam valeant (cf. *Mt.* 5, 13). Simul tamen tenentur, etc.

Ad n. 2, pag. 14, lin. 20. Scribatur: « primum constituitur et continuo formatur verbo Dei » etc.

Ad n. 2, pag. 15, linn. 8-9. Omittantur verba « praesertim pro illis qui parum intelligere videntur quae frequentant ». *Ratio*: decretum de Liturgia docet, in omni celebratione liturgica verba et ritus ita intime coniungi, ut praedicatio constituat revera partem integrantem liturgiae plene celebratae.

Ad n. 2, pag. 15, lin. 12. Pro « uniuntur » scribatur « unum quid constituunt ». *Ratio*: annuntiatio mortis Domini et responsum fidei non sunt quid Sacrificio extrinsecum, quod ei uniatur; sed ad ipsam essentiam Missae pertinent (cf. *Lumen Gentium,* n. 28).

Ad n. 2, pag. 15, linn. 24 s. Scribatur « ... Christi, in Liturgia sacerdotale munus suum iugiter exercentis », etc.

Ad n. 3, pag. 15, lin. 27. Non placent verba « quae presbyteri conficiunt et in quae virtus salutifera a Divinitate Christi per Eius Humanitatem derivatur ». *Ratio*: 1) Non omnia sacramenta necessario a presbytero ministrantur. 2) « Conficere » est verbum inusitatum et ineptum, nisi agatur de Eucharistia. 3) Quod virtus salutifera derivatur in sacramenta a divinitate per huma-

nitatem Christi, in determinato contextu scholastico dici poterat, sed non in textu nostro. Si enim sacramentum est actio Christi sacerdotis (linn. 24 s.), ipsum per se, utpote gestus Christi Hominis-Dei, confert salutem.

Scribatur potius tale quid: « Ad hoc ergo specialiter presbyteri a Deo, ministrante episcopo, consecrantur et mittuntur, ut in sacramentis fidei celebrandis ac ministrandis, quibus opus salvificum ac sanctificans hominibus applicatur, Christo inserviant, in Liturgia sacerdotale munus suum iugiter exercenti ».

Ad n. 3, pag. 15, lin. 30. Scribatur: « In sacramentis autem celebrandis, ut iam » etc.

Ad n. 3, pag. 16, lin. 30. Omittantur verba « ut homines ecclesiastici ». *Ratio*: haec verba sapiunt clericalismum, qui Ecclesiam cum clero identificabat. Laici non minus quam clerici constituunt Ecclesiam.

Ad n. 4, pag. 18, linn. 14-21. Omittantur. Non enim vel remote enumerari possunt diversi coetus.

Ad n. 4, pag. 18, linn. 34-43. Omittantur. Non enim directe ad rem pertinent, et inepte enuntiantur.

Ad n. 4, pag. 19, linn. 5-7. Scribatur: « sed ut missos a Christo, in cuius persona munus suum exercent ».

Ad n. 5, pag. 19, linn. 15-19. Scribatur: « ... valeant, modo ad mentem audientium convenienter accommodato. Quapropter presbyteri vivida divinae revelationis atque solida scientiae theologicae cognitione pollere satagant, necnon suorum coaetaneorum perspicere mentes, ut profundius in dies cognoscant et aptius annuntient Iesum Christum etc. *Ratio*: 1) Accommodatio non ad sola verba spectat, sed latius se extendit. 2) Cognitio revelationis et theologiae est perpetuum conamen, non quid semel pro semper acquisitum. 3) Inter conditiones accommodationis enumeranda est cognitio mentis hodiernae. 4) Inter fines huius studii enumeranda est annuntiatio.

Ad n. 5, pag. 19, linn. 32-37. Scribatur: « ... sed etiam, ut aptius homines adiuvent ad responsum inveniendum ad quaestiones quibus hodie anguntur, presbyteri bene noscant oportet magisterii ac praecipue Romanorum Pontificum recentiora documenta, consulant optimos probatosque scientiae theologicae et exegeticae scriptores, et aptiora quaerant media quibus cum mente hodierna familiares se reddant ». *Ratio*: 1) Non agitur solummodo de responsis dandis, sed etiam de dialogo cum auditoribus instituendo, in quo una cum eis quaeritur responsum. 2) Ad hunc finem non sufficit cognitio documentorum Magisterii et theologiae, sed etiam studium mentis hodiernae.

Ad n. 5, pag. 20, lin. 11 - pag. 21, lin. 8. Substantia retineatur, sed textus multo brevius redigatur.

Ad n. 6, pag. 21, lin. 33. Scribatur: « ... ut socios, immo ut fratres et amicos considerent » etc.

Ad n. 8, pag. 26, linn. 7-11. Scribatur: « ... ne negligant, quae in humano consortio magni aestimantur » etc. *Ratio*: 1) Maior concinnitas. 2) Verbum « perfectus homo » proprie non significat id quod hic intelligitur.

Ad nn. 11-13. Hi numeri omnino novi redigantur. In hac nova redactione ex parte potest adhiberi Textus Emendatus n. 12, et ante oculos haec habeantur:

1. Specialis coniunctio cum Christo consistit in speciali ministerio quo Christi ministri sunt, eius personam apud fideles gerunt, ita ut sanctitas eius in eis specialiter elucere debeat. Nam ordinatio et character ad hoc ordinantur, et non sunt privilegium personale presbyteri.

2. Abstineatur a citandis textibus Veteris Testamenti de sacerdotum sanctitate. Nam habitudo presbyteri ad populum in Novo Testamento essentialiter mutata est, cum totus populus nunc accessum liberum habeat ad Patrem. Insuper sanctitas specialis sacerdotum in VT est potius ritualis (sic *Lev.* 21, 8).

3. Vitetur oppositio inter vitam spiritualem et activitatem ministerii etiam externam.

4. Fortiter inculcetur principium, quod ipsum ministerium, « sancte et alacriter, humiliter et fortiter » exercitum, est « praecelsum sanctificationis medium », ita ut presbyteri « quotidiano officii sui exercitio in Dei proximique amore crescant » (*Lumen Gentium,* n. 41).

Ad n. 14, pag. 35, lin. 40 - pag. 36, lin. 21. Concinnius et clarius enuntietur, hoc fere modo: « In virginitate enim vel coelibatu propter Regnum caelorum servato Presbyteri facilius, gratia divina adiuti, indiviso corde (cf. *Mt.* 19, 11; *1 Cor.* 7, 32-33) soli Deo eiusque regno se dedicant. Expressius tali continentia totalem significant personae suae donationem, cordis nempe et corporis, soli Christo factam, respondentes apostolorum vocationi qui "relictis omnibus secuti sunt eum" (*Lc.* 5, 11), et testimonium reddunt novae vitae, quae non ex voluntate carnis, sed ex Spiritu Dei ortum habet (cf. *Io.* 1, 13). Liberius quoque in hoc statu ministrant Dei familiae, paternitatem in Christo pleniorem acquirunt, et expeditiores fiunt ad omnimodum Regni Dei servitium. Presbyteri ergo per coelibatum missionem Christi, qui in Ecclesia genus humanum arcano sibi coniunxit connubio, coram mundo aperte testificantur, aptioresque fiunt qui, cum Apostolo, muneri sibi commisso satisfaciant fideles tamquam virginem castam uni viro Christo despondendi (cf. *2 Cor.* 11, 2). Insuper signum vivum constituuntur illius mundi futuri, quem in ministerio suo per fidem et gratiam iam praesentem annuntiant, in quo filii resurrectionis neque nubent neque ducent uxores (cf. *Lc.* 20, 36) ».

Ad n. 14, pag. 36, linn. 35-36. Scribatur: « His omnibus rationibus coelibatus, qui prius episcopis praescribebatur et presbyteris commendabatur etc.

Ad n. 14, pag. 36, lin. 39 - pag. 37, lin. 11. Scribatur: « Omnes ergo presbyteri, qui gratia Dei confisi secundum ecclesiasticam legem libera voluntate accipiunt, magno animo et toto corde eidem fideles sint atque in eo sincere et fortiter perseverent, et magnum illud donum quod a Patre sibi datum a Domino extollitur (cf. *Mt.* 19, 11-12) perseveranter expostulent et in humilitate custodiant. Adhibenda autem sunt congrua subsidia, quae » etc. *Ratio*:

1) Convenit inde ab initio mentionem facere libertatis; quae tamen lege ecclesiastica alligatur. 2) Textus *Luc.* 18, 27 ad rem non est, quia agit de iis qui bona temporalia retinent. 3) Non refert, utrum coelibatus impossibilis a quibusdam putetur.

Ad n. 14, pag. 38, linn. 8-25. Scribatur: « Denique, per praxim castitatis et evangelicae paupertatis magis magisque liberati, instanter invitantur ut, "non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum", in se sentiant quod et in Christo Iesu, qui "semetipsum exinanivit formam servi accipiens", "factus oboediens usque ad mortem" (*Phil.* 2, 5-9). Ad sese ergo Christo oboedienti conformandos, voluntatem propriam per oboedientiam servitio Dei ac fratrum totam dedicent, in spiritu fidei accipientes et exsequentes quae a Superioribus legitime statuuntur vel commendantur. Tali enim modo necessitudinem perficiunt cum fratribus suis in ministerio, maxime autem cum eis quos Dominus rectores visibiles Ecclesiae suae constituit, et ad aedificationem operantur Corporis Christi, quod "per omnem iuncturam subministrationis" crescit (cf. *Eph.* 4, 11-16). Quae oboedientia, quae ad maturiorem libertatem filiorum Dei eos adducit, minime impedit quominus in munere suo exercendo propria incepta (initiatives) suscipiant et concepta sua fidenter proponant, parati ad illorum iudicio se subiciendum qui supremum in Ecclesia Dei regenda munus exercent ». *Ratio*: 1) Convenit significare indolem socialem oboedientiae, quae apparet in *Phil.* 2. 2) Obedientia proprie non est abrenuntiatio voluntatis, cum sit supremus actus libertatis, quo quis se Deo et fratribus dedicat. 3) Addendum est legitime, sicut fit in plerisque regulis Religiosorum (cf. *De renovatione vitae religiosae,* n. 14: « ad normam regulae et constitutionum »). 4) Addendum est quod oboedientia, ne infantilis fiat, propriam initiativam et responsabilitatem non aufert; hoc etiam de Religiosis expresse statuitur (ibid.). Fidenter ponitur, sicut in De Revelatione, ut exprimatur parresia, de qua N. T. - 5). Ablata est citatio ex *Rom.* 5, quia ibi oboedientia significat habitudinem animi qui immediate se ad Deum refert, non ad superiores humanos. 6) Addita econtra est citatio ex *Eph.,* quia oboedientia in traditione Ecclesiae maxime inservit harmoniae in communitate, ad aedificationem eius necessariae.

Ad n. 15, pag. 39, lin. 31. Proponitur insertio novi numeri, qui transitum faciat ad sequentia: « (15 bis. De habitudine presbyteri ad bona terrestria). Presbyteri, quippe qui forma gregis esse debeant, maxime cordi habeant verbum Domini, ut qui sunt in mundo non sint de mundo (cf. *Io.* 17, 15). Utentes ergo mundo tamquam non utentes (cf. *1 Cor.* 7, 13), quaerant illam erga res creatas libertatem, qua docibiles fiant ad vocem divinam in vita etiam cotidiana audiendam. Ex qua libertate ac docibilitate sperandum est ut crescat discretio illa spiritualis, qua in suo ministerio et in propria vita ordinanda opus habent ».

[*Subscripserunt etiam*] R. Staverman, vic. ap. Sukarnapur; N. Geise, ep. Bogor; A. Sol, ep. Amboina.

114

EXC.MUS P. D. DAVID PICÃO
Episcopus tit. Thoitanus, coad. Santosensis

Pag. 35, lin. 30. Proponitur legendum: « ut apparet ex praxi apostolica (cf. *1 Tim.* 3, 4-5; *Tit.* 1, 6) ab Ecclesiis Orientalibus sine interruptione conservata, ubi sunt optimi meriti ... ». *Ratio*: nova redactio schematis, quae omisit verba prioris redactionis: « sicut inter primos apostolos » innuit praxim Ecclesiarum Orientalium fuisse innovationem quamdam; revera traditionem ab ipsis Apostolis institutam conservaverunt immutatam. In pag. 59 (C) nulla ratio affertur mutationis offensivae et antioecumenicae.

Pag. 36, lin. 20. Proponitur legendum: « Ii ergo presbyteri qui coelibatum observant, missionem Christi ... ».

Lin. 28: « Quapropter iidem presbyteri aptiores fiunt ... ». *Ratio*: haec redactio clarius applicari potest universali Ecclesiae, scil. etiam iis presbyteris Ecclesiae Orientalis qui pariter coelibatum observant.

Insuper in memoriam revocat « legem coelibatus » effectus optimos in schemate elencatos non producere eo ipso quod existit aut ab auctoritate promulgatur, sed exclusive in quantum a presbyteris revera observatur.

Pag. 36, linn. 37-39: *a*) proponitur ponendum punctum post (G); *b*) proponitur omittenda verba sequentia: « vigentem (H) itaque legem ... comprobat »; *c*) sequentia ita legentur: « In Ecclesia vero universali omnes presbyteri qui sacrum coelibatum gratia Dei confisi accipiunt ... ». *Ratio*: Ad *a-b*: ne stabiliatur disciplina conciliaris in hoc puncto controverso sed relinquatur ultima decisio Summo Pontifici, prout Ipse in suo monito petivit; ad *c*: ea quae dicuntur in schemate revera Universalem Ecclesiam spectant, non vero solam Ecclesiam particularem, scil. latinam. Innuitur enim in sola Ecclesia latina seu Occidentali adesse illos presbyteros « qui coelibatum gratia Dei confisi accipiunt », cum multi sint etiam in Ecclesia Orientali. Porro utrisque praescribitur: « toto corde eidem (coelibatui) inhaereant, atque in hoc statu recte et fortiter perseverent ... ».

Pag. 38, lin. 7. Proponitur addendum sub finem paragraphi: « Immo recordentur omnes « non indecoram eis futuram esse Pauli imitationem, qui opere manuum victitabat » (Conc. Carthaginense IV, canon 51), « ne quod offendiculum daret Evangelio Christi » (*1 Cor.* 9, 12) et ut « infirmos susciperet », memor « verbi Domini Iesu: Beatius est dare quam accipere » (*Act.* 20. 35. 36). *Ratio*: mirum est silentium in toto schemate de doctrina apostolo tam cara, cuius exemplum in *1 Cor.* 9 memoratum quater invocatur (nn. 1, 9, 11, 16)! Eo vel magis quam haec doctrina facta est omnino traditionalis apud Patres, pro quibus hoc est medium perfectissimum observandi « consilium evangelicum paupertatis ». V. g. secundum Ioannem Chrysosto-

mum, « Primus gradus est sua abicere; secundus gradus, sibi sufficere; tertius gradus, aliis, quoque; quartus denique, praedicantem et potestatem accipiendi habentem nihil accipere » (*In act. Apost. hom.* 45: *PG* 60, 316).

115

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDAIN Y ZAPIAIN
Episcopus Canariensis

Mihi humiliter videtur omnino necessarium ut huic primae parti schematis inseratur advertentia sequens: Ut Sacerdotes omni cura caveant a modernis quibusdam erroribus, quibus si infectari sese sinant, sacerdotium suum non iam infecundum, sed quod gravius est, perniciosum prorsus reddent.

Liceat nobis enumerare aliquos huiusmodi errores:

1. *Modernismus.* Sed cum de modernismo loquimur, non praecise innuere intendimus modernismum illum, quem Sanctus Pontifex Pius X sapienter condemnavit, et apostolica fortitudine penitus contrivit, sed loquimur de alio genere modernismi, de quo vix loqui solet, quod tamen insignis Pontifex Pius XI, in prima sua Encyclica, impense reprobavit, simul cum modernismo dogmatico, de modernismo videlicet morali, iuridico et sociali, in quem, teste eodem Pontifice, incidunt illi, qui quantumvis catholicas doctrinas profiteantur in quamplurimis, tamen iidem, sermonibus, scriptis, omnique agendi ratione haud aliter se gerunt ac si doctrinae praeceptaque, toties a Summis Pontificibus, a Leone XIII, a Pio X, a Benedicto XV, etc., promulgata, aut nativum robur amisissent, aut penitus obsolevissent.

2. *Irenismus oecumenicus,* quo, ad sibi alliciendos omnes aliarum religionum homines, praetereunt silentio dogmata, quae catholicos ab aliis distinguunt, immo, quandoque, ea minuunt et enervant et extenuant, ad opposita, in rebus etiam dogmaticis, reconcilianda. Irenismus hic lucidissime improbatus, ut scitis, a nostro Summo Pontifice Paulo VI, in allocutione diei 20 ianuarii 1965.

3. *Irenismus moralis,* analogus irenismo oecumenico, quem ipsemet Summus Pontifex, feliciter regnans, fortiter impugnabat in alia ex suis allocutionibus.

Sicut enim irenismus dogmaticus attrahere intendit fratres separatos, occultando aut imminuendo veritates dogmaticas, quae nec sileri, nec imminui fas est, ita irenismus moralis, haud quidem paucorum sacerdotum, allicere, vel ad minus, non avertere conatur animas, ipsis imminuendo et relaxando normas moralitatis, quae nec imminui nec relaxari possunt, praecipue in materia sexuali et sociali, locum sic dantes ut principaliora munia in piis associationibus occupantes appareant personae iustitiam socialem publice conculcantes, et sic provocantes indignationem operariorum, et facientes ut propter illos nomen Ecclesiae et Dei ab his blasphemetur.

4. Irenismo autem morali, perniciosum et efficacissimum influxum praebent, *quaedam nova systemata moralia,* quae haereses appellari mererentur, quaeque, non tantummodo attenuare intendunt malitiam peccati, praecipue in peccatis luxuriae, quinimmo ab ipsis penitus tollere rationem ipsam peccati.

Alludimus, ut videtis, praecipue ad systema morale sic dictum « Ethica situationis », secundum quod, conscientia non est legis obiectivae ad particularem casum applicatio, sed habenda est ut conclusio intimi dialogi cum Deo, non ut legislatore, sed ut Patre tantum considerato, intentionem tantummodo hominis inspiciente, qui conscientiam suam non secundum leges obiectivas efformare debet, sed secundum intuitionem personalem in casu, ex quo sequitur licitum esse posse, perficere graviter universalissime prohibita, uti catholicam fidem cum alia commutare, divortium attentare, procurare abortum, onanismum immo et homosexualismum perficere, relationem inter solutos ac si uxorati essent in praxim reducere, etc.

5. *Snobismus,* quo, novitatum, ante omnia cupido, arrident novis systematibus, quae sive in philosophia, sive in theologia, sive in scientiis biblicis aut iuridicis oriuntur, quantumvis incompatibilia cum doctrina catholica, cuius magisterio praefertur opinionis publicae irrefragabile imperium, cui Ecclesia ipsa subesse teneretur.

Snobismus signate denuntiatus a nostro Papa, Paulo VI, in sua allocutione diei 11 augusti huius anni, snobismus illorum videlicet pro quibus vivum et vividum non est nisi quod novum, quod modernum, quod confunditur cum experientia mundi hodierni; ex quo oritur tentatio — addit Summus Pontifex — seiunctionis a Theologia et disciplinis traditionalibus, perinde ac si hodie inchoari deberet constructio Ecclesiae.

6. *Pseudo-ascetismus,* falsificans fundamenta Asceticae Christianae, exempli gratia edocens conceptum oboedientiae qui per diametrum opponitur doctrinae iam viginti abhinc saeculis ab Ecclesia traditae per ascetas suos, et mysticos, et doctores, et theologos, et Patres, et Apostolos, ut S. Paulus in illo notissimo capite epistolae suae ad Philippenses, ubi praecipit nos eumdem sensum habere oboedientiae quem habuit Christus Iesus, qui Deus cum esset, factus homo, abhorrebat voluntate sua ut natura mortem ignominiosam crucis, sciens simul vel minimum dolorem suum, utpote theandricum, sufficientem immo superabundantem valorem habiturum ad redemptionem totius generis humani, et tamen, ante omnia prae oculis habens, non propriam dignitatem aut personalitatem — quas tantopere exaltant hi moderni pseudo ascetae — sed Patris imperantis voluntatem, « humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis », ignominiosissimam et humiliantem prae omnibus.

7. *Neoliberalismus,* seu anachronicus liberalismus lamennesianicus, praesertim in iis quae spectant ad censuram et prohibitionem librorum, quam nedum veluti gravem nimis et onerosam reiiciunt, sed eousque progrediuntur ut eam iudicent a iuris humani principiis abhorrere, iusque illius censurae et prohibitionis audeant Ecclesiae denegare.

8. *Servilismus,* erga illos praecipue scriptores qui ita sese gerunt — prout dicit Summus Pontifex noster in alia ex suis allocutionibus, hoc ipso anno habita — ut consonare non haesitent erroribus antiquis et modernis ab auctoritate Ecclesiae iam antea damnatis, quibus tamen ut magistris infallibilibus sese subiicere non verentur hi de quibus loquimur servilismi asseclae, catholicos sese profitentes, sed non intelligentes, quod prouti luculenter docebat insignis Pius XII: « praeter Apostolorum legitimos successores, scilicet Romanum Pontificem pro universa Ecclesia, Episcopos vero pro fidelibus suis curis commissis, alii magistri iure divino in Ecclesia Christi non habentur: ... qui alios arcessere possunt suos in magistri munere operis socios. Qui tamen ad docendum ita vocantur in Ecclesia proprie non nomine suo, neque titulo scientiae theologicae, magistros agunt sed vi missionis quam a legitimo Magisterio receperunt, eorumque facultas manet semper huic subiecta neque fit unquam sui iuris ».

9. *Laicalismus clericalis,* seu mundanismus clericorum quo, non pauci ex clericis, potius quam apparere prouti sunt, e mundo videlicet electi a Domino ut sanctiorem, non solum interiorem, sed et exteriorem, prae laicis ducant vitam, videntur potius totis viribus satagere, in quantum possunt, laicos imitari in omnibus, ita ut potius quam clerici, appareant mundo prouti laici, et consequenter horum periculis ad sanctitatem violandam proclives, atque propensi proinde ut deveniant sal evanescens et infatuatum, quod « ad nihilum valet ultra nisi mittatur foras et conculcetur ab hominibus ».

116

Exc.mus P. D. EDUARDUS PIRONIO

Episcopus tit. Caeciritanus, aux. Platensis

I - *Observationes generales.*

1. Incipiat tota pertractatio solemniter proclamando eximium laborem sacerdotum in Ecclesia, eisque gratias ex intimo corde agendo. *Ratio*: plurimi sacerdotes inveniuntur oppressi quadam angustia, incertitudine et tristitia. Ab initio schematis, et quidem apertis et sinceris verbis, ipsis infundatur animus veri gaudii paschalis et optimismi supernaturalis. Non sufficit hoc facere, quasi artificialiter, in fine totius schematis (pag. 43, linn. 5 ss.).

2. *Stylus* sit magis positivus, directus et modernus. *Ratio*: stylus schematis est nimis exhortativus et negativus. Sapit — ut dictum est in aula — piam lectionem spiritualem.

3. *Methodus.* Prima pars schematis ita componi possit: *a*) de natura sacerdotii et presbyterii; *b*) de triplice munere; *c*) de triplice habitudine: cum episcopo, cum confratribus, cum laicis.

Secunda vero pars: *a*) de configuratione cum Christo Sacerdote; *b*) de spi-

rituali communione cum episcopo eiusque toto presbyterio; *c*) de caritate pastorali ut forma totius spiritualitatis.

Ratio: deest clara idea centralis theologica, ideoque schema caret ordinata pertractatione et plurima, hic inde, sine ordine et diffuse repetuntur.

4. *Doctrina. a*) Iam ab initio debet fusius loqui « de presbyterio », iuxta primaevam experientiam Ecclesiae et scripta S. Ignatii, S. Hippolyti et S. Cypriani. *Ratio*: quae dicuntur de ministerio, de sanctitate et de scientia, vix intelliguntur sine hac idea centrali. Eamque supponit tum habitudo sacerdotis cum episcopo et cum confratribus, tum conversatio cum laicis.

b) Etiam ab initio loquendum est de « Mysterio Paschali ». *Ratio*: ne ullum verbum dicitur in toto schemate de hoc Mysterio Paschali, cum tamen sacerdos sit essentialiter nuntius, realizator et signum mortis et resurrectionis Domini.

c) In lucem clarius ponatur « eschatologia ». *Ratio*: sacerdos mittitur a Christo hodie ut anticipet in tempore eschatologiam et ut praeparet humanitatem ad definitivum Adventum Domini.

5. Nimis prolixe et fuse loquitur in schemate de re oeconomica et materiali, de quibusdam rebus disciplinaribus (ut v. g. « ecclesia sit nitida... etc. pag. 16, lin. 35 usque ad pag. 17 lin. 3), de distributione cleri (quod potius pertinet ad « De regimine episcoporum »).

II - *Observationes particulares.*

1. Pag. 12, lin. 30: in fine huius paragraphi addantur haec verba: « Essentialiter enim sacerdotes a Christo Domino mittuntur, unctione Spiritus Sancti consecrati, ut Mysterium Paschale annuntient, actuent et significent ». *Ratio*: necesse est, iam ab initio, loqui de Mysterio Paschali.

2. Pag. 16, lin. 35 usque ad pag. 17, lin. 3: supprimantur haec verba. *Ratio*: nimis ad particularia et disciplinaria descendit.

3. Pag. 21, lin. 21: post verba « populum Dei », addantur haec verba: « libenterque eos laeto animo audiant ». *Ratio*: expressa haec mentio videtur necessaria, nam paulo post (pag. 26, linn. 34-35) dicitur de presbyteris: « libenter igitur presbyteri audiant laicos... » etc.

4. Pag. 25, linn. 10-14: textus ita componatur: « Demum, ratione eiusdem communionis in sacerdotio, se sciant presbyteri specialiter connexos cum iis quoque, qui in quibusdam defecerint; eosdem igitur fraterna caritate atque magno animo semper prosequantur, pro ipsis continuas Deo preces effundant, eos in difficultatibus adiuvent, et ipsis continuo sese praebeant ut revera fratres et amicos ». *Ratio*: specialis paragraphus, longior et plena caritate, pro sacerdotibus qui defecerunt necessaria est. Et vitandae voces (« obligatos », « misericordia ») quae sapiunt quendam iuridicismum, superioritatem et meram compassionem.

5. Pag. 25, linn. 36-37: supprimantur haec verba: « non quae sua sunt quaerentes, sed quae Iesu Christi ». *Ratio*: expressio, quamvis biblica, hoc in contextu nimis negative sonat, et nihil addit ideae centrali textus.

6. Pag. 30, lin. 27: concludendo hanc paragraphum ponantur haec verba: « Meminerint tamen sacerdotes ipsum eorum ministerium, in spiritu laeti servitii et veri gaudii paschalis exercitum, esse praestantissimum signum specialis donationis Christi et maximum incitamentum ad vocationes suscitandas et fovendas ». *Ratio*: una ex principalioribus causis diminutionis vocationum est vita sacerdotalis quae manifestatur oppressa angustia, incertitudine et tristitia.

7. Pag. 31, linn. 32-33: omittatur citatio biblica (*Gal.* 2, 20). *Ratio*: verba S. Pauli non indicant experientiam mysticam, sed elementarem experientiam baptismalem. Unusquisque baptizatus dicere potest et debet: « Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus ».

8. Pag. 32, lin. 23: post verba « requirit et pariter stimulat », includantur haec alia: « gignit, nutrit seu fovet ». *Ratio*: triplex munus sacerdotale non solum exigit et stimulat, quasi ab extrinseco, sanctitatem, sed eam revera gignit et fovet ab intrinseco. Ita v. g. penetratio Verbi Dei, ad munus evangelizandi, est origo contemplationis et fons actionis pastoralis.

9. Pag. 33, lin. 6: post verba « omnibus procuretis », addantur haec alia: « In ipsa eorum vita eluceat plenitudo Mysterii Paschalis, cuius facti sunt a Christo Iesu nuntii, actores et signa ». *Ratio*: iterum in lucem ponendum est Mysterium Paschale.

10. Pag. 38, linn. 1-7: tollantur haec verba: « prae ceteris fidelibus... » usque ad « libere facileque se habeant ». *Ratio*: nimis negative loquitur ibi de paupertate.

11. Pag. 38, lin. 25: concludatur haec paragraphus his vel similibus verbis: « Sacramentum unitatis in Christo, quod est Ecclesia, specialiter postulat spiritualem communionem cum episcopo eiusque toto presbyterio: ita sacerdotalis oboedientia, quando mature et supernaturaliter exercetur, simul et adiuvat episcopum in audienda et adimplenda voce Spiritus Sancti, Ecclesiam seu populum Dei aedificat, et propriam sacerdotis personalitatem adulte evolvit ». *Ratio*: oboedientia ministerialis sacerdotis est ut et ipse episcopus melius possit adimplere voluntatem Dei et simul cum ipso regere populum Dei in communitate locali.

12. Pag. 39, lin. 3: fusius exponatur actio Spiritus Sancti. *Ratio*: Spiritus Sanctus est elementum essentiale in ministerio et vita presbyterorum.

13. Pag. 39, linn. 6-14: omittantur omnia verba haec. *Ratio*: potius quam descendere ad particularia, oportet ut sacerdos profundius et intimius in spiritum orationis introducatur.

14. Pag. 39, linn. 17-19: fusius describatur munus B. M. Virginis in vita presbyterorum. *Ratio*: in ipsa humili ancilla Domini oportet ut inveniat sacerdos typum Ecclesiae et imaginem perfectam paupertatis, virginitatis et oboedientiae.

15. Pag. 39, linn. 27-30: ita corrigatur textus: « Sciant tamen sacerdotes haurire spirituales divitias a Liturgica celebratione, memores quod Mysterium Paschale est fons et culmen totius vitae spiritualis et activitatis pastoralis ».

Ratio: textus nimis negative et ab extrinseco exponit munus Liturgiae in sanctificatione sacerdotum.

16. Pag. 40, lin. 25 usque ad pag. 41, lin. 13: transponatur totus n. 17, et magis breviter et positive ponatur in n. 14 cum loquitur de paupertate. *Ratio*: ibi inveniet locum meliorem et magis positivum.

[*Subscripserunt etiam*] A. Quarracino, ep. Nueve de Julio; J. Podestà, ep. Avellaneda; V. Zazpe, ep. Rafaela; A. Aguirre, ep. San Isidro.

117

EXC.MUS P. D. IOSEPH AURELIUS PLOURDE

Episcopus tit. Lapdensis, aux. Alexandrinus in Ontorio

Schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum* in genere placet. Multa vera, bona et pulchra continet. Fere omnia quae dicenda erant, dicta sunt. Videntur tamen magis ex capitibus peculiaribus conflatum esse, quam genuinam synthesim praebere, ex aliqua fundamentali idea dimanantem. Egemus tamen tali fundamentali idea ut efficax responsum demus interrogationi presbyterorum. Multi presbyteri in eo inquirunt quid agant, *quid sint* in Ecclesia, quid sit exacte sacerdotium suum? Responsum affertur in schemate, agendo de ministerio eorum atque vita, sicut in ipso decreti titulo patet. Sed responsum sumendum est de ipsa natura vel, si dicere liceat, de ipsa ontologia presbyteralis sacerdotii. De hac vero sacerdotii natura quid substantiale dicitur in numero secundo, nempe in tribus alineis: 1) sacerdotium presbyterorum sacerdotio episcoporum coniungendo, et, eo modo, Apostolis et Ipso Christo Domino, Summo Sacerdoti Summoque Misso; 2) distinguendo sacerdotium presbyterorum a communi sacerdotio fidelium; 3) conditionem presbyterorum delineando in quantum inter homines degunt, dum ad eosdem missi sunt. Ad calcem primae paragraphi, citatur textus ex constitutione dogmatica *de Ecclesia,* scilicet: « ad Evangelium praedicandum fidelesque pascendos et ad divinum cultum celebrandum consecrantur, *ut veri sacerdotes Novi Testamenti* ». Haec cardinem rerum tangere videntur; desideratur tamen aliqua descriptio vel explanatio huius aurei dicti. Quid significent verba « veri sacerdotes Novi Testamenti », quae denuo in numero octavo inveniuntur? Nonne deberent breviter explicari? Hoc eo magis in promptu esset quod explanatio cum dictis primae paragraphi numeri secundi bene consonaret...

Quid enim invenimus, cum rationem ministerialis sacerdotii per totam Oeconomiam Veteris et Novi Testamenti inquirimus? In antiqua Oeconomia, quae Legis dicitur, cura populi Dei bifariam sese dividebat, nempe inter ministerium sacerdotum, sacrificali cultui addictum, et ministerium prophetarum, qui ad oboedientiam fidei populum, per eventus magnos vel parvos eius vitae, excitabant. Haec vero munera in Christo coniunguntur, de quo scribit Apostolus, in capite ubi Dominum Iesum cum Moyse comparat, et super illum

extollit: « Considerate Apostolum et Pontificem confessionis nostrae Iesum » (*Hebr.* 3, 1). In Novo Testamento, non amplius dividuntur munus cultuale seu rituale sacerdotum et munus propheticum fidem suscitandi et educandi: ambo in uno coincidunt, nempe in apostolatu messianico. Quod bene perspicit S. Thomas Aquinas: attendens enim ad hoc quod, in Veteri Lege, alius (et simul unicus) erat locus ubi sacerdotes sacrificabant, alius locus ubi populus congregabatur ad laudem Dei et ad doctrinam recipiendam, scilicet Synagogae, scribebat: « Ecclesia nostra succedit in locum et Templi et Synagogae, quia ipsum sacrificium Ecclesiae spirituale est: unde non distinguuntur apud nos locus sacrificii a loco doctrinae » (*Summ. Theol.,* I-II, q. 102, a. 4, ad 3). Proprium Novi Testamenti, quo insigniuntur sacerdotes huius Novi Testamenti, est identitas muneris sacerdotalis e prophetici muneris, « quia sacrificium spirituale est ».

Hoc insuper apparet ex multis aliis factis vel textibus. Numquam in Novo Testamento Apostoli vel quivis ministri, nomine sacerdotii sacrificantis (hiereus) nuncupatur, excepto in uno loco quam infra citabo. Ministri Novi Testamenti sunt *Apostoli,* vel ab apostolatu fluunt. Hoc apparet ex summa librorum Novi Testamenti, necnon ex claris singularibus textibus. Liceat mihi unum tantum afferre, ubi beatus Paulus dicit: « Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant? »: haec Veteri Testamenti alludunt. Paulus itaque pergit, loquendo de condicione Novi Testamenti: « Ita et Dominus ordinavit *iis qui Evangelium annuntient,* de Evangelio vivere » (*1 Cor.* 9, 13-14). Quae de sacerdotibus et de cultu rituali dicebantur, nunc ministerio evangelico applicantur. Ad illum denique textum venio, et hunc unicum, ubi munus ministrorum ut munus *sacerdotale* expresse in Novo Testamento designatur. Est S. Pauli in Epistula ad Romanos, ubi de seipso ait: « Ut sim minister (leitourgos) Christi Iesu in gentibus, sanctificans (secundum litteram graecam deberet dici: "sacerdotans") evangelium Dei, ut fiant oblatio gentium accepta, sanctificata in Spiritu Sancto » (*Rom.* 15, 16).

Apparet ergo sacerdotium Novi Testamenti esse consecrationem qua missionem Christi (Messiae) et apostolorum participantes, episcopi in primis, et deinde presbyteri, hanc fidem vivam suscitant atque alant, per quam congregatur populus sanctus et sacerdotalis: qui populus in Corpus mysticum Christi plene formatur per SS. Eucharistiam, cuius oblationi communicando, sacrificium spirituale sui consummat in Christo... In hoc ergo sacerdotali munere, immo in hoc sacerdotio, pars fidei excitandae et pars cultus celebrandi separari nequeunt. Cultus christianus est cultus fidei, scilicet fidem supponit et exprimit: quo pacto Doctor Communis semper loquitur de « fidei sacramentis »... Nonne ex multis beneficiis a constitutione conciliari *de sacra Liturgia,* hoc in primis eminet, quod intimam connexionem inter nuntium salutis vel praedicationem, et celebrationem sacramentalem, restituit et illustravit. Plene ergo consonaret decretum *de Presbyteris* (hunc titulum mallem assumere) cum constitutione *de sacra Liturgia,* si sacerdotium Novi Testamenti

exactius describeret in ipsa linea eiusdem Novi Testamenti, quam interpretari conatus sum. Consonaret insuper cum constitutione dogmatica *de Ecclesia,* numero 28, cum constitutione *de divina revelatione,* cum decreto *de missionali activitate Ecclesiae*; haberet optimas consequentias pro dialogo oecumenico. Afferet tandem, ni fallor, presbyteris meliorem cognitionem eorum propriae et tam sublimis vocationis in Ecclesia Dei!

118

EXC.MUS P. D. ROBERTUS POBOŽNÝ

Episcopus tit. Neilenus, adm. ap. Rosnoviensis

Necesse est mihi rogare, ut praeter exhortationem schema contineat etiam paternum monitum SS. Synodi pro presbyteris eo modo, ut ex hoc monito sit immediatus transitus ad propositam exhortationem. Textus moniti est in conclusione notatus. *Rationes* sunt sequentes.

Sumus homines fragiles, debiles, proni, proclivi ad malum, qui valde indigent ut ducantur ne devient a recta via.

Exhortatio non est monitum. Memorata exhortatio non habet monitum, ubi hoc paternae caritatis testimonium optimo in loco esse debet. Proprie dictum monitum in schemate nullum reperitur. Sunt quidem verba totius huius schematis, maxime exhortationis vere igne amoris divini flagrantia quae multos utinam omnes allicient presbyteros ad exemplarem immo sanctam vitam sacerdotalem et ad fideliter obeundum ministerium in cura animarum.

« In viam gentium ne abieritis » ait Dominus apostolis suis. Eos sic monuit qui eius Ecclesiam super Eum tamquam lapidem angularem erant aedificaturi, quando docuit eos ut unicus Magister quales sint; et vivide depinxit eis characterem apostolicum verbis claris non tantum exhortationis sed et moniti.

Non tam propter aliud commendo monitum nisi ut presbyteri fugiant otium, nugas, nugacitates huius saeculi quibus scatet vita moderna et abundat tentationibus. Ab antiquis breviter dicitur: otium est pulvinar diaboli.

Schema adaequate, pulchre loquitur de virtutibus a presbyteris acquirendis et exercendis pro sua vita et sancto ministerio. Et his virtutibus funditus est inimicum otium. Nunc mentionem facio otii tribus in formis obvii in vita presbyterorum.

In primis quaedam profero de otio imperato, cui presbyter nolens-volens subiicitur et contra quod difficile certamen habet. Tale imperatum otium exsistit. Non in parva parte mundi presbyteri vetantur suo sancto officio fungi vel habent quidem ius facultativum, quo tamen uti nequeunt. Vetitum est presbyteris qualemcumque habere educativum vel alium influxum in iuventutem ita, ut tota generatio non tantum sine Deo, sine religione, sed contra omnem religionem educetur. Ius facultativum in scholis instruendi iuventutem multis in locis non potest exsequi variis ex causis. Magnae urbes sunt sine religiosa instructione iuventutis in scholis. Non licet convocare scholarem vel aliam iuventutem,

ut in s. religione instruatur, in aedes paroeciales, vel templum nonnullis in locis. Omnis activitas presbyterorum restringitur ad templum; interdicuntur processiones publicae. Vigilantibus iura solemus affirmare. Ast vigilantia fere impossibilis est ob aggressivum dialecticum materialismum qui non tantum praeter legem sed et contra legem agit et omne ius destruit: materialistica vita practica aestimatur firmior lege scripta, sic atheistae.

Sic presbyter damnatur ad otium. Alibi etiam Officium Divinum abbreviatur ut brevius sit Breviarium, ne impediat actuosam vitam presbyterorum longior oratio Officii Divini. Ibi tempus urget ad laborem activitatis pro Deo et animabus, hic ad otium imperatum crudele ignotum iis presbyteris qui aliis in ditionibus curam gerunt animarum.

Sed et aliud otium pro presbyteris viget et iis imminet, ubi imperatum otium exsistit ortum ex timore; ex timore tum fidelium, tum presbyterorum. Fideles timent adire presbyteros, eos salutare in viis, plateis, consortium humanum exercere cum presbyteris, ne discriminentur vel aliquid detrimenti capiant, si cum presbyteris conversantur. Timent in genere praesertim ii, qui ad classem cultiorem pertinent, uti docentes, officiales, et alii, qui quasi in catacumbis vivere se affirmant: etenim ad Sacramenta non pauci adeunt in regionibus, ubi penitus ignoti sunt magnumque iter suscipiunt propter paschale praeceptum; baptismum infantium; vel et ob matrimonium christiano modo contrahendum. Vere pauperes evangelisantur, inter quos maior est fortitudo in confessione s. fidei. Exsistit ius adeundi aegrotos in nosocomiis, sed maximae difficultates exsurgunt ita ut multi catholici absque s. Viatico moriuntur. Contactus presbyterorum cum fidelibus deformatus est multis in relationibus penitus exstinctus.

Fideles timent venire in templum? Non ita; Deo sint laudes: ecclesiae diebus dominicis non sunt vacuae non in uno casu etiam ostentative refertae, plenae. Tamen deest iuventus praesertim in urbibus, non in pagis, ubi schola atheistica non potest hodie adhuc maiorem vim adversus familiam christianam exserere.

Sed etiam aggressivo, dialectico atheismo utiles sunt presbyteri in unica forma: si sunt pro mundi pace, si plenis buccis defendunt mundi pacem. Sine pace novus ordo somniatus ab atheis non nascitur. In pace vult atheismus suas blasphemias in Deum diffundere inter incolas; praesertim in oppidis et coloniis industrialibus. Eorum in oculis est presbyter inutilis paniperda societatis humanae: sed si pacem praedicaverit, tunc laudatur, extollitur. Et hic reperitur etiam psychologica causa istius symptomatis non rari, quod multi non intelligunt: et optimi presbyteri nomen dederunt huic non despiciendae, magnae motioni presbyterorum (Friedenstauben). Qui hanc Treugam in usum vertunt in favorem s. religionis. Hinc et ego ut praesul iam anno 1950 meae dioeceseos presbyteris facultatem dederam ingrediendi in hanc coadunationem cleri, ut partes capiant sic in defendenda pace. In respectivis locis etiam timor fidelium et presbyterorum in decrescendo est et exercitium s. religionis abundantius. Re vera pax est maximum terrestre

bonum, quod affirmant sancti Patres Ecclesiae, Pontifices Christi Domini Vicarii in terris nostris diebus s. m. Ioannes XXIII et inter tot curas gloriose regnans Paulus VI.

Tertia forma otii est maxime periculosa presbyteris. Illud otium, cuius iugum ipse presbyter sibi imponit, si otium pellere curat modo qui dedecet presbyterum. S. Ioannes Chrysostomus scribit de otio rerum: « Singulae res ut uno verbo dicam, ab otio corrumpuntur. Propria vero operatione utiliores redduntur ». Vocatio sacerdotalis est aliquo sensu res, quae propria operatione utilior fit. Quae sit ista propria operatio ministerii et vitae presbyterorum; describit schema. Ne ergo presbyteri vitam otiosam agant, passionibus mundanis indulgeant. Sunt presbyteri qui nimis amant tempus terere ad radiophonium, telephonium, televisionem, vel sclopetum, hamum, cinema, theatrum vel ad corporis varias exercitationes mirabili zelo attentione summa prosequendas, quodam hedonismo coaetaneae vitae capti; sunt qui amant vehicula binarum vel quatuor rotarum atque residentiam non servant ob itinera susdeque suscepta. Non sic teratur tempus! Si presbyter habet tempus: vacet studiis, se excolat, se sanctificet et suo exemplo etiam fideles.

Quid est faciendum? Moneantur presbyteri omnes a venerabilibus Patribus ss. Concilii. Monitionis verba sumantur e s. Scriptura Novi Testamenti, cuius formam fas mihi esto sic proponere: « Iam quartum in annum super confessionem s. Petri, Principis apostolorum sumus in Spiritu Sancto congregati; inde monemus, rogamus presbyteros, Seniores dictos verbis s. Petri nobis tam notis: "Fratres, sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret: cui resistite fortes in fide... Seniores, qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionibus, qui et eius quae in futuro revelanda est gloriae communicator: pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo" (*1 Pt.* 5, 8-9 et 1-3) ».

Rogo hoc monitum in pag. 42 applicari tamquam introductorium exhortationis ibidem contentae.

Praeterea fiat commendatio inter subsidia ad vitam interiorem fovendam de qua in pag. 39 continuando in lin. 19 sodalitatum sacerdotalium, e quibus praeferendae sunt quae ordinem diurnum servandum urgent. Vetus verum adagium monet: serva ordinem et ordo servabit te. Dent nomen presbyteri his coadunationibus, sodalitatibus: sic in primis Unioni Apostolicae, Unioni Missionariae, Sodalitio Adoratorum SS. Eucharistiae.

Sint presbyteri semper sacerdotes, i. e. sacrae dotes pro populo Dei, cui praeficiuntur divina Providentia electi et vocati a Domino nostro.

119

EXC.MUS P. D. ARTEMIUS PRATI
Episcopus Carpensis

Intendo revocare ea quae dicuntur: n. 6, pag. 22, linn. 12 s.; et n. 14, pag. 38, linn. 8-25.

Compertum est Summum Pontificem Paulum VI f. r. in audientia generali die 14-7-1965 dixisse: « Oggi poi tutti sanno come questo stato d'animo ostile al principio d'autorità sia molto diffuso, non solo nella società temporale, ma si manifesti in diversi settori della stessa vita cattolica. L'obbedienza, cioè il riconoscimento cordiale e pratico dell'autorità, è messa continuamente in questione, come contraria allo sviluppo della persona umana, come indegna di esseri liberi, maturi e adulti, come metodicamente sbagliata, quasi creasse spiriti deboli e passivi, e perpetuasse nei tempi moderni criteri sorpassati di rapporti sociali. Vi è chi pensa essere meritorio affrontare il rischio della disobbedienza liberatrice, ed essere gioco lodevole mettere l'autorità di fronte al fatto compiuto. E non mancano persone di ingegno che, forse senza dirlo apertamente, si illudono che si possa essere eccellenti, o almeno sufficienti cattolici rivendicando per sé una assoluta autonomia di pensiero e di azione, sottraendosi a qualsiasi positivo rapporto, non solo di subordinazione, ma altresì di rispetto e di colleganza con chi nella Chiesa riveste funzioni di responsabilità e di direzione ».

Ad haec confirmanda vellem recolere esse huc atque illuc unum alterumve ecclesiasticum qui dicat — forsan bona fide — se teneri in conscientia ad non oboediendum quando verbum vel praeceptum Superioris (episcopi) eidem non appareant rationabilia. Hoc exigitur dignitate personae humanae quae praestare potest et debet solummodo rationabile obsequium (*Rom.* 12, 1).

Haec omnia videntur suadere: 1) opportunum esse simul colligere ea quae in schemate duplici loco exponuntur; 2) esse necessariam clariorem declarationem circa fundamentum, naturam, necessitatem verae oboedientiae sive pro sanctitate personali ipsius sacerdotis sive pro eiusdem ministerii fecunditate (*Lc.* 5, 5). Et hoc quidem iuxta Adhortationem Apostolicam *Menti nostrae* Papae Pii XII f. r. die 23-IX-1950: « Illius humilitatis studium, quae fidei luce collustretur, hominem ad quandam voluntatis immolationem per debitam oboedientiam compellit. Christus ipse in societate a se condita legitimam constituit auctoritatem, quae suam in aevum perpetuaret: quamobrem qui Ecclesiae obtemperat moderatoribus, divino ipsi Redemptori obtemperat. Aetate hac nostra cum auctoritatis fundamentum temerario ausu concutiatur, opus omnino est ut sacerdos, fidei praecepta firma retinens mente, hanc eandem auctoritatem agnoscat riteque observet, veluti necessarium non modo religiosarum ac socialium rerum tutamentum, sed suae etiam ipsius procurandae sanctitatis principium. Dum divini nominis osores nefaria quadam calliditate immodicas nonnullorum cupidines incitare ac pellicere idcirco

enituntur, ut adversus Sanctae Matris Ecclesiae iussa eos erigant, debitis Nos cupimus exornare laudibus paternoque confirmare animo frequentissimum illorum sacrorum administrorum agmen, qui quidem, ut christianam suam oboedientiam profiterentur, utque integerrimam suam fidelitatem erga Christum ab eoque constitutam auctoritatem servarent incolumem, "digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati" ac non solum contumelias sed insectationes, sed carcerem atque etiam mortem ».

Ceterum non deberent aliquid docere: et exemplum Christi Domini fatentis: « Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me ut perficiam opus eius (*Io.* 4, 34) »; et condicio eius naturae assumptae quae, vi unionis hypostaticae, caret quidem personalitate humana, sed perficitur excellentissime persona Verbi?

[*Subscripsit etiam*] A. Zambarbieri, ep. Guastalla.

120

Exc.mus P. D. ERNESTUS PRIMEAU

Episcopus Manchesteriensis

Em. P. D. Albertus card. Meyer, felicissimae memoriae, saepissime dicebat quaestionem pro paroeciis et pro sacerdotibus urgentiorem in sua dioecesi necnon in multis aliis regionibus Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis ex eo oritur quod presbyteri ad officium parochi ante multos annos, viginti nempe immo vel triginta annos, non accedunt. Attamen Codex iuris canonici praesumere videtur presbyteros non ad multum tempus munere vicarii fungi debere, cum nulla contineat praescripta eorundem bonum spectantia eorumque iura tuentia. Ex hoc autem sequitur relationem inter parochum et vicarios, praesertim in magnis urbibus, esse relationem quasi feudalem, cuius ratione parochus est uti princeps, omnibus gaudens privilegiis, dum vicarii sunt ut servi, solis quidem obligationibus onerati. Propter hanc rationem, propter traditionalem nempe rationem concipiendi habitudinem inter parochum et vicarios, haud raro impossibilis est vera in bonum Ecclesiae cooperatio inter eos, quantumlibet ex utraque parte adsit ad illam efficiendam bona voluntas.

Praecipua ratio ob quam saepius miseranda est vicariorum sors in eo consistit quod in omnibus vicarii sunt ad nutum alterius: nullum est opus quod agunt, nullum est munus quod explent, quod non aeque ab alio perfici valet; ad paroeciam mittuntur, ad inserviendum tantum deputati, ita vero ut quae facere debeant vel non debeant in potestate sunt solius parochi. Quae perficiunt, incoepta, nusquam sua sunt, sed plane a parocho sunt dependentia. Partes quas habent in pastorali opere implendo, immo utrum revera ipsis partes in hoc opere tribuantur, ab uno pendet parocho, a quo item dependet tempus liberum quod eis conceditur. Ast quidquid sit de facto, nulla est

vicariis de iure certitudo, ita ut incoepta ad quae perficienda per menses, immo per annos, operam dant, uno momento destrui possint arbitrio parochi. Talis status, in quo nempe persona adulta vera competentia gaudens plane a voluntate alterius est dependens, non invenitur nisi in servitute. Intolerabilis videtur hic rerum status.

Sane, saepe de facto res non tam malae sunt, sed de iure semper malus est status rerum, in quo nulla personalitas cuiquam agnoscitur. Quidquid enim sit de facto, dignitati personae, praesertim excultae, consentaneum non est quod homo per tot annos, per quartam quidem saeculi partem, virtualiter privatur libertate et plane dependens redditur a voluntate, immo ab arbitrio alterius. Quomodo talis homo propriae dignitatis conscius esse potest, quomodo eius zelus promoveri valet ad opera incipienda quae facienda aestimat?

Re quidem vera, talis rerum status, quem aegre ferunt multi vicarii, ipsis nocivus esse debet, cum efficientia eorum laboris inde minuatur, immo vel plene destruatur.

Sane, non pauci vicarii, etiam si illud moleste ferunt, sinceri probique remanent. Ast, gradatim eorum zelus minuitur, animi ardor extinguitur, virtus destruitur, et facultates eorum cum sint sine efficientia, paulatim extenuantur. Relationes eorum cum parocho, immo et cum aliis vicariis, inde magis ac magis perturbantur.

Quid fieri potest ad solutionem huius problematis?

Quandoque forsan solutio haec inveniri potest in erectione paroeciarum minoris extensionis, aut in reordinatione paroeciarum maiorum; item ad solutionem conferret determinatio aetatis, qua obtenta parochi renuntiare debent ab officio; similiter non parum conferret facultas data episcopis removendi ab officio parochos qui erga vicarios iniuste agunt; instantiae appellationis etiam erigi possent in favorem sacerdotum iuniorum. Equidem commissio ad Codicem iuris canonici recognoscendum constituta curare potest ut iura vicariorum humana et christiana clare definiantur et tueantur. Quae eadem commissio parochorum erga vicarios officia diserte definire debet.

Ast haec omnia, quantumlibet momentosa, non valent solutionem problematis afferre. Ad hanc solutionem conferre debent decreta huius Concilii, sicut et principia quae in hodierna administratione magis magisque praevalent. Potestas et responsabilitas non sunt integre tribuendae uni homini, sed inter diversos dividi debent, Parochus conscius esse debet officii sui efficiendi nempe ut viri exculti et zelo ferventes facultates suas augere et competentiam suam ad plenum effectum deducere valeant, utque semper habeatur inter se et vicarios debita coniunctio atque de finibus persequendis deque methodis adhibendis consensio. Parochus inde considerare debet cooperatores suos, non ut servos vel domesticos, sed ut collegas, quos ergo magni facere tenetur, et a quibus distinguitur eo tantum quod collegio eorum praesit. Aliunde vicarii conscii esse debent se in opere collectivo esse cooperatores, ita ut, nedum minuatur, augeantur eorum sensus dignitatis et muneris aestimatio. Conscii quidem sibi cum sint paroeciam cui inserviunt esse suam, non secus ac pa-

rochi, passivi non erunt, sed summopere conferent ad incrementum communis operis.

Nec dicatur illud esse impossibile. Quod efficere valent et quidem haud raro efficiunt homines in quodam officio aut in inquisitione scientifica cooperantes, certocertius obtinere valebunt sacerdotes, qui certo non minore praediti sunt ardore ad munus suum explendum.

Forsan haud facile obtineri poterit ut paroecia sit ut collegarum adsociatio, sed spiritus Concilii requirit ut omni nisu ad illum consequendum contendatur.

Conscium huius problematis momenti Concilium hoc non solum generalioribus verbis commendare debet hanc inter parochum et vicarios animorum coniunctionem, sed insuper requirere debet ut normae statuantur quibus melior reddatur relatio parochos inter et cooperatores.

121

Exc.mus P. D. BENEDICTUS PRINTESIS
Archiepiscopus Atheniensis

Verum est vitam interiorem sacerdotis fontem omnis eius activitatis apostolicae et pastoralis esse, tamen pariter verum est non omnes sacerdotes in societate vivere, unde et apparatum externum nostrum statui nostro clericali conformem esse debere.

Vita externa presbyterorum ad aedificandam Ecclesiam et populum Dei quam plurimum valet, memores semper verborum Apostoli Gentium S. Pauli, ad primos christianos Corinthi, scribentis (6, 12 et 10, 23): « Omnia mihi licent sed non omnia aedificant ».

Verum etiam est consuetudines quot ad vitam et apparatum externum sacerdotum non pro omnibus populis et regionibus easdem esse, sed quam maxime easdem differre.

Unde notare mihi liceat: quum secundum ordinem existentem nostris temporibus quam maxime fideles et ipsi sacerdotes moventur (touristes) et a regione in regionem pergunt.

Presbyteri isti in mente semper habeant ut consuetudines et mores populorum et uniuscuiusque nationis et regionis in honore habeant ne occasionem perturbationis conscientiae fidelium praebeant.

In variis regionibus advenit, ut in mea dioecesi Athenarum, quod plurimi sacerdotes extranei ad loca artis visitandi veniunt, sed horum sacerdotum apparatus externus, quasi mere civilis et laicalis, cum consuetudine nostri populi tam catholici quam acatholici non convenit et ex hoc quam saepe perturbationes etiam conscientiae eorum oriuntur et saepe saepius accusationes contra ipsos sacerdotes creantur.

Mens mea est ut Sacrosancta Synodus saltem in Directorio, omnibus presbyteris et praesertim iis, qui in peregrinatione sunt (touristes) persuasum fa-

ciat atque inculcet eorum apparatum externum semper conformem esse consuetudinibus uniuscuiusque populi secundum verba S. Pauli ad Corinthios (I, 6, 12 et 10, 23).

Vestitus mere laicalis et civilis sacerdotis etiam socialiter non convenit, unde directorium sermonem clarum faciat de magno honore ut sacerdotes ipso suo apparatu externo de Christo loquuntur et omnes ad ipsum attrahant et dirigant.

[*Subscripsit etiam*] Antonius Varthalitis, arch. Corcyrensis.

122

Rev.mus P. D. IOANNES PROU

Abbas sup. gen. Congr. Gallicae O.S.B.

I animadversio. De doctrina presbyteratus in decursu saeculorum duae extiterunt traditiones theologicae.

Secundum unam ex his traditionibus, praecipue a S. Thoma Aquinate et a recentioribus Summis Pontificibus illustratam, munus proprium presbyteri est illa potestas quam habet in corpus reale Christi, seu potestas consecrandi Sanctissimam Eucharistiam; munus proprium episcopi est « agere in persona Christi super corpus eius mysticum, i. e. super Ecclesiam » (*Summ. Theol.*, III, q. 82, art. 1, ad 4). (Cf. etiam infra, folium adiunctum).

Secundum alteram vero traditionem, cuius testes praecipui sunt Hippolytus Romanus in *Traditione Apostolica* et Pontificale Romanum, episcopus ἱερεύς et ἄρχων (*PG*, T. I, col. 1073), habet plenitudinem sacerdotii tam ad docendum et regendum quam ad consecrandum; presbyteratus vero, seu sacerdotium secundi ordinis, semper intelligitur ut dependentia et participatio quaedam sacerdotii, i. e. episcopatus, in triplici suo munere: docendi scil. consecrandi et regendi, quo integratur tota Ecclesiae missio et activitas.

Ex imperfecta compositione duarum istarum traditionum theologicarum, provenit ambiguitas huius schematis et quasi contradictio in doctrinali expositione de natura presbyteratus. Pag. enim 33, lin. 7, declarat schema: « in mysterio Sanctae Missae... munus suum *praecipuum* sacerdotes exercent ». Pag. autem 14, linn. 28-31, schema expresse significat « primum » et « praecipuum » munus tum episcoporum *tum presbyterorum* esse « praedicationem Evangelii » seu « praeconii salutis annuntiationem ». Ex una parte, ad mentem S. Thomae qui fusius citatur, « omnia ecclesiastica ministeria et sacramenta » videntur « ad Sacram Eucharistiam ordinata », quippe quae contineat « totum bonum spirituale Ecclesiae ». Ex altera vero parte ipsa Eucharistia videtur ulterius ordinata ad activitatem pastoralem Ecclesiae.

Optandum ergo est ut commissio duas istas genuinas traditiones componat, quae utique componi possunt et debent.

Quae « compositio » fieri quidem potest ad mentem constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* ut intendit facere schema, ita nempe ut presbyteratus appareat ut participatio quaedam sacramentalis characteris sacerdotalis cuius plenitudo invenitur in episcopatu. Ita, secundum perantiquum textum Pontificalis Romani, presbyteri ordinantur tamquam « providi cooperatores Ordinis episcopalis » et « adiumenta secundae dignitatis ». Sed insimul, eo magis quod schema « de presbyteris in genere tractat » (cf. Relatio generalis, pag. 7), ostendatur oportet quod si episcopi quosdam presbyteros, v. g. parochos, triplici suo muneri consociare valeant, pariter alios quosdam presbyteros mittere possunt principaliter ad munus docendi, v. g. Fratres Praedicatores, vel etiam ad munus consecrandi tantummodo, v. g. Monachos Carthusianos qui, etsi presbyteri sint, vitam mere contemplativam agunt.

Qua enim ratione, schema doctrinam proponet quae omnibus quibuscumque presbyteris conveniat; quin postea impediatur quominus de ministerio eorum qui vitam activam habent disserat.

Et ad omnem praecavendam ambiguitatem propono ut, pag. 14, lin. 29, vox « primum » expungatur.

II animadversio. Pag. 18, lin. 30, loco verborum « ut sincera et plena sit », legatur: « si plena et sincera est », ne celebratio Sanctissimae Eucharistiae subordinata videatur ad varia caritatis opera, ad missionalem actionem et alia huiusmodi.

III animadversio. Pag. 32, lin. 24, restituatur oportet vox « spiritualitatem » ubi in textu recognito legitur « sanctitatem », quin litteris inclinatis seu italicis imprimatur. Etenim sanctitas eadem prorsus est pro omnibus, dum spiritualitas propria sacerdotum exsistere revera potest.

* * *

Folium adiunctum quosdam textus referens Summorum Pontificum.

« Le ministère de la prédication vous appartient (à vous Evêques) *tout à fait en propre* et constitue une partie principale de la charge épiscopale; en dehors de vous, quiconque l'exerce, le fait en votre nom et place... » (S. PIE X, Enc. *Pieni l'animo,* 28 juillet 1906).

« Praedicationis munus, ex Tridentinae Synodi doctrina, "Episcoporum *praecipuum est*" (Sess. XXIV, De Ref. c. IV). Apostoli quidem, quorum in locum successere episcopi, hoc maxime suarum partium esse duxerunt. Ita Paulus: "Non enim misit me Christus baptizare sed evangelizare" (*1 Cor.* 1, 17). Etsi autem *proprium* id est episcoporum, tamen... necesse est etiam per alios huic officio satisfaciant. Quare in hoc munere quicumque praeter episcopos versantur, dubitandum non est quin, *episcopali fungentes officio,* versentur » (BENOÎT XV, Enc. *Humani Generis,* 15 juin 1917: *A.A.S.,* 9 [1917], p. 307).

« Dans l'Eglise, on le sait, la charge de la prédication appartient en *propre* à l'Evêque et aucun prêtre ne peut de lui-même s'adjuger cette fonction: il

doit en avoir reçu la mission légitime et seul l'Evêque peut la lui donner » (Lettre de la Secrétairerie d'Etat à Mgr Duperray, Evêque de Montpellier, 13 avril 1954).

« Sacerdotis munus *proprium et praecipuum semper fuit* et *est "sacrificare"*, ita ut ubi nulla sit proprie vereque dicenda potestas sacrificandi nec inveniatur proprie vereque appellandum sacerdotium » (Pie XII, Allocution aux Cardinaux et Evêques, 2 novembre 1954).

« Le Christ a confié à ses Apôtres eux-mêmes un double pouvoir: d'abord le *pouvoir sacerdotal de consacrer* qui fut accordé en plénitude à tous les Apôtres; en second lieu *celui d'enseigner et de gouverner,* c'est à dire de communiquer aux hommes, au nom de Dieu, la vérité infaillible qui les engage, et de fixer les normes qui règlent la vie chrétienne.

Ces pouvoirs des Apôtres passèrent au Pape et aux Evêques. Ceux-ci *par l'ordination sacerdotale* transmettent à d'autres, dans une mesure déterminée, le pouvoir de *consacrer,* tandis que celui d'*enseigner* et de *gouverner* est le propre du Pape et des Evêques » (Pie XII, Allocution au II Congrès mondial de l'Apostolat, 3 octobre 1957).

123

Exc.mus P. D. IOANNES B. PRZYKLENK

Episcopus Ianuariensis

I. De titulo schematis. Sunt qui tituli mutationem poposcerint, allegato axiomate: « Agere sequitur esse ». Titulum praeferunt: *De vita et ministerio presbyterorum.*

Alii novum titulum proposuere, uti *De sanctitate presbyterorum,* perinde ac si totum schema de nihilo alio ageret ac de sanctimonia sacerdotali.

Contra hos titulum retinendum esse censeo.

Rationes: 1. Schemati laus est ideam fundamentalem de ministerio a presbyteris revera in bonum hominum exercendo sat bene exposuisse, quemadmodum const. dogm. *de Ecclesia* ministerii aspectum quoad episcopatum claram in lucem extulit (l. c., n. 24). Quibus prae oculis attente habitis, axioma supra inductum, scilicet agere sequitur esse, postulare videtur, ne titulus mutetur. Quandoquidem tò esse, quod schema contemplatur, est

a) esse ministrum Christi seu Dei (cf. *1 Cor.* 4, 15; *1 Thes.* 3, 2; Const. cit., III passim, spec. 21);

b) esse ministrum Ecclesiae (cf. *Col.* 1, 24 s.; Const. cit., III passim, spec. 28);

c) esse ministrum Evangelii (cf. *Eph.* 3, 6 s.; Const. cit. III, passim, spec. 25; 26);

d) esse ministrum populi Dei (cf. *Col.* 1, 7; Const. cit., III, passim, spec. n. 18 init.).

Esse ministrum basis et fundamentum est, super quod vita istius qui est minister, aedificetur. Unde non placet mutatio tituli schematis ob rationem desumptam ex axiomate perperam intellecto « agere sequitur esse ».

2. Schema da sanctitate sacerdotali quidem agit, sed non tantum. Ideo absque sufficienti ratione titulus mutaretur ad efferendam presbyterorum sanctitatem. Haec enim obiective habetur, vi ordinationis, et subiective realizanda est, ne mores ab illo sublimi « esse ministrum » discrepent.

II. *In prooemium.* Collatis textibus praecedenti (A) et nunc exsistenti (B), confusio detegi videtur. Textus A affirmat nostram Synodum iam pluries de ordine presbyteratus egisse; textus B asserit Synodum huius ordinis excellentiam tam pastoralem quam spiritualem iam pluries in memoriam omnium revocasse. Textus A ipso schemate excellentiam istam in memoriam omnium revocare voluit. Schema quod tantum per transennam, ut ita dicam, de ordine presbyterorum sermocinatur, postquam alibi de industria tractatus est, eum in memoriam revocat; schema quod ex professo de eo tractat, eum illustrat, exponit, docet etc. Ut huiusmodi aliique defectus loquelae minus accuratae, ut mihi videtur, devitentur, sequentem textum proponere audeo: « Presbyteratus Ordinis in Ecclesia sublimitatem et momentum iam pluries haec SS. Synodus, data occasione, extulit. Presbyteri sane sacra ordinatione promoventur ad inserviendum Christo Magistro, Sacerdoti et Regi, eius ministerii participes effecti, quo Ecclesia in populum Dei, corpus Christi et templum spirituale, hic in terris, indesinenter efformatur. Quod cum prae oculis habeatur cumque huic Ordini, spectata eius indole, in Ecclesiae Christi renovatione partes maximi momenti et in dies quidem difficiliores assignentur, Concilium Vaticanum II ducit suum esse fusius et profundius de presbyteratu tractare. Quapropter, ut presbyterorum ministerium, congrua doctrinae luce sparsa, efficacius sustineatur atque eorundem vita aptius ordinetur, SS. haec Synodus quae sequuntur, statuit ».

Rationes: 1. Loco « excellentiam » dicatur « sublimitatem » quod nomen synonymum est; nam vocabulorum congeries « in Ecclesia excellentiam » male sonat. Addatur « momentum »; siquidem celsitudo presbyteratus quidem, arrepta occasione, considerata est, sed momentum eius haud minus perspectum.

2. Omittatur « tam pastoralem quam spiritualem ». Sufficit loqui de « sublimitate » absque adiectivo, de cuius natura (utrum sit restrictiva an explicativa) postea disputabitur. Demum mirum est, quod textus A haec adiectiva obiecto praesentis schematis applicat, textus B obiecto aliorum documentorum.

3. Dicatur « data occasione, extulit ». Nihil in memoriam alicuius revocari dici solet, quod antea saltem sufficienter clare expositum non invenitur. Alia documenta conciliaria de presbyteris non agunt nisi per transennam vel sub determinato seu limitato adspectu, unde vix sufficienter. Occasione oblata sunt usa. Schema nostrum per longum et latum de iis tractare intendit.

4. Particula « enim » (lin. 5) non placet nec in casu adaequata esse vide-

tur. In textu A placuit. Transpositio propositionum in textu B secumtulit aliam exigentiam grammaticalem. Unde propono, dicatur: *sane*.

5. Omittatur « atque missione, quam ab episcopis recipiunt » (linn. 5 et 6). Omissione ista non negatur missionem quam vocant, aliquid conferre in exercitio ministerii sacerdotalis; sed ratione habita textus in pag. 12, lin. 25 e const. dogm. *de Ecclesia,* sufficit et magis arridet, quod, ut plures Patres notavisse videntur, mentio missionis omittitur, quippe quod promotio ad inserviendum Christo etc., omni in casu, sacra ordinatione habetur, licet missionis expressa mentio in loco nondum addatur. Argumenta omissionis iustificativa in Sacris Liturgiis ordinationis abundanter prostant.

6. Dicatur « eius ministerii participes effecti » loco « cuius participant ministerium » (lin. 8). Promotio de qua est sermo, consistit in participando Christi ministerio, quo Ecclesia etc. Hic sensus constructione participali quae in aliis documentis crebro adhibetur, clarius apparet.

7. Loco « aedificatur » (lin. 11) dicatur « efformatur ». Imago aedificationis apprime applicatur, Scriptura praeeunte, ad corpus Christi et ad templum spirituale, vix tamen adhiberi valet, cum de populo Dei sit sermo. Unde vocabulum eligitur, quod absque haesitatione de tribus imaginibus aequo modo pronuntiari licet.

8. Lin. 11 addatur: « Quod cum prae oculis habeatur ». Factum enim, in propositione proxime praecedenti enuntiatum, una e rationibus est, cur Concilium fusius de presbyteratu tractare velit.

9. Lin. 11 deinde dicatur « cumque huic Ordini, spectata eius indole ». Expedit rationes allegatas inter se coniungere. Illud « spectata eius indole » clarius esse videtur quam « ex indole *sua* ».

10. Lin. 11 omittatur verbum « tamen ». Nisi fallor, illud « tamen » verbum « quamvis » in textu A tamquam correlatum connotat; deficiente autem « quamvis » in textu B, non est, cur « tamen » servetur.

11. Dicatur lin. 14 « Concilium ducit suum esse » loco « perutile visum est ». « Suum esse », iuxta grammaticos, adeo amplam significandi rationem includit, nempe ius esse, officium esse, esse cur, expedire, congruere, aequum esse, ut Patri, verbum « necessarium » reiicienti, et textui novo satisfiat modo eminentiori.

12. Lin. 16 addatur: « ... ministerium, congrua doctrinae luce sparsa, efficacius... ». Schema ita de facto procedit, quatenus e. g. in n. 1 doctrinam de natura et conditione presbyterorum, dico presbyteratus, praemittat. In multis aliis numeris pariter agit. Utique haud omnes de presbyteratu quaestiones tangit. Nec necessarium est nec hic est locus omnes has quaestiones evolvere. Sed schematis est praeter duplicem finem, « *ut* presbyterorum ministerium efficacius sustineatur *ut*que eorundem vita aptius ordinetur », saltem *congruam* doctrinae de presbyteratu lucem passim spargere doctrinamque cohaerentem saltem colligere seu recolere.

Quas ob rationes peto ut prooemii nova redactio examini subiiciatur.

III. Pag. 13, lin. 8 dicitur « et Rectoris ». Nescio, an verbum bene sit electum. Utique Christus est rector, sed nihilominus vocabulum « Regis » in casu magis placet (cf. pag. 11, lin. 8).

IV. Pag. 14, linn. 3-7. Propositio in forma irreali est constructa quae non placet. Nonne totus contextus, scil. propositiones praecedens et sequens, permittit constructionem positivam realemque? Dicatur: « Ministri enim Christi esse non possunt nisi alius vitae ac terrenae testes sunt et dispensatores, sed neque hominibus inservire valent si eorum vitae condicionique extranei remanent ».

V. Pag. 14, linn. 16-18 propositio quae prostat aliter formetur, ne ambiguitas oriatur. Dicatur: « Ita enim solummodo possunt apto modo eis loqui eosque adiuvare ut Evangelio tota eorum imbuatur vita ».

VI. Pag. 21, lin. 25, spectato fonte in calce citato, dicatur: « ... gratiae et consilii, ut coadiuvet ac gubernet... ».

VII. Pag. 29, linn. 33-34 dicatur, ad tollendam loquelam minus accuratam: « ... ideo oportet universus populus christianus sciat suum esse diversimode cooperari, ut semper... ».

VIII. Pag. 36, lin. 12 dicatur: « ... ut Dei familiae liberius ministrent... ».

IX. Pag. 38, lin. 33 vix placet citatio. Utique in Missali Romano verba ista inveniuntur, sed etiam alia verborum congeries in eodem libro et in nostro schemate reperitur, quin citatio allegatur. (Similiter lin. 34 post verbum « etiam » comma quod vocant, superfluum esse videtur).

X. Pag. 39, lin. 1. Illud « cf. *Act.* 5, 41 » minus placet. De convenientia huiusmodi indicandi textus S. Scripturae dubito.

XI. Pag. 39, lin. 13 et lin. 16. Bis verbum occurrit « parvi resp. magni faciant ». Nonne contextui bonitati maiori erit, si, servato « ne parvi faciant » in lin. 13, in lin. 16 dicatur: « ... tandem ducant... »?

XII. Pag. 40, lin. 17. Cur verbum « olim » quod in textu A legitur, in textu B non occurrit? Non videtur esse, cur omittatur; e contra videtur esse, cur explicite dicatur. Unde propono textum: « ... cuius *olim* quandoque primario erant loco beneficia... ».

XIII. Pag. 44 et 46 notae 1, 14, 15, 20, absque dubio, per lapsum calami, de constitutione dogmatica *de sacra Liturgia* loquuntur. Dematur verbum *dogm.*

XIV. Pag. 46, nota 31 habet textum e Trad. Apost. In ultima linea huius citationis dicitur: « quos replesti de spiritu tuo *quod* tu donasti famulo tuo ». Cum fontem prae manibus non habeam, nescio, utrum citatio aliquatenus curiosa sit accurata.

XV. Pag. 48, nota 45 refert Pauli VI « exhortationem », quae in *A.A.S.* non prostat. Exhortatio seu Adhortatio termini technici esse videntur: cf. notam 28 in qua documenta citantur. Ideo dubito, ne aequus sit usus termini *exhortationis* in hoc loco documenti maxime officialis, praesertim cum textus ex officio non habeatur.

XVI. Pag. 45, post notam 18 iterum nota 18 citatur. 19 erit.

XVII. Pag. 44-48. Varietas quidem in genere delectat. Sed alius in aliis notis modus citandi fontes et documenta mihi non placet. Non tantum schema aliter saepe citat ac alia unius eiusdemque Concilii documenta, sed non raro aliter in aliis notis eiusdem documenti. Videant consules. Etiam minores correctiones Commissioni laudi erunt.

* * *

Pag. 14, linn. 28 s.; pag. 33, lin. 7. Concilium Vaticanum II in const. dogm. *de Ecclesia,* n. 25 consulto textum ut iacet formulavit, ut ex actis constat et modorum expensione. Tridentini loquelam de praedicatione tamquam de munere simpliciter praecipuo episcoporum repetere noluit.

At, textus schematis nostri ita procedit pag. 14, linn. 28 s. perinde ac si cautela Vaticani II non exstitisset.

Immo pag. 33, lin. de celebratione missae tamquam praecipuo sacerdotum (inter quos absque dubio episcopi primum tenent locum) munere loquitur.

Oportet igitur textus ita reformetur, ne quid claudicet.

Pag. 31, lin. 5 scribatur: « ... adstringuntur, eo vel magis quod "iam in Vetere Testamento..." ». Nova propositionis constructione idea quam schema efferre velle videtur, clarior fiet.

Pag. 40, linn. 40 s., dicatur: « Bona autem occasione exercitii alicuius ecclesiastici officii sibi comparata, salvo... ». Textus sic constructus clarior esse videtur.

Pag. 41, linn. 10 s. Sacrae Scripturae citationes hactenus, nisi fallor, in Ecclesiae documentis, si aliud non dicatur, iuxta Vulgatam fieri solent. Cur autem in nostro schemate semel ac iterum explicite allegantur textus *Vulgatae* conformes. Mihi videtur necessarium esse citationes a Vulgata discrepantes expressam mentionem exigere, non autem citationes Vulgatae conformes. Cf. *1 Cor.* 9, 19-23 in pag. 13, lin. 34; etc.

Pag. 39, linn. 23 ss., dicatur: « ... approbatione sua, immo et quandoque commendatione munivit, ... possunt, quae magis sibi congruere exsistiment ». Verba « dummodo cum legibus... sint », omittantur, cum supra sit dictum agi de mediis approbatis vel immo commendatis.

* * *

I. Ad pag. 25, linn. 15 s. et pag. 26, linn. 1-19. Titulus inter uncos positus in textu definitivo non invenietur. Quod pluries dictum est. Attamen factum, quod huiusmodi tituli variis in documentis nostri Concilii haud

semel mutationes seu correctiones subiere, ostendit eos momento non carere. Revera, licet titulus « Presbyterorum cum laicis conversatio » suo tempore ex officio dematur, modus tamen passim servatus in publicandis ceteris huius Sacrosancti Concilii documentis, iam publici iuris factis, nos edocet titulos ex officio omissos oblivioni traditum non iri. Per consequens, textus in praxi lectum iri constat cum primitiva rubrica et sub ea, ad quam, de cetero, contextus, natura sua, ducit.

Quibus praemissis, quaestiones sequentes moliri licet:

1. Cur ea quae in pag. 26, linn. 1-19, leguntur, rubricae « Presbyterorum cum laicis conversatio » subordinantur? Nonne omnia ibi dicta, abstractione facta a verbis « atque "forma facti gregis ex animo" (*1 Pt.* 5, 3) » (linn. 3 s.), ad presbyterorum *cum quibuslibet hominibus* conversationem spectant? Ne laici unice considerentur, ne clerici confratres excludantur, ne auctoritas ecclesiastica superior eximatur!

2. Cur monitio seu exhortatio quae in linn. 1-15 prostat, expresse loquitur de « conversatione *cum fidelibus* »? (cf. tamen pag. 27, linn. 5 ss.). Exhortatio momentum habet pro conversatione *cum fidelibus* »? (cf. tamen pag. 27, linn. 5 ss.). Exhortatio momentum habet pro conversatione *cum quibusvis hominibus*, immo forsitan magis in conversatione cum hominibus a fide alienis etc.

3. Cur S. Pauli verba (linn. 15-19) citantur, quae cunctos christifideles aequo modo respiciunt? Num verborum citatio iustificatur eo, quod in lin. 10 legitur: « *omnes* ornati sint oportet... », quatenus tò omnes non quidem presbyteros dumtaxat, sed fideles cunctos, immo etiam non fideles comprehendat? Nonne sufficeret dicere: « ... urbanitas aliaeque id genus » (linn. 13 s.)?

Deinde post notam 39 nova adderetur nota, scil. « Cf. PIUS XII, Alloc. ad Docentes ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, 23 sept. 1951: *A.A.S.*, 43 (1951), p. 735 ».

Nota, nisi fallor, ad solidam de virtutibus quas naturales vocant, doctrinam *clero* magis adaptatam mens dirigitur.

Unde sequentem propono textum: « In conversatione cum hominibus quibuslibet, presbyteri, semper memores propriae condicionis sacerdotalis, sectabuntur "iustitiam, fidem, spem, caritatem et pacem" (2 *Tim.* 2, 22), sed etiam illas virtutes non neglegent quibus, ad imitationem Christi Domini, qui est "perfectus Deus, perfectus homo",[39] omnes ornati sint oportet, quaeque in humano etiam consortio magni aestimantur, videlicet cordis bonitas, sinceritas, robur animi et constantia, assidua iustitiae cura, urbanitas aliaeque id genus ».[39a]

II. Ad pag. 26, linn. 5 ss. In pag. 13, lin. 34 refertur « cf. *1 Cor.* 9, 19-23 Vg. »; item in pag. 41, linn. 10 s., legitur « cf. *Ps.* 62, 11, Vg. 61 ». Quibus textibus inter se comparatis, miratur quis, quod citationes ita fiunt. Nam in documentis ecclesiasticis, uti iam in alia animadversione die 15 octobris p.p. notavi, hactenus mos fuit habendi citationes S. Scripturae confor-

mes editioni quam « Vulgatam » vocant, nisi aliud quid diceretur. In duobus casibus istis exceptio facta est. Non video cur. Miror eo vel magis, quod in nostro textu pag. 26, linn. 5 ss., schema, sibi constans, nullam ad Vg. habeat relationem. Nam constat virtutum enumerationem quae in citato textu *2 Tim.* 2, 22 habetur, *Vulgatae* quidem esse conformem, non vero cunctis Scripturae Codicibus venerabilibus. Non autem apparet, cur schema, sibi constans, conformitatem cum Vg. omittat. Quod ad me attinet, omitterem Vg. in pag. 13, lin. 34; in pag. 41, linn. 10 s. scriberem « cf. *Ps.* 61 (62), 11 » nec adderem *Vg* pag. 26, lin. 7 ».

III. Ad pag. 48, nota 57. Notas 1, 14, 15, 20 lapsu calami const. dogm. *de sacra Liturgia* commemorasse die 15 oct. vel alio die scripsi. Attamen etiam notam 57 eodem laborare defectu significare forte iuvat.

124

Exc.mus P. D. VINCENTIUS PUCHOL MONTIZ
Episcopus Santanderiensis

N. 6, pag. 23, lin. 8, haec vel similia addantur: « Ad hoc ergo efficaciter obtinendum dioeceses seu praelaturae personales erigi poterunt, quatenus id conveniens vel necessarium videbitur ».

Vel alio modo dicitur (pag. 23, linn. 3-4): « ... saepe limites unius paroeciae vel dioecesis praetergredi necesse est. Nullum ergo... », addatur: « praetergredi necesse est, et quandoque erectionem praelaturarum vel dioecesium personalium postulant, vel episcopum proprium. Nullus ergo... ». *Ratio*: quamvis in alio loco (n. 9, pag. 28, linn. 12-14) schema de convenientia loquatur erigendi « peculiares dioeceses vel praelaturas personales et alia huiusmodi », oportet hic etiam de iis institutionibus loqui et de possibilitate quamdam hierarchiam ecclesiasticam constituendi non territorialem (dioeceses vel praelaturas personales pro specifico apostolatu, v. g. inter intellectuales, operarios, etc.). In ipsis apte inter se unirentur et Ecclesiae hierarchicae incorporarentur omnes sacerdotes qui apostolatibus supradioecesanis opus praestant.

N. 7, pag. 25, linn. 3-9, dicitur: « Magni quoque habendae sunt et diligenter promovendae associationes quae, per aptam et convenienter approbatam ordinationem vitae et per iuvamen fraternum, sanctitatem sacerdotum in exercitio ministerii fovent, et sic toti Ordini presbyterorum servire intendunt ». Expungantur haec verba. *Ratio*: en aliquas rationes id suadentes:

1) Inutilis videtur, et etiam ipsi schemati contraria (cf. n. 13, de unitate et harmonia vitae presbyterorum). Presbyter sanctificationem quaerere debet in ipso ministerii exercitio et in unione et adiutorio qui, vi ipsius ministerii, episcopo et presbyteriis devincitur, cum quibus communem vitam et laborem habet. Hoc sensu aliqui Patres in aula locuti sunt. Magnam convenientiam

urgere associationum ex unione et collaboratione in ministerio non dimanantium, demonstrare videtur insufficientiam ipsius ministerii unionisque ab eo dimanante ad sanctitatem sacerdotii procurandam.

2) Immo, posset damnosa evadere ob diversas rationes, quarum aliquas innuere libet: *a*) Quaedam hierarchia a normali episcoporum hierarchia diversa pedetentim constitui posset, si associationes de quibus agitur stricte dioecesanae non forent et episcopum ut unicum caput non agnoscerent. Historica experientia circa cleri dioecesani associationes hoc confirmat. In praxi plures huiusmodi associationes Congregationes religiosae seu Instituta saecularia devenerunt, de quibus Episcopus plene disponere non potest. *b*) Experientia etiam teste, huiusmodi associationes saepius divisionem inter sacerdotes ingenerant, quamvis earumdem unicum caput episcopus sit.

3) Ipsae associationes, ut quidam Pater in aula conciliari sublineavit, regulatione iuridica carent, nec schema aptus locus videtur ad talem regulationem definiendam. Taceat igitur schema circa similes associationes, apertam viam relinquendo ad earum possibilem constitutionem, sicut hucusque evenit. Nulla autem commendatio fiat, donec amplior experientia circa ipsarum praestantiam vel incommodum habeatur.

Si vero aliquid de sacerdotalibus associationibus dici velit: *a*) tollatur quaelibet ipsarum commendatio (scil. « Magni »... « diligenter promovendae »...); *b*) explicite dicatur ipsas associationes, ubi existant vel in posterum constituantur, plene a proprio episcopo dependere debere.

N. 10, pag. 28, linn. 7-14, dicitur « ... sed etiam peculiaria opera pastoralia pro diversis coetibus socialibus, quae in aliqua regione, vel natione aut in quacumque terrarum orbis parte perficienda sunt; ad hoc ergo quaedam seminaria internationalia, peculiares dioeceses vel praelaturae personales et alia huiusmodi utiliter constitui possunt... », dicatur (prout in textu emendato, ibid., linn. 18-25): « ... sed etiam peculiaria opera pastoralia pro diversis coetibus socialibus, v. g. pro opificibus vel intellectualibus, quae in aliqua regione, vel natione aut in quacumque terrarum orbis parte perficienda sunt; ad hoc ergo quaedam seminaria internationalia, peculiares dioeceses vel praelaturae personales et alia huiusmodi utiliter constitui possunt... ». *Ratio*: valde oportet denuo huiusmodi verba ex textu emendato expuncta (scil., « v. g. pro opificibus vel intellectualibus ») inserere, quia plurimum sensum illustrant verborum sequentium, scil. « peculiares dioeceses vel praelaturae personales et alia huiusmodi ».

N. 10, pag. 30, lin. 27, addantur verba ex textu emendato expuncta (ibid., linn. 22-32), scil.: « ac presbyteri omnes fideles instruant suppliciter rogare "Dominum messis ut mittat operarios in messem suam" (*Lc.* 10, 2) »; ac praesertim: « Parati sint etiam ad cooperandum, sub ductu episcopi, ad sacerdotes praeparandos, sive saeculares sive religiosos, non tantum in bonum propriae dioecesis, sed etiam in bonum Ecclesiae universalis, cum singulae dioeceses, immo et singulae conferentiae episcopales mutuo auxilio se adiuvare in tanti momenti opere necesse sit ». *Ratio*: in textu emendato clarius

exprimebatur necessitas collaborationis supradioecesanae, immo supranationalis, non tantum ad aptam cleri distributionem (de qua in n. 9), sed etiam in vocationibus fovendis, ut periculum arceatur quasdam vocationes (in regionibus ubi ipsae superabundant) amittendi, quae tamen iam ab initio studiorum ad alias dioeceses — territoriales seu personales, eiusdem vel alterius nationis — aut ad alia supradioecesana opera seu apostolatus opportune destinari possint.

[*Subscripserunt etiam*] R. Moralejo, aux. Valencia; J. Guerra, ep. tit. Muzia; M. Romero, ep. Orta.

* * *

In schemate (n. 7, pag. 25, linn. 3-9) loquitur *de associationibus presbyteralibus*. Haec autem paragraphus corrigenda videtur, ex eo quod:

1) Schema nostrum affirmat spiritualitatem presbyterorum fovendam esse *in ipso et ex ipso exercitio ministerii sacerdotalis* (n. 13), igitur non aliunde, ex aliqua spiritualitate a priori vel ab extra, scil. a programmate interno alicuius associationis.

Associationes enim pro spiritualitate fovenda nata sunt quia non intelligebatur quod ministerium et status presbyterorum vinculum sunt et principium perfectionis (cf. n. 13, pag. 34, linn. 19-21). Ideo perfectio putabatur adimpleri non posse nisi per vitam ad instar religiosorum.

2) Spiritualitas presbyterorum, praesertim dioecesanorum, exurgere etiam debet ab ipsa propria natura, scil. *a coniunctione cum episcopo proprio* in cuius adiutorium in concreto adscripti sunt. In hac ergo communione hierarchica fundanda est quoque tota illorum spiritualitas.

Et sicut non intelligitur quod spiritualitas presbyterorum religiosorum fundetur in associationibus suo statui religioso superpositis, sic etiam non intelligitur quod spiritualitas presbyterorum dioecesanorum fundetur in aliquo superposito super naturam suiipsius status presbyteralis dioecesani.

Praeterea: si associationes presbyterorum dioecesanorum non constituuntur secundum naturam status illorum in illa coniunctione cum episcopo proprio ita ut ipse episcopus sit caput et auctoritas superior ipsarum associationum ab ipso interne et externe pendentium, duplex videtur poni velut hierarchia iuxtaposita in eadem dioecesi relate ad eadem membra, scil. hierarchia episcopalis et auctoritas associationis. Indeque exurgunt tensiones et diffidentiae etiam ex parte episcopi relate ad praedictas associationes, etiamsi dicatur quod tales associationes agunt tantummodo de vita spirituali presbyterorum et non de vita externa vel apostolica ipsorum. Historia etiam confirmat quod his de causis persaepe associationes pro presbyteris in instituta religiosa prius vel posterius sese mutaverunt.

3) Spiritualitas presbyterorum fundari etiam debet *in ipsa communione fraternitatis sacerdotalis,* quam presbyteri inter se habent ex eodem titulo sacramentali ordinationis, ex communione in eadem missione, ex participatione tamquam membra in eodem presbyterio sub episcopo proprio.

Unde associationes intra clerum dioecesanum, utpote non omnes presbyteros obligantes, sunt ex natura sua non vinculum communionis et fraternitatis inter omnes presbyteros, sed causa distinctionis indeque et divisionis.

4) Praeterea: Associationes tamen presbyterorum aliquid essentiale positivum continent: quod vitam spiritualem illorum fovent et fovere intendunt: et quidem ordinatim et permanenter (modo institutionalisato). At hoc ab ipsa dioecesi rite et organice potest et debet fieri, cum maximum omnium officium pastorale episcopi bonum spirituale suorum presbyterorum sit (cf. n. 6, pag. 21, linn. 31-35; PIUS X, *Haerent animo,* 4 aug. 1908).

Conclusio ergo sit:

1. Quod schema firmis verbis commendet et urgeat ut omnes episcopi specialissimam curam habeant de spiritualitate suorum presbyterorum, etiam per media institutionalisata.

2. Si igitur admittendae omnino putarentur associationes, ita fiant et constituantur ut omnes presbyteri ad ipsas pertinere teneantur, et sub episcopo proprio in plano dioecesano, sub conferentiis episcopalibus in plano supradioecesano omnino necessario constituantur.

3. Textus ita igitur recognosci et perfici posset. Dicitur: « Magni quoque habendae sunt et diligenter promovendae associationes quae, per aptam et convenienter approbatam ordinationem vitae et per iuvamen fraternum, sanctitatem sacerdotum in exercitio ministerii fovent, et sic toti ordini presbyterorum servire intendunt »; dicatur: « Maxime igitur episcopi in corde habeant curam spiritualem suorum presbyterorum positive fovendam etiam per aliquos presbyteros in sanctimonia vitae et communione fraterna exemplares ad hoc adsignatos; et si aliquando associationes ad hoc constituantur ita fieri debent ut sub episcopo in dioecesi et sub conferentiis episcopalibus in plano supradioecesano ordinentur, omnem discriminationem vitando ».

[*Subscripserunt etiam*] Ferdinandus card. Quiroga; José card. Bueno y Monreal, arch. Sevilla; Maximinus Romero, ep. Orta; J. Guerra, ep. tit. Muzia; E. Larrain, praeses CELAM; Agnelo card. Rossi, arch. São Paulo; Gabinus, ep. Guadix; Vincentius, arch. Oviedo; Jacobus, ep. Barbastro; H. Argaya, ep. Mondoñedo-Ferrol; J. Pulido, arch. tit. Cirro; Raphael, aux. Valencia.

125

EXC.MUS P. D. IOSEPH RAPHAEL PULIDO MENDEZ

Archiepiscopus tit. Cyrrhenus, coad. Emeritensis in Venezuela

1. *De mysterio paschali.*

N. 1, pag. 12, lin. 16. Post « participes effecit », addatur: « ut vitam aeternam, quam sacrificio crucis (vel: oblatione mortis suae) Sibiipsi meruit, hominibus communicent ». *Ratio*: ut mysterium paschale (scil. participatio nostra in mysterio mortis ac resurrectionis Christi) illuminet sensum sacerdotii christiani.

N. 4, pag. 17, lin. 28 ad finem pag. 18. Loco « Presbyteri ergo, ut fidei educatores... etc. », legatur: « Presbyteri ergo, ut fidei educatores, singulos fideles, utpote mortis ac resurrectionis Domini participes effectos, ad suam ipsorum personalitatem secundum evangelicam fidem excolendam, ad sinceram operosamque caritatem, ad firmam in omni opere et sermone spem (cf. *2 Thes.* 2, 15 s.) et ad filiorum Dei libertatem, qua Christus nos liberavit (cf. *Gal.* 4, 31; 5, 1; 5, 13), adducunt. Parum prodesset caerimonias, etsi pulchras, vel consociationes, etsi numerosas, curare, si de educandis hominibus usque ad maturitatem christianam insufficiens studium haberetur. Tale vero studium ad hoc tendit, ut non sibi solum vivant christiani, sed secundum exigentias novae legis caritatis, unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administret (cf. *1 Pt.* 4, 10 ss.), et ita omnes officia sua in communitate hominum christiane absolvant. Presbyteri igitur ad genuinam communitatem christianam efformandam fideles adducunt. Fovere ergo satagunt in fidelibus hunc spiritum communitatis, et in ipsa communitate spiritum vere catholicum et missionarium infundunt.

« Communitati adsunt presbyteri in id nitentes, ut in ipsis eventibus magnis vel parvis, quid res exigat, quae sit Dei voluntas, una cum fidelibus laicis perspiciant et in ea perficienda connitantur. Tota communitas specialem curam habet de suis membris pauperibus et debilioribus, cum quibus Dominus ipse sese sociatum ostendit (cf. *Mt.* 25, 34-45; *Mc.* 2, 16-17), et quorum evangelizatio signum messianici operis datur (cf. *Lc.* 4, 18). Sed etiam peculiariter curat de iunioribus, in quibus futurum tempus iam adesse videtur, et insuper coniugum ac parentum, qui ut in amicales coetus coeant optat, ad sese mutuo adiuvandos ut christiane in vita saepe ardua facilius pleniusque agant. Maxime tandem communitas sollicita est aegrotantium et morientium.

« Impossibile tamen est genuinam communitatem aedificare, quae Sanctissimae Eucharistiae celebrationem radicem cardinemque non habeat. Quae celebratio paschalis, consummans in sempiternum sanctificatos (cf. *Hebr.* 10, 14), tam ad varia caritatis opera omnimodamque subministrationem ad invicem quam ad missionalem actionem necnon ad varias christiani testimonii formas, ducit. Ecclesialis insuper communitas, erga animas ad Christum adducendas, caritate sua, oratione, exemplo, poenitentiaeque operibus, veram maternitatem exercet.

« Ipsa simul instrumentum efficax constituit ad excitandos, alendos, roborandos debiliores in pugna spirituali pro Christo, ad denique nondum credentes ad Christum alliciendos et fines Ecclesiae extendendos ». *Rationes*: additur « utpote mortis ac resurrectionis participes effecto: *a*) ad iterandam ideam mysterii paschalis, nunc ex parte fidelium; *b*) ne mere psychologice sumatur « maturitas » de qua in lin. 36 schematis, appareat oportet cuius naturae sit talis « maturitas ».

N. 4, pag. 17, lin. 31. Additur « ad firmam in omni opere et sermone spem et ad filiorum Dei libertatem »: *a*) quia maturitas personalitatis christianae etiam dynamismum spei « in omni opere et sermone bono » (*2 Thes.*

2, 15) necessario includit; *b*) ne libertas « qua Christus nos liberavit » mere negative consideretur, scil. a lege et a peccato, plenitudinem eius signatur (scil. « filiorum Dei »).

Pag. 17-18. Mutatio modorum simul ac omissio aliquorum verborum (v. g. adducunt pro adducere debent, prodesset loco proderit, etc.), suadetur ut stylus exhortativus vel pareneticus vitetur et potius affirmative presbyter « idealis » describatur.

Pag. 18, lin. 3. Ad hunc locum, ex. linn. 22-26, transferuntur illa « Presbyteri igitur ad genuinam... etc. », ut clarius appareat momentum *a*) tum communitatis ecclesialis, *b*) tum loci presbyteri in ipsa communitate.

Linn. 3-21. Perplures etsi parvae inducuntur mutationes, ne munus soli presbyteri tribuatur sed toti communitati cum suo presbytero agnoscatur. In particulari:

Linn. 7 s. Loco « eosque in perfectionem christianam perseveranter instituant », dicitur « et in ea perficienda connitantur », *a*) ne voluntatis Dei acceptatio mere passive assumatur; *b*) ut sensus dynamicus et strenuus perfectionis christianae (« connitantur ») significetur.

Linn. 8-10. Loco eorum quae exstant in textu schematis, ponitur: « Tota communitas specialem curam habet de suis membris pauperibus et debilioribus », *a*) ut tota communitas responsabilem pauperum se sentiat; *b*) ne pauperes et debiliores quodammodo extra communitatem considerentur; *c*) ne « paternalismo » (vide « commendatos ») sapiat textus.

Lin. 30. Additur — post « Quae celebratio » — « paschalis, consummans in sempiternum sanctificatos », ut cum epistola ad Hebr. indicetur aspectus eschatologicus mysterii paschalis.

Linn. 34-43. Tum translatio verborum « Ecclesialis communitas » ex linn. 36 s. ad lin. 34, tum latinae constructionis mutatio linn. 39-43 introducta, claritatis et latinitatis causa inducuntur.

N. 1, pag. 13, lin. 31. Ubi dicitur: « Ipsum iam imitati sunt... etc. » usque ad « ... in servitium missi sunt », mutetur sequenti modo: « Ii, quorum munus et officium est Pascha nostrum hominibus manifestare, cum Paulo, gentium Doctore, omnia omnibus facti sunt ut omnes faciant salvos. Presbyteri igitur cum hominibus conversantur, in quorum utilitatem et servitium missi sunt ». *Ratio*: ne mere exhortative loquatur, affirmativa descriptio e mysterio paschali educta proponitur.

2. *De tono exhortativo vitando.*

N. 1, pag. 13, linn. 23-25. Loco « cum ceteris hominibus in terris conversantur. Imitentur oportet Dominum Iesum », legatur: « cum ceteris hominibus in terris conversantur, sicut Dominus Iesus ».

Pag. 14, linn. 7-9. Omittatur « tenentur », et loco subiunctivi « conforment » indicativus « conformant » scribatur.

Linn. 12-13. Expungatur « tenentur », et pro infinitivo « cognoscere » subiunctivus « cognoscant » adhibeatur.

N. 2, pag. 14, linn. 35-38. Ab « Omnibus ergo debitores... etc. » usque ad « quas in Domino habent », transferantur ad pag. 15, lin. 4. *Ratio*: ordine logico, augetur vis huius paragraphi.

N. 2, pag. 14 s., lin. 38 ad finem. Haec omnia, modo magis pastorali enucleare oportet. *Ratio*: nimis ieiuna.

Pag. 15, lin. 4. Huc transferantur ea quae linn. 35-38 pag. 14 exstant. *Ratio*: est ordo logicus. Maiore vigore decoratur paragraphus.

Nn. 3 ss., pag. 16 ss. Sequentes introducantur verborum modificationes:

N. 3, pag. 16, lin. 11. Loco « edoceant », dicatur « edocent ».

Lin. 13. Loco « instituant », dicatur « instituunt ».

Lin. 17. Loco « erudiant », dicatur « erudiunt ».

Lin. 22. Loco « ostendant », dicatur « ostendunt ».

Lin. 25. Loco « alliciant », dicatur « alliciunt ».

Lin. 28. Loco « praetermittant », dicatur « praetermittunt ».

Lin. 30. Loco « persolvere debent », dicatur « persolvunt ».

Linn. 31 s. Loco « se obligatione teneri orandi et poenitentiam agendi », dicatur « se orare et poenitentiam agere ».

Linn. 37 s. Loco « congregantur, quae praesentia... manifestare debet, sit nitida », dicatur « congregantur, quae praesentia manifestat: sit igitur nitida ».

Linn. 39 s. Loco « Curent Presbyteri... colere », dicatur « Presbyteri... colunt ».

N. 4, pag. 17, lin. 17. Loco « docere et agere debent », dicatur « docent et agunt ».

N.B.: N. 4, pag. 17, lin. 28 ad finem pag. 18, cf. folium de mysterio paschali.

N. 4, pag. 19, lin. 2. Loco « obliviscantur », dicatur « obliviscuntur ».

N. 5, pag. 19, lin. 18. Loco « polleant », dicatur « pollere conantur ».

Lin. 22. Loco « esse debet », dicatur « est ».

Lin. 24. Loco « haurienda est », dicatur « hauritur ».

Lin. 30. Loco « nutriatur », dicatur « nutritur ».

Lin. 34. Loco « noscant oportet », dicatur « noscere curant ».

Lin. 36. Loco « consulant », dicatur « consulunt ».

Lin. 39. Loco « alere debent », dicatur « alit ».

Lin. 40. Loco « protrahant », dicatur « protrahunt ».

Pag. 20, lin. 1. Loco « curent », dicatur « curant ».

Lin. 4. Loco « pertineant », dicatur « pertinent ».

N. 5, pag. 20, lin. 24. Post « cura adiuventur », addatur « praesertim ». *Ratio*: non modo iuniores et neoparochi talibus subsidiis indigent...

N. 5, pag. 20, lin. 34. Loco « humanae disciplinae », dicatur « cum humanae tum sacrae disciplinae ». *Ratio*: conformius veritate, argumentum roboratur.

N. 5, pag. 20 s., linn. 41 s. Expungantur verba « maxime autem paucos post annos ab eorum ordinatione ». *Ratio*: progressus tum sacrae tum hu-

manae disciplinae, idem problema ponit tum iunioribus tum senioribus presbyteris; immo, provecta aetate gravescit in dies difficultas.

N. 6, pag. 21, lin. 18. Loco « habeant », dicatur « habent ».

Lin. 33. Loco « considerent », dicatur « considerant ».

Lin. 35. Loco « cordi sit », dicatur « cordi est ».

Pag. 22, lin. 14. Loco « revereantur », dicatur « reverentur ».

Lin. 16. Loco « adhaereant », dicatur « adhaerent ».

Lin. 18. Loco « adimpleant », dicatur « adimplent ».

N. 7, pag. 23, lin. 33. Loco « uniantur », dicatur « uniuntur ».

Lin. 35. Loco « dent », dicatur « dant ».

N. 7, pag. 24, lin. 4. Omittantur verba « magni momenti est ut ».

N. 7, pag. 24, lin. 6. Loco « adiuvent, ut... sint », dicatur: « adiuvant, ... sunt ».

Lin. 8. Loco « vigeat oportet », dicatur « viget ».

Lin. 14. Loco « suscipiant », dicatur « suscipiunt ».

Lin. 15. Loco « adiuvent », dicatur « adiuvant ».

Lin. 17. Loco « satagant », dicatur « satagunt ».

Lin. 18. Loco « prosequantur », dicatur « prosequuntur ».

Lin. 19. Loco « revereantur », dicatur « reverentur ».

Lin. 21. Loco « conferant », dicatur « conferunt ».

Lin. 22. Loco « collaborent », dicatur « collaborant ».

Lin. 24. Loco « obliviscantur », dicatur « obliviscuntur ».

Lin. 25. Loco « colant », dicatur « colunt ».

Lin. 31. Loco « conveniant », dicatur « conveniunt ».

Linn. 39 s. Loco « necesse est aliquam vitam communem... foveri », dicatur « aliqua vita communis... fovetur ».

Pag. 25, lin. 11. Loco « sciant », dicatur « sciunt ».

Lin. 14. « Loco « prosequantur », dicatur « prosequuntur ».

N. 8, pag. 25, lin. 23. Loco « sint », dicatur « sunt ».

Lin. 35. Loco « Presbyteros igitur sic oportet praeesse », dicatur « Presbyteri igitur sic praesunt ».

Pag. 26, lin. 4. Loco « sectentur », dicatur « sectantur ».

Lin. 7. Loco « neglegant », dicatur « neglegunt ».

Lin. 30. Loco « agnoscant », dicatur « agnoscunt ».

Lin. 31. Loco « promoveant », dicatur « promovent ».

Lin. 33. Loco « habeant... audiant », dicatur « habent... audiunt ».

Lin. 34. Loco « considerent », dicatur « considerant ».

Lin. 36. Loco « agnoscant », dicatur « agnoscunt ».

Lin. 40. Loco « aestiment », dicatur « aestimant ».

Pag. 27, lin. 4. Loco « sint », dicatur « sunt ».

Lin. 7. Loco « obliviscantur », dicatur « obliviscuntur ».

Lin. 11. Loco « meminerint », dicatur « memoria tenent ».

Lin. 13. Loco « sciant », dicatur « sciunt ».

N. 9, pag. 27, lin. 35. Loco « recolant », dicatur « recolunt ».

Linn. 36 s. Loco « cordi esse debere », dicatur « cordi esse ».

Lin. 39. Loco « praebeant », dicatur « praebent ».

N. 10, pag. 29, lin. 37. Loco « cordi sit », dicatur « cordi est ».

N. 11, pag. 31, linn. 10 s. Loco « sanctificandi officio tenetur », dicatur « sanctificat ».

Lin. 12. Loco « devoveat », dicatur « devovet ».

N. 11, pag. 31, lin. 30. Mutetur praepositio « ob » in « propter ». *Ratio*: praepositio « ob » innuit fere semper — apud classicos — causam « peiorativam » (v. g. difficultatem aliquam).

N. 11, pag. 32, linn. 11 s. Loco « ad suos fines pastorales », dicatur « plene conscia suorum finium pastoralium ».

Linn. 14-16. Loco « attingendos, vehementer hortatur omnes presbyteros ut... tendant », suadetur « attingendorum, congaudet et congratulatur omnibus presbyteris qui... tendunt ». *Ratio*: exhortatio in gratulationem mutata, cum nobiliores cordis sacerdotalis fibras attingat, magis obligat (cf. *Phil.* 2, 17; etc.).

N. 12, pag. 32, lin. 27. Loco « satagant », dicatur « satagunt ».

Pag. 33, lin. 2. Loco « recordentur », dicatur « recordantur ».

Lin. 13. Loco « excitent », dicatur « excitant ».

Lin. 15. Loco « impetrent », dicatur « impetrant ».

Lin. 18. Loco « imitentur », dicatur « imitantur ».

Lin. 22. Loco « colant », dicatur « colunt ».

Lin. 27. Loco « sint... consistat », dicatur « sunt... consistit ».

N. 13, pag. 34, lin. 5. Loco « habeant », dicatur: « habent ».

Lin. 6. Loco « meminerint », dicatur « memores sunt ».

Linn. 7-8. Loco « si agnoscant quod agant », dicatur « quia agnoscunt quod agunt ».

Lin. 15. Loco « quaerant », dicatur « quaerunt ». Item lin. 18.

Lin. 25. Loco « habeant oportet », dicatur « habent ».

Lin. 31. Loco « crescat... radicetur », dicatur « cresceret... radicaretur ».

Lin. 35. Loco « uniatur », dicatur « uniretur ».

Lin. 33. Loco « penetret », dicatur « penetraret ».

Nn. 14-17, pag. 35-41. Cf. folium de consiliis evangelicis.

N. 14, pag. 35, linn. 29-30. Loco « habeat oportet », dicatur « habet ».

Pag. 36, lin. 42. Loco « inhaereant », dicatur « inhaerent ».

Pag. 37, lin. 1. Loco « perseverent », dicatur « perseverant ».

Linn. 7-8. Loco « a presbyteris... postulandum... custodiendum », dicatur « presbyteri... postulant... custodiunt ».

Lin. 22. Loco « adiuvare possunt », dicatur « adiuvant ».

Lin. 29. Loco « faciant », dicatur « faciunt ».

Lin. 36. Loco « sciant », dicatur « sciunt ».

Pag. 38, linn. 3-4. Loco « eluceant... fugiant », dicatur « elucent... fugiunt ».

Lin. 5. Loco « disponant », dicatur « disponunt ».

Lin. 10. Loco « instanter invitantur ad sentiendum », dicatur « sentiunt ».

Lin. 15. Loco « abrenuntient », dicatur « abrenuntiant ».

Lin. 18. Loco « considerent », dicatur « considerant ».

N. 15, pag. 38, lin. 28. Loco « tendant », dicatur « tendunt ».

Lin. 34. Loco « persentiant », dicatur « persentiunt ».

Lin. 39. Loco « agnoscant », dicatur « agnoscunt ».

Lin. 40. Loco « sequantur », dicatur « sequuntur ».

Pag. 39, lin. 3. Loco « sint », dicatur « sunt ».

Lin. 5. Loco « omittant », dicatur « omittunt ».

Lin. 13. Loco « faciant », dicatur « faciunt ».

Lin. 16. Loco « faciant », dicatur « faciunt ».

Lin. 26. Loco « existiment », dicatur « existimant ».

Lin. 28. Loco « componi debent », dicatur « componuntur ».

N. 17, pag. 40, lin. 28. Loco « uti debent », dicatur « utuntur ».

Lin. 33. Loco « moderentur... destinent », dicatur « moderantur... destinant ».

Pag. 41, lin. 2. Loco « adhibeant », dicatur « adhibent ».

Lin. 6. Loco « velint », dicatur « volunt ».

Lin. 7. Loco « habeant », dicatur « habent ».

Lin. 9. Loco « impendant », dicatur « impendunt ».

Lin. 11. Loco « vitent », dicatur « vitant ».

Lin. 13. Loco « abstineant », dicatur « abstinent ».

N. 19, pag. 42, linn. 11-15. Loco « omnes... Presbyteros hortatur, ut... sint... deprimantur », dicatur « omnibus... Presbyteris congaudet et congratulatur qui... sunt... deprimuntur ».

Lin. 16. Loco « meminerint », dicatur « memores isti sunt ».

Lin. 29. Loco « necesse est ambulare », dicatur « ambulant ».

N.B.: Ubi ratio mutationis vel omissionis non indicatur, subauditur semper idem: ad vitanda incommoda exhortationis.

3. *De consiliis evangelicis.*

N. 14, pag. 35, linn. 25 s. Mutetur titulus: dicatur: « De vita interiore presbyteri », et immediate interponantur ea quae sub n. 15 (pag. 38, lin. 26 ad pag. 39, lin. 30) inveniuntur. *Ratio*: et proprio suo loco praxis consiliorum apparebit, et perplures repetitiones vitabuntur.

N. 14, pag. 35, lin. 31. Praecedat has lineas novus numerus et titulus, sic: « 15. [De consiliis evangelicis in vita presbyteri] ». Deinde, sequatur: « Perfecta propter Regnum caelorum... » etc. *Ratio*: interpolatio quae supra suadetur, hoc postulat.

N. 14, pag. 35-37. Quae de perfecta continentia hic dicuntur, omissis repetitionibus concisius et nervosius desiderantur. *Ratio*: extensio quae castitati tribuitur, incongruens est relate ad alia consilia evangelica (per 79 lineas

castitas protenditur, paupertati vero 23 et oboedientiae 18 lineae conceduntur). Tum proportio extensionis relate ad alia consilia, tum ordo (primum inter alia), suggerere videtur longe per prius habendam esse continentiam — cuius contrarium non modo non est in se malum, sed et Deum habet auctorem et a Christo Domino ad integrandum sacramentum evectum est.

Permixtio idearum et repetitiones expungantur, quod omnibus servatis conceptibus facere fas est, si aliquis ordo servatur. En, v. g., omnes conceptus primae partis (a pag. 35, lin. 31 ad pag. 36, lin. 31) sub aliquibus capitibus digesti:

Continentia perfecta gignitur a caritate (pag. 35, lin. 33; pag. 36, linn. 1-3; pag. 36, linn. 4-6) ut donatio sui. Ex quo, missio servitii (pag. 36, linn. 15 s.; cf. pag. 36, lin. 1 [facilius]; pag. 36, lin. 12 [liberius]; pag. 36, linn. 14 s. [expeditius, integre]).

Item, simul est caritatis signum (pag. 35, lin. 33), scil.: signum donationis suae (pag. 36, linn. 4-6) et proinde missionis servitii (pag. 36, linn. 15 s.; pag. 36, linn. 21-23).

Item, signum est exempli Christi (pag. 36, linn. 10 s.) et mundi futuri (pag. 36, linn. 24 s.).

Subsidia ad custodiendam castitatem (pag. 37, linn. 9-26), ad duas vel tres lineolas reduci possunt, vel etiam omitti, praesertim si transferuntur, ut suasum est, ea quae sub n. 15 schematis inveniuntur, ante n. 14. Sic etiam vitantur repetitiones.

N. 14, pag. 35, linn. 36-38. Vel expungatur ab « uti apparet » usque ad « presbyteri coniugati », vel solidiora argumenta praebeantur (scil. e Sacra Scriptura et Traditione). *Ratio*: quae dicuntur de coelibatu, etiam valent pro Orientalibus.

N.B.: Verba linn. 35 s., « etsi non exigatur a sacerdotio suapte natura », transferantur ad pag. 36, lin. 35, post vocabulum « coelibatus »: est eius ordo logicus.

N. 14, pag. 36, linn. 28-31. Omittantur hae lineae. *Ratio*: nihil novi addunt iis quae iam dicta sunt, praeter insistentiam in eo quod « aptiores fiunt » (cf. supra, pag. 36, lin. 1; pag. 36, lin. 12; pag. 36, linn. 14 s.), quae insistentia Orientalium auribus offensiva sonari potest.

N. 14, pag. 36, lin. 38. Loco « vigentem itaque legem... comprobatur », malumus « vigentem itaque coelibatum... comprobatur ». *Ratio*: ex dictis in textu, sequitur non tam legem vigentem quam coelibatum ipsum sacerdotalem *quoad omnes suas partes* laudandum et approbandum esse (= « comprobat »). Vigens enim lex corrigi potest — etiam in melius et strictius — quin tamen momentum et necessitas coelibatus sacerdotalis minuatur. Valor perfectae continentiae, non a Iure derivatur, sed ab eius dimensione christologica et ecclesiali.

N. 14, pag. 36, lin. 35. Post « coelibatus », transferatur hic (e linn. 35 s. pag. 35) « etsi non exigatur a sacerdotio suapte natura ». *Ratio*: verba haec suum proprium locum logicum invenient.

N. 14, pag. 37, linn. 11-26. Ab « inter illa vero... etc. » usque ad finem, vel reducantur ad 2 vel 3 lineolas, vel omittantur. *Ratio*: iam dicta sunt in n. 15 schematis, nunc, post translationem propositam, n. 14.

N. 14, pag. 38, lin. 7. Huc transferantur numeri 16 et 17 schematis (a pag. 39, lin. 31, ad pag. 41, lin. 13). *Ratio*: incongrua extensionis proportio inter dicta de castitate et paupertate, minuitur.

Materia de qua agunt n. 16 (aequa remuneratio presbyteris providenda) et 17 (de recto usu bonorum), sub lumine consilii evangelici de paupertate ponitur (cf. quae in textu dicuntur in fine n. 17, pag. 41, linn. 9-13).

N. 14, pag. 38, linn. 8-25. Aliquantulum amplius evolvantur ea quae de oboedientia in textu adiacent. Prae oculis habeatur dari etiam aliqua veluti oboedientia Deo in eventibus, quatenus videlicet Providentia Dei voluntatem suam nobis manifestat non modo ope iussus Superiorum (lin. 17: « prout iam supra dictum est », scil. n. 6, pag. 21-23), sed etiam ope concatenationis circumstantiarum seu rerum evolutionis. Hominis Dei est motus Spiritus in rebus discernere et voluntatem divinam in eis obsecundare.

126

EXC.MUS P. D. PASCHALIS QUAREMBA
Episcopus Gallipolitanus

In pag. 19 n. 5, ubi de studio ad praecipua officia status sacerdotalis agitur, adderem in lin. 35 haec verba: « ... presbyteri bene noscant oportet Magisterii ac praecipue Romanorum Pontificum documenta, necnon quae de presbyteris in Concilio Vaticano II dicta sunt, atque consulant optimos etc. ».

In pag. 27 n. 9 agitur de « apta presbyterorum distributione ». Episcopi omnes hanc aptam presbyterorum distributionem desiderant, sed quaenam methodus sequenda est? Consilium vel imperium?

Quando in aliqua dioecesi presbyteri, etsi plurimi, bene vivunt, eorum loca ac officia relinquere nolunt; experientia docet quod ad nihil exhortatio episcopi et animarum necessitas valent.

Humiliter propono ut presbyteri in suo munere et in aliquo loco non plus quam quinque annos permaneant, ita ut hac firma et generali regula omnes presbyteri ad oboediendum episcopo parati sint, et ubi magis necessitas erit, transferri possint.

Mutatio quinquennalis locorum et munerum, abnegationem sui in sacerdotibus producit et zelum animarum excitat.

In pag. 40 n. 17 agitur de « recto usu bonorum ». Si bonorum ecclesiasticorum administratio in manu singulorum sacerdotum manet, numquam haec erit iusta et aequalis, quia cupiditas etiam corda sacerdotum afficit, et in administrandis bonis non semper recta conscientia adest.

Cur omnia bona ecclesiastica singularum dioecesium in unica administratione non cumulentur, et ab hac distribuentur aequaliter singulis sacerdotibus?

Humiliter propono, saltem in Italia, ut omnes proventus ecclesiastici, cuiuscumque naturae (congrua, supplementum congruae, stipendia Missarum, legata, proventus lectionum religionis in scholis, adventitia etc.) in officio administrativo nationali vel regionali cumulentur; et officium istud unoquoque mense pro rata personis, cultui addictis, eos distribuat ope officii administrativi dioecesani, consideratione habita gradus, aetatis, etc. uniuscuiusque.

Hoc modo aviditas officia lucrativa occupandi, et inaequalitas iurium sacerdotum auferentur.

127

EXC.MUS P. D. ANTONIUS QUARRACINO

Episcopus S. Dominici Novem Julii

Aliquas considerationes intendentes n. 14 perficere, in id quod refertur ad coelibatum sacerdotalem, exprimere vellem. Quod sub numero isto continetur verum est et in genere subscribi potest; sed certe est incompletum et alia dicenda sunt. Si sacerdotibus traderetur de hac materia tantum quod in schemate dicitur, certo certius delusi essent; ex alia autem parte, nemo est qui nesciat quod multoties dictum et scriptum est atque ab experientia docetur, nempe quod circa illam materiam multae praeoccupationes episcoporum, multa problemata sacerdotum, multi dolores Ecclesiae oriuntur. Non possumus oculos claudere et tantummodo viginta lineolas schematis repetere. Breviter propono:

1. Loco dicendi de « lege » coelibatus, de « charismate virginitatis » est loquendum. Vox illa « lex » minus propria esse videtur. Loquamur de oblatione totali Deo, cuius radix est amor Dei in anima infusus. Memores etiam simus quod si est donum Dei, functio Ecclesiae est recognoscere huius doni existentiam (charisma recognoscitur, non imperatur). Utique donum homo iureiurando personali, ergo libero, sigillat, recognoscente et acceptante Ecclesia. Voces « charisma » et « lex » non facile componuntur. Si haec oblatio, pura, plena et libera — quod charisma est — non adest, loqui non possumus de vera coelibatus assumptione; et tunc hic in onus insuperabile convertitur. Paucis verbis: breviter, sed profunde, positive et pulchre radix et sensus theologici coelibatus sacerdotalis exponantur, tamquam fructus generositatis, instrumentum absolutae disponibilitatis in manibus Ecclesiae et expressio viva et efficax paternitatis spiritualis sacerdotis.

2. Nemo est qui nesciat praeclarissimam historiam coelibatus sacerdotalis sed etiam dolenter scimus tristissimas pagellas in ea adesse. Opus est illis attentionem praestare, intus legere et lectiones deducere. Propter absentiam illius plenae « liberae voluntatis » de qua loquitur schema, propter rationes psychologicas et etiam spirituales difficillime explicatu et quae saepe saepius in provincia mysterii reponendae sunt, coelibatus in vita sacerdotali multorum desideratur, et necessarium est Ecclesiam materne solutionem his

dolorosibus casibus vel situationibus praestare. Si possibile non est quod in hoc sensu Concilium expediatur, saltem petere debet a futura commissione Codicem reformatura, maximam attentionem huic problemati, et inter alia, haec puncta prae oculis habere tamquam Concilii suggestiones vel desiderata:

a) Illa quae dicitur « reductio ad statum laicalem », quae revera alio modo est appellanda, exempli gratia « discessus a ministerio sacerdotali », saltem propter differentiam erga laicos in hac hora eorum conditionis in Ecclesia rehabilitatione, ab ipso Ordinario, serio studio et analysi, fiat, communicatione facta Sanctae Sedi huius discessu. Revera, praeter rationes theologicas, ut ita dicam, in paternitate et auctoritate episcopi fundatas, est ratio practica: difficultas nempe comprehensionis alicuius realitatis concretae et vivae per folias et a longe praesentatae;

b) huius naturae discessus, nullo modo implicare debet a vita christiana et a sacramentis avulsionem.

3. In schemate saltem insinuari debet necessitas vel obligatio, ante ordinationem sacerdotalem, durante theologico curriculo, examinis psychologici psychicae maturitatis quod maximam certitudinem praestet existentiae pleni actus liberi in assumptione coelibatus. Iusiurandum vel compromissum per se non plenam libertatem creat vel significat; ex alia parte, scimus libertatem humanam pluribus elementis (factoribus) psychicis et etiam biologicis conditionatam esse.

Humiliter puto quod ex his breviter expositis, profunda viventia — ut dicitur — et plenius testimonium coelibatus oriretur, veri dolores Ecclesiae et animarum vitarentur et — convenientibus perspectisque explicationibus — nullum scandalum (contrario sentio) populo christiano gigneretur.

[*Subscripserunt etiam*] A. Devoto, ep. Goya; M. Blanchoud, ep. Rio Cuarto; R. Caceres, ep. Melo; G. Huyghe, ep. Arras; E. Pironio, ep. tit. Ceciri; J. Podestà, ep. Avellaneda; R. Primatesta, arch. Cordoba; E. Angelelli, ep. tit. Listra.

128

REV.MUS P. D. EDUARDUS GABRIEL QUINT

Praefectus apostolicus Veihaiveiensis

N. 12. Post verba circa celebrationem Missae addatur aliqua clara monitio circa cultum S. Eucharistiae praebendum, etiam extra sacrificium Missae, quem cultum verbo et exemplo fidelibus etiam doceat. *Ratio*: post publicationem Encyclicarum litterarum *Mysterium Fidei,* experientiam dolendam fecimus, apud sacerdotes, Religiosos et fideles, cultum Eucharisticum iam diminuisse non pauce. Agitur de cultu extra Sacrificium Missae. Quomodo sacerdos potest dicere Sororibus, adorantibus extra Missam: quid hic facitis, missa iam finita est; sicut vellet dicere Christum non plus adesse in

Eucharistia. Pro Ecclesia in mundo hodierno, ubi tot a sacerdotibus et fidelibus rogantur labores, hoc adiutorium evanescere. Sed hoc Sacrum Concilium ut specialiter pastorale, non potest, mea humili sententia, non remedium addere huic defectui non parvo.

129

EXC.MUS P. D. ALBERTUS GAUDENTIUS RAMOS
Archiepiscopus Belemensis de Para

Cf. supra pag. 437.

130

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS RENDEIRO
Episcopus tit. Benepotensis, coad. c.i.s. Conimbricensis

Ad nn. 6, 14, 17 et 18. Schema optime confectum est, nam clare in lucem veritatis ostendit et ministerium et vitam presbyterorum.

Ad vitam nempe quod attinet mihi liceat specialiter extollere ea quae de sanctitate sacerdotali in schemate dicta sunt.

In n. 14 iure meritoque asseritur sanctitatem Ecclesiae et, peculiari ratione, sanctitatem sacerdotum ad praxim consiliorum evangelii reducenda esse.

Attamen cum de perfecta continentia seu de coelibatu per longum et latum in ipso n. 14 agitur, de oboedientia ac de paupertate sermo insufficiens videtur.

Certe omnes nos agnoscimus perfectae continentiae momentum, sed consilia paupertatis ac oboedientiae non minus aestimanda sunt.

Ad oboedientiam quod attinet textus schematis in n. 6, pag. 22, linn. 15 ss., exhortationem Sanctissimi D. N. Pauli Pp. VI refert ad sinceram caritatem et oboedientiam erga episcopum, non tantum in his rebus quae praecipiuntur sed etiam quae commendantur. Et fundatur haec exhortatio in participatione ministerii episcopalis et canonica missione.

Oboedientia sacerdotalis fundanda est etiam in illa perfecta consecratione ad servitium Ecclesiae, qua sacerdos omnia reliquit ut Christum sequatur. Et ideo in vita sacerdotali oboedientia non potest exprimi nisi per totalem disponibilitatem in manibus Ecclesiae ut inconditionaliter bonum ipsius Ecclesiae prosequatur. Hoc in textu clare explicandum est.

Ad paupertatem mihi liceat aliqua adiungere. Vere laudanda est illa propositio, n. 18, in qua de Praevidentia sociali in favorem presbyterorum agitur. Dignus est enim sacer operarius mercede sua, seu sustentatione, non tantum quamdiu validus laborat in vinea Domini, sed praecipue si vel infirmitate vel senectute confectus iam laborare non potest.

Optandum est ut quamprimum ad omnes sacerdotes et etiam ad familiares qui Ecclesiae servitio sese manciparunt, haec praevidentia efficaci modo extendatur.

Et sic iam humano modo omnes ad illam perfectionem paupertatis attingere valent, quae eis dicit non esse cogitandum de cibo aut de vestitu, et insuper non esse thesaurizandum super terram.

Potest insuper Ecclesia in sua peculiari legislatione de non thesaurizando accurate statuere, et de hoc in schemate iam oportet aliqua dicere. Nempe sicut non potest sacerdos in vitam familiarem ingredi per matrimonium, ita oportet ut non possit locupletari per thesaurizationem bonorum temporalium occasione ministerii sacri acquisitorum. Et hac in re oportet ut vera inhabilitas ab Ecclesia statuatur; sic enim de vita sacerdotum auferretur magnum illud impedimentum quod in cupiditate temporalium rerum invenitur. Et sic ad veram perfectionem Evangelii conformati, sacerdotes nostri in Ecclesia Sancta Dei efficaciter ministerium suum adimplebunt.

131

Exc.mus P. D. MAURUS RUBIO REPULLÉS
Episcopus Salmantinus

Schema *de ministerio et vita presbyterorum,* cui nostrum opus nunc consecramus accipi potest ut optima basis laboris ita tamen ut certi loci corrigantur et compleantur. Quattuor locos perspicere intendo:

1. Studium circa naturam sacerdotii (pag. 12, 13 et 14) theologice exile videtur. *Negative* enim tantum sacerdotium definit: ut episcoporum merus cooperator. En quaedam dictiones: « Rursus episcopi munus ministerii sui, subordinato tamen gradu, presbyteris legitime tradiderunt, ut sint, ad rite explendam missionem apostolicam sibi a Christo concreditam, providi cooperatores ordinis episcopalis... » (linn. 17-21 pag. 12). « Presbyter speciali modo Christo sacerdoti configuratur, ita ut, missionis episcopalis particeps factus, in persona Christi Capitis, Magistri, Pontificis et Rectoris, agere valeat... » (linn. 5-8, pag. 13).

Ut hae affirmationes roborentur schema paragraphum quaerit ex constitutione *Lumen Gentium* (linn. 21-30, pag. 12). Sed memores simus in illa quidem Constitutione de sacerdotibus loqui postquam de episcopis locutum est, et ut eorum cooperatores, sed in ea tamen natura sacerdotii non petitur, in nostro tamen schemate certe haec natura exarari debet.

Ut bene sacerdotii catholici natura stabiliatur proficiscendum est a doctrina Novi Testamenti unici Sacerdotii Christi, cuius nostrum sacerdotium — sive episcoporum sive presbyterorum — est participatio. Sacerdotes enim in Christi nomine, aeque ac episcopi, actionem fundamentalem cultus christiani, Sacrificium nempe Missae, conficient.

Ad hanc rationem, episcopatus plenitudo sacerdotii est. Sed tunc patet melius definiri episcopatum ex ratione sacerdotii quam e contra.

Sacerdotes non tantum theologice sed etiam psychologice, sibi honoratiores atque meliore animo videbuntur, si cogitant suum sacerdotium a Christi sacerdotio fluere, quam a sacerdotio episcopi.

2. Quaeruntur postea in schemate (pag. 14-19) tria officia sacerdotis ut cooperatoris episcopi (ministerium verbi, ministerium Sacramentorum, atque regimen populi Dei).

Ad finem n. 4 dici oportet — ut submisse sentio — in exercitio horum trium officiorum esse id quod *peculiare* et primum est missionis sacerdotalis.

Nunc ipsi ex se sacerdotes quaerunt qualis sit propria missio in Ecclesia, quae sit medulla suae actionis in ea. Expetuntur simul ex multis locis interdum, et ex multis ambitibus magni momenti, interventione directa in actione sociali ex suffectione, gestione necessitatum publicarum, vita administrativa et oeconomica eiusdem paroeciae, aedificationibus religiosis, scholaribus, etc., quae omnia non raro eorum animi attentionem capiunt et aliquando impediunt quominus se totos officio specifico in Ecclesia tradant.

Praeter horum trium munerum praedictorum exercitium, alia sunt quidem munera necessaria aut utilia. Ut talia erunt semper ordinis secundarii et ita effici debent ut nullatenus prioribus muneribus officiant, v. g. sacerdotes scientiis traditi, aut sacerdotes laboratores, etc.

In exsequendo tamen officio pastorali sacerdotum sunt quidem incoepta, sunt modi, sunt adiuncta vitae sacerdotalis, quae cum tempore progredi debent. In historia quidem et pro historia salutis operantur, quae iugem accommodationem exigit. Haec elementa quae mutationem subeunt, salva omnium temporum re substantiali, nova exempla et species sacerdotum praebere valent, progressu temporis. Sacerdos respiciat oportet vitam mundi, observet quid momento res quaeque habeat, incoepta vera progressus cultioris videat, a quibus alienus esse non potest.

3. Passim in schemate et perseveranter instatur in oboedientia sacerdotis erga episcopum. Iudicium fundamentale mihi videtur, quo dempto, nullum in Ecclesia opus esse potest. Sed reverenter peto ut sequentes addantur modi aut explicationes:

a) ut vitetur constans iteratio eiusdem notionis. De virtute nostrorum sacerdotum nos diffidere videmur;

b) ut significetur oboedientiam erga episcopum componi posse cum incoeptis et consiliis sacerdotis. Ut numquam sit sacerdos merus executor passivus sic, ut praecepta episcopi spectet ad inertiam relinquendam, ut a decretis episcopi pendeat ad opera aggredienda;

c) ut igitur indicetur fidelitatem erga episcopum *activam* et auctricem esse debere, non frenum sed stimulum operi sacerdotali, actricem sensus « responsabilitatis » pastoralis concretae, ante ingentes necessitates nostri temporis;

d) ut hanc oboedientiam episcopus in sacerdotibus suscitet, quo melius et concretius possit, studium commune movendo operae pastoralis in dioecesi et extra dioecesim, eo quod omnium est, et ad omnes attinet;

e) ut eadem oboedientia efficiatur sub necessitudine dialogi, unde episcopus suos sacerdotes personaliter noscat, eorum proprietates, problemata, necessitates; cumque eis loquatur non tantum de rebus administrationis, sed etiam de quaestionibus pastoralibus, de eorum personis, appetitionibus, propositis; et sacerdos possit exprimere proprias experientias, et inquietudines et desideria.

Quae ut exprimantur, fortasse sufficiat, si, servatis servandis, ad necessitudinem sacerdotis cum episcopo ea aptentur, quae scite dicitur in pag. 24 (linn. 28-29) de habitudine sacerdotes inter et laicos.

4. Exopto tandem ut ad finem schematis vel alio aptiore loco, universum collegium episcoporum in Concilio coadunatum, gratias agat sacerdotibus totius mundi propter eorum opus patiens et praestantissimum quod, magna quidem virtute et omnibus sacrificiis posthabitis, ipsi exsequuntur.

Sciant omnes sacerdotes, interdum non satis probati et tam iniuste et inliberaliter accepti, episcopatum eis consentire, et esse sancte elatum eo quod tales habent cooperatores.

[*Subscripserunt etiam*] Vincentius, ep. Santander; J. Guerra, ep. tit. Muzia; Jacobus, ep. Barbastro; Vincentius, arch. Oviedo; Anastasius, aux. Toledo; Laureanus, ep. Sigüenza-Guadalajara; Raphael, aux. Valencia; Maximinus, ep. tit. Orta.

132

Exc.mus P. D. ANTONIUS SAMORÉ
Archiepiscopus tit. Ternobensis

1. Videtur melius esse mutare titulum huius schematis ad *de vita et ministerio presbyterorum* et in hoc ordine rem tractare.

2. In n. 2, pag. 14, linn. 29-30, dicitur: « Primum quoque munus presbyterorum est, una cum episcopis eisque moderantibus, praeconium salutis omnibus annuntiare ». Videtur haec verba removenda vel modificanda esse. Revera, primum munus episcopi, *qua episcopi,* seu abstrahendo ab eius sacerdotio, est praedicatio Evangelii, et ad hoc munus explendum episcopus potest presbyteros delegare. Sed primum munus presbyteri, utpote sacerdotis, est sacrificium eucharisticum offerre.

3. In n. 3, pag. 16, lin. 10, addatur: « Uti asseruit S. P. Paulus VI in Litteris Encyclicis *Mysterium Fidei*: "Mysterium fidei, ineffabile nempe Eucharistiae donum, quod a Sponso suo Christo tamquam immensae caritatis pignus accepit, catholica Ecclesia veluti thesaurum, quo nihil pretiosius, sancte iugiter custodivit eique novam solemnissimamque fidei et cultus exhibuit in Concilio Vaticano II professionem" ».

4. In n. 15, pag. 39, lin. 11, addatur: « frequens accessus ad sacramentum Poenitentiae, convenientius apud eumdem confessarium ».

133

Exc.mus P. D. LUDOVICUS SANCHEZ-MORENO LIRA

Episcopus tit. Nilopolitanus, aux. Chiclayensis

Censeo hoc schema habere magnum valorem doctrinalem et practicum.

I. Laudo imprimis quod schema, spiritu missionario recte imbutum, considerat Sanctam Missam tamquam centrum ac radicem totius vitae sacerdotalis (cf. n. 13). Etenim Sancta Missa, nempe Eucharistia, vere est centrum ac veluti cardo vitae Ecclesiae. Haec omnia mihi videntur optima sed, quo melius pateat quomodo Sacrosanctum Missae Sacrificium sit reapse centrum ac radix vitae supernaturalis, aliquid est quod, meo iudicio, adhuc in clariore luce poni debet in schemate: scilicet relatio intima existens inter Sacrificium Missae et Crucem, seu inter actionem liturgicam, qua Christi cruentum Sacrificium renovatur, atque vitam abnegationis et crucis, quam sacerdos cum gaudio amplectitur. Qui participat Sacrificium Crucis, debet etiam suam facere dispositionem sacrificalem ipsius Christi, et eam in vita sua manifestare. Valor abnegationis et sacrificii personalis tantummodo intelligitur in relatione cum Sacrificio Christi.

II. Peropportuna quoque mihi videntur quae in n. 9 statuuntur ad faciliorem reddendam distributionem cleri in mundo universo et ad perficienda peculiaria opera pastoralia characteris specialisati. Quae in hoc numero dicuntur bene ostendunt sollicitudinem omnium Ecclesiarum, quae ad omnes presbyteros et animarum pastores peculiari ratione pertinet, et suum logicum complementum habent in iis quae in sequenti n. 10 statuuntur quoad presbyterorum curam de vocationibus sacerdotalibus. Etenim, etsi de hac re agatur etiam in schemate *de institutione sacerdotali,* uti dicitur in Relatione huius schematis, necessarium omnino est ut, in schemate ubi agimus de ministerio et vita presbyterorum, loquamur etiam de presbyterorum sollicitudine ac praecipua obligatione suscitandi, Deo utique adiuvante, vocationes sacerdotales et de ipsis curam agendi. Talis sollicitudo signum est amoris Ecclesiae et sacerdotii, quia ostendit quod presbyter suam missionem ita diligit, ut desideret habere multos adiutores et continuatores; et est etiam signum amoris animarum, quia haec sollicitudo sacerdotem ducit ad orandum et se abnegandum, necnon ad laborandum, ut populus Dei numquam careat sacerdotibus, qui eum pascant et ad Deum adducant. Ideo clare dici debet in hoc schemate quod haec obligatio incumbit in omnes sacerdotes, nullo excepto, quaecumque sit eorum dioecesis vel munus, quia agitur de obligatione directam relationem habente cum zelo animarum, qui nullos limites pati potest.

III. Associationes ad fovendam sanctitatem cleri saecularis in ipso exercitio ministerii (cf. n. 7) perutiles esse videntur, et nostris diebus ipsae magis

magisque extenduntur. Unus Pater in aula exposuit suum desiderium inserendi in schemate aliquam commendationem ut Pontificia Commissio Codici Iuris Canonici recognoscendo normas concretas condat quoad huiusmodi associationes, praesertim statuendo earum dependentiam a loci Ordinario vel, si de interdiocesanis agatur, a conferentia episcopali.

Huiusmodi propositio mihi reiicienda videtur, ob sequentes rationes:

1. Schema oneraretur normis iuridicis, quod multis Patribus minus placet.

2. Multae sunt associationum species, nam legitima viget ac vigere debet diversitas, iuxta diversitatem donorum Dei. Praeterea nihil obstat quominus aliae associationes sint dioecesanae, aliae vero nationales, aliae demum internationales: immo, in dioecesibus cleri penuria laborantibus — quae, pro dolor, multae sunt — associatio mere dioecesana difficile concipitur. His de causis videtur nullam normam condi posse quae legitimam diversitatem associationum non laedat quaeque insuper applicari possit omnibus associationibus, cum dioecesanis tum internationalibus.

3. Multum loquimur de presbyteris tamquam cooperatoribus Ordinis nostri, et merito dicimus nos in ipsis nostram fiduciam reponere. Sed necessarium est ut istam fiduciam non verbo neque lingua, sed opere et veritate manifestemus. Si ergo talem fiduciam habemus, cur volumus presbyteros nobis subiectos habere, quasi de infantibus ageretur? Si laicis merito agnoscimus ius condendi associationes easque moderandi (cf. schema *de apostolatu laicorum,* n. 19), cur hoc ipsum ius nostris presbyteris denegandum est?

4. Huiusmodi associationes, quae sanctitatem fovere intendunt, si quidem recto spiritu sint imbutae (qua super re vigilantia utique competit Ordinario, non secus ac pro qualibet alia societate fidelium), non solum detrimentum non constituent pro oboedientia disciplinae ab episcopo statutae, *sed contra,* quia confirmabunt ac roborabunt spiritualitatem saecularem et dioecesanam istorum presbyterorum.

5. Si episcopus sit non solum loci Ordinarius, verum etiam superior associationis, oritur periculosa permixtio fori interni et externi (quae permixtio accurate vitatur in C.I.C.). Idem dici potest si organum directivum seu organum gubernii istarum associationum esset Conferentia Episcopalis. Ex hoc sequeretur periculum:

a) *pro determinatione ipsius potestatis episcopalis* (nempe haud facile dignosci posset utrum aliquo in casu episcopus ageret qua Ordinarius an qua superior associationis);

b) *pro legitima clericorum libertate*: nam multi suum nomen darent illi associationi putantes se ita suo episcopo magis placere; difficile enim vitari posset ne presbyteri cogitent suum ordinarium eos qualificare prout pertineant ad talem associationem, haud vero pro ipsorum doctrina, pietate et zelo animarum. Praeterea conscientiae anxietates orirentur pro aliquibus sacerdotibus, qui putare possent se minus participare vitam presbyterii dioecesani, nisi tali associationi nomen dent: quod accurate praecavendum est. Ideo

ex hac coercitione libertatis multa mala sequentur, etiam pro bono spiritu associationis;

c) *pro unitate cleri dioecesani*: qui divideretur in presbyteros qui Ordinario oboediunt vi ordinationis et incardinationis atque presbyteros qui praeterea episcopum habent tamquam specialem Directorem suae vitae spiritualis, etc.

6. Si dependentia associationum desideretur propter timorem amittendi auctoritatem, medicina peior est quam ipsa aegritudo, nam, historia teste, nimius hierarchismus sive episcopalismus, ducens ad quandam speciem totalitarismi, ipsam auctoritatem pessum dat. Quapropter vitandus videtur erroneus conceptus auctoritatis: et erroneus in casu, meo iudicio, tum *iuridice* (quia agitur de confusione potestatum in eadem persona), tum etiam *psychologice,* nam cum cooperatoribus Ordinis nostri agere debemus — idque etiam ratione efficacitatis — non per *vim* et *mandata,* sed per *caritatem* et *fiduciam,* quae fiducia ducere debet ad agnoscendam eorum libertatem ac personalem responsabilitatem.

7. Neque dici potest hanc associationem sub directo moderamine Ordinarii necessariam esse propter responsabilitatem quam episcopus habet de suorum presbyterorum sanctitate, quia hoc idem argumentum pari iure applicari valeret laicorum associationibus. Immo vero, episcopus de multis aliis rebus curare debet, e. g. de presbyterorum valetudine: at nemini in mentem venit quod Ordinarius — qui iam multis aliis laboribus et curis oneratur — fieri etiam debeat Director alicuius nosocomii vel domus valetudinis pro sacerdotibus suae dioecesis.

8. Cardo totius quaestionis in hoc videtur esse: nostram potestatem atque auctoritatem ita exercere debemus, ut aliorum iura et responsabilitatem libenter agnoscamus.

134

Exc.mus P. D. IOANNES SAUVAGE

Episcopus Anneciensis

In n. 1, pag. 13, ligne 15 et ss.: puisqu'on parle de « sacrifice universel » pourquoi ne pas ajouter une formule qui exprime l'aspect d'offrande universelle de l'Humanité et de la Création? *Raison*: donner sa véritable dimension eschatologique à l'Eucharistie.

In n. 2, pag. 14-15: « Ministres de la Parole de Dieu ». On aimerait qu'il soit fait mention: 1) nécessité de connaître, d'étudier et de vivre la Parole de Dieu; 2) nécessité de la proclamer.

Pag. 14, ligne 38 et pag. 15, ligne 5 et ss. Ces deux paragraphes ne sont pas écrits en ordre logique. Ainsi « faire le catéchisme » se trouve dans le premier paragraphe alors qu'il pourrait se trouver mieux dans le deuxième « sur les façons de remplir ce ministère de la parole ». La liste de ces façons

est un peu courte; uniquement cultuelle. Elle devrait comprendre: la célébration de la Parole à la Messe, l'administration des Sacrements, le catéchisme, les différentes formes de catéchèse oralement ou par des écrits, dans les réunions du laïcat et même les contacts pastoraux de personne à personne.

In n. 2, pag. 14, ligne 41: au lieu de la formule proposée, une formule comme celle-ci: « en éclairant les questions actuelles à la lumière de la foi chrétienne ». *Raison*: la foi chrétienne comprend non seulement le contenu du N. T. mais celui de l'Ancien, réassumé à la lumière du Christ.

In n. 2, pag. 15, ligne 12: « La réponse des *auditeurs* présents »: le terme « auditeur » est impropre pour désigner les participants à la messe.

In n. 4: dans ce numéro on devrait insister avec plus de rigueur qu'on ne le fait sur le rôle du prêtre comme *serviteur* du Peuple de Dieu et rappeler plus expressément que l'autorité est un service.

In n. 4, pag. 17, ligne 28: dans cette incise sur la façon dont le prêtre éducateur de la foi, préciser à quels moments principaux peut se faire cette éducation de la foi par le ministère sacerdotal, dans la participation liturgique et les sacrements, les réunions, les contacts.

In n. 4, pag. 18, ligne 15: il est question des devoirs urgents pour le prêtre éducateur de la foi; mais on n'a pas mentionné, à côté de l'apostolat auprès des jeunes, des époux, des malades, un apostolat primordial où le prêtre est avant tout Educateur de la foi, c'est à dire l'aide à l'apostolat des laïcs et spécialement à l'Action Catholique. Peut-être faudrait-il noter ce rôle d'éducateur de la foi dans les œuvres de piété, les Tiers-Ordres etc., etc. ...

In n. 5, pag. 20: trouver une incise pour exprimer qu'il faut aussi que le prêtre étudie d'une façon attentive les évènements qui se déroulent pour en avoir une intelligence raisonnée. On a l'impression qu'un certain nombre de prêtres attentifs à suivre les prescriptions du Concile ne perçoivent pas assez, par manque de réflexion et de recherche, la signification humaine et religieuse des évènements qu'ils vivent.

In n. 5, pag. 20, lignes 32-33: compléter ce paragraphe en insistant sur l'ouverture d'esprit aux problèmes universels. En raison des moyens modernes de communication sociale, la mentalité internationale doit être une dimension universelle de toute pastorale sacerdotale.

In n. 6, pag. 21-23: l'essentiel est dit, mais mériterait d'être un peu développé. On souhaiterait que soit expliqué un peu la formule « coopérateurs de l'ordre épiscopal » ainsi que cette autre formule: « incardinés à une Eglise particulière » et encore « constituent un seul presbyterium et une seule famille dont l'Evêque est le Père ». Cela afin de mieux mettre en évidence le lien des prêtres à l'Evêque et des prêtres entre eux.

Comment doit se manifester le lien de charité surnaturelle à l'Evêque? Comment situer le problème de l'obéissance avec une nécessaire initiative? Il y a là des affirmations qui restent vagues.

Quelques manifestations de l'unité des prêtres entre eux seraient à noter.

On insiste plus sur la participation aux besoins matériels du diocèse que sur une unité d'action et d'orientation.

Les lignes d'une spiritualité du prêtre diocésain puisée dans ce lien à l'Evêque et aux autres prêtres auraient été bonnes.

En résumé, on ne situe pas assez le presbytérat par rapport à l'épiscopat.

In n. 6, pag. 22, ligne 16: loco « sincera caritate », dicatur « sincera et fideli caritate cum cooperatione et oboedientia adhaereant ». *Raison*: pour qu'on relie mieux l'obéissance à un mouvement qui vient de l'intérieur et qu'on ne contredistingue pas la charité de l'obéissance.

In n. 6, pag. 24, après la ligne 22: ne serait-il pas opportun de mentionner que dans le Presbyterium il y a aussi une hiérarchie en dépendance de l'Evêque: Archidiacre, Archiprêtre, Supérieur ou Curé, etc. ... Il existe malheureusement de fausses conceptions de l'autorité ou de l'obéissance: certains même, au sein d'une équipe, ne reconnaissent pas l'autorité du chef de l'équipe, c'est la majorité qui devrait faire la loi.

Ad n. 7, pag. 25, lignes 3-9: loco textus recogniti « magni quoque... » scribatur novus textus propositus: « Magni quoque habendae sunt et sollicitudini pastorali conferentiarum episcopalium committendae associationes quae, per aptam et convenienter approbatam ordinationem vitae et per iuvamen fraternum, sanctitatem presbyterorum in exercitio ministerii fovent, ideoque fidelem coniunctionem atque generosam cooperationem cum suo episcopo, necnon communionis sacerdotalis vinculum inter presbyteros roborent (cf. *Lumen Gentium,* 41); et sic toti ordini presbyterorum servire intendunt ». *Raison*: il importe beaucoup que le Décret situe les Associations sacerdotales de façon telle que les Evêques en soient reconnus collégialement responsables (et qui dit collégialement, dit en union avec Pierre); ils pourront ainsi mieux les aider à poursuivre la fin de sanctification pour laquelle l'Esprit-Saint les a suscitées dans l'Eglise. Les prêtres bénificieront de cette sollicitude pastorale:

Les prêtres qui, répondant à un attrait de grâce, se sont librement groupés pour s'entraider à mieux tendre vers la perfection évangélique dans l'exercice même de leur ministère éprouveront réconfort et garantie à leurs Associations ainsi organiquement rattachées à leurs Evêques; la constitution *Lumen Gentium* ne leur demande-t-elle pas, en effet, « surtout si au titre particulier de leur ordination ils portent le nom de prêtres diocésains, de se souvenir à quel point leur union dans la foi et leur généreuse coopération à leur Evêque concourent à leur sanctification » (*Lumen Gentium,* 42).

Mais, plus largement, c'est l'ensemble des prêtres qui bénéficiera d'une telle mesure. Elle leur permettra, en effet, de mieux comprendre que ces Associations, tout en étant facultatives de par leur nature même, ne se situent pas en marge de la profonde union sacramentelle qui rattache un clergé à son Evêque pour une même mission, et fonde un presbyterium; mais que, bien au contraire, elles aident les prêtres qui recourent à elles à se sanctifier « dans leur propre ligne de vie » (*Lumen Gentium,* 41). Par là même, elles sont au service de tout l'Ordre du Presbytérat et le font bénéficier par surcroît de

la richesse de leurs différentes traditions spirituelles, car l'Esprit est donné en vue du bien commun » (*1 Cor.* 12, 6-7).

Ainsi dans la diversité des vocations et des grâces particulières sera mieux assurée l'unité surnaturelle des prêtres entre eux et leur unanime conjonction au Corps épiscopal pour œuvrer, dans la joie de l'Esprit-Saint, à la mission de l'Eglise.

Si exaucer tous ces vœux était hier malaisé, la chose est aujourd'hui possible grâce à l'établissement des conférences épiscopales, et nous demandons que le présent décret confie les Associations sacerdotales de sanctification à leur sollicitude pastorale. La commission post-conciliaire de révision du Droit Canon recevra ainsi du Concile une directive qui lui permettra de mieux organiser ces choses pour le bien de l'Eglise.

In n. 8, pag. 26, lignes 20 ss.: avec raison on parle des droits des laïcs; mais ne faut-il pas en contre-partie parler des devoirs des laïcs envers leurs prêtres? Il semble qu'on doive être attentif à contrebalancer des affirmations qui sembleraient trop unilatérales (donner par exemple une référence au texte sur les laïcs qui parle de cette question).

In n. 9, pag. 27, lignes 16-19: il ne serait pas inutile de souligner la différence qu'il y a entre proclamer la vérité et prendre des options temporelles au nom de cette vérité ce qui est le propre du laïc et non du prêtre.

In n. 10, pag. 30, lignes 1-4: préciser dans cette notion de l'appel par l'Evêque le rôle important que joue le Curé qui tenant la place de l'Evêque fait en son nom la première démarche auprès de l'enfant ou de l'adolescent. N'y a-t-il pas à ce sujet un malentendu? Beaucoup de curés attendent que l'enfant exprime son désir d'être prêtre; alors souvent l'enfant n'ose pas exprimer ce désir ou même n'y a pensé que vaguement. Mais si on le met en face du Seigneur qui l'appelle aujourd'hui parce qu'il en a besoin, comme il a appelé Simon et André, il est capable de répondre généreusement oui.

In n. 13, pag. 34, lignes 1-2: il serait bon d'insister clairement sur la nécessaire hiérarchie dans les actes du ministère du prêtre. Il y a danger d'activisme ou même de structurations à l'extrême sans tenir assez compte de l'action de grâce divine et du Saint-Esprit. D'autre part, le prêtre doit prendre garde de s'adonner aux activités sans préjudice pour sa vie spirituelle et sa santé morale et physique.

In n. 13, pag. 34, lignes 5-6: importance du dialogue fraternel entre prêtres pour s'aider, s'encourager, s'ouvrir, en faisant, à l'occasion des évènements de notre vie pastorale, une révision de vie.

In n. 16, pag. 40, lignes 5-10: il est parlé des ressources financières pour rétribuer les prêtres. Mais où prendre ces ressources? Sinon dans la bourse des fidèles? Ne serait-il pas utile de noter cette obligation de justice de la part des laïcs? D'où nécessité pour les laïcs de s'organiser afin d'assurer la vie matérielle de l'Eglise et de ses ministres et d'établir une saine gestion financière sous la responsabilité de l'Evêque ou de ses délégués suivant le cas. Cf. St. Paul et l'enseignement du Christ. « Tout ouvrier mérite salaire ».

Veiller à ce que cela soit dit quelque part dans les textes conciliaires, ici ou ailleurs.

In n. 17, pag. 41, ligne 9: rappeler aux prêtres l'importance du testament; que la tâche d'éxécuteur testamentaire soit, en principe, confiée à un prêtre pour éviter les difficultés qui parfois rejaillissent fâcheusement sur la mémoire de prêtres pour lesquels les paroissiens avaient beaucoup d'estime.

135

Exc.mus P. D. GERARDUS SCHAFFRAN

Episcopus tit. Semneaensis, vic. cap. Vratislaviensis

Sat multae ex emendationibus relate ad schema *de ministerio et vita presbyterorum* a rev.mis Patribus in congregationibus generalibus anni praeteriti propositis in schemate uti hodie iacet receptae sunt. Tamen mihi videtur defectus praeprimis theologicos adhuc existere, qui ex nimia insistentia in charactere ascetico et ex oblivione elementi potius theologici ipsius coelibatus sacerdotalis resultant.

Hac de causa expositionibus laudabilibus huius schematis adnotationes quasdam addere vellem, quae inserviant coelibatus ulteriori fundamento.

Praeprimis in fundando coelibatum maxima attentione videndum erit, ne argumenta insufficientia praebeantur, ne fundatio resultet unilateraliter ex illo tendere ad perfectionem; multo magis ipsa fides fundamentum offerat argumentationi in favorem coelibatus. In constitutione *de Ecclesia* consilia evangelica procul dubio exponuntur in dimensione alicuius signi eiusque significationis. Schema autem nostrum *de ministerio et vita presbyterorum* relate ad coelibatum has optimas formulas proh dolor in effectum non deducit.

Exemplum do: in pag. 35, linn. 22 ss. refertur propositio ex constitutione *de Ecclesia*: « Ecclesiae sanctitas proprio quodammodo etc. » (cf. const. dogm. *de Ecclesia,* n. 39). Sine ullo dubio haec enuntiatio in ordine signi interpretanda est, cum in eodem contextu ipsa constitutio affirmet: « Quae consiliorum praxis... praeclarum in mundo fert, et ferre oportet, eiusdem sanctitatis testimonium et exemplum ». In schemate autem nostro illa dimensio signi consiliorum quodammodo supprimitur, cum conclusio nimis facilis statuatur: Sacerdos cum « peculiari ratione ad sanctitatem vocetur, peculiari quoque in honore huiusmodi consilia habere » debet. Modo potius inintelligibili transitus instituitur a sanctitate Ecclesiae in illud tendere ad sanctitatem sacerdotis. Vellem dicere coelibatus etiam est medium pro tendere ad sanctitatem sacerdotis, sed praeprimis sacerdotes in testimonio et exemplo modo eminenti sanctitatem Ecclesiae repraesentare debent. Homo vocationi ad sanctitatem diversimode respondere potest — etiam in matrimonio, quia coniuges modo peculiari ad sanctitatem vocantur, uti patet ex constitutione *de Ecclesia* sub n. 41.

Ulteriora adnotare debeo: pag. 36, linn. 12-14 sic sonat, ut expressiones

« liberius », « plenius », « expeditiores », « aptiores » occasionem dent interpretationi ambiguae. Etiam constitutio *de Ecclesia* in nonnullis locis loquitur de homine christiano, qui « gratiae baptismalis uberiorem fructum percipere » potest, qui « consiliorum evangelicorum professione in Ecclesia liberari intendit ab impedimentis, quae ipsum a caritatis fervore et divini cultus perfectione retrahere possent... divino obsequio intimius consecratur » (cf. const. dogm. *de Ecclesia,* n. 44). Sed illae expressiones melius adhibitae sunt et nullo modo periculum adducunt, ita ut sacerdotes coniugati ecclesiarum orientalium in expressionibus « plenius, expeditiores » et « aptiores » coniicere possint se parvi haberi. Facile enim interpretari possent illam expressionem « aptiores » eo sensu, se minus aptos esse, cum sacerdotes non-coniugati « plenius » et « expeditiores » divino servitio fungantur. Illa ambiguitas interpretationis non tollitur verbis in pag. 35 sub lin. 36 usque ad lin. 38 prolatis, quae affirmant coelibatum non essentialiter resultare ex sacerdotio. Confer in textu schematis: « non exigatur a sacerdotio suapte natura uti apparet ex praxi Orientalium, ubi sunt optime meriti presbyteri coniugati ».

Secundum spiritum Oecumenismi evitanda est etiam possibilitas alicuius falsae interpretationis, quia convenientia sacerdotii et coelibatus demonstranda alio quoque modo exponi potest. Etiam laicus, legendo hunc textum schematis nostri quaerere posset, an matrimonium et dilectio Dei, necnon matrimonium et servitium pro Ecclesia sic se habeant, ut dimensio matrimonialis praecise recedere debeat, ita ut caritas et servitium praecise perfectiora fiant. Opinio traditionalis, sed nihilominus falsa!

Procedam ad pag. 36, linn. 14-30. Illa dimensio signi sacerdotalis coelibatus insufficienter sed verbis sat aedificantibus insinuatur.

Certissime, missio sacerdotis integra dedicatur servitio novae humanitatis, quam Christus per Spiritum Sanctum suscitavit, quaeque « non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis » originem habent; sed quaero, quaenam relatio illorum verborum cum coelibatu sacerdotali viget?

Dimensio illa signi coelibatus sacerdotalis in schemate etiam hoc modo interpretatur, quod sacerdotes « signum vivum efficiuntur illius mundi futuri, per gratiam et fidem iam praesentis, in quo filii resurrectionis neque nubent neque ducent uxores ».

Recte dicitur, coelibatum esse signum eschatologicum, sed expositio sic fieri debet, ut evitetur falsa interpretatio, matrimonium hisce in terris quandam imperfectionem significare. Traditio interdum superioritatem perfectae castitatis extollere conata est, describendo coelibatum vitam hisce in terris « quasi-angelicam ».

Concludo. Tres sunt defectus in argumentatione schematis nostri pro coelibatu:

1. Momentum asceticum in argumentatione pro coelibatu nimis extollitur.

2. Periculum non omnino excluditur, ut sacerdotes coniugati orientales (immo forsitan coniugati in genere!) devalorizentur.

3. Illa dimensio signi in coelibatu sacerdotali non sufficienter tamquam

significatio Christi sacerdotis ut sponsi Novi Foederis concipitur. Circumscribitur tantummodo illa dimensio signi in propositionibus ambiguis et sat aedificantibus.

Propono. Textus iterum corrigendus erit, necnon attendatur illa dimensio signi coelibatus. Accuratam propositionem Secretariatui competenti tradidi.

Fine finaliter, venerabiles Patres, benigne accipiatis humiles meas animadversiones, memores sacerdotum nostrorum « pondus diei ac aestus » (*Mt.* 20, 12) portantium, ut coelibatus, qui signum exstat unionis nostrae cum Christo, signum sit insuper fraternae nostrae communionis.

* * *

14. (Olim n. 15). De consiliis evangelicis in vita presbyteri. Sacerdos, utpote qui peculiari ratione ad sanctitatem sit vocatus, peculiari quoque modo sanctitatem Ecclesiae in vita sua repraesentare debet; quod, ut ex varia universalis Ecclesiae disciplina patet, multimodis fieri potest. Sed proprio quodam modo apparet Ecclesiae sanctitas in praxi consiliorum, quae evangelica appellari consueverunt (cf. const. dogm. *de Ecclesia,* n. 39). Quae quidem consilia convenientem, immo et eminentem viam ad hanc peculiarem obligationem exsequendam sacerdoti praebent.

Propterea in Ecclesia occidentali ius viget ad sacerdotium eos tantum admittit, qui se, speciali Dei gratia, ad coelibatum vocatos esse profitentur. Minime vero reprobatur diversa praxis Ecclesiarum orientalium, quorum presbyteri, haud aliter ad peculiarem sanctitatem vocati, alio tamen modo vocationem suam explent atque ita Ecclesiae sanctitatem repraesentant. Non enim exigitur coelibatus a sacerdotio suapte natura, multimodam tamen cum sacerdotio convenientiam habet.

Presbyteri enim, vi sacramenti Ordinis, Christo, summo atque aeterno Sacerdoti, configurantur et ideo Eum repraesentare debent, conformes fieri imaginis Eius prae ceteris cupientes (cf. *Rom.* 8, 29).

Christus qui virginitatem in hac vita semper servavit, humanum genus in Ecclesia arcano connubio sibi coniungens, Populum Dei ad aeterna nuptiarum sollemnia perducit (cf. *Apoc.* 19, 7 s.; cf. const. dogm. *de Ecclesia,* n. 6, pag. 28). Sacerdotes ergo, exemplum Eius sequentes et coelibatum fideliter custodientes, Christum Ecclesiae Sponsum coram credentibus repraesentant, eunuchi facti propter Regnum caelorum (cf. *Mt.* 19, 12).

Christus qui semetipsum exinanivit (cf. *Phil.* 2, 7 s.), apostolos suos vocavit ut Eum imitarent, ignominiam crucis cum Eo portantes (cf. *Mc.* 8, 34; *Hebr.* 13, 13). Sacerdotes ergo, coelibatu Dominum directo ac proximo modo sequentes, exinanitionis Eius signum irrefutabilem coram mundo erigunt, et, quam semper commendant virginitatis viam, fidelium mentibus vivendo annuntiant.

Christus qui fidem ad salutem esse necessariam declaravit, apostolos suos fidem non solum verbo sed etiam vita (et exsistentia, ut aiunt) voluit praedicare. Sacerdotes ergo qui in persona Christi praeconis munus exercent, fidem

suam eminenter significant, cum, solummodo in verbo Domini confidentes, coelibatus viam sequuntur. Omnia enim argumenta quae ex utilitate quadam aut ex opportunitate Ecclesiae afferri consueverunt, licet alicuius sint momenti, praeexcellentiam coelibatus, immo et convenientiam eius stricte probare non possunt.

Christus qui, novus Adam, pater factus est novi generis, quod non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo natum est (cf. *Io.* 1, 13), naturalis generationis munus non suscepit. Sacerdotes ergo, vi sacramenti signum novi Adae effecti, itidem supranaturalem Novi Testamenti fertilitatem coelibatu convenienter significant.

Signa novi regni a Christo Iesu nuntiata, non sunt vacua Symbola, sed, licet alia aliter, efficiunt quod signant. Ideo coelibatus tamquam magnum fidei signum permultas gratias tam sacerdotibus quam fidelibus conferre potest, si intimo et puro corde adimpletur. Haec enim perfecta propter Regnum caelorum continentia quam Ecclesia semper magni fecit, signum est et stimulus caritatis atque peculiaris fons spiritualis foecunditatis in mundo (cf. const. dogm. *de Ecclesia,* n. 42).

136

EXC.MUS P. D. IOSEPH SCHNEIDER
Archiepiscopus Bambergensis

Ad art. 6, pag. 21, linn. 39 s. Clausula « aptiore quam nunc viget modo » sonat damnationem quandam vigentis formae coetus sacerdotum, qui episcopum in regimine dioecesis adiuvant. Talis damnatio vel minus bona qualificatio *modo nimis generali* pronuntiari mihi videtur. Nam membra capituli cathedralis, quae v. g. secundum ordinem plurium dioecesium nostrarum consilium generale episcopi constituunt, episcopum modo vere efficaci in regimine dioeceseos adiuvant. Inde necessarium videtur, ut dicta clausula fere hoc modo substituatur: « Ut vero id ad effectum deducatur, habeatur forma ac normis iure determinandis et quantum opus sit hodiernis adiunctis accommodandis coetus sacerdotum... ».

137

EXC.MUS P. D. PAULUS LEO SEITZ
Episcopus Kontumensis

N.B.: les Notes présentes visent le « Textus recognitus » même quand il reproduit littéralement le « Textus emendatus », parce que nous n'en avons pas eu connaissance avant; nous nous excusons donc de ce qui, loin d'ici, paraîtra discussion anachronique de sujets dépassés.

C'est une satisfaction non seulement de voir que les Prêtres font enfin l'objet d'un Décret, comme tant de nous l'avaient demandé, mais encore de

trouver un Schema bon dans son ensemble. La première partie surtout est réussie — sous réserve des remarques qui suivent —; la seconde partie est très différente, plus faible, plus étirée (notamment longueur disproportionnée du texte relatif aux biens matériels: 3 §!); il est notoire que les Animadversiones des Pères concernant la Vita (pag. 57 s.) sont sans grand intérêt par rapport à celles concernant le Ministerium.

Remarque préliminaire. Sous le titre « presbyteri » il semble qu'il faille entendre *tous* les prêtres de l'Eglise, y compris les religieux (cf. pag. 24, ligne 5) et les Missionnaires; cependant il apparait que la majorité des textes ont été rédigés en fonction du clergé séculier diocésain ordinaire; les prêtres religieux et les prêtres missionnaires peuvent ne pas s'y sentir très à l'aise. Certes il est question d'eux dans leurs Décrets respectifs, mais ils devraient pouvoir se *situer* ici. Les remarques concernant le Prooemium sont de nature à y remédier.

Prooemium. Les lignes 5 à 10 sont bonnes et denses, contenant l'essentiel du sujet, notamment la Mission, qui a marqué fortement la première partie du schéma (on l'y trouve 9 fois dans le § 1).

Lignes 16-17, « efficacius »: il vaudrait mieux parler de l'*authenticité* du ministère que de son efficacité, dont le sens est ambigu.

A la ligne 8 le prêtre est défini par le ministerium; on pourrait dire plus à ce sujet.

L'habit (c'est-à-dire l'état) fait le moine et la fonction fait le prêtre; il convient alors que celui-ci se mette dans un état en rapport avec sa fonction (ce qui n'est que la réalisation exigée par sa consécration): soit l'état religieux, soit l'état missionnaire, soit l'état séculier, l'état du monde, mais vécu avec un absolu d'exigence; ainsi on peut avoir une fonction du monde dans une situation sacrée (le cultivateur-trappiste) ou une fonction sacrée dans une situation du monde (le prêtre-artisan, professeur...).

Ce qui fait le prêtre c'est le ministère, c'est à dire le service, la fonction; et c'est pourquoi le schéma commence très justement par cela, la vie du prêtre en découlant. Ce ministère est le ministère même du Christ, Serviteur de Yahweh, Serviteur souffrant.

Le prêtre est le liturge; sa fonction (sa liturgie, au sens large du grec antique) est d'édifier le Temple spirituel, le Corps du Christ, par le visible signifiant l'invisible (cf. Constitution *de Liturgia,* § 2). Par là on rejoint le texte de *Rom.* 15, 16 (qui est étonnement absent du § 1 de notre schéma, pourtant riche en réminiscences scripturaires).

De tout cela il y aurait peut-être quelque chose à dire, soit dans ce Prooemium, soit dans un nouveau paragraphe — qu'on intitulerait: le Prêtre dans le Peuple de Dieu — en le joignant à ce que nous proposons (infra) d'ajouter au § 1 du schéma.

De Ministerio. § 1, pag. 12, ligne 19, « missionem apostolicam »: tautologie à ne pas conserver dans le texte définitif.

Ligne 24: « cum eis... coniuncti sunt »: il serait plus rigoureux de dire

qu'il n'y a qu'un seul Sacerdoce de la Loi Nouvelle: celui du Christ, auquel participent évêques et prêtres, ceux-là en plénitude, ceux-ci en collaboration; ce qui fait mieux voir que le milieu de la « conjonction » ce n'est pas l'évêque mais le Christ.

Pag. 13, lignes 1 à 8: « peculiari initiatione sacramentali indiget »: la formule n'est pas heureuse (au sujet des sacrements « initiation » à un autre sens); on pourrait au moins la préciser en ajoutant: « quod consecrationem novam (par rapport à celle du baptême) constituit ».

« Christi... Pontificis et Rectoris »: ajouter: « perpetuo agentis » (cf. Constitution *de Liturgia,* § 7).

Dans cette comparaison du sacerdoce des baptisés et du sacerdoce des prêtres il serait peut-être profitable de distinguer le sacerdoce comme état de tout chrétien, configurant au Christ, et le sacerdoce comme fonction, au service du Peuple de Dieu, et que ce sacerdoce-ci est avant tout grâce (vocation, consécration, mission).

Pag. 14, lignes 3 ss.: cette précision, ajoutée, sur les deux pôles de l'existence du prêtre était nécessaire. Toutefois l'expression n'est pas aisée, mais comme réticente; ainsi (ligne 13) « persentientes mentem hominum eorumque vitam » est faible, on peut percevoir tout en étant distant, absent, alors qu'il s'agit de partager leur condition, avec ses peines et ses aspirations, sa détresse et sa grandeur.

Si riche que soit ce §, il lui manque de se référer au texte définitif de *Rom.* 15, 16 qui révèle la nature du sacerdoce nouveau du Prêtre de l'Evangile, texte de base sans lequel il est inconcevable d'élaborer un Décret conciliaire sur le Sacerdoce de la Nouvelle Alliance.

Tel que les destinataires de l'Epitre aux Romains pouvaient l'entendre le texte signifie littéralement ceci: « (la grâce de Dieu m'a fait être) fonctionnaire (leitourgon) du Christ Jésus auprès des peuples, accomplissant la fonction sacrée (hiérourgounta) de l'Evangile de Dieu, afin de produire l'offrande (prosphora) des peuples acceptable et sanctifiée dans l'Esprit Saint ».

Leitourgon connote une fonction publique (pour ne pas dire « ministère public »); on est prêtre pour les autres, au service du Peuple; hiérougounta reprend la notion de fonction et y ajoute le caractère sacré, et plus précisément même: sacrificiel.

Un tel liturge est a Christo ad homines et ab hominibus ad Deum. Ce double mouvement, qu'il exécute en accomplissant sa fonction, est la raison de la bipolarité signalée plus haut, la solution dynamique et cultuelle de la dialectique de sa situation.

Le prêtre est liturge du Christ auprès des hommes pour rendre, par le « culte évangélique », leur offrande acceptable par Dieu, offrande d'ailleurs qu'ils essayaient déjà de présenter par leurs cultes païens et que le culte évangélique transfigure et ainsi achemine et achève.

En quoi consiste cette « hiérurgie » de l'Evangile? C'est la réalisation sacramentelle de la Bonne Nouvelle, c'est à dire une action sacrée qui signifie

visiblement ce qu'elle produit invisiblement: le rassemblement des hommes en une communauté dans le Christ (« Il est venu rassembler ce qui était dispersé ») et la sanctification de cette communauté par la mort et la renaissance (« sauver ce qui était perdu », sauver par la Croix).

Telle est exactement la fonction du prêtre, le culte évangélique, la religion en Esprit et en Vérité que Dieu veut. On voit donc que ce culte n'est pas que rituel, comme les cultes anciens, puisque non seulement coextensif à toute l'existence il va jusqu'à constituer réellement le Corps vivant du Christ avec ceux qui croiront en Sa Parole et recevront son Evangile; il n'est pas que spirituel et intérieur puisqu'il se réalise sacramentellement en une célébration visible. Le culte nouveau n'est pas purement formel comme les cultes anciens, mais il demeure rituel, ce qui ne s'oppose pas à culte intérieur, de la Foi; le culte évangélique est à la fois l'un et l'autre, car le Christ a pris de la boue pour guérir l'aveugle et du pain pour l'Eucharistie, car le Christ (qui a recommandé et donné l'exemple de prier seul et en silence) a enseigné de dire « Notre Père », donc ensemble; ce que manifeste si bien le 4ème évangile en montrant Jésus à la fois Magister et Pontifex, sa prédication étant toujours prise dans un cadre liturgique.

Hiérourgounta to evangelion, culte sacrificiel et prédication de l'Evangile (ergon et logos): ce caractère « total » de la « fonction sacrée de l'Evangile » est à signaler et à souligner dans notre schema car il est essentiel au sacerdoce de la Nouvelle Alliance. Hors de cette perspective totalisante faisant voir dans le prêtre le liturge complet du Christ, on risque d'avoir une conception étriquée du culte limité à des rites et isolé de la prédication (verbis et exemplis), et inversement de ne pas voir que la prédication est un acte cultuel: le prêtre prêche pour édifier, édifier le Temple spirituel, le Corps du Christ, le Corps eucharistique (qui, dans notre économie, exige la réalisation sacramentelle).

Prédication-direction et célébration-vie exemplaire, composantes de la fonction sacerdotale, manifestent l'Energie unique qui inspire l'existence du liturge; l'Esprit-Saint et sanctificateur, sanctificateur de l'offrande que le liturge fait de lui-même et des peuples, en toute situation et en tout acte de son existence.

Si les nécessités de l'exposition conduisent à séparer Vita et Ministerium, et en ce dernier Prédication, Célébration et Direction, c'est une raison de plus pour poser d'abord la base solide de la nature totalisante du sacerdoce évangélique, à laquelle d'ailleurs on sera conduit à se référer tout au long du Décret, cette emprise de l'Esprit du Christ sur tous les aspects de l'existence sacerdotale faisant l'unité de l'exposition parce qu'elle fait l'unité même de cette existence. C'est en cela que le sacerdoce chrétien est nouveau, unique, échappant aux classifications parce qu'épiphanie du Mystère: le rassemblement des hommes sanctifiés dans le Christ.

Le culte évangélique est manifestation, per verba, acta et passa, d'un

nouvel ordre de choses pour y insérer les hommes et les offrir, renouvelés, à Dieu.

La vie sacerdotale est tout entière célébration du culte évangélique (hiérurgie); attitudes et paroles du prêtre sont des signes, son existence un « lieu » privilégié de la Rencontre du Christ (« Montre-nous le Père - Tu me vois! »). Les « œuvres » de la vie du prêtre ne sont que des points d'application de l'Œuvre évangélique à des situations séculières, pour les transformer, quasi les transsubstancier.

§ 2, pag. 15, lignes 5 à 9: on essaie là de réunir ce qu'on a séparé: ministère prophétique et ministère cultuel; mais en disant que celui-là est exigé par celui-ci on a l'air de dire que la prédication n'est pas un acte cultuel, alors que non seulement comme homélie liturgique mais sous toutes ses formes elle est hiérurgie. Prêchant et célébrant, le prêtre, pneumatophore, manifeste « sacramentellement » l'Esprit agissant du Christ; mais l'exposition des latins minimise habituellement l'action de l'Esprit-Saint.

§ 4. Le deuxième alinea est bon, soulignant notamment le peu de profit des cérémonies extérieures si la communauté chrétienne n'est pas élevée à l'âge adulte, ainsi que la nécessité de former la personnalité originale de chaque chrétien. Peut-être aurait-on pu dire davantage de la fonction sacerdotale de direction spirituelle et des aptitudes qu'elle requiert.

Pag. 18, lignes 27 ss.: c'était le lieu de dire explicitement que c'est à l'autel d'abord que les prêtres sont Rectores Populi Dei: ce qui aurait l'avantage de relier mieux les trois fonctions analysées.

Lignes 24-26: « spiritum communitatis... spiritum vere (sic) catholicum... »: voilà un exemple de la minimisation signalée plus haut. Dans l'Eglise, l'esprit de communauté c'est l'Esprit-Saint. Fovere (ligne 23) et infundere (ligne 26) cet Esprit est précisément la fonction du prêtre, pneumatophore, qui a mission de porter le Feu sur la terre pour l'illuminer et la réchauffer d'Amour.

Au schema XIII on signale que notre monde actuel a besoin d'un supplément d'âme; c'est exactement ici que se situe la réponse à ce besoin. Le prêtre est Rector Populi Dei en tant qu'il est agent de la spiritualisation du Monde (l'expression grecque est plus dynamique: pneumatisation); il est l'instrument de l'Esprit qui, comme Il a formé le Christ Jésus en Marie, forme le Monde (ce qui du Monde Le reçoit) en Eglise — « renovabit faciem terrae ». L'Esprit agit et dans le prêtre guidant les fidèles et en ceux-ci dont les charismes sont à respecter. La fonction centrale du prêtre, ministre du Christ, est de porter Son Esprit, Souffle divin qui donne à la communauté l'impulsion catholique et missionnaire. Enseignant, le prêtre est inspiré pour communiquer l'Esprit du Christ; célébrant, le prêtre réalise sacramentellement l'œuvre de l'Esprit créateur et sanctificateur qui transforme les fidèles en Corps eucharistique du Christ offert à la gloire du Père; dirigeant, le prêtre met les fidèles sous la conduite de l'Esprit qui élève, éduque, amène à la taille adulte, vers la plénitude propre à chacun.

Cette façon de présenter les choses donne toute sa place à l'Esprit-Saint dans l'Eglise et met le prêtre à sa place, médiateur transparent, serviteur effacé, tout entier possédé par l'Esprit et tout entier donné aux hommes.

Or dans les trois § du schema consacrés aux trois aspects de la fonction sacerdotale tout cela est condensé dans les deux seuls mots « in Spiritu » de la page 17 ligne 9; il faut reconnaître que c'est trop peu. Il est notoire que le schema souligne le rôle de l'Esprit dans la « vita » (§ 15: « sub inspiratione Spiritus Sancti, vivificari a Spiritu Sancto, iuxta inspirationem Spiritus Sancti ») et dans l'exhortation finale, mais non dans le « ministerium », comme si l'on pouvait traiter du ministère à part et de son Inspiration quasi par surcroît, ce qui ne favorise pas l'unité interne de l'existence sacerdotale et risque de dénaturer un ministère essentiellement pneumatique.

Pour y rémédier on pourrait, au moins, ajouter à la fin du § 4, comme conclusion de l'analyse de la fonction sacerdotale, l'essentiel de ce qui est dit dans le paragraphe ci dessus: « Au schema XIII ».

§ 5. Ce § qui se réfère au sujet du Decret « de Institutione sacerdotali » devrait en porter la marque par un renvoi explicite; on espère qu'il y a concordance.

Pag. 20, ligne 20: « ad pervestigandum theoretice et practice... »: on pourrait préciser encore, en souhaitant que des prêtres se consacrent à la recherche (scripturaire, œcuménique, pastorale, missionnaire, ...).

Cette réestimation de la science pour le prêtre est une très bonne chose, mais il y aurait peut-être lieu à cette occasion de rappeler l'essentiel: c'est Dieu — non la science — qui donne l'efficacité et c'est dans la mesure où le prêtre sera fidèle à l'Esprit, à l'écoute de l'Esprit, que sa science portera des fruits apostoliques.

§ 6. Il est très heureux qu'on ait souligné le lien des prêtres avec tout l'Ordre épiscopal (et cela en vertu même de leur participation à l'unique Sacerdoce du Christ), ce qui permet d'étendre au prêtre le souci missionnaire de l'Eglise universelle (cf. pag. 13, ligne 5); on pourrait rappeler ici que c'est le Christ, Source et Modèle unique, qui est le lien vivant et dynamique entre tous ses ministres. Le prêtre n'est pas lié au Christ par l'évêque (comme un médiateur), mais au Christ dans la participation à l'Ordre des évêques.

Pag. 23, lignes 3-4: « limites dioecesis praetergredi »: il y a là une direction nouvelle à explorer; les besoins réels actuels, aussi bien de la pastoration que de la mission, réclament cette souplesse; ce qui aura nécessairement des répercussion sur la notion (à réviser) de l'incardination (cf. infra).

§ 7, pag. 24, ligne 19: « revereantur aetatem »: il n'était vraiment pas utile d'ajouter ce mot au Textus emendatus; si l'expérience et la vertu sont dignes de respect, l'âge n'a rien à y voir; quand on devient âgé on n'y peut rien, ce n'est pas toujours signe d'une expérience riche et d'une lucidité profitable à de plus jeunes.

Pag. 25, lignes 3-9: il peut être opportun de faire ainsi allusion aux associations sacerdotales; mais, d'une part, « aptam ordinationem vitae »

est bien minimisant quand il s'agit en fait d'une consécration de l'existence sacerdotale en vue d'un don plus absolu en esprit religieux; d'autre part il ne faut pas se cacher que le besoin pour un prêtre diocésain de chercher une telle association extradiocésaine s'explique par une carence du presbyterium et une déficience de l'Evêque dans sa fonction de paternité spirituelle.

Lignes 10-14: « qui in quibusdam defecerint »: on se demande de qui il s'agit — il y a tant de façons d'être déficient! — On pourrait être plus explicite sur le sujet des prêtres qui refusent leur condition (depuis la faute passagère jusqu'à la rupture consommée) tant ils sont nombreux (que ce soit pour des motifs intellectuels ou sentimentaux). Ces lignes d'ailleurs seraient plus à leur place après la ligne 29 de la page 24. De plus il faut dire ceci: les prêtres, responsables de la fidélité dans le sacerdoce de leurs frères (surtout d'un même presbyterium) — leur premier « prochain » — s'efforcent de comprendre les difficultés les uns des autres, témoignent la plus grande sollicitude à l'égard de ceux que menace une rupture afin de l'éviter à temps et, si elle n'a pu être évitée, la réparent, pour leur part, par leur soutien fraternel, en se gardant de juger — car bien des prêtres ne seraient pas tombés si de leurs confrères s'en étaient souciés à temps.

§ 8. Le premier alinea souligne heureusement la communauté d'état du prêtre et du fidèle laïc: disciples et frères.

Pag. 26, ligne 13: « urbanitas »: ce terme païen est amusant mais ne convient pas ici, et puis il est vraiment trop méditerranéen.

Ligne 13: « aliaeque »: comporte probablement la Culture, mais celle-ci ne peut se contenter de ces « alia »; parmi les vertus humaines il faut dire explicitement que le prêtre doit être un homme cultivé.

Ligne 38: « probantes spiritus », ajouter: « sub ductu Spiritus Sancti ».

Pag. 27, ligne 5: « etiam »: c'est bien l'attitude commune de beaucoup de pasteurs, mais le ministère du Christ exige que l'on remplace « etiam » par « maxime ». Ce texte est un de ceux qui ignorent le prêtre missionnaire, or il doit s'appliquer à tous les prêtres donc aux missionnaires ad gentes, ce qui n'est pas le cas. Il ne suffit pas de répéter le mot Mission tout au long du schema (jusqu'à plusieurs fois par alinea au point de causer des répétitions inélégantes), il faut s'ouvrir à la réalité: les prêtres ont (et auront peut-être de plus en plus) affaire à des hommes qui ne connaissent pas le Christ. Dire plutôt (ligne 5): ils ont une prédilection (ou: la préoccupation de) pour ceux qui ne connaissent pas le Christ Sauveur, ils sont prêts à tout quitter (exemple du Bon Pasteur) pour aller à leur recherche et ils considèrent comme part de choix d'être spécialement consacrés à la Mission auprès des païens. Ce qui amène tout naturellement le § suivant, le dernier alinea du § 8 pouvant être supprimé car ce qu'il contient est déjà dit plus haut (notamment § 3 et 4).

§ 9, pag. 27, lignes 37 ss.: se rattache directement à ce qui vient d'être signalé ci-dessus, mais semble inspiré par la mesure d'urgence préconisée par « Fidei donum » qui ne saurait être une solution conciliaire; de toute

façon on ne peut conserver le terme « permittente »: un prêtre doit être *envoyé* en mission et il l'est par son Evêque — une permission est très loin d'être une mission!

Pag. 28, lignes 2-18: une réforme des normes d'incardination: on ne peut que souscrire à cette nécessité pour deux raisons principales: cas de ministère débordant le cadre du diocèse; cas de la mission en un diocèse autre que celui d'origine. Dans tous les cas le prêtre doit être incardiné; le tout est de voir où et comment. Pour cela il faut sortir de la conception étroite qui fut celle du C.I.C. de ces derniers temps; un renouvellement créateur est très concevable quand il s'agit d'un point de discipline.

Le prêtre est normalement ordonné par son Ordinaire propre; cela même le constitue en état d'incardination au presbyterium de cet évêque, incardination à un presbyterium et non à un territoire, le lien personnel n'étant pas exclusif comme l'est une limitation géographique; incardination qui n'est pas une pure entité juridique, mais une composante (qui a un aspect juridique) du sacrement de l'Ordre qui rend coopérateur de l'Ordre des évêques (et non nécessairement du seul Ordinaire ordonnant).

Le prêtre dont le ministère s'exerce (partiellement ou totalement hors du diocèse de cet Ordinaire ordonnant ne peut le faire authentiquement que par une *mission* de cet évêque, non pas mission en général, mais mission auprès d'un autre Ordinaire, mission reliant ce prêtre à un nouveau presbyterium; mission lui conférant une incardination seconde à ce presbyterium; ce que permet la non-exclusivité de l'incardination ainsi comprise et l'unicité de l'agent incardinant: le même évêque, qui ordonne et qui envoie.

L'incardination se présente ainsi comme un effet de l'ordination sacramentelle (en application de ce principe que l'économie de l'Incarnation exige le concret de l'insertion — le Verbe-fait-chair situé comme Jésus-de-Nazareth), effet dont l'application peut être modifiée par une mission (ou plusieurs missions successives) émanant de la Hiérarchie.

Dans ces conditions on voit bien qu'il n'est pas nécessaire de passer par la fiction juridique de l'« excardination » pour constituer, par une mission, le prêtre en état d'incardination seconde. Il n'est pas nécessaire non plus de recourir à l'entité juridique de la prélature nullius, incardinant sans incardiner; on a besoin d'une solution réaliste (et non d'un faux-fuyant) et articulée aux structures de l'Eglise.

Notre schema de Décret nous met sur la voie: « alia huiusmodi utiliter constitui possunt », ce qui révèle le besoin de faire quelque chose de neuf à ce sujet. De plus l'expression « praelaturae personales » rencontre cet aspect *personnel* de l'incardination que nous avons signalé plus haut; c'est bien dans cette direction qu'il faut chercher. Cependant les termes dans lesquels se limite ce § semblent encore trop conditionnés par la perspective d'un C.J.C., qui nécessite justement d'être réformé. Une extension donnée à la « prélature nullius » pourrait n'être qu'une solution bâtarde et provisoire, elle aurait de plus des conséquences redoutables pour les Instituts missionnaires des

prêtres séculiers qu'elle séparerait encore davantage du Corps épiscopal (cf. à ce sujet nos emendationes sur le schema « de activitate missionali Ecclesiae »).

Pag. 28, lignes 30 ss. et pag. 29, lignes 1-9: tout ce passage est à supprimer, ce que plusieurs Pères avaient demandé (cf. note G); tout ce qu'il a l'intention de dire se trouve, et amplius, dans le schema sur la Mission (qui semble ignoré par ce présent texte) auquel il suffirait de faire un renvoi en note — comme d'ailleurs il a été fait au § 10 suivant au sujet des « signes de vocations » renvoyés au schema « de institutione sacerdotali » (cf. note D page 57).

§ 10, pag. 29, ligne 41: heureuse mention des « adultiores », c'est là une voie d'avenir du recrutement sacerdotal.

Pag. 30, lignes 23-27: le réalisme chrétien n'est pas un optimisme; ce texte qui veut encourager les vocations est, en fait, faible et d'une psychologie un peu courte. Il vaudrait mieux situer le ministère sacerdotal sur la ligne d'un absolu de la conversion et de la consécration baptismale (pour que tout chrétien s'y sente sur la voie et peut-être appelé) et comme identification plus complète au Christ qui a souffert dans notre condition avant d'entrer dans la gloire du Père.

« Iuxta mentem hodiernam » (note E, page 57) on n'appâte pas des générosités en leur proposant des joies, mais on les oriente efficacement en leur donnant le sens fécond des inévitables peines que la fonction sacerdotale transfigure (pour soi et pour les autres).

De vita. § 11 — pag. 30, ligne 37 — « omnes ad sanctitatem vocantur »: si l'on termine le § 10 comme proposé ci-dessus on a ici une articulation naturelle entre les § 10 et 11 et surtout entre Ministerium et Vita: si par l'ordination le prêtre reçoit un ministère particulier dans le Peuple de Dieu, il partage avec tous les fidèles la condition de l'homme chrétien et sa vie n'est pas un phénomène aberrant mais un absolu dans la ligne de la condition de baptisé.

Pag. 31, ligne 4: « peculiari titulo »: on pourrait trouver un terme moins vague, v. g. au titre du Mystère de mort et résurrection qu'ils représentent.

Ligne 10: « se sanctificandi »: on ne *se* sanctifie pas, c'est l'action de l'Esprit; nous n'avons qu'à être « dociliores impulsui », comme c'est très bien dit à la ligne 29, et pour cela « castigo corpus meum » (ligne 14): voilà ce qu'on fait *soi-même*.

Les lignes 11 à 18 de la page 32 sont inutiles.

§ 12, pag. 33, ligne 9: « etiam non praesente populo »: c'est discutable, la Messe n'est pas un acte de piété personnelle; il ne revient pas à un Décret de souligner cela.

§ 13, pag. 33, ligne 40: les « progressus scientifici » viennent après les divertissements comme détournant de la vie intérieure! les hommes du xx siècle après J. C. ne sont pas plus superficiels que les hommes du xx avant J. C., bien au contraire. On ne peut maintenir la progression du texte: pro-

blèmes - divertissements - progrès scientifiques; cela semble refléter la traditionnelle méfiance ecclésiastique vis-à-vis de la science.

Pag. 34: trop d'exhortations; l'essentiel en est dit plus haut.

§ 14: meilleur que le précédent, notamment le « signum est » du 2[e] alinea (repris page 36, ligne 24).

Toutefois on peut regretter cette canonisation de l'expression « conseils » évangéliques (alors qu'ils conditionnent le salut éternel).

Pag. 35, ligne 29: « in honore consilia habeat »: ce latinisme de style semble un euphémisme quelque peu pharisien pour dire qu'on ne prend pas l'Evangile au sérieux et qu'on ne s'engage pas concrètement sur la voie de la croix.

Pag. 37, lignes 10 ss.: la psychologie nous enseigne aussi à mettre le *travail* au premier plan des valeurs « consolidantes » de l'homme; l'oisiveté menace plus d'un prêtre pour le conduire à la chute.

Pag. 38, ligne 4: ajouter: évitant ainsi l'aliénation (des œuvres) de l'Eglise par ceux qui détiennent les richesses et dont seule une telle fermeté rend indépendant (cf. note L, page 59).

§ 15, pag. 38, ligne 29: « oratione »: pourquoi avoir supprimé « continua » du textus emendatus? (la note A signale qu'un Père a demandé cette correction): l'expression et son sens sont hautement traditionnels, la correction connote une conception étroite de l'oraison.

Pag. 39, lignes 3-4: « missionem apostolicam »: supprimer cette tautologie (cf. supra, bis repetita in idem non placent).

§ 16: ce § et les deux suivants reflètent un terrénisme inquiétant, une prudence de ce monde, un souci de sécurité, un besoin d'assurance qui sont aussi peu évangéliques que grandement causes d'échec de la mission spirituelle.

Pag. 40, ligne 2 (et pag. 41, ligne 3): « honesta sustentatio »: voilà une expression bien païenne dans un schema dont, dans l'ensemble, le ton est autrement élevé; et puis cela ne signifie rien.

Ligne 6: « remuneratio » est du même goût.

Ligne 11: on a, avec sagesse, écarté la référence à *Act.* 6, 6, mais on a maintenu le « ministerium erga pauperes » qui est équivoque dans ce contexte. Qu'il s'agisse ou non de « diacres » en *Act.* 6, 6, il y est question du service auprès des veuves chez les Hellénistes, nullement de ramasser de l'argent pour faire l'aumône à des pauvres. De plus le « ministère auprès des pauvres » ne saurait consister en des sous donnés à des mendiants (« argentum et aurum non habeo... »).

Ligne 16: « reformato systemate beneficiali »: si le Concile ne l'abolit pas, les Assyriens s'en chargeront. Ce système, et toute la conception de la « condition » du prêtre, n'est pas plus réformable que supprimable, il doit être remplacé: ce que le prêtre touchait sans effort il le gagnera par son travail; à ce sujet il semble que le schema n'envisage comme travail du prêtre

que le ministère stricto sensu, passant à côté d'une question pourtant très réelle.

Pag. 42, ligne 4: « sine anxietate de sorte futura »: souhaitons que ces mots ne soient jamais publiés. Si les prêtres ont besoin d'être rassurés sur ce chapitre parce qu'ils refusent la condition des pauvres incertains du lendemain, c'est signe qu'ils sont des fonctionnaires intéressés et non des liturges du Christ; mais alors le reste du schema ne s'adresse pas à eux. Ce qui est dit ici des assurances sociales pour fonctionnaires ecclésiastiques jure avec ce qui est dit plus haut de la pauvreté; si ceci n'est pas hypocrisie, cela doit être corrigé.

On comprend qu'après cela on ait éprouvé le besoin d'une exhortation finale pour remonter la pente et ne pas terminer le Décret sur ce langage du monde (monde au sens de: ce qui fait poids et s'oppose au Royaume).

D'une part un Décret ne peut tout dire au sujet de la condition matérielle des prêtres: il n'est rien dit du travail du prêtre, ce qui a son importance; il n'est rien dit du cas des prêtres payés par l'Etat (ne serait-ce que pour désapprouver ce système). D'autre part il faut bien envisager cette question, la vie matérielle du prêtre ayant aussi valeur de *signe*. Cela pourrait être fait per altiora principia:

1) comme le Christ qui n'avait pas où poser sa tête, le prêtre partage la condition des pauvres gens et leur incertitude des lendemains, certains qu'aujourd'hui ils ne manqueront de rien;

2) le prêtre éduque les fidèles afin que ceux-ci comprennent leur devoir de l'aider à se procurer le même pain quotidien qu'eux, mais il les garde de considérer que le service liturgique se paie (conception des « intentions de messe » et du « droit d'étole » à réformer);

3) quand les fidèles sont trop pauvres ou trop peu nombreux, ou quand le prêtre exerce son ministère auprès de païens, il se livre à un travail lucratif compatible avec son ministère (au jugement des évêques, selon les conditions sociales et psychologiques);

4) l'Evêque, chef et père de ses collaborateurs veille à ce que la pauvreté de ceux-ci ne devienne pas indigence; pour ce il dispose de biens venant du diocèse ou de dons d'autres chrétientés;

5) tout ministre du Christ, considérant que le prêtre est son premier prochain, ne laisse pas ses frères dans le besoin, serait-ce à l'autre bout de la terre (envisager une répartition à l'échelle mondiale plutôt que des associations nationales qui maintiennent toujours les richesses dans la même région du globe);

6) le Concile rappelle aux prêtres la grandeur de leur vie dont l'efficacité est directement liée au dépouillement, et la valeur de cette vie comme signe prophétique que Dieu fait au Monde qui attend.

On pourrait s'en tenir là et se passer du § 19; sinon il faudrait au moins corriger:

Pag. 42, lignes 14-15: « labor sterilis viderit »: ... en supposant que les prêtres (à qui s'adresse l'exhortation) n'ont pas la Foi en le Mystère de la Croix. Il vaudrait mieux dire: qu'ils se méfient du succès apparent et se réjouissent de ces peines qui sont le signe de l'implantation authentique de l'Eglise (à rattacher à la situation du prêtre à l'autel, et au § 13).

Ligne 39: « non promisit perfectam in hoc saeculo victoriam »: c'est si mal dit que cela sous-entend un contresens sur « Ego vici mundum ». Au plan de l'Eglise pérégrinante sur cette terre il n'y a pas plus de victoire perfecta qu'imperfecta; c'est seulement le temps de la lutte de la lumière et des ténèbres. En perspective eschatologique (mais parfaitement réelle, plus encore même) la victoire est déjà entièrement acquise en le Christ total (source de l'espérance chrétienne).

138

Exc.mus P. D. FRANCISCUS SIMONS

Episcopus Indorensis

S. Eucharistia considerari potest ut signum et ut signatum quod est Christus.

Christus dici potest, ut in textu, ille ad quem « omnia Ecclesiae ministeria... ordinantur », in quo « totum donum spirituale Ecclesiae continetur », « centrum et fons vitae congregationis fidelium », etc., sed haec perperam adducuntur Eucharistiae ut signo, ut specifice huic sacramento. Christus, qui vere est centrum et fons vitae nostrae, etc. non tantum per Eucharistiam sed etiam multis aliis viis nobis obviam venit et funditus per fidem. Non expedit ergo S. Eucharistiae quasi soli ea omnia attribuere quae Christo Domino attribuenda sunt, ne sacramento ut signo nimis attribui videatur.

Idem dicendum est de textibus similibus in aliis locis, vel in hoc schemate pag. 33, n. 12, linn. 6-8.

Ad rem pertinent ea quae C. A. Ioachim Pillai O.M.I., Ceylon National Seminary, Kandy, scripsit in articulo "Missionary Dimension of the Liturgical Act" in The Clergy Monthly (India), July 1965, pag. 248, quorum versionem latinam hic addo: « Una in re magna adesse debet distantia (diversitas) inter religionem christianam et alias religiones, nempe in eius unitate totali vitae et liturgiae. Liturgia Christi erat ipsa Eius vita, passio, mors, et resurrectio. Liturgia christiani diversa esse nequit. Repraesentatio ritualis et ipsa partem habet, partem tamen modestam, ut expressio sacramentalis amoris Christi sese in sacrificium offerentis, quem christianus imitari debet vita sua qua vivit pro Deo in spiritu adorationis et gratiarum actionis, et pro proximo suo in spiritu servitii et fraternitatis ».

Exemplum est etiam S. Pauli apostoli qui de ministerio verbi et de christiana vita magis quam de ministerio sacramentorum sollicitus erat.

139

Exc.mus P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ
Episcopus Auriensis

Apud omnes in confesso est presbyteros in Ecclesia esse immediatos executores determinationum hierarchiae. Sine illorum opera episcopus esset, Pastor grege orbatus, Magister absque discipulis, Minister fidelibus privatus.

Nostrum Concilium Vaticanum quod societatem renovare intendit evangelico influxu, ipsorum opera peragere debet. Quod ut faciant maximis sunt difficultatibus immo et periculis praepediti propter confusionismum et hedonismum permeantem in vitam universam quibus et ipsi sunt obnoxii.

Inde est quod Concilium his egregiis laborantibus in vinea Domini remedia opportuna et viam sese liberandi a ruina et efficaciter cooperandi ad salutem fidelium clare ostendere debet.

Respondet schema huic necessitati? Verum est quidem perlucide doctrinam solidam tradere circa munera sacerdotis. Sollicitudinem etiam ostendit de vita spirituali presbyterorum, maxime confirmans sua auctoritate quae erant iam stabilita. Immo pulchras exhortationes continet ut moveat sacerdotes ad sanctitatem.

Nunc autem dubitare licet utrum satis sit hoc modo nimis impraeciso loqui et exhortatorio, i. e. utrum habeat illam efficaciam, quam exigunt adiuncta, et utrum hoc respondeat spectationi circa problema, quod merito dictum est ab em.mo card. Arriba, maximum omnium in Concilio.

Si nobis fas esset opinari, responsum hoc darem: schema dignum est approbatione; quia adeo solidam et pulchram doctrinam continet. Debet tamen perfici iuxta dicta. Nec satis est hoc relinquere singulis episcopis vel conferentiis, nam documentum Conciliare specialem vim habet, ut singuli episcopi auctoritate Concilii innixi praxim urgere valeant; et sacerdotes maiori cum veneratione ea adimpleant: et ratione universitatis conveniens firmitas adquiratur. Praeterea ad solemnitatem Concilii spectare videtur ut de tanta re, quae fundamentaliora sunt, presse statuantur.

Hac de causa nonnulla humiliter innuere audemus:

1. Concilium saltem commendare posset vehementer episcopis, ubi possibile sit, aliquem vel aliquos sacerdotes destinare, aliis bene visos, iurisdictione in foro externo circa sacerdotes carentes, in vitae supernaturalis directione conspicuos, ut saluti spirituali suorum fratrum consulant, sive per directionem spiritualem, per opportuna consilia, per visitationes amicales, praeparando recessus spirituales etc. Satis constat sacerdotes, maxime in pagis, nimis solos se vident ad superandas difficultates speciatim spirituales, quae periculosiores sunt pro iuvenibus quam pastorales.

2. In curso renovationis, qui opportune introductus est in schemate sub n. 5, maius momentum tribuendum est spirituali profectui, statuendo exerci-

tia spiritualia longiora peragenda, et hoc tempore durante vitam supernaturalem impensius curando. Nobis videtur in n. 5, nimis per transennam et indirecte tantum indicari, cum maximum momentum habeat. Nam si multas defectiones lugemus, ad nova remedia applicanda properandum est, nec nos conformari debemus praeteritis.

3. Eadem de causa exercitia spiritualia annualia praecipienda videntur, quod a plurimis Patribus in aula postulatum est.

4. Vitam communem Concilium denuo commendare oporteret, et illam faciliorem reddere dispensando vel suam voluntatem manifestando de convenientia dispensandi circa legem de residentia. Posset dari etiam episcopis facultatem illam aliquatenus quibusdam imponendi.

5. Associationes sacerdotum spiritualem profectum prosequentes, et suo Ordinario obsequentes, a Concilio enixe magis magisque commendandae videntur. Opportunum foret hos sacerdotes, modo ab ipsis associationibus stabilito, exemplum paupertatis et austeritatis fidelibus offerre, et aliis sacerdotibus voluntatem patefacere de non ambiendis excelsioribus vel ditioribus muneribus. Iterum haec nimis per transennam et incomplete proponuntur.

Haec omnia convenienter redacta, possent in n. 15 edoceri ubi de subsidiis ad vitam interiorem fovendam. Plurima autem communia ibi tradita omitti, seu remitti ad ea quae iam sunt in Ecclesia stabilita.

Non abs re esset, hac occasione ad erigendos animos presbyterorum, eis explicite agnoscere peculiarem statum perfectionis. Nam in Concilio significatur ipsos participes esse missionis episcopalis, cur ergo, salva etiam distantia, si placet, ipsius status perfectionis aliquatenus participes esse non agnoscitur? Logicum non videtur eos participare et in laboribus et in responsabilitate et in dicatione perenni Dei cum separatione a mundo, et in exigentia sanctitatis, quin in presbytero ista constituant ullum statum perfectionis. Distinctione facta inter statum canonicum perfectionis et theologicum possent diversa componi.

Tandem aliquas emendationes vel transmutationes in locis proponimus, commissioni subiiciendas:

Pag. 15, n. 3, lin. 30. Loco dicendi « conficiendis » dicatur « ministrandis ». *Ratio*: ne repetatur idem verbum, antea dictum.

Pag. 16, lin. 4. Quae ad finem dicuntur ad exercitium virtutum pertinens, aptius nobis videtur in n. 11 locum haberent.

Pag. 21, linn. 5-6. Ubi dicit « tum ad vitam spiritualem roborandam » ea hic omitti, et de his magis explicite tractare suo loco, ut dictum est.

Pag. 24, lin. 18. Loco dicendi « prosequantur », melius fore, putamus, scribere « inspiciant ». *Ratio*: qui sunt provectioris aetatis non necessario et semper debent « prosequi » incepta iuniorum.

Pag. 35, n. 14, linn. 35-36. Dicit « Etsi non exigatur a sacerdotio sua natura »; melius dicatur « Etsi non necessario sit cum sacerdotio coniunctus ».

Ratio: quia quandam exigentiam habere videtur, derivata ex summa dignitate et necessitate sanctitatis.

Pag. 35, n. 14, linn. 38-39. Dicit « multimodam tamen convenientiam ». Putamus melius diceretur « multimodam tamen habet convenientiam immo et exigentiam quandam ». Ex eadem ratione ac in praecedenti.

140

Exc.mus P. D. MESROB TERZIAN
Episcopus tit. Comanensis in Armenia

Mihi placet schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum* emendatum et adauctum iuxta propositiones praecedentis schematis atque animadversiones suggestionesque posteriores.

Natura, conditiones, dotes, sanctitas vitae, subsidia spiritualia, munera aliaque ad apostolatum necessaria clare exponuntur.

Mihi liceat tamen proponere aliquid peculiare practici momenti ad numerum 6 ubi agitur de habitudine inter episcopos et presbyteros.

Propono ut:

1. Propositio in pag. 21, linn. 18-21, ita scribatur: « Episcopi illos — cuiuscumque ritus sint — habeant ut veros adiutores et consiliarios in ministerio et munere docendi, sanctificandi et regendi populum Dei ».

2. Propositio in eadem pagina, linn. 32-35, ita scribatur: « ... Episcopi presbyteros suos, cuiusvis ritus, ut amicos considerent, eorumque bonum spirituale, immo et materiale, ipsis pro viribus cordi sit ». *Rationes*:

1. Cum fideles catholici orientalium rituum tum in Occidente tum in Americis versantes saepe saepius ordinariis sui ritus orbati sint, habent ut suos Patres et Pastores Ordinarios ritus latini. Itaque hi Ordinarii etiam orientalium catholicorum parochos orientalis ritus habeant sincero corde ut veros adiutores et consiliarios in ministerio et munere docendi, sanctificandi et regendi Populum Dei praesertim ritus orientalis, eo magis quod in illis regionibus orientales acatholici habent florescentem organisationem hierarchicam, atque catholici orientales alliciuntur frequentare illorum ecclesias, illorum communitatis centra, ubi inveniunt maius solatium rituale, culturale atque nationale, dum parochus catholicus eorum ritus — quamvis sit in regione catholica — ne ecclesiam neque aliquod centrum pro communitate sui ritus habeat, atque ita sit in « sensu diminutionis » qui magnopere nocet missioni catholicae. Hic status diminutionis parochorum ritus orientalis est contra « praestigium » Ecclesiae catholicae atque contra spiritum Oecumenismi qui prae primis inter catholicos debet vigere.

2. Consilium quod datur in pag. 21, linn. 32-35, valeat etiam pro Ordinariorum presbyteris ritus orientalis, qui saepe derelicti sunt. Ordinarii ritus latini ne consilium dent suis presbyteris ritus orientalis se inutiles red-

dendi pro suo ritu et communitate, ut postea eos integrent in ritu latino praetextu biritualitatis, sicut aliquando evenit; atque ne ita ipsi Ordinarii causa sint ut sui fideles orientalis ritus disperdantur sine parocho sui ritus aut adeant ecclesias orthodoxas, ubi solatium nationale inveniunt sed etiam a Fide catholica orbantur.

Itaque reitero propositionem meam: nempe verba supradicta ita scribantur ut propositiones valeant de presbyteris cuiuslibet ritus; itaque provideatur pastoraliter et oecumenice de parochis ritus orientalis versantibus in Occidente atque in Americis.

Ceterum gratias permultas ago venerabili commissioni pro tanto labore.

141

Exc.mus P. D. HYACINTHUS THIANDOUM

Archiepiscopus Dakarensis

Schema nobis propositum de ministerio et vita presbyterorum bonum laboris instrumentum est, quia redactum est attentis spiritualibus necessitatibus hominum qui multa a sacerdote exspectant. Itaque textus hic, qui ad sacerdotium Christi certius attendit, post emendationes a Patribus propositas, dignum documentum erit Concilii Vaticani II.

Tres sunt animadversiones quas suggerere intendam:

1. *De conversatione presbyterorum cum laicis.* Tota quaestio hic posita pagina vigesima quinta, n. 8, considerari potest ut applicatio numeri quarti de presbytero *fidei educatore.*

Scimus enim presbyterum saepissime habere nonnullas activitates quae possunt a laicis exerceri, ut sunt directio, administratio, animatio operum seu motuum, adiutorium technicum in operibus apostolicis. Sed ordinatio ad presbyteratum qua presbyter corporis episcoporum specialis cooperator constituitur, sacerdoti confert *specialem aptitudinem ut in ministerio et per totum ministerium educator fidei fiat.* In hoc non potest ab alio suppleri. Et educatio fidei ab eo data supponit presbyterum constanter in mente laicorum revocare significationem theologicam responsabilitatum missionalium et temporalium quaeque sint formae eorum vocationis.

Nequit vero presbyter — etsi ministerium eius multas cognitiones et specialisationes quasdam ad melius servitium exigit, — nequit tamen cognoscere omnes aspectus temporales quos sciunt laici militantes in actione catholica et sociali. Presbyteri quidem est, quaequae sint limites propriae scientiae, temporalem laicorum actionem spiritu ditare, et suscitare eorum navitatem, conscios eos faciendo omnium responsabilitatum eorum. Potest in campo morali — quia in campo spirituali simul — in omnibus difficultatibus eos sustinere.

Quis non videt momentum huius aspectus ministerii sacerdotalis dum Ecclesiae opus est laicorum formatorum.

In suo insigni nuntio ad organisationem nationum unitarum, 4 octobris currentis lecto, Papa Paulus VI sublineavit quantum momentum sit conscientiarum hominum suscitandarum ad solvendam in mundo quaestionem pacis. In regionibus progredientibus et in novellis Ecclesiis, conscientias suscitare ad responsabilitatem et homines ad generositatem etiam ad heroismum vocare, urgentes et necessariae progressionis conditiones videntur, tum ad evangelisationem, tum ad civilisationem.

Possumus sine dubio affirmare Populum Dei non esse minus generosum hodie quam heri atque iuniores generationes speciali modo solidarietatem sentire et grato animo accipere omnia quae habent internationales fines. Oportet tamen his motibus dare animam christianam et sine intermissione ad hoc laborare: est officium presbyteri.

His consideratis, paragraphus relationibus presbyteros inter et laicos dicatus, in n. 8 huius schematis, non satis in luce ponit consequentias practicas muneris presbyteri fidei educatoris. Ad meliorem textum proponam:

a) inseratur in paragrapho 3, lin. 30, sententia haec vel similis: « Educator christifidelium in fide, presbyter primo curabit se suscitare et custodire in eis conscientiam responsabilitatum baptismati et confirmationi inhaerentium; eis ostendere volet claram visionem sensus theologici vocationis laicorum, atque stimulare navitatem eorum in servitio Dei et oeconomiae iustitiae et caritatis Dei in mundo »;

b) item suggeram ut textus explicite extendat campum in quo presbyter suam missionem exercet. Etenim describere relationes presbyteri cum solis laicis iam membris Populi Dei, mihi videtur negare ambitum missionalem suae actionis et situationem realem mundi in quo baptizati maior pars hominum non sunt.

2. *De aequa distributione presbyterorum* (pag. 27, n. 9). Ecclesiae in terris missionum gaudent de quaestione hic posita, sub aspectu theologico et iuridico, de distributione presbyterorum in mundo. Hic modus rei attendendi concordat cum mutui auxilii proposito cuius Ecclesia in omnibus apostolatus campis necessitatem clamat. Scimus enim nuntios evangelicos Ecclesiae non deesse sed scimus etiam distributionem eorum in primis defectu laborare.

Itaque rogo ut, inter media proposita ad rationalem distributionem presbyterorum, fiat *explicita mentio institutorum missionalium,* qui suam efficacitatem in hoc probaverunt. Item mentio fiat motus missionalis voluntarii, ab encyclica Fidei donum suscitati et sustenti, qui nobis presbyteros et laicos dedit quorum temporarius apostolatus in dioecesibus nostris vere beneficus fuit et manet.

3. *De consiliis evangelicis in vita presbyterorum* (pag. 37, linn. 1-4, n. 14). Textus aliquam ambiguitatem continet quae delenda est. Dicitur enim: « Quae quidem perfecta continentia quam libera voluntate presbyteri amplectuntur, in mundo huius temporis fere impossibilis a non paucis consideratur ».

Timendum est ne lector laicus, qui non satis de hac re moneatur, vel qui huic opinioni forte faveat, credat verba « a non paucis » applicari presbyteris de quibus sententia loquitur. Ad omnem ambiguitatem tollendam, propono ut, loco verborum « non paucis », scribatur « non paucis hominibus ».

Bonum etiam esset nos introducere huius opinionis mentionem dicendo condiciones saepe difficiles castitatis in ambitu materialistico ubi omnia ad erotismum vocant; deinde, ratione habita huius difficultatis, affirmari potest: « Perfecta continentia, quam libera voluntate presbyteri amplectuntur, in mundo huius temporis fere impossibilis a non paucis hominibus consideratur ».

[*Subscripserunt etiam*] A. Duirat, ep. Bouaké; M. Coudray, praef. ap. Kankan; G. Briard, ep. Mopti; J. Etrillard, ep. Gagnoa; B. Oguki-Atakpah, ep. Atakpamé; J. Byrne, arch. Dubuque; E. Mabathoana; M. Lacroix; J. O'Grady; P. Dumouchel; H. Routhier; J. Strebler, arch. tit. Nicopoli di Epiro; J. Bretault, ep. Koudougou; E. Courtois, ep. Kayes; G. Ramanantoanina, arch. Fianarantsoa; L. Sangaré, arch. Bamako; S. Lucas, vic. ap. Pilcomayo; F. McSorley; E. Loosdregt; P. Piché, ep. tit. Orcisto; J. Phakoe; P. Rouanet, ep. Daloa; E. Kwaku, ep. Abengourou; J. Coucherousset, arch. Bangui; R. Graffin, arch. tit. Mistia; L. Ferrand arch. Tours; E. Zoghby; A. Delisle, ep. Kabba; St. Desmazières; J. Peeters, ep. Buea; E. Pirolley, ep. Nancy; L. Lebrun, ep. Autun; R. Piérard, ep. Châlons; A. Cazaux. ep. Luçon; P. Vignancour; H. Audrain, arch. Auch; A. Pailler, coad. Rouen; A. Caillot, ep. Evreux; M. Maziers, aux. Lyon; Paul card. Zoungrana; E. Durrheimer, ep. Katiola; J. Urtasun, arch. Avignon; M. Bernard, arch. tit. Are in Mauritania; E. Socquet, arch. tit. Selimbria; G. de Milleville, arch. tit. Gabala; F. Poirier, arch. Port-au-Prince; P. Bouque, ep. tit. Abbir Germaniciana; S. Gaumain; J. Dozolme, ep. Le Puy-en-Velay; J. Guilhem, ep. Laval; P. Théas, ep. Tarbes et Lourdes; G. Barthe, ep. Fréjus-Toulon; P. Gouyon, arch. Rennes; H. Donze, ep. Tulle; J. de Cambourg, aux. Bourges; J. Hermil, aux. Autun; R. Michon, ep. Chartres; J. Cordeira, arch. Karachi; A. Pioger, ep. Sées; X. Geeraerts, ep. tit. Lagania; V. Keuppens, ep. Kamina; U. Morlion, ep. Baudouinville.

142

EXC.MUS P. D. GERARDUS VALENCIA CANO

Episcopus tit. Rhesainensis, vic. ap. Bonaventurensis

Cum nondum audierim in Concilio sequentem opinionem, eam submissa voce exponam magna cum spe ut in aliquo profutura sit.

Multoties legitur « sacerdos alter Christus », numquam autem « sacerdos alter Redemptor ». Iam vero mea humili opinione hodie potius sacerdotium nostrum describi debet ut *redemptio* magis quam ut *unctio,* quamvis ad sacram redemptionem nostri gregis opus sit sacra unctione.

Mihi videtur radicem totius spiritualitatis sacerdotalis esse praecise in illa disponibilitate continua ad sacrificium etiam heroicum, cum sine « sanguinis effusione non sit redemptio ». Inde spiritualitas propria sacerdotum dioecesanorum numquam minor erit illa religiosorum cum « maiorem cari-

tatem nemo habeat ut animam suam ponat quis pro amicis suis ». Quaelibet species abnegationis sibi erit ubi illa dispositio redemptionis mundi ponatur ut fundamentum.

Mea humilis petitio est, ut in redactione definitiva schematis decreti *de ministerio et vita presbyterorum* haec idea et exponatur et urgeatur.

143

REV.MUS P. D. VILLELMUS VAN HEES
Magister generalis Ordinis S. Crucis

Harum adnotationum scopus est, quaedam complementa proponere, quae in schemate Decreti « De ministerio et vita presbyterorum » aegre desiderantur.

1. Schema de presbyteris absque dubio constitutioni dogmaticae *de Ecclesia* atque constitutioni *de sacra Liturgia,* necnon decreto *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* innititur. Propterea non sufficere videtur, quod huius schematis prooemium breviter tantummodo de relatione presbyteri ad Ecclesiam loquitur, hisce verbis: « ... quo Ecclesia in populum Dei, Corpus Christi et templum spirituale, hic in terris indesinenter aedificatur ». Presbyter specialem quandam relationem *socialem* ad Ecclesiam obtinet, in qua proprio modo suum « sensum Ecclesiae » exprimere debet. Haec relatio socialis ad *Ecclesiae communitatem* insufficienter stringitur atque elaboratur. Haec virtus vitae socialis (vel « spiritus communitatis », uti congruenter dici potest) principaliter exigitur ab eo, qui vitam suam ad Ecclesiam applicat, tam in sua relatione ad episcopum quam ad fideles et et compresbyteros. Talis virtus multas virtutes secumfert, quae presbyteri relationes ad alias in Ecclesia personas exstruunt tam in vita liturgica quam in cura animarum, fundamentum praebente ipsa vita communitaria.

2. Nostris temporibus presbyterorum inter se vita communitaria neglectum patitur. Quod ad presbyterorum spiritum confraternalem attinet Ecclesia certe meliora novit tempora. Attamen de hoc neglectu nulla in schemate adhortatio vel admonitio occurrit. Idea de presbyterio, prout nn. 7 et 8 invenitur, conceptui centrali « servitii collegialis in Ecclesia » insufficienter annectitur.

Nec relatio quae episcopum inter et presbyteros regulares, nec ea quae presbyteros saeculares inter et regulares intercedit fundamentaliter adstruitur. Et tamen religiosorum *vitae communis* expositio, prouti curae animarum vi spiritus communitarii maxime inservit hic apte interponeretur, quod summopere mutuarum relationum emendationi prodesset (n.).

3. Similiter aegre desideratur dictum aliquod de difficili conditione presbyterorum in *Ecclesiis iunioribus.* Optandum videtur ut hi presbyteri episcoporum conferentiarum curae commendentur. Forsitan sub earum cura asso-

ciatio interdioecesana fundari posset in forma Oratorii, in quo presbyteri indigenae suffragium quoddam morale inveniant. Sic in casu difficultatum in via personali occurrentium via pateret nova iis presbyteris, qui peccato labefactati auxilio indigent, quod a proprio episcopo vix suppeditari posset.

144

Exc.mus P. D. FRANCISCUS CLEMENS VAN HOECK

Episcopus tit. Cissitanus, abb. null. Pietersburgensis

Pag. 30, linn. 25-26-27, dicitur: « in quo (ministerio sacerdotali) praesertim, ut docent Patres, potest dari Christo maximum testimonium amoris ».

Ut patet ex nota 46, hoc docent Patres dum explicant verba Christi Petro: « Amas me? Pasce oves meas ».

Haec verba directe et absolute ad solum Petrum diriguntur, in sua personali vocatione. Ceteris presbyteris autem sensu tantum latiore applicari possunt.

Sensus latior hic ambiguitatem introducit. Si enim omnibus presbyteris hic applicantur, verba haec maximam tentationem constituere possunt pro Fratribus docentibus nondum per vota perpetua ligatis. Eis enim melius videbitur vitam religiosam laicalem derelinquere et ad sacerdotium tendere, sub praetextu maioris amoris Christi.

Hoc autem contradiceret quod a Concilio dictum est in n. 10 decreti *de accommodatione vitae religiosae*.

Ibi enim legitur: « Quapropter illam (vitam religiosam laicalem) muneri pastorali Ecclesiae in erudienda iuventute, in aegrotis curandis aliisque ministeriis explendis tam utilem, Sancta Synodus magni faciens, sodales *in sua vocatione confirmat* ».

Proponitur ergo ut linn. 25-26-27 simpliciter deleantur, post verba « tanta gaudia componuntur ».

145

Exc.mus P. D. LEONTIUS ALBERTUS VAN PETEGHEM

Episcopus Gandavensis

Schema decreti de ministerio et vita presbyterorum, sub n. 2, genuinam presbyteri, verbi Dei ministri, tradit descriptionem; at, meo iudicio, non satis amplam ac determinatam.

Argumentum tanti momenti est ut extensiorem ac accuratiorem elaborationem mereatur. Ingens enim ignorantia religiosa unum e principalioribus est elementis, quae impediunt quominus actio pastoralis ecclesiae uberiores successus recolligeret. Laudabiles conatus ad christianismum praedicandum non sufficiunt ut fides in mundo nostro hodierno servetur ac late propagetur.

Non tantum in regionibus missionum, sed etiam in populis sic dictis christianis permulti inveniuntur qui nomen Christi nondum audierunt; immo, boni catholici in re religiosa saepe manent valde ignari. Numerosae apostasiae christianorum nescientiae mysterii salutis attribuendae sunt.

Hac ratione sacerdotes ad munus suum praedicandi obeundum nimis exhortari nequeunt. Verborum Domini: « Euntes ergo docete... » (*Mt.* 28, 18) memores institutionem christianam lato sensu pro omnimoda revelationis divinae communicatione sumptam, qua Deo iuvante fides generatur, tamquam primordiale opus suum pastorale considerent. Numquam satis verba Sancti Pauli meditabuntur: « Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante...? Fides ex auditu » (*Rom.* 10, 14).

1. Ad *obiectum* praedicationis christianae quod attinet, haec non potissimum in statica et impersonali expositione systematis doctrinalis — per modum conceptionis vitae et mundi — consistit, sed in Boni Nuntii Salutis communicatione. Huius contentum est historia magnalium Dei ad redemptionem hominum gestorum, cui omnes invitantur participari ut e peccato et morte ascendant ac salutem suam consequantur. In lumine huius mysterii res terrestres et humana instituta secundum Dei creatoris et salvatoris consilium ad hominum salutem ordinantur et ideo tanquam ad aedificationem Ecclesiae conferentes considerandae sunt.

2. Ex obiecto praedicationis christianae innotescit *methodus* generalis in ea adhibenda. Munus enim docendi in hoc consistit ut cum adiumentis scientiarum psychologicarum et paedagogicarum historia mysterii salutis exponatur, cuius pars praeterita in Sacris Litteris ac in Ecclesiae per decursum saeculorum evolutione narratur, et pars actualis in vita liturgica et christiana hodierna protrahitur. Ex quo elucet methodum praeprimis requiri biblicam et historicam quoad praeteritum et liturgicam quoad praesentem. Doctrina christiana ex his fontibus exhausta denique proponenda est temporum necessitatibus aptata, ita ut respondeat difficultatibus et quaestionibus — maxime redemptionis indigentiae ac desiderio — quibus potissimum homines premuntur et anguntur.

3. *Finis* institutionis christianae est ut omnes homines cognoscendo initiativa divinae benevolae allocutionis per fidem et vitam christianam respondeant in Ecclesia, quae est familia populi Dei peregrinantis ad gloriosam communitatem salutis in caelo.

Praedicatio christiana non absolvitur in tradenda scientifica impersonali synthesi doctrinali. Debet esse testimonium missionarium et caritate plenum quo intelligentiae nutriuntur sed magis corda et voluntates moventur ad actionem religiosam et apostolicam.

4. *Destinatarii* praedicationis non sunt soli pueri, sed omnes homines: pueri, iuvenes, adulti et senes. Si praedicatio solummodo vel potissimum traditur et non sufficienter ulterius aetate provectioribus spenditur, periculum adest ut instructio religiosa ab adultis ut aliquid puerile consideretur, quod ansam praebet complexui inferioritatis.

Materna Ecclesiae sollicitudo in docendo non reservanda est solis filiis catholicorum sed comprobanda est erga omnes homines, sive fideles sive non fideles; et peculiari cura prosequantur pauperes et tenuiores, quos evangelizare nos misit Dominus.

Ut omnes apte attingat praedicatio: pueros et adultos, catholicos et extraneos, sacerdotes bene distinctionem noscant inter institutionem prae-catecheticam, catecheticam et plene christianam sub multiplicibus formis. Prima consistit in initiali salutis praeconio; altera in completiori, licet simplici, introductione in salutem; ultima in profundiore fidei explicatione.

Instructio religiosa ne restringatur ad scholam et Ecclesiam, sed late tradatur in universitatibus, academiis, sessionibus studiorum, conferentiis, coadunationibus iuvenum et adultorum, omnimodis colloquiis. In ea spendenda adhibeantur viva vox, et insuper prelum et alia divulgationis instrumenta.

5. Curam praedicationis sacerdotes ne soli ferant, sed sibi *associent laicorum collaborationem*. Huius intuitu maxime in votis est ut auctoritas dioecesana omnimodis instrumentis paedagogicis et didacticis laicos catechetas et instructores religiosos ad suum adiutorium munus praedicandi efformet. Talia instrumenta sunt: Officium catechisticum dioecesanum (cf. *A.A.S.*, 1935, p. 151), commissiones catecheticae, centra formationis et documentationis catecheticae, scholae catecheticae, congressus et studiorum sessiones, confraternitates doctrinae christianae, instituta catechumenatus, opera pro catechesi familiali, annua dominica catechesis, periodici catechetici, et ita porro. En quaedam elementa quibus munus docendi sacerdotum ampliori et utili modo describeretur.

146

Exc.mus P. D. HERMANNUS VOLK
Episcopus Moguntinus

In n. 14, pag. 35, lin. 30, post verbum « oportet », haec fere verba inserantur: « Etenim Ecclesia ostendit filios suos non solummodo servata libertate christiana rebus mundanis licite uti, sed etiam fidelem caritati Christi respondentem semetipsum eousque Christo tradere posse, ut etiam licitis libenter renuntiet ». *Ratio*: schema ostendat, quomodo consilia evangelica non solummodo media sunt ministerio sacerdotali inservientia, sed etiam signum constituunt Christi in hoc mundo glorificandi.

Duo enim sunt munera ab Ecclesia in hoc mundo adimplenda:

Ecclesia per suam doctrinam traditam et per sua membra secundum hanc doctrinam viventia iugiter ostendit formam vitae christianae in hoc mundo agendae et insimul patefacit, quomodo facultates humanae in vita christiana ad effectum perducuntur et quomodo christianus utitur rebus mundanis secundum illud: « Omnia vestra, vos autem Christi » (*1 Cor.* 3, 23).

Accedit aliud Ecclesiae munus, ut nempe mundo modo concreto ostendat,

quibus rebus mundanis christianus renuntiare possit, et quam paucis indigeat, quando seipsum totum Christo tradidit.

Hac via apparet, consilia evangelica non solummodo media esse, quibus christiani immaculatos se servent ab hoc saeculo vel quibus presbyteri melius fungantur munere suo pastorali, sed palam ostenditur, illa consilia directam et apertam relationem habere ad ipsum Christum, ut divino afflati spiritu cognoscamus ineffabiles divitias Christi nobis attribui atque donari.

Tali modo consiliorum evangelicorum via Christo inservit glorificando signumque caritatis constituit, qua Ecclesia Christo coniungitur. Hoc signum convenit et muneri et ministerio sacerdotis, qui viam consiliorum incedens omnibus ostendit, Christum tantopere caritate diligendum esse, cui sacerdos semetipsum suaque omnia tradat, ut eum intimius sequatur.

147

Exc.mus P. D. FRANCISCUS VON STRENG
Episcopus Basileensis et Luganensis

De habitu ecclesiastico. Schema nostrum per longum et latum disserit de spiritualitate quam vocant sacerdotali atque de presbyterorum sanctitate et vita necnon virtutibus supernaturalibus.

Immo non omittit laudibus efferre, uti par est, virtutes quae naturales vocari solent, ut sinceritas, assidua iustitiae cura etc. Inter quas urbanitas haud ultimum locum tenet, quippe quae aliud non est ac peculiaris quaedam caritatis erga proximum exercitatio. Urbanitas et decus status clericalis urgent, ut etiam quod ad habitum clericalem attinet, presbyteri prae ceteris status clericalis membris inferioribus emineant.

Habitus clericalis oportet exprimat interioris habitudinis vim et virtutem, et quidem in omnibus vitae quotidianae adiunctis, non tantum domi, vero etiam in vacationibus et itineribus. Iterum iterumque querimonia de neglectu habitus clericalis ad Curias episcopales deferuntur, quatenus presbyteri in locis balneariis aliisve non erubescant ad missae celebrationem se sistere tali vestiti modo, qualis clerum dedecet. Libenter admittimus veterum sapientiam: Cucullus (ait) non facit monachum. Attamen eadem veterum sapientia resplendet adagio non minus profundo, iuxta quo habitus, tamquam interioris speculum, hominem manifestum reddit. Mores modique se vestiendi influxum aliis in locis aliter in habitum ecclesiasticum determinandum exercuerunt, ut e Conciliorum etiam Oecumenicorum actis apparet (cf. Conc. Nic. II, can. 16; Lat. IV, const. 16; Vien., decr. 9). Nec iusta quod ad condiciones hygienicas, aerum et e fine habitus profluentes attinet desideria a priori, reiicere licet. Nihilominus regula est firma a qua nulla admittitur deviatio nisi ob bonum superius, uti inter persecutiones contingit, nempe: Presbyter, ipso quem induit habitu, tamquam Dei Ecclesiaeque minister appareat.

Conveniens habitus exterior quo presbyteri et munus et dignitas palam dignosci valent, non sapit eo ipso extollentiam vel superbiam, sed testimonium est proprii ministerii quod magni aestimatur. Christifideles laici hac in vestium clericalium materia non raro maiora habent postulata omnino iusta, quam presbyteri passim admittere parati sunt. Laici nolunt, presbyteri ita se vestiant, ut, habitu congruo evitato, Ecclesiae ministri inter vulgus quodammodo dispareant.

In nostro schemate dicatur Conferentiarum episcoporum nationalium esse, ratione habita condicionis temporum et aerum, et aliarum rerum adiunctorum, de habitu presbyterorum ceterorumque clericorum leges ferre. Singuli enim Ordinarii locorum nostris in vitae circumstantiis potestatem illam qua vi canonis 136 § 1 C.I.C. potiuntur, efficaciter exercere nequeunt. Siquidem dioecesis territorialis adiuncta nunc talia ubique fere sunt, qualia, ob frequentiam itinerum et contactuum ut aiunt, vitae modernae, potestatem penes conferentias episcoporum esse postulant. Ita praeterea rationabilis saltem in unaquaque natione habitus clericalis unitas obtineri potest. Cui unitati servandae etiam religiosi, licet exempti, adstringantur. (Dolendum sane est, quod praetextu exemptionis religiosi non semel quoad vestem et fidelibus et ceteris clericis scandalo esse non erubescunt, non obstante C.I.C. can. 14 § 1 n. 2 praescripto quod peregrini ab ordine publico servando non eximit). Non sufficit presbyteros adamussim observare statuta de habitu ecclesiastico legitima, sed peculiari cura oportet eos non deviare a regulis urbanitatis materiam vestium disponentibus in vita etiam civili. Habitus ecclesiasticus sit mundus, haud sordidus; integer, haud dilaceratus. Libertates decori status clericalis contrariae quoad vestes utendas et quoad vestium modum omnino arceantur. Caritas erga proximum, praesertim erga ceteros sacerdotes, iusta suiipsius aestimatio et praeprimis decus status clericalis exigunt rectam agendi quoad habitum rationem.

Lin. igitur 19, pag. 26, addatur: « Presbyteri, huius disciplinae laudis cupidi, curabunt, ut conferentiarum episcoporum nationalium decreta ad habitum ecclesiasticum quod attinet, prae ceteris cleri membris inferioribus, adamussim ubique, etiam in vacationibus et itineribus, servent. Iis quoque, caritatis erga proximum et decoris status clericalis haud immemoribus, cordi erit habitum deferre semper congruum, quemadmodum homines nostri temporis iuxta varias regiones iure exspectant ».

Appendix de ludis gymnasticis aliisque corporis exercendi formis quae vulgo « sport » appellantur. In toto schemate de huiusmodi formis a quibus hodie, iam intuitu iuventutis educandae et formandae, presbyter alienus esse non potest, nihil est dictum. Commissio haud perperam aget additura aliquid positivi de « sport » legitimo usu et exercitio ad vires praesertim corporis conservandas et reficiendas.

148

EXC.MUS P. D. ANTONIUS GREGORIUS VUCCINO
Archiepiscopus tit. Aprensis

In schemate mihi videtur non satis apparere nexum inter ministerium verbi Dei et ministerium Sacramentorum. Qui nexus argumento sequenti probatur. Sacramenta vocantur Sacramenta Fidei. Fides autem ex auditu. Exstat igitur verus nexus inter ministerium Verbi et ministerium Sacramentorum.

1. Ministerio Sacramentorum anteponitur ministerium Verbi Dei. Cavendum est ne Verbum sumatur hic veluti quaedam idea abstracta et platonica, nam Verbum Dei est Persona, cum dicitur in Scriptura sacra « vivus est sermo Dei ». Ad mentem Scripturae Verbum Dei est ipse Deus iuxta illud « Et Deus erat Verbum ». De eodem Verbo dicitur quod « omnia per ipsum facta sunt ». Deinde Verbum in historia humana se inseruit veluti irruptio Misericordiae divinae in decursu temporis, Deo dicente: « Faciamus hominem ad imaginem nostram ».

Quae nunc dicuntur necessaria videntur, ad habendum verum intellectum Verbi Dei, cuius ministri sunt presbyteri novi Testamenti. Etenim Verbum Dei manifestatur colloquiis et factis quae conspersa sunt in campo « historiae humanae amoris caelestis », ut aiebat Summus Pontifex Paulus VI.

Hominem lapsum alloquens Deus Salvatorem promisit. Ita primus Evangelista fuit Deus, qui decursu temporis dialogum cum homine infideli non interrupsit, iuxta illud: « Multifariam multisque modis Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, per quem fecit et saecula » (*Hebr.* 1, 1).

Demum, Virgini quaerenti quomodo « fiet istud », i. e. adventus Verbi Dei in carne, Angelus respondit: « Spiritus Sanctus superveniet in te ». Et concepit de Spiritu Sancto et facta est Theotokos, Mater Verbi, et simulque typus Matris Ecclesiae quae de Spiritu Sancto gignit filios Dei, ope Verbi et Sacramenti, quorum presbyteri ministri constituuntur. Nam, haec legimus in Actibus Apostolorum: « Repleti sunt Spiritu Sancto et coeperunt loqui ». Repleti sunt Spiritu Sancto ad fidem praebendam Verbo Dei, i. e. ut nascatur in ipsis Verbum Dei, ita ut, ope loquelae, ad alios perveniat. Ecce ministerium Verbi Dei. Ecce et consequentia eius. Multi audientes Apostolos loquentes magnalia Dei dixerunt eis: « Quid faciemus, fratres? ». Sub motione Spiritus fide adhaeserunt Verbo Dei, ore apostolico evangelizant. Petrus vero ait ad illos: « Paenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissione peccatorum et accipietis donum Spiritus Sancti », qui, iuxta Paulum, est Spiritus adoptionis.

Patet ex his ministerium Verbi nexum habere cum ministerio sacramentorum, quorum ianua est Baptismus.

Praeterea ope ministerii Verbi vera communio efficitur credentium cum Deo iuxta illud Ioannis: « Quod fuit ab initio, quod audivimus de Verbo vitae, et vita manifestata est et vidimus et testamur ut et vos societatem (graece koinonian, communionem) habeatis cum Deo Patre et cum Filio eius » (*1 Io.* 1, 1).

Ministri ergo Verbi, ope specialis missionis ab ipso Verbo factae, fiunt testes eiusdem Verbi, quod clare declarat s. Petrus adloquens iudices Synedrii: « Et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus Sanctus » (*Act.* 5, 32).

Esse co-testes una cum Spiritu Sancto eiusdem Verbi, superat omnem aliam dignitatem. Quod autem mandatum receperunt a Verbo testes Verbi: « Sicut misit me Pater et ego mitto vos. Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos etc. ». Hic apparet iterum nexus inter Verbi Dei ministerium et Sacramentorum ministerium.

2. De ipso ministerio Sacramentorum aliqua tantum dicamus.

Inter Sacramenta eminet Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini, nam in ipso significatur et renovatur sacrificium Verbi incarnati, cuius ope Pater sibi mundum infidelem reconciliavit. Philanthropia Patris obtulit peccatoribus Mediatorem, magnum Sacerdotem, qui nomine totius generis humani responsum dedit Deo ope oboedientiae suae usque ad mortem crucis.

Ita Verbum a Patre exiit et ad homines venit, quaerere quod perierat illudque reducere ad Patrem. Hic habetur mysterium caritatis Dei erga homines, cui respondent adhaesione Fidei et gratitudinis omnes filii Ecclesiae.

Hoc est mysterium quod Ecclesia vivit in sacra Liturgia, in qua distinguitur sed non separatur Liturgia Verbi a Liturgia sacrificii, quae in unum mysterium coalescunt, nam agitur de Verbo Dei hominibus amorem Patris revelante et de Verbo Dei Patri offerenti Fidem, gratitudinem et amorem hominum, quos Sanguine suo Deo reconciliavit et inter eos conglutinavit nexu caritatis fraternae.

Huius maximi mysterii facti sunt ministri presbyteri Novi Testamenti.

Munus eorum est de hoc instruere fideles simulque enucleare eis quo modo alia Sacramenta cum Sacramento eucharistico connectuntur in ipsoque virtutem suam hauriunt. Notandum est quod in ministerio Sacramentorum Ecclesia verbis a Christo institutis iungit orationem suam, ut e. g. post verba quibus consecrantur panis et vinum, quae sunt verba Domini, additur oratio Ecclesiae, i. e. Epiclesis, nam ut iam dictum est agitur hic de dialogo inter Deum et homines, in quo Verbum Dei incarnatum, munus Mediatoris gerens, dialogum sustinet, loquens hominibus nomine Patris et respondens nomine hominum in Ecclesia congregatorum.

Haec omnia mysteria, tam verbi Dei tam sacramentorum in quibus Christus et Spiritus Sanctus cum hominibus conversantur et cum eis misceantur tractanda sunt a ministris Ecclesiae cum Fidei diligentia et fervore caritatis.

3. Ex his sequitur gravis obligatio pro presbyteris acquirere plenitudinem scientiae mysterii Verbi Dei necnon sacramentorum. Haec autem scientia

acquiritur in oratione, in studio Sacrae Scripturae et Traditionis, a Patribus et Sanctis et Conciliis interpretatae.

Etenim in oratione commercium habetur cum ipso Verbo Dei qui est Lux illuminans omnem hominem... Hic memoranda sunt verba Evangelistae « facta est cum oraret (in monte) species vultus eius altera (*Lc.* 9, 29). Quo modo ministri Verbi aliis mysterium Verbi tradant si eum diu non sunt contemplati? Memoranda sunt hic verba psalmistae loquentis de seipso: « Incaluit cor meum intra me: cum consideravi, exarsit ignis. Locutus sum lingua ».

Apud antiquos monachos Orientis, monachus qui diuturnam ascesim et contemplationem consecutus erat ab aliis venerabatur tamquam Pater spiritualis. Item apud Orientales christianos multoties Pastores animarum, i. e. episcopi, e statu monastico sumebantur. Aptiores enim censebantur ad ministerium pastorale, cuius prior officium est annuntiatio Verbi, viri qui diu in contemplatione Dei et mysteriorum eius vixerunt, ieiunantes et orantes et tacentes.

Illi viri assimilabantur Apostolis Spiritu Sancto repletis et cum fervore loquentibus magnalia Dei, de quibus plures auditores irridentes dicebant: « Quia mulso pleni sunt ». Quibus Petrus respondit dicens quod erant potius pleni seu ebrii Spiritu Sancto.

Hi veri praecones Verbi Dei instant opportune importune, exhortant, increpant, Verbum Dei cum fiducia annuntiantes, sine acceptione personarum, Verbum Dei non adulterantes, quaerentes placere magis Deo quam mundo, quos homines bonae voluntatis audiunt, homines vero a maligno spiritu seducti eos persequuntur.

Conclusio. Humiliter propono ut emendetur textus schematis iuxta supradictas sententias.

149

Exc.mus P. D. IOANNES IULIANUS WEBER
Archiepiscopus-episcopus Argentinensis

I. Quamquam haec Sancta Synodus iam pluries de presbyteris locuta sit, sicut praesens schema memorat, aequum tamen erat, post remotionem nuntii quem prima sessio Concilii prospexerat, textum specialem contexere de ministerio, de vita et de dignitate sacerdotum secundi meriti. Necesse erat nos episcopos exprimere nostris intimioribus cooperatoribus amorem sincerum, paternum, simul ac fraternum et amicum, quem eis omnibus gerimus. Iustum erat nostram gratitudinem, nostram aestimationem, nostram fiduciam nostris presbyteris transmittere. Si enim nos, episcopi, sollicitudinem gerimus omnium Ecclesiarum nostrarum dioecesium, illi principaliter portant pondus diei et aestus, dum quotidie, per omnes circumstantias, pro bono nostrorum et illorum fidelium in suo ministerio adlaborant. Praesens schema haec omnia exprimere intendit et testimonium sollemne est nostrae paternitatis.

II. Aequum similiter est nos episcopos, omnia dicere et facere ut hi,

quorum partes in dies difficiliores evadunt, qui saepe tentationi dimissionis animi obnoxii esse possunt, quando eorum labor sterilis apparet, quando ministerium animarum eos deprimit, iterum et solemniter eis dignitatem sui Ordinis exprimere, eis confidentiam in omnipotentem gratiam Dei infundere. Sic melius poterunt crucem suam viriliter portare et toto corde se Ecclesiae servitio devovere.

Speciali Christi benevolentia prae millibus hominum ad Domini sequelam et ad eximiam dignitatem sacerdotii vocati sunt. Per impositionem manuum nostrarum data est eis inamissibilis gratia quam quotidie possunt resuscitare (aut melius: cuius flammam in seipsis renovare, secundum sensum verbi graeci « anazôpurein » quo utitur Paulus ad Timotheum scribens, *2 Tim.* 1, 6). Haec gratia consistit in charactere speciali sacramenti Ordinis, unde decurrit participatio munerum sacerdotii Christi ipsius. Eis infusus est « Spiritus » (in sensu paulino huius vocis), in quo cum Thoma Domino fiducialiter clamare possunt: « Dominus meus et Deus meus », et oves suas ex corde alloqui: « Filioli, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis ».

Hi immensi thesauri proveniunt ex arctiori et indelebili coniunctione cum Christo, summo et unico Sacerdote novi foederis, ratione suae sacerdotalis ordinationis. Per Christum, cum Christo et in Christo ministri facti sunt tam corporis sacramentalis Domini, quam eius corporis mystici. Unde recte a veteribus scriptoribus spiritualibus dictum est: « sacerdos alter Christus ».

Haec sunt origo, fons et fundamentum confidentiae presbyteri in suum munus, in suam vocationem. Hac fide et hac convictione immensae gratiae qua donatus est, sanctificationem suam, quam arduam, non cessabit operari; ita ministerium, quamquam difficile, adorietur et persequetur « Sancte et alacriter, humiliter et fortiter ». Etiamsi insuccessus patiatur, etiamsi doloribus et morbo afficiatur; etiam in senectute cum vires cadunt aut saltem minuuntur, etiam in articulo mortis, presbyter vere dicere potest: « Domini sum in aeternum et Dominus semper mecum est. Omnia quae facere iam non valeo, omnia quae patior, me separare non possunt ab eo ad quem pertineo, per meum sacerdotium. Ille qui me fecit in sacerdotali dignitate vigere, me coniunget cum apostolicis sacerdotibus qui iam caelos penetraverunt.

Haec sunt, simul ac coniunctio intima cum aliis sacerdotibus et cum suis episcopis, cum immenso honore Domino et Ecclesiae serviendi, causae gaudii sacerdotalis, inamissibilis gaudii, quod nos semper et ubique sustinebit et nunquam sinet nos a Domino separari.

III. Haec certe schema de presbyteris dicit, sed desiderarem, ut omnia evidentius in luce clarescant, ad lin. 6 pag. 13 addatur: « Presbyter speciali modo Christo configuratur, per impressum specialem characterem signum spirituale, reale et indelebile (cf. DENZ. 960) ita ut, per ordinationem missionis episcopalis particeps factus, in persona Christi Capitis, Magistri, Pontificis et Rectoris, agere valeat ».

Ad perficiendum hoc schema, quod aliunde totaliter approbo, paucas aliquas adnotationes secretariae tradam.

150

EXC.MUS P. D. IOANNES WHEALON

Episcopus tit. Andrapenus, aux. Clevelandensis

A. *In genere.* 1. Materia huius schematis placet. Sed eius forma non placet. Stylus huius decreti est, mea opinione, defectus sat magnus. Hoc schema oportet ad cor sacerdotis loqui (cor Concilii ad cor sacerdotis loquitur); sed nunc est nimis formale, cum sententiis nimis longis, cum tot exhortationibus, cum textibus S. Scripturae aliquatenus extraneis, etc. Textus etiam videtur nunc non esse unitus, sicuti additamenta non bene incorporata sunt.

2. Oportet episcopum praesentari uti patrem, eius sacerdotes ut filios in Deo, et omnes uti familiam. Praesentatio nunc est iuridica, frigida.

3. Christus non est centrum huius textus. Sacerdos est alter Christus: etiam a Deo vocatus, etiam praedicator Verbi Dei, etiam dux populi Dei, etiam castus, obediens, pauper sicut et Christus. Fortasse tota prima pars describat omnem sacerdotem uti alterum Christum sed in mundo hodierno...

4. Mihi etiam videtur vitam sacerdotis eius ministerium praecedere; titulus mutetur.

B. *In specie.* N. 1. Doctrina huius numeri nimis negativa videtur. Vox « pascendum » (pag. 12, lin. 7) non placet. Distinctio inter sacerdotium presbyteri et sacerdotium fidelium repetit doctrinam in *de Ecclesia* et fortasse melius omittatur. Ultima paragraphus (incipiens lin. 21 in pag. 13) placet.

N. 3. Haec sectio caret spiritu et unctione; est iuridicalis; mentio sat frequens episcopi non placet.

N. 4. Hic numerus etiam videtur esse valde formalis, impersonalis. Est sicut catalogus laborum sacerdotis, et parum pro schemate efficit.

N. 5. Placet.

N. 6. Hic melius habeatur praesentatio familiae: episcopus est paterfamilias. Propositio coetus dioecesani placet.

N. 7. Conceptus in hoc numero laudabiles sunt. Sed hic etiam praefero praesentationem minus technicam et magis pastoralem. Vox « presbyterium » proinde non placet; vox autem « familia » placet.

N. 8. Hic numerus etiam est nimis formalis. Hic, praesentatio « alterius Christi » bene habeatur.

Vox et conceptus « charismata » laicorum non placent. Idea nimis nebulosa.

N. 11. Haec sectio etiam caret spiritu, igne, iucunditate. Referentia maior ad Christum habeatur.

N. 12. Ultima paragraphus (pag. 33, linn. 17-34) valde nebulosa est.

N. 13. Finis huius numeri (pag. 34, linn. 27-38) nimis pius videtur esse.

N. 14. Debet habere eum realismum qui in schemate 13 invenitur.

Vox « psychologica » (pag. 37, lin. 10) valde non placet. Talis psychologia communiter docet ea quae in textu describuntur esse inania!

Pag. 38, lin. 7. Notio simplicitatis in vivendo hic addatur.

Pag. 38, linn. 8-25. Nisi fallor, schema *de institutione sacerdotali* melius hanc doctrinam proponit.

N. 15. Mentio habeatur ut sacerdos teneat se « incontaminatum ab hoc mundo ».

N. 16. Placet.

N. 18. Placet.

N. 19. Hic habeatur referentia totalis ad Christum, quia omnis sacerdos est alter Christus.

* * *

1. Nota 28 (pag. 45-46) sequens documentum alicuius momenti omittit: Pius XII, Constitutio Apostolica *Ad uberrima,* constituens Institutum Pastorale Pontificale Romae (*A.A.S.,* 1958, n. 10, p. 460).

2. Nota 47, in qua referentia ad cogitationem et contemplationem ante praedicationem habetur. Citatio est S. Thomae, II-II, q. 188, art. 1. Nonne debet esse art. 6 eiusdem quaestionis?

3. In n. 7, pag. 25, referentia habetur ad pias associationes sacerdotum. Et in n. 14 invenitur commendatio vitae apostolicae pro sacerdotibus dioecesanis. De his rebus, clarificatio danda est. Et in notis nulla referentia datur ad fontes pertinentes, sicuti: *a*) Constitutio Apostolica *Provida Mater* (1947); *b*) Allocutio Pii XII, *Annus Sacer* (A.A.S., 1951, n. 1, p. 26); *c*) Nota S. Congr. de Negotiis Extraordinariis ad arch. Charue de Namur (cf. Bouscaren, IV, 93).

151

Exc.mus P. D. VILLELMUS GORDON WHEELER

Episcopus tit. Theudalensis, coad. c.i.s. Medioburgensis

Sine ullo dubio laudandi sunt auctores commissionis qui hoc schema recognitum composuerunt, ratione praesertim habita ad constitutionem *de Ecclesia.* Insuper novus textus cum Litteris Encyclicis *Ecclesiam Suam* concordat, atque amplectatur labores factos a commissionibus de seminariis et de pastorali episcoporum munere.

Attamen dum hoc recognitum textum perlego, nullam invenio connexionem nec cum constitutione *de sacra Liturgia,* nec cum legibus ad eandem constitutionem implendam statutis.

Quae omissio in nn. 6 et 7 maxime apparet; n. 6 relationes inter episcopos et sacerdotes, n. 7 coniunctionem inter sacerdotes fraternam tractat.

Primo placeat de n. 6 loquar, simulque animos vestros advertam ad ea

quae sectio 41 in constitutione *de sacra Liturgia* praescribit: « Episcopus ut sacerdos magnus sui gregis habendus est, a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet. Quare omnes vitam liturgicam dioeceseos circa episcopum, praesertim in ecclesia cathedrali, maximi faciant oportet: sibi persuasum habentes praecipuam manifestationem Ecclesiae haberi in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctae in iisdem celebrationibus liturgicis, praesertim in eadem Eucharistia, in una oratione, ad unum altare cui praeest episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus ».

Nunc e sectione 42 eiusdem constitutionis: « Cum episcopus in ecclesia sua ipsemet nec semper nec ubique universo gregi praeesse possit, necessario constituere debet fidelium coetus, inter quos paroeciae, localiter sub pastore vices gerente episcopi ordinatae, eminent: nam quodammodo repraesentant Ecclesiam visibilem per orbem terrarum constitutam. Quare vita liturgica paroeciae eiusque relatio ad episcopum in mente et praxi fidelium et cleri fovenda est; et adlaborandum ut sensus communitatis paroecialis, imprimis vero in communi celebratione Missae dominicalis, floreat ».

Quibus lectis, video occasionem aptissimam nobis patere: urgeamus proinde nexum liturgicum inter episcopum et sacerdotes; et pro viribus intimam eorum unitatem in cultu sacro foveamus. Quae unitas non solum in cathedralibus monstrari poterit, sed etiam in paroeciis et in aliis fidelium coetibus. Namque et clero et populo magnum esset detrimentum si nullo alio quam tempore Visitationis quinquennalis sacerdotem eorum magnum videre possent. Certe in urbibus maioribus occasiones inveniri possunt in quibus semel in anno et episcopus et clerus et populus ad Missam concelebrandam convocandi sunt. In locis vero agrestibus annua eiusdem formae celebratio ab episcopo una cum clero populoque decanatus ruralis perfici potest.

Tales notiones in hoc numero huius schematis adumbratae, et curae pastorali episcoporum et sacerdotum commendatae, possent efficere ut episcopus in sua dioecesi sacerdos magnus totius populi Dei non solum de iure sed etiam de facto conspiceretur.

Nunc aliquid de n. 7 dicam. In eo enim sunt opportunitates liturgicae hortandi atque instruendi vitam inter clerum vere fraternam. Alioquin sectio 42 in citata constitutione adimpleri non potest. Cum episcopus non semper et in omni loco esse possit, debent parochi (hi nempe in nomine episcopi agunt) aliquoties congregare fideles suae regionis ad Missam concelebrandam, qua sic celebrata apertior fit unitas populi Dei. Fortasse quispiam dicet fore per eiusmodi conventus ut unitas paroecialis minuatur. Sed contra, ut opinor, constantior erit paroecia sic liturgice cooperans, sacrior fiet sacerdotum coniunctio, ditior reddetur cura pastoralis.

Olim in urbe Roma cum Papa non diutius adesse posset omnibus laicis ubi Sacrificium Missae celebraretur, unitas inter episcopos, sacerdotes, populum vigens demonstrabatur per Hostiae consecratae partem (quod Fermentum vocabatur) allatam ab altari papale ad omnia alia altaria ubi Missa celebrabatur. Mos ille usque ad nostra tempora aliquantulum superfuit, nempe in

fractione Panis consecratae (cuius pars in calicem ponitur). Haec notio significans aeque ac gravis ita retinenda est et elaboranda ut unitatem actuosam inter episcopum, sacerdotes, populum patefaciat, utque praescripta decreti liturgici sint impleta. Forsitan de hac re commissio liturgica dare valebit consilia.

Sed non solum in rebus liturgicis coniunctio fraterna inter clerum est manifestanda. Sectio 7, pag. 24 loquitur de necessitate vitae communis sacerdotibus alendae, necnon, ubi possibilis est, mensae communis. Sed quomodo stabiliri possint vita et victus communes sine adiutorio mulieris ministrantis? Et quomodo inveniri possit talis mulier, nisi mittatur? Ut norint omnes, maxima adest in regionibus occidentalibus inopia (quae in dies ingravescit) servitii domestici; non refert tantum aetatis canonicae sed cuiuspiam aetatis. E. g. in dioecesi cuius sum episcopus coadiutor nonnulli sacerdotes soli in suis aedibus vivunt, quia oeconomiam habilem invenire nequeunt. Ex quo oritur et difficultas hospitalitatem sectandi, et damnum emergens exinde in laboribus eorum pastoralibus. Dum ad sacrum coelibatum omnes dedicamur (num quis e nobis aliter sentire vult?) provideri debet solutio ad hanc instantem quaestionem servitii domestici. Sed, mihi credite, non existimo statum matrimonialem nil esse nisi servitium domesticum.

Liber certe pergrandis requireretur si vellemus notare ac satis laudare omnes illas feminas quae a temporibus Apostolorum usque ad nostra fideliter inservierunt sacerdotibus Dei, eosque modo vere materno curaverunt. Talis libri titulus forsan esset « De vita et ministerio Ancillarum (supra-adultarum) », et in eo mentio fieri debet earum apostolatus portae. « Tales ambio defensores ». Multae tales mulieres, sui oblitae, memores sacerdotum necessitatibus, mirabilem monstrant observantiam. Sed ex altera parte multae non sic se gerunt, sed valde aliter; ita ut interdum parochi seu vicarii, sub regimine asperrimo mulieris fortis, lentum martyrium patiantur. Pro feminis domibus cleri inservientibus debemus providere stipendia iusta dum laborant, aptum in infirmitate auxilium, pensiones emeritis convenientes. Ad haec solvenda debita, colligendae sunt pecuniae vel per totam dioecesim vel per plures dioeceses ad hunc finem adipiscendum iunctas.

Aliquae sacerdotum societates mulieribus monialibus utuntur ad domos suas curandas. Quod est optimum, sed opus est ut tale servitii genus augendum sit, et mulieres tam in oeconomia domestica quam in artibus coquinariis bene formatae sint, quae curam domuum presbyterorum gerant. Ergo mihi placeret si huic schemati adderetur locus in quo indicaretur necessitas instituendi novas congregationes religiosarum vel Institutiones Saeculares mulierum votis obstrictarum quae ad hoc ipsum officium domesticum vocarentur. Hae feminae, non solum ad res domesticas curandas in aedibus ubi habitant complures sacerdotes mittendae sunt, sed etiam debent earum paria parochis rure versatis operam dare. Hisce mediis toti sacerdotis vitae auxilium necessarium dari posset, et sequentes effectus pastorales optimi fierent.

Vocatio talium mulierum aestimari debet nobilissima, sed non minus quam in aliis vocationum speciebus, vis et invitamentum huius status vitae sunt fortiter proclamanda. Non minoris pretii feminae tales aestimandae sunt: maximopere unitatem inter sacerdotes adiuvare possunt.

152

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA
Archiepiscopus Cracoviensis

Circa schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum,* quod mihi videtur in multis bonum, animadvertere velim sequentia:

1. In n. 13, ubi de unitate et harmonia vitae presbyterorum agitur optimeque suggeritur, quod sanctificatio sacerdotum operatur per ministerium eorum — oportet forsitan exponere etiam contrarium. Quandoque enim activitas pastoralis tali modo exercetur, quod personalem vitam interiorem quasi exstinguit, tunc sacerdos magis fungitur tamquam instrumentum actionis pastoralis, seipsum tamen per ministerium non sanctificans. Periculo tali opponenda est praecise haec supernaturalis visio rerum agendarum, de qua in n. 13 fit sermo.

2. Ad hanc visionem instituendam, immo irradicandam, magni videtur esse momenti, ut apud sacerdotes profundior reddatur conscientia participationis in sacerdotio ipsius Christi, qui ut sacerdos Mediator simul sit. Conscientia istius mediationis imbuta esse debet vita sacerdotalis intima simul et integra. Tunc enim, una ex parte Deus adoratur in sua transcendentali maiestate, altera autem ex parte homo quilibet et in qualibet sua debilitate vel peccato iter sibi in ministerio sacerdotum quaerere libet. Iste aspectus vitae sacerdotalis non ostenditur sufficienter in schemate, extollendus autem esse videtur. Est enim sacerdos quasi praeco misericordiae divinae: praedicatio autem misericordiae eiusque ministerium in mundo hodierno maximi est momenti, non obstante omni affirmatione, quam mundo sese evolvendo praestare possimus. Praeterea — cum ministerium pastorale ope dialogi multoties exerceri debetur, tunc conscientia sacerdotalis in realitate mediationis Christi debet fundari. Fundamentum enim dialogi cum Deo, qui in Revelatione et Redemptione radices habet, est Christus-Mediator. Ministerium sacerdotis in dialogo inde redundat: in dialogo sacerdos servitium praecipuum Divini Mediatoris exercet. Simul etiam divitias intimas suae personalis participationis in sacerdotio Christi-Mediatoris ingredi debet.

3. Extollitur in n. 7 fraterna coniunctio et cooperatio inter sacerdotes. Suggerenda videtur in hac re missio aliquorum sacerdotum, praesertim autem decanorum (vicarii foranei), quibus officium missionem talem facilitat. Oportet tantum officio missionem clarius adiungere. Oportet etiam dicere, quod sacerdotes — ipsi pastores pro laicis — etiam erga seipsos mutuam pastoralem sollicitudinem exercere debent.

153

Exc.mus P. D. ANDREAS WRONKA
Episcopus tit. Vaterbensis, aux. Gnesnensis

In n. 10, pag. 30, lin. 6, post verba: « diligens ac prudens directio spiritualis », addantur verba: « quam sacerdotis bonum exemplum magnopere roborat. Non raro enim pii et exemplares sacerdotes multos iuvenes ad servitium Domini suscitaverunt. Exemplum propriae vitae optimam commendationem esse sui status clericalis et invitationem ad vitam sacerdotalem capessendam » (cf. *De accommodata renovatione vitae religiosae,* 24). *Ratio*: experientia et exempla ex historia vocationum sacerdotalium hoc testificant.

154

Exc.mus P. D. IOSEPH ZAFFONATO
Archiepiscopus Utinensis

Unum puto vobis mihique commune: nolumus nempe decretum aliquod « de ministerio et vita presbyterorum » conficere quod chartis impressum in bibliothecis reponatur facilique somnio damnetur. Cupimus certe illud saepe manibus sacerdotum contrectari et quod maius est eorum in cordibus inditum iri.

Ad hunc finem obtinendum quaedam mihi videntur opportuna. Post decreti promulgationem illud veluti textum studiorum in seminariis proponere necesse erit. Ante vero promulgationem illius redactio talis esse debet ut planae lectioni et comprehensioni quam maxime perspicua appareat. Estne huiusmodi textus recognitus nobis propositus?

Quis potest de eius prolixa extensione questum facere; etsi non ignoro multa quae sunt dicenda paucis verbis haud facile posse contineri.

Quis vero dixerit non multa sed multum dicendum esse; ideoque strictius quaedam restringenda, nonnullas repetitiones vitandas, aptius et magis harmonice quaedam argumenta disponenda et colligenda.

Quis demum — et plures huius sententiae mihi videntur — dictionem textus desiderabat simpliciorem, stylistice praesertim, locutionibus arduis sepositis, periodis brevioribus adhibitis. Nullibi, pro mea opinione, nobis planius ac paternius loquendum videtur quam illis qui sunt nostra corona. Nemo nostrum, ni fallor, vult sermonem solemnem super presbyteros ab excelsis edicere, sed cor nostrum cordibus eorum apponere et paterna humilitate et obsecratione presbyteros nostros exhortari et solari. Dubium alicui inest num textus huic tonalitati consonet.

Sed aliud quoddam adoptandum videtur. Textus locutio est quidem dogmatice, canonice et ascetice in genere rigorose expressa; at ille afflatus

dulcis et fortis, igneus et suavis qui animas valet penetrare vel deficit vel raro hic et illic splendescit. Nec hoc psychologicae efficacitati tantum nocet, sed quaedam quae dicenda erant vel melius dicenda compescuit. Duo sint exempla.

Nullibi expresse et instanter presbyterorum mentes et corda ad Dominum Iesum alliciuntur ita ut in Iesu persentiant totam suae vocationis gratiam, gaudium et fortitudinem: Iesus te amavit et amat amore praedilectionis; Iesus te vocavit et vocat usque in praesens; Iesus est una, prae ceteris, tua fortitudo et laetitia et quies; Iesus est unus pars haereditatis et calicis tui; Iesus est tui sacerdotii divitiae. Quale erit sacerdotium si Iesu uni non arcte vinculetur vinculis amoris et donationis? Huiusmodi vero expressiones desiderantur et tamen omittendae non erunt.

Quis etiam stupescit in textu quinquies et septuagies nomen vel potius attributum « Christi » subsumi, septies tantum proprium nomen « Iesus » adhiberi; immo et illa septem revocatio Iesus solis scripturarum citationibus debetur. Utique, haec animadversio minima est, nec decreti vim, sed formam tantum respicit. Attamen, nonne congruum est Dominum Iesum sive attractione personali sive ipso nomine fortius coram presbyteris proponere?

Alterum exemplum carentiae illius afflatus de quo superius dixi in hoc est, quod nullibi, vel fere, in presbyteros paterne inclinamur, eorum difficultates internas externasve considerantes, eorum amaritudines solantes, eorum laxitates vulneraque reficientes, eorum labores ac sacrificia in Domino comprobantes. Nonne coram Deo et mundo nostrum est sacerdotum quotidianam passionem testari et quodammodo adprecantes recognoscere et vindicare? Hoc apte fieri potest in decreti exordio aut opportunius in finali exhortatione.

Haec autem dicta sint de textu in generali. Et summatim dicendo, mea est humilis petitio ut in textu magis atque magis resonet ex nostris labiis apostolicus ille calor quem epistolae beati Petri ad seniores ecclesiae beatique Pauli ad Timotheum et Titum amplissime redolent.

Si vero ad particularia descendamus, votum est ut in commate primo presbyteros nostros urgeamus ad maiorem atque maiorem eorum sacerdotii aestimationem, ad fortiorem et manifestiorem eorum sacerdotii et ministerii amorem. Illud bene agimus quod fortiter amamus.

Miror vero quod minimus sermo fiat de sacramenti poenitentiae ministerio. In commate tertio, ubi agitur de presbyteris sacramentorum ministris, vel in commate quarto, ubi de presbyteris educatoribus fidei — at rectius dicendum « in fide » —, instandum erit efficacius in huius ministerii confessionalis amorem et sollicitudinem et deditionem ex parte presbyterorum, in eius utilitatem et foecunditatem praesertim ut animae quaerere et gustare satagant illam quam vocant directionem spiritualem, quae in dies magis necessaria evadit quaeque est fere conditio sine qua non ad succrescendos in Christo Iesu maxime illos vel illas qui aliqualem singularem responsabilitatem vel formam testimonialem Christo et Ecclesiae reddere debent. Num « charismata laicorum » de quo textus agit in commate octavo, authentice recognoscuntur et in actu explicantur sine sacerdotali, ut ita dicam, chrismate?

Aliquid ergo profundius et instantius optandum videtur de hac arte sacerdotali, animarum educatrici, quae in poenitentiae ministerio radices veras habet, locumque proprium tenet, ubi gratia Christi et potestas sacerdotalis insimul operantur.

In commate vero sexto « De habitudine inter episcopos et presbyterium » unum corrigerem, unum adiungerem. Correctio quam velim haec est. Totus commatis sermo fit sub numero plurali: episcopi et presbyteri. At hic loquendi modus nimis genericus apparet. In concreto presbyter habitudinem habet cum suo episcopo. Congruum videtur ut post enunciationes de principiis in numero plurali, sermo descendat ad numerum singularem; sic clarius et vividius elucebit coniunctio uniuscuiusque presbyteri cum suo episcopo. Iterum dicam animadversionem respicere formam, sed forma non est flocci facienda si illam efficacem cupimus. Hoc enim permagni est, ut presbyter se sciat immediate a suo episcopo promanantem eidemque suo episcopo immediate inhaerere debere.

Adiunxerim autem aliqualis sermo de spiritualitate specifica cleri dioecesani, quae in hoc stat ut presbyter pleniorem conscientiam acquirat suarum relationum cum Ecclesia particulari cuius est et filius et minister, cuius bono se dicatum vovit, cuius vitalitatis est responsabilis sub episcopo suo, ne Ecclesiae ipsius evadat instrumentum sterile vel noxium, ut in Apocalypsi omnes monemur.

In extremo commate septimo, ad periodum quae incipit « demum », nescio an nimius pudor calamum retinuerit, ne clarior fieret sermo de presbyteris qui, morum vel dogmatum vel disciplinae ratione, sive aliquatenus defecerunt sive in apostasiam deiecti sunt. Hic morandum puto; immo et bonum habeo si venerandum hoc Concilium paternissime adloquatur presbyteros etiam apostatas, saltem pietatis amorem inseminando, gratiae reditus ianuam aperiendo; divinae demum providentiae incognitum diem laetitiae relinquamus. Cur amoris colloquium — in hac colloquii aetate — etiam cum fratribus deperditis non instaurandum? Immo sit primum et ex corde demanans!

Utique textus agit de virtutibus sacerdotium verificantibus, et in particulari de oboedientia, de paupertate et de mutua caritate. Forsan quis velit vel pressius vel magis coordinate.

De oboedientia, v. g. agitur in commate sexto. Hic autem non tantum oboedientia proprio episcopo videtur revocanda, sed suadenda etiam erga presbyteros quomodocumque superiores, quae tandem in oboedientiam erga episcopum redundat, atque ab ea definitive promanat. De hac oboedientia subordinata nulla fit mentio.

De paupertate sermo est in commate decimoquarto, simul cum castitate, quia visum est seiunctum comma efficere « de consiliis evangelicis ». Estne haec seiunctio unitatis legi consona? Quidquid est, congruum videretur coelibatus et paupertatis laudem et exhortationem paulisper extollere, et presbyteros nostrae aetatis contra pericula et seductionis paterne admonere.

De mutua caritate inter presbyteros agitur in commate septimo. Numquam

autem memoratur illud Christi: « Ex hoc cognoscent quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem »; quod memorandum est! Presseque instandum in aliud illud Domini « Ut unum sint »! Haec autem, si inter presbyteros non primo verificentur, quomodo aliis praedicabuntur? Hoc comma septimum de caritate ex Evangelio deducendum et in Evangelio incipiendum est, tali vivido ac forti sermone ut solemniter luceat sacerdotalem caritatem esse signum et prophetiam Ecclesiae, ac sine mutua sacerdotali caritate irritum fieri Evangelium et sacerdotium.

Si possibile non est omnes has virtutes in unum recolligere, saltem quod de eisdem dicitur, ubicumque dicitur, sapiat fortius saporem salis, splendeat vividius fulgore lucis.

Uno verbo, Spiritum facimus ex nobis loquentem. Spiritus ergo loquatur. Spiritui cedant doctorum cathedrae. Talis sit textus ut Spiritus vocem — qui loquitur quod Dominus Iesus indicat ei — presbyteri immediate sentiant atque percipiant.

155

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS FAUSTINUS ZAZPE
Episcopus Raphaeliensis

El esquema no llega a responder a toda la problematica actual del sacerdocio. Hoy se plantean cuestiones de indole teologica, espiritualidad y pastoral.

Teologicas: Que es el presbiterado? Un oficio transitorio? Afecta o no, a la persona? Pueden darse las funciones presbiterales, sin el sacramento? Hay una diferencia esencial entre el sacerdocio commun y el ministerial?

Espiritualidad: Es laical matizada? Es religiosa matizada? Es algo especifico?

Pastoral: La situación actual exige una idendidad sociologica con el ambiente que nos rodea? Frente a un laicado con responsabilidades tan generales, que llegan a lo cultual, no habrá que pensar que el presbitero es un laico con funciones mas extensas? Etc., etc.

Se cuestiona, no solo el cómo del ministerio, sino el *mismo ser* sacerdotal.

Es conveniente que el esquema responda a toda esta problematica.

En lo teologico: debe enseñar muy claramente, que el presbiterado, afecta al *esse mismo,* ya que es una configuración ontologica con Cristo-Sacerdote que modifica, por tanto a la misma persona; que se recibe por participación del sacerdocio pleno episcopal, en un orden presbiteral y en el contexto de una Iglesia local, y que es simplemento diverso del sacerdocio comun de los fieles.

Espiritualidad: Es propia y especifica: configuración intima con Cristo, bajo el angulo del Buen Pastor. Vida de amor por el Padre y por las ovejas. Ese mismo amor, subministrará las exigencias, las actitudes y las formas. Es

decir que el mismo ministerio (con una fuerte tonalidad de comunidad por razon del Presbiterio, en el cual debe vivirse) serà la fuente de la espiritualidad presbiteral.

Pastoral: La actual situación religiosa, exigirá nuevos estilos y formas de vida sacerdotal, diferentes a las conocidad hasta hoy y que se añadiran a las actuales. Estas, a su vez seran rejuvenecidas.

b) Se llegara a una mayor conformidad sociologica con el medio, pero nunca a una identidad.

c) Su función será animar el laicado, pero no suplirlo. Las suplencias tendran solo caracter de excepción.

156

EXC.MUS P. D. IGNATIUS ZIADÉ

Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

Textus recognitus schematis in genere mihi placet. Laudandus est praesertim propter principium theologicum ex quo cetera particularia oriuntur et in quo uniuntur, scil. mysterium ordinis presbyteratus. Cardo totius Decreti iam apparet in prooemio, sed melius et clarius in initio paragraphi 7 (pag. 23, linn. 21-25): « Presbyteri, per ordinationem in ordine presbyteratus constituti, specialiter in unaquaque dioecesi sub episcopo proprio unum presbyterium efformant ». Haec affirmatio bene cohaeret cum inspiratione generali nostri Concilii ubi renovetur Ecclesia ut mysterium Communionis.

Ad perficiendum tamen textum schematis, breviter propono quinque animadversiones:

1. Schema conceptum est in situatione ideali, in qua invenitur unus episcopus pro una dioecesi cum uno presbyterio. Ubi porro plures episcopi in eadem sede collocantur, sollicitudo unitatis in caritate eo magis exigitur. Unio fraterna episcoporum poterit magis promovere unionem omnium presbyterorum ad servitium fidelium.

2. Quoad Synaxim eucharisticam (pag. 18, linn. 22 s.; pag. 19, linn. 5-7), illa situatio pluralistica, ac proinde illa exigentia maioris caritatis, attentionem trahere deberent ad duplex periculum vitandum: periculum scil. occlusionis « genuinae communitatis » in seipsa, ac periculum exclusionis, vel negligentiae, erga membra aliae communitatis. Reddendum est semper ad fontem sacramentalem unitatis Ecclesiae localis.

3. Quoad ministerium presbyterorum in genere, optandum est ut hoc decretum magis cohaereat cum ceteris decretis huius Concilii, specialiter cum decreto *de activitate missionali Ecclesiae,* ac vice-versa. Missio enim inhaeret ministerio sacerdotali, sicut inhaeret muneri episcopi et vocationi laici. In situatione pluralistica vero, optamus actuosiorem coordinationem inter omnes

responsabiles missionis, in spiritu concordiae et fraternitatis. Unitas enim ad missionem ordinatur.

4. Pag. 27, lin. 7, mentio fit de spiritu oecumenico in ministerio presbyterorum. Intentio optima est, expressio vero minus felix mihi videtur. Textus enim loquitur de « fratribus seiunctis ». Sed, ni fallor, ista verba a Papa Ioanne non probata fuerunt ut nimis ambigua, ac, nuperrime, in allocutione Beatissimi Patris Pauli Sexti ad Coetum Nationum Unitarum in New York, invenimus veriorem expressionem « fratres christiani ». Propono ergo ut in hoc loco ac deinceps in iisdem occasionibus utamur verbis: « fratres christiani non catholici ».

5. Quoad vitam presbyterorum (pag. 30 s.) agitur optime de sanctitate presbyterorum promovenda. Sed humaniter propono ut agatur etiam de humanitate presbyteri ut conditio prima sanctitatis. Nos omnes, qui sacramento Ordinis consecrati sumus, humani esse debemus ac indesinenter humaniores fieri, ad imaginem et secundum virtutem veri et unici Pastoris hominum, Domini Nostri Iesu Christi. Schema nostrum, mihi videtur, non semper vitat speciem falsi supernaturalismi. Specialiter in mundo huius temporis Ecclesia in Diaspora novum stylum magis humanum vivere debet, in luce mysterii Incarnationis. Certo, decretum non est nisi decretum, sed ianuam non claudamus futuris et variis vocationibus Spiritus Sancti.

157

PLURES EPISCOPI EX DIVERSIS LOCIS

A

1. Schema in genere placet; attamen insufficienter in lucem ponuntur quae sequuntur:

a) quae sit natura sacerdotii secundi ordinis, relate ad sacerdotium Novi Testamenti, et quatenus missionem apostolorum continuat in cooperatione cum episcoporum missione;

b) non dicitur presbyterorum ministerium « in Spiritu Sancto » exerceri sub influxu continuo Spiritus Christi Iesu;

c) non ostenditur presbyterorum vitam unitatem invenire in sanctitate quae oritur cum ex missione tum ex gratia quae illi debetur ob missionem;

d) non aperte declaratur specifica vocatio presbyterorum ad vitam summe evangelicam, et quam maxime configurandam virtutibus quibus ipsius Christi vita insignita est, praesertim dependentiae a Patre, castitati et universali abrenuntiationi;

e) momentum ministerii verbi, in ordine ad suscitandam et instituendam fidem, non sufficienter elucet;

f) nec necessitas quae singulis presbyteris incumbit nunquam obliviscendi se tam ad infideles quam ad fideles esse missos;

g) nec proprius presbyterorum locus in populo Dei necnon in mundo, « in » quo esse debent, quin sint « de » mundo.

2. Devitetur exhortativus sermo quem praeseferunt nonnulli posterioris partis loci; item presbyterorum foveatur zelus atque spiritualis et apostolicus ardor, nec solum eorum revocentur obligationes; denique magis persuasum habeant presbyteri se ontologice unum esse cum episcopis, necnon inter se et cum fidelibus. Qua de re, nonnulli loci textus « emendati », qui sunt optimae notae, opportunae reassumantur.

3. Tandem in votis est exhortationem qua clauditur decretum breviore atque valentiore modo conscribendam, ut presbyteri inflammato zelo ardeant, ut inveniantur fideles in exercenda missione cui nulla alia vocatio suffici possit.

Ad hunc finem, nomine conferentiae episcoporum Galliae, necnon permultorum aliorum Patrum, infrascripti episcopi humiliter ac reverenter commissionis conciliaris iudicio adnexas animadversiones deferunt.

[*Subscripserunt etiam*] L. de Bazelaire, arch. Chambéry; A. Atton, ep. Langres; J. Guyot, ep. Coutances; J. Vilnet, ep. Saint Dié; A. Gand, coad. Lille; J. Ziadé, arch. Bairut; G. Riobé, ep. Orléans; M. Baudoux, arch. Saint Boniface; F. Ayoub; G. Bannwarth, ep. Soissons; A. Hacault, aux. Saint Boniface; J. Patria, ep. Périgueux; J. Podestà, ep. Avellaneda; R. de Roo, ep. Victoria Canada; H. Gufflet, coad. Limoges; E. Polge, aux. Avignon; B. Alix, aux. Le Mans; J. Brunon, aux. Toulouse; Hyacinthus, ep. Mondoñedo-Ferrol.

B

(Prooemium) Pag. 11, lin. 16: sic legatur: « Quapropter, ut presbyterorum ministerium, in spiritu laeti servitii, efficacius adimpleatur, utque eorum vita aptius ordinetur "in aedificationem Corporis Christi", Sacrosancta haec Synodus, cum dilectione, quae sequuntur statuit.... ». *Ratio*: textus quem proponimus eadem dicit ac textus recognitus, sed addit notam dilectionis episcoporum erga presbyteros.

Pag. 11, lin. 19, post « statuit », addatur: « Haec in tanta gentium regionumque diversitate nonnisi generalia decerni possunt. In singulis vero nationibus, normae aptiores et magis determinatae de ministerio et vita presbyterorum statuentur ab episcoporum conferentiis, collatis consiliis, si casus ferat, cum conferentiis superiorum maiorum religiosorum, certis temporibus recognoscendae, ita ut principia universalia ad particularia locorum temporumque adiuncta accommodentur, et actio vitaque presbyterorum magis congruat pastoralibus necessitatibus illarum regionum in quibus exercetur ». *Ratio*: patet ex ipso textu.

Pag. 12, par. 1, initio: restituatur textus sic dictus « emendatus » et dicatur: « 1. (*De natura presbyteratus*). Ecclesia, quae, innuente Sacra Scriptura (cf. *1 Pt.* 3, 18-21), a Patribus arca salutis nuncupatur, dicenda est mitti a Christo sicut Christus mittitur a Patre (cf. *Io.* 20, 21), atque a Spiritu divino ducitur et regitur, quem Christus in eam infudit (cf. *Io.* 20, 22;

Act. 2, 1-4); cuius omnes fideles sanctum et regale sacerdotium efficiuntur, ut offerant spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum, et ut virtutes eius, qui de tenebris eos vocavit in admirabile lumen suum, annuntient (cf. *1 Pt.* 2, 5 et 9). Nullum ergo datur in ea membrum quod in missione totius Corporis partem non habeat, sed unumquodque sanctificare debet Iesum in corde suo (cf. *1 Pt.* 3, 15), et spiritu prophetiae testimonium de Iesu reddere (cf. *Apoc.* 19, 10) ». *Rationes*:

1) Paragraphus non agit nisi de *natura* presbyteratus; ideo in titulo ipso, tollendum verbum « et condiciones ».

2) Opportunum videtur manifestare quis sit locus sacerdotii ministerialis intra missionem totius Ecclesiae.

3) Revocandum erat fundamentum missionis, ut in textu « emendato » legebatur, ob eius momentum.

Deinde dicatur: « Ad hanc missionem adimplendam, Christus Dominus, ad populum Dei suscitandum, pascendum, semperque augendum, in Ecclesia sua ministros instituit sacra potestate pollentes qui, virtutem perennis sui sacerdotii ministrando propriamque suam actionem salvificam manifestam reddendo, fratribus suis inservirent ». *Rationes*:

1) Populus Dei non solum pascendus est et semper augendus, sed prius suscitandus.

2) Loco « exercendo » dicitur « ministrando », cum solus Christus sacerdotium exerceat per sacerdotes ministros.

Pag. 12, lin. 31, post verba « Novi Testamenti » addatur: « ... Testamenti. Si enim est episcopus apostolorum successor, presbyter autem ordinis episcopalis cooperator, presbytero quoque congruunt quae scripsit Paulus de apostolo, cui gratia data est a Deo ut sit minister (leitourgos) Christi Iesu in Gentibus; sanctificans (hierourgôn = sacerdotans) Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, sanctificata in Spiritu Sancto (*Rom.* 15, 16). A. v.: per Evangelii proclamationem apostolus, ergo presbyter, convocat populum Dei sanctificatum in Spiritu Sancto et sic omnes qui sunt membra illius populi, capaces efficit seipsos offerendi tanquam "hostiam viventem, sanctam, Deo placentem" (*Rom.* 12, 1), sacrificium spirituale coniunctum Domini morti cuius in Dominica coena memoria celebratur donec veniat (cf. *1 Cor.* 11, 26). Sic sacerdotium Christi ministrans, presbyter populum Dei congregat in adventum Domini ». *Rationes*:

1) Munus sacerdotale Novi Testamenti, sicut in textu schematis proponitur, recte deducitur ex missione apostolica collocata a Christo unico et aeterno Sacerdote. Perutile tamen videtur quod textus conciliaris in meliorem lucem ponat valorem proprie sacerdotalem apostolatus presbyterorum, quia multi presbyteri, hodiernum et legitimum quidem apostolatus laicorum provectum considerantes, quaerant quid proprium habeat apostolatus presbyterorum, quod illum ab apostolatu laicorum intrinsece distinguat, illumque constituat quid essentialiter presbyterale, et praestantibus apostolatu laicorum.

2) Perutile quoque videtur, ad oecumenicum dialogum ineundum cum

fratribus seiunctis a Reformatione decimi sexti saeculi, ut textus ostendat naturam proprie sacerdotalem presbyteratus in Novo Testamento radicari.

Pag. 13, lin. 1, post verba « reduci non potest », addatur et dicatur: « ... reduci non potest. Ut significentur efficaciter actio Christi praevenientis erga Ecclesiam suam et primatus gratiae in operibus eiusdem Ecclesiae, sacerdotium presbyteri peculiari sacramento indiget, quo presbyter speciali modo Christo sacerdoti configuratur, ita ut, missionis episcopalis particeps factus, in nomine Christi Capitis et Mediatoris agere valeat ». *Rationes*:

1) In textu « recognito » sacramentalis natura presbyteratus asseri videtur modo nimis negativo (reduci non potest). « Modus » qui proponitur praebet quae sit ratio sacramentalitatis presbyteratus per quam aperte manifestatur intentio Dei. Et ita inducitur sequens periodus.

2) Periodus illa est « cardo » schematis; in ea nititur specificitas propria hierarchici muneris presbyterorum. Presbyter autem est minister Christi Capitis quatenus Christus est Mediator i. e. quatenus modo transcendenti adimplet omnia Veteris Testamenti munia, Prophetae scilicet, Regis ac Sacerdotis.

3) Scribendo « in nomine » Christi Capitis, potiusquam « in persona Christi », minus stricte ad Eucharistiam refert schematis formulam; presbyter enim « in nomine » Christi agit non solum cum Baptisma aut Sacramenta ministrat, sed etiam cum apostolatum exercet.

Pag. 13, lin. 21: deleantur linn. 21-24, et loco earum, legatur: « Talis consecratio, in sacramento radicata et per unctionem Spiritus operata, constituit presbyteros, ratione missionis eorum, ministros Christi et dispensatores Novi et Aeterni Testamenti pro omnibus hominibus. Vocatione sua imitentur oportet Dominum Iesum, quem Pater sanctificavit et misit in mundum (cf. *Io.* 10, 36): Verbum enim Dei, caro factum, habitavit in nobis, sicut « Emmanuel » celebratur, i. e. nobiscum Deus (cf. *Io.* 1, 14; *Mt.* 1, 23) voluitque per omnia fratribus similari, absque tamen peccato (cf. *Heb.* 2, 17; 4, 15). Ipsum iam imitati sunt apostoli, et testatur Paulus, Doctor gentium, omnia omnibus se factum esse ut omnes faceret salvos (cf. *1 Cor.* 9, 19-23 vg).

Deleantur linn. 34-38, et loco earum legatur: « Eadem vocatione, quodammodo in sinu populi Dei segregantur, non ut separentur ab eo, nec etiam a quovis homine, sed ut totaliter consecrentur operi ad quod assumpti sunt (cf. *Act.* 13, 2) ».

Deleatur textus pag. 13, lin. 41 (ita et apostoli...) ad pag. 14, lin. 3 (... fieri hominum) et sic prosequitur textus: « Ministri enim Christi esse non possent nisi regni Dei testes esse et dispensatores, neque hominibus inservire valerent si eorum vitae condicionique extranei remanerent ».

Deleantur pag. 14, lin. 7 (Quare tenentur...) usque ad lin. 18 (imbuant vitam) et loco earum sic legatur: « Propter ministerium ipsum (cf. *1 Cor.* 4, 1-4; 9, 19 s.; *1 Thes.* 2, 1-12), presbyteri huic saeculo sese conformare non possunt (*Rom.* 12, 2); sed simul tenentur vivere in hoc saeculo cum omnibus hominibus, et sicut boni pastores, cognoscere oves suas, iam fideles et alias

quae non sunt ex hoc ovili ut vocem Christi audiant et fiant unum ovile et unus Pastor (cf. *Io.* 10, 14-16) ». *Rationes*:

1) Periodi quas delendas putamus, non logice connectuntur cum prioribus. Nam textus qui praecedit, sacramentalem naturam presbyteratus exposuit; eruendae ergo essent consequentiae huius sacramentalis naturae quoad consecrationem presbyteri: consecratio scil. ad missionem, per unctionem Spiritus (per manuum impositionem). Proinde haec consecratio vinculum indissolubile statuit inter « segregationem » (ob necessitudinem specialem quam habent ad Christum), et conversationem cum hominibus (ob missionem ad homines).

2) Ostendatur « specificus » adspectus presbyteri quoad populum Dei iam congregatum necnon construendum, non ope motivorum quibus nitatur vita religiosa aut vita christiana simpliciter considerata, sed ope motivorum quae ad ipsam naturam ministerii presbyteralis pertineant. Quod punctum maximi momenti est in ordine ad authenticam presbyteralem spiritualitatem construendam.

Pag. 14, lin. 18, in fine paragraphi, addatur: « Haec missio presbyterorum, stricte cum missione episcopi coniuncta et in servitium populi Dei collata, per tria munera hierarchica adimpletur. Sed necesse est prae oculis habere totam amplitudinem illorum munerum. Quia Christus Dominus pro universo mundo mortuus et a mortuis suscitatus est, Presbyterorum missio per munera pertinet non solum ad populum iam christianum, sed etiam ad oves quae nondum Evangelium salutis receperunt ». *Ratio*: necessarius est modus ad sequentia transeundi, qui pressius dicat presbyteralia munera: nam etsi iurisdictio presbyterorum solos baptizatos respicit, eius pastoralis responsabilitas ad omnes homines quorum habet curam, sese extendit. Exinde hierarchica munera missionariam indolem essentialiter prae se ferunt.

Pag. 14, linn. 23-35, legatur: « Verbo enim salutari in corde infidelium suscitatur et in corde fidelium alitur fides, qua congregatio christianorum coalescit, secundum illud apostoli... ». *Ratio*: nuntium Evangelii iis qui non sunt fideles melius declaratur. Videas sensum textuum qui afferuntur: (*Rom.* 10, 17; *Mc.* 16, 15).

Pag. 14, lin. 37, loco « quas in Domino habent », legatur: « ... quibus in Domino gaudent ». *Ratio*: ut vitetur quaelibet interpretatio Donatismum redolens.

Pag. 14, linn. 38-40, legatur: « Sive igitur conversatione sua inter gentes bona ipsos detrectantes ad Deum glorificandum praeparant (*1 Pt.* 2, 11-16; *Mt.* 5, 14-16) sive explicite mysterium Christi non credentibus annuntiant (*1 Pt.* 3, 15), sive catechesim... ». *Ratio*: ut plenius describatur apostolatus presbyterorum erga non credentes (cf. etiam *Lc.* 24, 19; *Act.* 1, 1).

Pag. 15, lin. 4, post « invitare » addatur: « Ita ministerium verbi multiformiter exercetur, secundum diversas audientium necessitates et praedicantium charismata ».

Deinde hoc modo prosequatur: « Evangelii praeconium requiritur ad

ipsum Sacramentorum ministerium, quatenus sacramenta sunt fidei, quae de verbo nascitur. Unde presbyteri in regionibus vel coetibus non christianis, saluti ovium subveniunt prius Evangelio quam sacramento, iuxta dictum Christi: "Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit" (*Mc.* 16, 16). Ubi vero iam adest Ecclesia, illis ovibus quae parum intelligere vel credere videntur quae frequentant apte proponunt veram fidem ad sacramentorum ministrationem ». *Rationes*:

1) Ratio ex qua ministerium diversum est, e duabus causis eruitur, quas in meliorem lucem ponit textus noster.

2) Textus secundo loco additus, agit de necessitudine inter verbum et sacramentum, quod est unum e punctis maximi momenti hodiernae pastoralis curae. Proinde textus non solum de intelligentia loquatur, sed et de fide; nec tantum de christianis non plene edoctis, sed de omnibus, cum omnes ad sacramenta vocentur; nec tantum de praedicando verbo Dei intra missam, sed de necessitudine inter Eucharistiam et quoslibet modos secundum quos proclamatur fides.

Pag. 15, statim post verba proxime addita, « sacramentorum administrationem », prosequatur textus uti sequitur: « Eucharistiam esse fontem et culmen totius operis evangelizationis meminerint presbyteri dum celebrant. Adest enim Christus, simul Apostolus et Pontifex confessionis nostrae (*Heb.* 3, 1), qui non tantum convertit per verba presbyterorum panem et vinum, qui sunt ex creatione et vitam hominum significant (IREN., *Adv. Haer.*, IV, 17, 5), in suum Corpus et suum Sanguinem, sed etiam Ecclesiam, praesertim ministros, impellit ad totam creationem totamque hominum vitam convertendas, per Evangelii verbum, ut ab ortu solis usque ad occasum oblatio munda fiat nomini Domini (*Mal.* 1, 11) ». *Ratio*: praestat arctiori modo connectere primam periodum posterioris paragraphi cum priori paragrapho, pressius dicendo rationes diversitatum quae adsunt, adversum angustiorem modum quo presbyteri quidam res concipiunt.

Deinde non restringatur necessitudo verbi ad sacramenta, ad solam condicionem christianorum: habenda est enim ratio de iis qui non sunt christiani; et denuo dicatur sacramenta esse fidei sacramenta, quod est ratio theologica ob quam prius sit verbum quam sacramentum.

Tandem Eucharistia habet cum evangelisatione necessitudinem magis amplam quam necessitudo vigens, inter celebrandum, inter liturgiam verbi et liturgiam Eucharistiae.

Pag. 15, lin. 37: sic scribatur: « Omnia tamen ecclesiastica ministeria, non solum cetera sacramenta, sed etiam opus apostolatus, cum sacra Eucharistia cohaerent et ad eam ordinantur. Quapropter, imprimis, per institutionem catechumenatus, in mentem revocant presbyteri et totus populus cum illis, opus et ministerium Ecclesiae Dei, ad nova membra Corporis Christi suscitanda semper ordinari. Meminerint ergo presbyteri quod communicando Corpori et Sanguini Christi... ». *Rationes*:

1) Eucharistia non solum est culmen sacramentorum, sed fons est et

culmen totius operis Ecclesiae, proinde etiam apostolatus presbyterorum. Qui adspectus essentialis est ut unitas instituatur in vita presbyterorum.

2) Opus Ecclesiae semper includit vocationem ad novos christianos Corpori Christi mystico inserendos, praesertim in regionibus in quibus christiani pauciores sunt (duae tertiae partes hominum in mundo non sunt christiani). Quod requirit ut presbyteri non satis habeant rite sacramenta christianis ministrare, sed etiam tali modo id facere ut christiani ceteros homines ad fidem provocent.

Pag. 16, lin. 12: legatur textus: « ... fideles vitam suam cum Mysterio paschali unire, et ita illam Deo offerre; ... ». *Ratio*: ut textus huius decreti plenius concordet cum textu constitutionis *de sacra Liturgia.*

Pag. 17, lin. 10, post « ad Deum Patrem adducunt », addatur: « Numquam obliviscantur se esse ministros Christi, qui vult omnes homines salvare atque filios Dei dispersos congregare (cf. *Lc.* 19, 10; *Io.* 11, 52), et propterea munus pastorale suum ab apostolica responsabilitate disiungi non posse ». *Ratio*: congregatio christianorum in unum, et munus pascendi presbyterorum disiungi nequeunt a missionaria responsabilitate. Aliis verbis: in « regendis » fidelibus, presbyteri rationem habeant non credentium.

Pag. 17, linn. 28-32, textus sic immutetur: « Presbyteri ergo, qua fidei educatores, curent ut sive per se sive per alios singuli fideles ad suam propriam vocationem secundum evangelicam fidem excolendam, ad sinceram operosamque caritatem et ad libertatem, qua Christus nos liberavit (cf. *Gal.* 4, 31; 5, 1; 5, 13), in Spiritu Sancto adducantur. Parum proderit... ». *Rationes*:

1) Praestat in lucem ponere diversitates vocationum in Ecclesia, et primarias partes Spiritus Sancti in vocationibus suscitandis et ad felicem exitum ducendis.

2) In mente habeantur paroeciae quae ingenti numero incolarum constant, in quibus nequeunt presbyteri curam gerere singulorum fidelium ita ut negligant curam non credentium, qui persaepe maioris sunt numeri.

Pag. 20, lin. 4, post verba « peculiari modo pertineant », addatur: « Systemata quoque philosophica, et opiniones, quae nunc vulgo disseminantur, et tantopere in mentes hominum huius temporis influunt, ita cognoscant, ut quid in eis verum sit vel falsum discernant, et ad colloquium cum hominibus sui temporis opportune praeparentur. Item, secundum optatum huius Sacrosancti Concilii, quaestionibus quae ad oecumenismum spectant, studeant, ut ad unitatem inter universos christianos redintegrandam, opportune laborare possint ». *Ratio*: studium horum problematum ministerio sacerdotali exercendo multum confert (cf. *De institutione sacerdotali,* nn. 15 et 16).

Pag. 20, lin. 20, post « pervestigandum » sic scribatur: « ... theoretice et practice de presbyterorum huius temporis missione erga christianos et non christianos, atque de re biblica, catechetica... ». *Ratio*: in sic dictis « mensibus sacerdotalibus », qui ordinantur ad eorum institutionem continuam, pre-

sbyteris opus est non solum ut perficiant disciplinas ecclesiasticas, sed etiam ut adiuventur in exercendis pastoralibus muneribus.

Pag. 20, lin. 38: deleantur linn. 38-41, et sic mutetur textus: « ... accommodent. Considerent ergo episcopi singuli vel inter se uniti modum opportuniorem efficiendi ut omnes sui presbyteri, elapso studiorum in seminario curriculo, et post peractam institutionem pastoralem de qua in decreto *de institutione sacerdotali,* n. 19, possint, maxime aliquot post annos ab eorum ordinatione, frequentare cursum, quo ipsis praebeatur... ». *Ratio*: ut magnopere ostendatur continuitas quae existit inter institutionem in seminario habitam, et « annum » ut dicitur « pastoralem », necnon inter disciplinarum sacrarum studium et rei pastoralis, ad quod praesertim per priores annos ab ordinatione, incumbere debent neo-presbyteri.

Pag. 21, lin. 13, post « participant », addatur: « ut ipsa unitas missionis, quae in concelebratione significatur et consummatur, requirat... ». *Ratio*: magni momenti est ut commemores concelebrationem eucharisticam signum esse et culmen unitatis presbyterii cum episcopo.

Pag. 21, lin. 20, loco « munere docendi », dicatur: « munere evangelizandi... ». *Ratio*: vox « evangelizandi » locum dat non solum praedicationi factae ad homines qui iam credunt, sed etiam invitationi factae ad homines qui non credunt.

Pag. 21: deleantur linn. 21-31. *Ratio*: hic frustra remittitur, at non sine discrimine quod aequivocatio inducatur, ad institutiones Veteris Testamenti quas refert Pontificale Romanum.

Pag. 22, lin. 12, deleantur linn. 12-15, et sic legatur: « Presbyteri autem, vinculo caritatis et oboedientiae cum suo episcopo, qui et ipse apostolatum authentice non exercet nisi in communione cum Collegii Capite et membris. Ordinis episcopalis providi cooperatores fiunt, in opus ministerii, in aedificationem unius illius Corporis, quod compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem uniuscuiusque membri, augmentum sui facit in caritate (cf. *Eph.* 4, 12-16). Ita omnes ministri debitores sunt invicem, ab invicem pendentes, ad opus ministerii; sed presbyteri apostolatum exercere nequeunt nisi sub ductu authenticorum fidei praeconum et doctorum, Supremi Pastoris auctoritate nitentium ». *Ratio*: opus est instare in motivis quibus alte nititur tam necessitudo cum episcopo quam unitas in ministerio exercendo.

Pag. 32, lin. 32, post verba « manus imponere invitentur », dicatur: « Singuli ergo presbyteri cum confratribus suis uniantur vinculo communionis in caritate, oratione et omnimoda cooperatione, atque ita omnibus hominibus dent signum illius unitatis qua Christus voluit... ». *Ratio*: eadem est ac in emendatione quae antecedit.

Pag. 25, lin. 3: textus sic immutetur: « ... conventus. Magni quoque habendae sunt et sollicitudini pastorali conferentiarum episcopalium committendae associationes quae, per aptam et convenienter approbatam ordinationem vitae et per iuvamen fraternum, sanctitatem sacerdotum in exercitio mi-

nisterii fovent, ideoque fidelem coniunctionem atque generosam cooperationem cum suo episcopo, necnon communionis sacerdotalis vinculum inter presbyteros roborent (cf. *Lumen Gentium,* n. 41), et sic toti ordini presbyterorum intendunt ». *Ratio*: de associationibus sacerdotalibus quae magnopere commendantur, nihil dicitur quoad necessitudinem quam habeant cum ordine episcopali. Operae vero pretium est ut, modo magis aperto, id dicatur. Nam:

1) Episcopi collegialiter sponsores sunt huiusmodi Associationum: ob imminutionem auctoritatis episcoporum, ortam ex oblivione naturae collegialis ordinis episcopalis, necnon ob necessitatem Associationum praetergrediendi dioeceseon limites, episcopi pastoralem responsabilitatem erga illas exercere non valebant; proinde Associationes illae extra vitalem influxum manebant, qui effluit ex eminenti episcoporum munere, scilicet sanctificandi clerum (cf. Exhort. S. Pii X, *Haerent animo*: A.S.S., 41, p. 555). Immo quidam episcopi persuasum habebant quod Associationes pleno iure responsabilitatem episcopalem effugiebant.

2) Omnes presbyteri fructum capient ex hac pastorali sollicitudine episcoporum: tum illi qui huiusmodi Associationibus libere nomen dederunt, tum ceteri qui compertum habentes quod membra earum non se eximunt a communitate dioecesana, sed et contra, quod, in diversitate vocationum et gratiarum, melius firmatur mutua supernaturalis unitas presbyterorum, necnon coniunctio cum ordine episcopali ad implendam in gaudio Ecclesiae missionem.

Pag. 25, lin. 41 « ... pro multis (*Mt.* 20, 28) » transeatur ad pag. 26, lin. 28, et sic dicatur: « Presbyteri sincere laicorum dignitatem atque peculiarem, quam in missione Ecclesiae habent partem, agnoscant et promoveant. Iustam etiam libertatem quae omnibus in civitate terrestri competit, sedulo in honore habeant *atque ministrent.* Libenter igitur presbyteri audiant laicos... » (et prosequitur usque ad pag. 27, lin. 2: « ... spiritualem attrahuntur ».

Postea reditur ad pag. 26, lin. 1 « In conversatione cum fidelibus... » usque ad lin. 19: « ... haec cogitate » (*Phil.* 4, 8), et addatur: « Talis humana bona conversatio apud non credentes magni ponderis est, sive nomen christianum propter humanos cleri defectus blasphematur sive bona eorum conscientia (*Rom.* 2, 14-15) ad colloquium eos praeparat ». *Rationes*:

1) Ita unitas inter duas pericopas melius apparet, cum in textu « recognito » per totam pericopam mediam, rumpatur.

2) Addendo autem « ministrent », melius apparet necessaria coniunctio inter partes laicatus et sacerdotii in adimplenda missione Ecclesiae.

3) In lucem melius ponitur « valor missionarius » humaniorum virtutum de quibus modo locutum est.

Deinde prosequatur textus: pag. 26, lin. 20 cum mutationibus sequentibus: « Ius quod fideles habent recipiendi a clero spiritualia bona ad suam salutem necessaria, iidem obtinere non possent si, petentibus illis panem verbi Dei et Corporis Christi, presbyter non esset qui frangeret eis (cf. *Thren.*

4, 4). Sed praeter hanc sollicitudinem erga fideles, meminerint se cum eisdem fidelibus debitores esse erga infideles, sicut dicit Paulus de ministerio: "Vae mihi, si non evangelizavero" (*1 Cor.* 9, 16) ». *Ratio*: magnopere tenentur presbyteri ut totam communitatem fidelium consciam efficiant responsabilitatis quam habet erga non credentes, qua in responsabilitate presbyteri magnas partes habent.

Deinde redeatur ad pag. 27, lin. 3, cum mutationibus quae infra notantur: « Exemplum Boni Pastoris secuti, presbyteri solliciti sint illorum qui a praxi sacramentorum, immo forsan a fide defecerunt. Meminerint etiam fratrum seiunctorum, in mentem revocantes desiderium et orationem Christi: "Ut omnes unum sint, ut credat mundus quia Tu me misisti" (*Io.* 17, 21). Solliciti sint etiam qui Christum Salvatorem suum non agnoscunt ». *Ratio*: ordinatio rerum magis logica optabatur.

Pag. 29, lin. 34: post « ... diversimode cooperandi », addatur: « praesertim per instantem orationem et opera christianae paenitentiae ». *Ratio*: ipse Dominus noster discipulis mandavit ut ad obtinendos in messem operarios, orationes ad Dominum messis effunderent. Cf. *De institutione sacerdotali,* n. 2.

Pag. 30, lin. 19: post « consideranda sunt », addatur: « Item commendanda sunt opera vocationum, sive dioecesana, sive nationalia, quibus, sub ductu episcoporum, praesunt homines idonei, presbyteri et laici, qui, diversis studiis et experientiis, principia essentialia communis actionis pastoralis vocationum, determinare possint ». *Ratio*: experientia constat haec opera vocationum ad vocationes fovendas et methodos actionis pastoralis vocationum statuendas, magnam efficaciam habere (cf. *De institutione sacerdotali,* n. 2).

Pag. 30, lin. 37, post « ... ad sanctitatem vocantur », sic legatur textus mutuatus a textu emendato, nonnullis tamen emendationibus introductis: « ... vocantur. Ad illam perfectionem assequendam, peculiari titulo adstringuntur sacerdotes, quos in Ordinatione sacra episcopus monuit "fide et opere debere esse perfectos seu geminae dilectionis, Dei scilicet et proximi, virtute fundatos". Sanctitas enim in sacerdote peculiari ratione exigitur, eo quod per Sacramentum Ordinis et characterem sacerdotalem, Deo consecratus, Christi Aeterni Sacerdotis instrumentum efficitur, ut mirabilem eius operam, quae superna efficacitate universum hominum convictum redintegravit, per tempora consequi valeat. Cum ergo omnis sacerdos, suo modo, ipsius Christi personam gerat, sicut supra diximus, ad eius perfectionem propius accedere debet cuius partes sustinet, atque (...) ita inter homines se gerere debet, ut in ipso quodammodo effulgeat sanctitas illius qui nobis factus est "sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus" (*Hebr.* 7, 26) ».

Deinde, prosequitur textus emendatus, a pag. 31, lin. 23 « Quamobrem... », usque ad pag. 32, lin. 1 « ... reprobus efficiar » (*1 Cor.* 9, 27); postea legatur: « Praeterea, quamquam gratia Dei etiam per indignos ministros opus salutis explere potest... » (prosequitur textus usque ad finem n. 12 (textus emen-

dati). *Rationes*: textu emendato praecipue usi sumus, praeter mutationes minoris momenti, ob rationes quas infra exponemus:

1) Textus emendatus magis et aptius sanctitatem sacerdotalem in ipsa natura sacerdotii ministerialis fundabat, i. e. in sacramento et missione acceptis.

2) Connexio cum textu emendato introducit secundam partem schematis « de vita presbyterorum », modo magis consentaneo cum his quae enuntiata sunt in priori parte « de natura presbyteratus ».

3) Deletur textus allatus ex *Lc.* 17, 10, cum ad omnes fideles pertineat.

Pag. 33, lin. 7 (textus recognitus), post verba « munus suum praecipuum sacerdotes exercent », addatur: « Quoties enim huius hostiae commemoratio celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur, ad laudem et gloriam nominis Dei, et universae sanctae Ecclesiae utilitatem. Cuius igitur celebratio cotidiana... ». (In notis remittatur ad Litteras Encyclicas PAULI PP. VI *Mysterium Fidei*). *Ratio*: opportunum est rationem theologicam missae privatae afferre.

Pag. 34, lin. 4, post verba « ... in discrimen vocetur », redeatur ad textum emendatum, lin. 4 « Quod ut vitent... » usque ad lin. 17 « ... Corporis eius quod est Ecclesia ».

Deleantur, eadem pag. 34, in textu recognito, linn. 4-11 « Quod ut vitent... vocati sunt ».

Deinde, eadem pag., in textu recognito, post verba « ... sibi commisso », redeatur ad textum emendatum, pag. 34, lin. 21: « Consciam igitur sacerdotalis vitae unitatem Christus constanter parit Spiritu suo in populum novum effuso ».

Postea, eadem pag. 34, deleantur, in textu recognito, linn. 17-38 « sic igitur... superabundare gaudio », et loco earum, legatur textus emendatus; pag. 34, lin. 38 « Quamobrem presbyteri », usque ad pag. 35, lin. 20 « loquor in mundo ». *Rationes*: hic quoque reassumitur textus emendatus ob rationes quas infra exponimus:

1) Fundamentalia argumenta non primo mutuanda sunt a caritate pastorali, quae est mera consequentia, sed ab ipso fonte, scil. a Christo vivente et operante per ministerium Presbyterorum (quod recte dicebatur in textu emendato, cum gratiam sacramentalem ordinationis in mente revocabat (pag. 34, linn. 4-17 et 21-23).

2) Ultima pars textus emendati (i. e. eius duae ultimae paragraphi) maximi momenti esse videtur, ob « conflictus » forte exsistentes in ministerio presbyterorum inter munus cultuale et munus apostolicum. Opus est ergo ostendere quomodo utrumque munus aspectus complementarii sint unius eiusdemque ministerii.

Pag. 35, lin. 27-28, « Cum vero... vocetur », sic legatur textus: « Cum vero presbyteri suae consecrationis et missionis ratione ad peculiarem sanctitatem vocentur... ». *Ratio*: ita fundamentum sanctitatis peculiaris presbyterorum in consecratione et missione eorum revera fundatur, et opportune in memoria revocatur.

Pag. 35, lin. 37, post verba « Ecclesiarum Orientalium », legatur: « ubi sunt simul optimi meriti presbyteri coniugati, et alii qui, cum omnibus episcopis, perfectam castitatem eligunt servandam, multimodam tamen convenientiam cum sacerdotio habet.

Missio enim sacerdotis cum sit participatio sacramentalis missionis ipsius Christi Capitis erga Corpus suum, quod est Ecclesia (*Col.* 1, 25), integra dedicatur servitio novae humanitatis, quam Christus per virtutem mortis et resurrectionis et ascensionis suae et per mirabilem effusionem Spiritus Sancti, in mundo suscitat. Quae nova humanitas originem suam "non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo" (*Io.* 1, 15), accipit et habet. Presbyteri ergo per coelibatum suum, i. e. per sacrificium amoris coniugalis necnon generationis humanae quod, innuente Ecclesia, Christo Domino offerunt, missionem Christi in ipsissima vita sua quasi effingere cupiunt. Dum enim eam paternitatem humanam libere sacrificant, quo melius soli officio regenerationis hominum in superna virtute Spiritus Christi atque universali amori devoveri queant. Presbyteri signum publicum et quasi testimonium sociale praebent tum transcendentiae missionis Christi, cui ipsi peculiariter inserviunt, tum totalis dedicationis ipsorum humanitati in Spiritu Christi regenerandae.

Christi enim discipulis commendatur » (pag. 35, lin. 40 ...). *Ratio*: interest quam maxime ut rationes coelibatus seu continentiae presbyterorum ex ipsa natura sacerdotii ministerialis deducantur.

Pag. 36, linn. 14-20: deleantur « Missio enim... » usque ad « ex Deo habet ». *Ratio*: eadem supra in meliorem locum posuimus.

Pag. 36, lin. 24, post « ... aperte testificantur », dicatur: « sicque tandem signum vivum efficiuntur illius mundi futuri, per gratiam et fidem et caritatem iam praesentis... ».

Pag. 36, lin. 35, legatur: « His omnibus convenientiae rationibus, coelibatus, qui prius presbyteris commendabatur, postea gradatim in Ecclesia Occidentali, non obstantibus in decursu temporum difficultatibus quasi immensis, solos ad presbyteratum vocari qui prius continentiam seu coelibatum elegerint, statutum est. Itaque legem... ». *Ratio*: ita modo magis perspicuo indicatur quanti Ecclesia Occidentalis faciat coelibatum presbyterorum, et quomodo lex illa rationibus supra relatis nitatur.

Pag. 37, deleantur linn. 11-21 « Inter illa vero... cum confratribus », et loco earum dicatur simplicius: « Inter illa reponi debent quae numero sequenti exponuntur ». *Ratio*: sufficit ut semel tantum exponantur subsidia ad vitam spiritualem.

Pag. 39, lin. 19, post verba « ... et Regina apostolorum », addatur: « Item fuit Maria perfectissimum instrumentum Spiritus Sancti; plus enim quam quaelibet alia creatura, fuit Spiritu Sancto plena, ab ipso Spiritu Sancto mirabili prorsus modo foecundata, et ab eodem in vias Domini ducta: quare a Beata Maria Virgine impetrent presbyteri ut ipsi quoque Spiritu Sancto repleantur, ab ipso per totam vitam ducantur, et in ministerio suo humilia et

docilia Spiritus Sancti instrumenta efficiantur ». *Ratio*: devotio quae sit proprie sacerdotalis erga Beatam Virginem Mariam debet fundari.

Pag. 40, lin. 13, « ... Ecclesia habuit (cf. *Act.* 6, 1-6) », addatur et dicatur: « Cum autem normae universales de congrua sustentatione presbyterorum dioecesanorum vix institui possint, propter varias circumstantias quae in universis regionibus vigent, cura de aptis provisionibus in hac materia determinandis conferentiis episcopalibus, praesertim nationalibus, committatur.

Officio vero, quod sacri ministri adimplent, praecipuum momentum tribuere oportet. Systema sic dictum beneficiale relinquatur vel saltem ita reformetur ut pars beneficialis, seu ius ad redditus, consideranda sit tanquam secundaria, et princeps locus tribuatur ipsi officio ecclesiastico, quod intelligi debeat ut munus stabiliter collatum ad modum ministerii exercendi ad inserviendum populo Dei (cf. const. *Lumen Gentium,* 18) ». *Rationes*:

1) Si cura de praevidentia sociali in favorem presbyterorum committitur conferentiis episcopalibus (decr. *De ministerio et vita presbyterorum,* n. 18, pag. 41, lin. 35) eadem ratio adest ut cura de sustentatione eisdem conferentiis committatur.

2) Modo magis perspicuo exponitur momentum reformationis systematis sic dicti « beneficialis ». Notio « officii ecclesiastici » melius aptatur, in quantum fieri potest, iis quae dicta sunt de ministeriis et ministris in constitutione *Lumen Gentium,* n. 18.

Pag. 40, linn. 31-33 sic legantur: « Bona ecclesiastica proprie dicta, secundum rei naturam, ad normam legum ecclesiasticarum presbyteri, administratores eorum legitime constituti, simul cum peritis laicis moderentur atque destinent... ». *Rationes*:

1) Ut humaniore modo insinuetur presbyteros esse tantum administratores, at non dominos, praedictorum bonorum.

2) Ut cooperatio laicorum imponatur.

Pag. 41, lin. 20, post « opus erat » (*Act.* 4, 35), addatur: « Summopere optandum est ut antiqua ratio bona Ecclesiae administrandi denuo instauretur. Itaque, in votis est... ». *Ratio*: in memoriam revocatur praxis antiqua secundum quam bona Ecclesiae unam massam constituebant sub administratione episcopi.

Pag. 42, lin. 10, post « propagentur », addatur: « Presbyteri ne omittant servare leges iustitiae socialis erga auxiliares suos et illos qui quocumque modo Ecclesiae inserviant ». *Ratio*: agitur de gravi obligatione, quae conscientiam presbyterorum sicut ceterorum onerat.

Animadversio ultima. In relationibus de singulis numeris, in nota C in n. 16 (pag. 60) deleatur ultima periodus « Votum ita exprimit... latior dicitur »: si officia ecclesiastica sensu stricto ad normam can. 145 § 2, tollerentur, iam non essent stabilia ut sunt munera parochorum, etc. In textu schematis tale votum non exprimitur, nec rationabiliter exprimi potest.

[*Adhaeserunt nonnulli episcopi ex Argentina, Gallia, etc.*].

C

Ad n. 16, pag. 40, linn. 14-24. *De suppressione systematis beneficialis.*

1. In diversis textibus redactionis semper servatum est principium duplex: *a*) maneat systema beneficiale; *b*) subordinetur officio.

2. Sed, manente quomodocumque systemate beneficiali, numquam obtinebitur illa fraternitas ac coniunctio inter presbyteros quam instanter constitutio dogmatica *de Ecclesia,* n. 28, linn. 3 et 5 commendat. Semper erunt privilegiati, qui a communibus operibus, curis et angustiis eximentur. Nec aequa distributio bonorum inter omnes presbyteros erit possibilis.

3. Si autem manent inaequalitates oeconomicae et iuridicae incassum intendemus constituere presbyterium; incassum etiam curabimus illas conditiones disponibilitatis ac operositatis obtinere sine quibus efficacia ministerii sacerdotalis laeditur. E contra, permanebit sensus insolidarietatis propter inaequalitates inter sacerdotes existentes.

4. Si revera commissioni cordi est efficacitas operositatis *totius* presbyterii, tollat privilegia inter presbyteros; si commissioni cordi est Evangelium in vita presbyterorum firmare, tollat inaequalitates, quae non ex Evangelio sed ex feudalismo proveniunt.

5. Unde, propositionibus tot Patrum (cf. schema decr. *de ministerio et vita presbyterorum.* Textus emendatus et relationes. Nov. 1964, pag. 40, de n. 17) adhaerentes iterum postulamus ut in posterum supprimatur systema beneficiale (in posterum apponitur ut significetur servari iura quaesita hucusque).

6. Redactio n. 16, al. 2, pag. 40, linn. 14-24 proponitur sequens: « Unde, suppresso in posterum systemate sic dicto beneficiali, vi cuius quandoque primario erant loco beneficia, quibus officia subordinabantur, atque hodie adhuc haud raro officia cum beneficiis nimis arcte coniunguntur, tantum in iure locus tribuatur ipsis officiis ecclesiasticis, quae quidem deinceps ut munera quaelibet collata in finem spiritualem exercenda intelligi debent ».

[*Subscripserunt etiam*] J. Pont, ep. Segorbe-Castellón; Antonius, ep. Cadiz y Ceuta; J Varani, ep. Jaboticabal; A. Petrò, ep. Uruguaiana; J. Flores, ep. Barbastro; H. Argaya, ep. Mondoñedo-Ferrol; J. Thurler, ep. tit. Capitoliade; A. Niehues, arch. tit. Aptuca; Josephus, arch. Fortaleza; Acacius, ep. Palmares; R. Masnou, ep. Vich; Octavius, ep. Palmeira dos Indios; A. Granados, aux. Toledo; J. Lecuona, ep. tit. Vagada.

D

Dispiace a noi vescovi sottoscritti rivolgerci a Vostra Santità, ma ci sembra necessario perché vorremmo, in questa felice conclusione del Concilio, dare il nostro suffragio con animo tranquillo.

Al n. 7 del textus prior dello schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum* (Textus emendatus et relationes) parlando della cooperazione fra

sacerdoti si indicavano i vari campi di attività, fra i quali « in officinis » e andava bene; ognuno poteva pensare alle mansioni che meglio preferiva circa tale attività. Nelle officine ci vanno i cappellani, i parroci, ecc. Senza nessuna ragione il textus emendatus al n. 8 (olim n. 7) viene così cambiato: « sive etiam manibus laborent, ipsorum operariorum sortem probante Auctoritate participantes ». Nella votazione 368 Padri chiesero l'eliminazione di questa aggiunta. La commissione nel « textus recognitus et modi » ora ricevuto propone una variazione che lascia sostanzialmente immutato il testo.

Codificare in un solenne documento conciliare un esperimento del quale non si conosce l'esito (nel recente passato i frutti furono tali che portarono alla proibizione) e che si compie in una piccolissima parte della Chiesa, a noi non sembra cosa conveniente.

Perciò ci rivolgiamo umilmente a Vostra Santità perché si ritorni semplicemente al testo precedente « in officinis ».

[*Subscripserunt*] F. Bonomini, ep. Como; J. Cannonero, ep. Asti; Fr. Monaco, ep. Caltanissetta; G. Proni, ep. Termoli; E. Bignamini, arch. Ancona; A. Santin, arch. ep. Trieste; S. Chiocca, aux. Genova; G. Bonacini, ep. Bertinoro; G. Aglialoro, ep. tit. Germa di Galazia.

E

N. 1, lin. 27, ante « ad Evangelium » habeatur: « ad sacrificium Eucharisticum "quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur" (Trid. Sess. XXII; cap. I; DENZ. 1740) offerendum ». *Ratio*: potestas et munus principale quae conferuntur per sacramentum Ordinis debentur primo loco nominari.

[*Subscripserunt*] G. Philbin, ep. Down et Connor; C. Lucey, ep. Cork and Ross; M. Di Lieto, ep. Ascoli Satriano; Laureanus, ep. Siguenza-Guadalajara; P. Kobayashi, ep. Sendai; A. Konings, ep. Keta; F. Van Hoeck, ep. tit. Cissita; Fr. Monaco, ep. Caltanissetta; B. Flanagan, ep. Worcester.

F

N. 9 (pag. 27), lin. 35: post « presbyteri » inseratur « utriusque cleri »; lin. 38, post « dioecesium » inseratur « necnon domuum regularium »; lin. 40, loco « proprio Ordinario » habeatur « competenti auctoritate locali ». *Ratio*: in materia tanti momenti maxima invitanda est cooperatio cleri tum religiosi tum dioecesani iuxta principia iam statuta (cf. pag. 24, linn. 4 s., n. 7).

[*Subscripserunt*] G. Philbin, ep. Down et Connor; C. Lucey, ep. Cork and Ross; Laureanus, ep. Siguenza-Guadalajara; F. Van Hoeck, ep. tit. Cissita; B. Flanagan, ep. Worcester; V. Hanly, ep. Elphim; F. Leipzig, ep. Baker; P. O'Boyle; Th. Drury; J. Houlihan, ep. Eldoret; L. Picachy; O. McCoy, ep. Oyo; E. Fitzgibbon, praef. ap. Minna; J. Moinagh, ep. Calabar; J. Whelan, ep. Owerri; W. Dunne, ep. Kitui; Th. McGettrick, ep. Ogoja; H. Winkelmolen, praef. ap. Sama; E. Butler, ep. Mombasa; D. Ekandem; B. Durning, ep. Arusha; L. Nwaezeapu, ep. Warri;

M. Otunga, ep. Kisii; S. Mazzoldi; M. Mihayo, arch. Tabora; J. Cesana, ep. Gulu; J. Kilasara, ep. Moshi; J. Komba, ep. tit. Tignica; C. Msakila, ep. Karema; R. Pailloux, ep. Fort Rosebery; Cl. Chabukasansha, ep. Kasama; J. McCarthy, arch. Nairobi; H. Spiess, abb. Peramiho; J. Ogez, Mbarara; H. van Elswijk, ep. Morogoro; G. Okoye, ep. Port Harcourt.

G

Cf. supra pag. 437.

Praeterea, in ipso n. 14, postquam de coelibatu in Ecclesia latina locutum sit, addantur haec pulchra verba Pii Papae XI, ex suis Litt. Enc. diei 20 dec. 1935 *Ad catholici sacerdotii fastigium* (*A.A.S.*, vol. 28, a. 1936, pag. 28, in med.): « Nihilo secius quae adhuc, ecclesiasticum coelibatum commendantes, verba fecimus non idcirco intellegi volumus, ac si Nobis in mente esset absimilem illam disciplinam quodammodo improbare ac redarguere, quae in Orientalem Ecclesiam legitime invecta est ».

Ratio: Eadem est, quae iam Pium XI movit talia verba in suis Enc. Litteris inserendis, scil. ut iniuria ne feratur erga clerum coniugatum Ecclesiarum Orientalium, et ut omne aequivocum vitetur.

Titulus istius futuri decreti melius ita diceretur: *De presbyterorum ministerio et vita* (verbo « presbyterorum » praeposito). Forsan adhuc melius: *De presbyterorum vita et ministerio* (prius agatur de vita et deinde de ministerio).

[*Subscripserunt*] D. Picão, ep. tit. Tois; W. Battù Wichrowski, ep. tit. Felbes; Severinus Marianus, ep. Pesqueira; A. Hamvás, arch. Kalocsa; C. Minali, prael. Carolina; A. Bossi, coad. Grajaú; F. Zayek, ep. tit. Callinico; C. Padin, ep. tit. Tremitonte; R. Alberti, ep. Apucarana; S. Ferraz, ep. tit. Eleuterna; P. Brezanòćzy, ep. tit. Rotaria; J. Grossi, ep. Bom Jesu de Lapa; A. Barbosa, ep. Campo Grande; S. Kovàcs, ep. Szombathely.

158

CONFERENTIA EPISCOPORUM ZAMBIAE

I. *In genere*. Schema novum omnino placet. Textus forte in aliquibus partibus brevior esse posset, omissis imprimis quibusdam repetitionibus.

II. *In specie*. Art. 9, pag. 27-29: (Apta presbyterorum distributio). Paragraphus ista magis ad schema *de pastorali episcoporum munere* quam ad nostrum schema pertinet. Idem valet de recognoscendo iure *incardinationis*. In art. 9 huius schematis haec tantum ponantur, quae immediate ad presbyterum eiusque facultates pertinent. Quae ad competentiam episcoporum pertinent transferantur in aliud schema.

Art. 12, pag. 33, linn. 6-7: « In mysterio Sanctae Missae, qua munus suum praecipuum... »: loco « praecipuum » dicatur « nobilissimum ». *Ratio*: ne contradictio habeatur ad art. 2 (pag. 14, lin. 28) ubi praedicatio munus praecipuum episcoporum asseritur.

Pag. 33, lin. 9: omittantur verba « etiam non praesente populo ». *Ratio*: *a*) quia subintelligitur in « celebratione cotidiana »; *b*) quia minus recte intelligi potest.

Art. 14, pag. 37, lin. 10: loco « scientia psychologica » scribatur potius « scientia moderna ».

Pag. 38, linn. 8 s.: disproportio viget inter expositionem de oboedientia et illam de aliis consiliis evangelicis.

Art. 15, pag. 39, linn. 20-23: « ... ad vitam interiorem fovendam in Ecclesia. Inter quae presbyteri... ». Omittantur verba: « decursu temporum, approbatione sua sancivit ». *Ratio*: res infra (lin. 26) exprimitur: « dummodo cum legibus... ».

[*Subscripserunt*] Adam Kozlowiecki, arch. Lusakaensis; Guido del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; Franciscus Mazzieri, ep. Ndolaensis; Timotheus O'Shea, ep. Livingstonensis; Firminus Courtemanche, ep. de Fort Jameson; Adolphus Fürstenberg, ep. Abercornensis; Renatus Pailloux, ep. de Fort Rosebery; Iacobus Corboy, ep. Monzeensis; Clemens Chabukasansha, ep. Kasamaensis; Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Cibiraensis; Rupertus Hillerich, praef. ap. Solweziensis.

CONGREGATIO GENERALIS CLIV

27 octobris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLIV

27 octobris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 154 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

Annuntio, Patres venerabiles, pium obitum exc.mi D. Ioseph De Patrocinio Dias, ep. Beiensis in Lusitania. Oremus pro eo.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te, Domine...* [Et prosequitur alternatim cum Patribus].

Oremus: Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum Ioseph...

Secretarius generalis: Patres venerabiles, ut omnia rite procedant, sic hodie faciemus. Lego imprimis suffragationem septimam schematis *de libertate religiosa,* ita ut vos suffragium ferre possitis. Post lectam primam suffragationem hodiernam, aliquas communicationes dabo: et circa modum procedendi crastina, in sessione publica, et circa alias res. Deinde legam alteram suffragationem.

Post hanc lectam, audiemus parochum, qui vocem parochorum nobis referat, et est ill.mus ac rev.mus D. Thomas Falls, parochus Sacri Cordis in Archidioecesi Philadelphiensi in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Praelatus Domesticus Suae Sanctitatis.

Post auditam orationem parochi, legam tertiam suffragationem hodiernam et sic deinceps usque ad quintam.

Inter has ultimas suffragationes dabitur aliquod intervallum. Ne taedeat vos, venerabiles Patres, non audire quempiam! Nam in silentio et in spe erit fortitudo nostra! Ceterum, ad hanc rem quasi assuescere debemus, quia disceptationes iam absolutae sunt et fructus colligi debent. Speramus uberes fructus!

Lego imprimis suffragationem 413. Videatis paginam 11: *Libertas religiosa sub luce revelationis* [*cf. pag. 86-87*].

Ergo, Patres, hic textus modo lectus *placet*ne vobis an *non placet?* Duplex tantum formula. Respondeatis.

* * *

Dum schedulae auferuntur ab assignatoribus, velitis, Patres, audire attentissime!

In decreto *de accommodata renovatione vitae religiosae*,* quod crastina suffragandum est in sessione publica, praeses commissionis rogat ut in n. 11 textus legatur ut erat in mente commissionis. Ex aliqua inadvertentia haec verba omissa sunt. Si habetis textum potestis videre pag. 9. Si textum non habetis, bene est ut scribatis haec pauca verba quae, ex inadvertentia, data non sunt antea quamvis, uti dictum est, commissio iuxta hanc mentem semper laboraverit.

Textus, n. 11, ita legendus est: « Instituta saecularia, quamvis non sint instituta religiosa, veram tamen et completam consiliorum evangelicorum professionem in saeculo ab Ecclesia recognitam — postea repeto — ab Ecclesia recognitam secumferunt ». Repeto...

Cum hac additione textus crastina proponetur suffragationi in publica sessione.

In hac congregatione, Patres, vobis distribuetur libellus continens *Ordinem Concelebrationis et Methodum servandam in Publica Sessione Concilii Oecumenici Vaticani II*, die 28 octobris huius anni, qui *Ordo* curatus est a Regenti Praefecturam Caeremoniarum Apostolicarum. Vos, Patres, vobiscum feretis hunc libellum crastina, quia crastina non erit alia distributio, uti patet.

Audiatis nunc exitus suffragationum, quae heri factae sunt.

Iam dixi exitum suffragationis 407. En exitum *suffragationis 408*:

Patres praesentes votantes	2.234
Dixerunt *placet*	2.000
non placet	228
placet iuxta modum (sed in hoc casu est votum nullum)	2
Suffragia nulla sunt	4

Suffragatio 409:

Patres praesentes votantes	2.236
Dixerunt *placet*	2.026
non placet	206

* Cf. pag. 588.

placet iuxta modum (et etiam in hoc casu nullum)	1
Suffragia nulla sunt	3

Suffragatio 410:

Patres praesentes votantes sunt	2.223
Dixerunt *placet*	2.034
non placet	186
placet iuxta modum (nullum) . . .	2
Suffragium nullum	1

Suffragatio 411:

Suffragati sunt Patres praesentes	2.161
Dixerunt *placet*	1.539
non placet	65
placet iuxta modum	543
Suffragia nulla	14

Suffragatio 412:

Patres praesentes votantes	2.161
Dixerunt *placet*	1.715
non placet	68
placet iuxta modum	373
Suffragia nulla sunt	5

Et cum videam, Patres, assignatores iam aliam schedulam dedisse, lego aliam suffragationem, antequam audiatur parochus. Est suffragatio 414. Pag. 12 [*cf. pag. 87-90, nn. 11-12*].

Hic textus, Patres, *placet* an *non placet?* Duplex formula. Respondeatis.

Nunc bene est ut audiatur parochus, postea alias communicationes dabo.

Moderator: Loquatur nunc rev.mus D. Thomas Falls, ex archidioecesi Philadelphiensi, nomine parochorum auditorum, circa schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum.*

Rev.mus D. THOMAS FALLS

Parochus Sacri Cordis, in archidioecesi Philadelphiensi Latinorum

Venerabiles Patres,

Nomine parochorum et omnium sacerdotum dioecesanorum ubique terrarum gratias ago reverenter et obsequenter Sanctitati Suae, Papae Paulo VI, qui tam benevole nos parochos invitavit congregationibus huius Concilii Oecumenici interesse, praesertim illis congregationibus in quibus discussio est de ministerio et vita presbyterorum.

Gratias etiam volumus agere vobis Patribus conciliaribus qui tam benigne nos recepistis, et tam generose et sapienter de hoc schemate locuti estis.

Hoc schema nobis parochis placet, nobis placet clara distinctio facta inter sacerdotium commune laicorum et sacerdotium ministeriale presbyterorum. Placet etiam commendatio fortis vitae communis mensaeque communis quibus sacerdotes vitam spiritualem et intellectualem melius colere valeant. Item placet exhortatio ut sacerdotes missam cotidie celebrent propterea quod est principale ministerium sacerdotum, immo et centrum totius vitae Ecclesiae. Placet postulatio sustentationis honestae ita ut remuneratio presbyterorum sit decens secundum conditiones locorum atque fundamentaliter eadem pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus. Ad hunc finem autem honestae sustentationis pro omnibus presbyteris melius assequendum, adhuc fortius schema loqui posset, normas tradendo magis firmas et concretas quibus episcopi stipendium aequum ad vitam digne ducendam suis sacerdotibus providere tenerentur. Sic singuli presbyteri vitam propriam spiritui paupertatis magis conformem reddere valebunt, vocationes sacerdotales facilius excitabuntur, et securitas iusta per totam vitam procurabitur. Denique, nobis etiam placet, quae dicta et descripta sunt de coelibatu presbyterorum qui omnino debet observari, debita reverentia fratribus nostris orientalibus. Haec omnia nobis placent.

Putamus autem necessarium esse ut doctrina de natura presbyteratus melius elucidetur et planius exponatur in schemate. Pro hac elucidatione et expositione forsan haec lineamenta utilia erunt:

1. Sacerdotium presbyterorum configuratur uni et summo Sacerdotio Christi, ita ut sacerdos alter Christus apte vocari possit.

2. Cum sacerdotium presbyterorum sit participatio muneris redemptionis quod Christo proprium est, haec participatio actionis redempti-

vae Christi fit principaliter et cotidie per sacrificium missae, per administrationem sacramentorum, et per praedicationem Evangelii.

3. Presbyteris manus impositae fuerunt ut sint cooperatores collegii episcoporum. Sacerdotium ergo presbyterorum natura sua subordinatur sacerdotio pleno episcoporum et est quaedam communio cum illo quia in eodem sacerdotio Christi communicant, in eodem sacramento Ordinis communicant, et in eadem missione communicant, quamvis subordinatim diversoque gradu communicent.

Proinde, per ordinationem sacerdotalem obtinentur communio cum collegio episcopi eiusque Capite, et munera et ministeria proprie dicta sacerdotalia, nempe, ministerium Eucharistiae et sacramentorum aliorum, ministerium verbi et ministerium regiminis.

Munera ista et ministeria, cum in adiutorium collegii episcopalis collata sint, natura sua nonnisi in communione cum collegio episcoporum eiusque Capite exerceri possunt. In hac autem communione presbyterorum universalis est quoad munera, quoad gentes, quoad necessitates, atque ad universam Ecclesiam extenditur, sicut universalis est et ad universam Ecclesiam protenditur missio collegii episcoporum.

Cum vero collegium episcopale multis constet episcopis qui singulis Ecclesiis dioecesanis praesunt, communio hierarchica uniuscuiusque presbyteri habetur, servatur ac roboratur per communionem cum proprio episcopo.

Putamus etiam descriptionem spiritualitatis presbyterorum magis praecisam esse debere, et modo speciali spiritualitatem presbyterorum dioecesanorum, utpote distinctam a spiritualitate tum laicorum tum religiosorum, in lucem clariorem ponendam esse.

Spiritualitas presbyterorum dioecesanorum apta esse debet ad vitam activam inter homines, sed dirigenda est modo sibi proprio semper ad Deum.

Schema non satis indicat haec opera ministerii sacerdotalis sanctitatem sacerdotalem efficere et stimulare posse. Virtutes evangelicae vero alio modo in ministerio presbyterorum ac in vita religiosorum evolvuntur. Textus ergo evitare debet omnem conceptionem sanctitatis sacerdotalis quae fundaretur super oppositionem inter vitam exteriorem et vitam interiorem. Sanctitas sacerdotalis consistit in unione cum Christo, quae unio efficitur praesertim per ministerium pastorale apud homines in mundo.

Schema describere debet virtutes presbyteris proprias in sua vita activa; virtutes Boni Pastoris qui vitam suam pro ovibus suis dare promptus est, tales virtutes sunt zelus ardens, sollicitudo pastoralis pro salute omnium hominum, studium evangelizandi omnes, amor pro omni-

bus (speciatim pro pueris, pauperibus et peccatoribus), patientia et humilitas in homines consolando, desiderium laboris apostolici et perseverantia in difficultatibus. Sic presbyter evadit pater inter filios spirituales et non tantum frater inter fratres. Quamvis opera sua fere omnia inter laicos peragenda sunt, numquam autem nos presbyteri spiritum mere saecularem induere debemus. Devotio particularis erga Spiritum Sanctum, erga Iesum Christum Summum ac Aeternum Sacerdotem, et erga Matrem eius et nostram, Reginam Apostolorum et Reginam cleri ab omnibus presbyteris speciatim fovenda est.

Post finem huius Concilii Oecumenici, muneris erit episcopis decreta et constitutiones Concilii in actum deducere. In hoc opere perficiendo, omnes nos parochi aliique sacerdotes maximum adiutorium episcopis propriis praestare debemus, patefaciendo populo veram mentem Concilii in rebus decretis. Huic muneri explendo nos parochi auditores nomine proprio et nomine omnium presbyterorum totis viribus deditum iri promittimus. Gratias. Dixi. [*Plausus*].

Moderator: Et nos gratias referimus tibi, rev.me Pater, de pulchra et sapienti allocutione quam pronuntiasti. Gratias et laudes parochis, vicariis cooperatoribus et sacerdotibus omnibus in varii generis mansionibus in Domino strenue adlaborantibus per universum orbem. Sanctificet Dominus ... [*Plausus*] ... vitam vestram et nostram, auspice Maria, Matre et Regina cleri; abunde fecundet ministerium vestrum ac nostrum, in gloriam Sanctissimae Trinitatis, in salutem animarum, in aedificationem universi Populi Dei! [*Plausus*].

Nunc loquitur exc.mus secretarius generalis.

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum:

Proponitur nunc suffragatio 415, quod inveniatur in pagina 15 [*cf. pag. 90*]. Suffragatio per *placet* tantum vel *non placet*.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, quaesitum est a nobis quibus vestibus oporteat crastina participare sollemnem publicam sessionem. In Intimatione quam legi et distribui clare dictum est: cum mitra et pluviali; cardinales em.mi, veste suo ordini propria. Si alicubi vos aliquid contrarium scriptum videtis, perinde ac non scriptum habeatur. Ergo: mitra et pluviale albi coloris.

Hae vestes possunt indui in atrio Basilicae, sed expedit ut Patres ita se praeparent ut, quin sistant in atrio Basilicae, continuo ingrediantur aulam, ne fiat maxima congestio personarum.

In sessione publica, fit suffragatio. Dico hoc praesertim pro novis Patribus, nempe iis qui primo participant sessionem publicam. Suffraga-

tio fit ut consuevit per schedulas; et formula responsionis duplex tantum est: *placet* et *non placet.*

Legi in aliquibus ephemeridibus vel etiam in aliquibus libellis, vel melius libris — qui semper conscribuntur post exactam aliquam sessionem, in quibus referuntur gesta Concilii vera vel ficticia —, legi aliquam lepidam narratiunculam, tributam secretario generali. Quando lepidae narratiunculae seu facetiae verae sunt, hoc mihi non displicet, nonne? Sed ita scriptum legi quod secretarius generalis, ante sessionem publicam diei 21 novembris elapsi anni, monuisset Patres ne votum darent *non placet,* quia mundus nos conspicit. Sed, uti certa monumenta narrant, ego numquam hoc dixi. Aliud dixi: commendavi Patribus ne darent suffragium nullum vel *iuxta modum,* quod est nullum, quia mundus nos conspicit. Hoc verum est. Et videtis telecameras hic iam paratas. Sed unusquisque potest suffragium ferre *non placet* prout libuerit; *placet* et *non placet.*

Aliqui Patres sibi anxii quaesierunt quare in sessionibus publicis nullum nuntietur votum nullum, vel *iuxta modum.* Et tamen difficile est invenire congregationem generalem vel etiam suffragationem quae fit in congregatione generali quae non habeat suffragia nulla. Et ad hanc quaestionem gravissimi ponderis responsum dederunt quod secretarius generalis res ita componeret ut omnia bene coram mundo procederent! Sed reapse ita non est. Imprimis, in sessione publica Patres sunt attentissimi in ferendis suffragiis. Et si quis forte per inadvertentiam suffragium nullum dederit, scrutator humillime accedit ad illum Patrem et quaerit quidnam voluerit dicere; et ita Pater, videns suam inadvertentiam, dicit suum votum verum. Et haec est ratio cur in sessione publica omnia fiunt rectissime. Rectissime fiunt semper in omni suffragatione, sed in sessione publica, quae est sollemnior, omnia rectius procedere debent.

Suffragationes, Patres venerabiles, deferentur Summo Pontifici post celebratam Missam; rationem explicavi iam. Deinde Summus Pontifex profert suam sententiam.

Sed illo etiam tempore distribuentur vobis Patribus folia subsignanda. Quae subsignatio non significat suffragium aliquod — hoc bene attendatur! —, non significat suffragium aliquod, sed est subsignatio decreti conciliaris *iam approbati.* Est actus publicus, aliis verbis. Et haec folia vobis distribuentur.

Subsignatio, uti scitis, fit per formulam sollemniorem: « Ego ... (nomen et cognomen et titulus: patriarcha, archiepiscopus, episcopus, abbas, praelatus, praefectus, etc.) ». Tantummodo qui pollent dignitate episcopali praeponunt suo nomini crucem. Em.mi DD. cardinales habent suam propriam subsignationem. Qui procuratores sunt alius Patris pos-

sunt, post suam propriam subsignationem, apponere aliam subsignationem sed nomine exc.mi archiepiscopi vel episcopi, etc., cuius vices gerunt in sollemni sessione. Alii procuratores qui non sunt Patres conciliares hanc subsignationem apponent in nostris officiis secretariae generalis.

Et aliud animadvertere non habeo quoad sessionem publicam. Sed possum communicare exitum suffragationis primae mane peractae, nempe est *suffragatio 413*:

Patres praesentes votantes sunt	2.238
Dixerunt *placet*	2.087
non placet	146
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	4

Possumus nunc procedere, Patres venerabiles, ad aliam suffragationem. Haec suffragatio, quemadmodum ea quae sequetur, erit per triplicem formulam: *placet, non placet, placet iuxta modum.* Videatis paginam — lego tantummodo principium et finem, nam textus iam audistis — pag. 11 [*cf. pag. 86*].

« Quae de iure hominis (numero 9) ..., quae de iure hominis ad libertatem religiosam declarat haec Vaticana Synodus, fundamentum habent in dignitate personae, cuius exigentiae rationi humanae plenius innotuerunt per saeculorum experientiam ».

Et reliqua, usque ad pag. 15, his verbis: « Evangelicum fermentum in mentibus hominum sic diu est operatum atque multum contulit, ut homines temporum decursu latius agnoscerent dignitatem personae suae atque maturesceret persuasio in re religiosa ipsam immunem servandam esse in civitate a quacumque humana coercitione ».

Hic textus, quem habeatis pro toto lectum, *placet* vobis, Patres, *non placet, placet iuxta modum?* Triplex formula. Respondeatis.

Post aliqua momenta proponemus ultimam suffragationem hodiernam. Haec est suffragatio 416.

Attendite, Patres! Proxima feria VI habebitur suffragatio schematis *de divina revelatione.* Ob celeritatem temporum, in libello qui vobis distributus est, non est impressus textus cum inductis novis modis. Ergo suffragationi subicientur omnes modi; deinde, si exitus fuerit positivus pro omnibus, inducentur in textum. Ergo vobiscum etiam feratis pro illa die fasciculum praecedentem, ita ut possitis habere textum in quem introducendi sint modi, si forte approbati fuerint a congregatione gene-

rali. Fasciculus praecedens est ille super quo suffragatio textus facta est [*cf. vol. IV, pars I, pag. 336 ss.*].

Et valde spero, Patres venerabiles, fore ut proxima feria sexta vobis distribuantur, quasi ad concludendam hanc phasim Concilii, ante ferias mortuorum, numismata quae recordantur Quartam Sessionem Concilii [*plausus*] ... Spero, non sum adhuc certus, sed quasi certus. Evidenter, distributio fiet inter praesentes!

Lego textum ultimae suffragationis. Videatis pag. 15. Suffragatio est 417. Num. 13 [*cf. pag. 90-91*]:

« Inter ea quae ad bonum Ecclesiae, immo ad bonum ipsius terrenae civitatis, spectant et ubique semperque servanda sunt atque ab omni iniuria defendenda, illud certe praestantissimum est, Ecclesiam tanta perfrui agendi libertate, quantam salus hominum curanda requirat. Haec enim libertas sacra est, qua Unigenitus Dei Filius ditavit Ecclesiam acquisitam sanguine suo. Ecclesiae autem adeo propria est, ut qui eam impugnent, iidem contra Dei voluntatem agunt (Deberet esse « agant »; est « a »). Libertas Ecclesia est principium (« Libertas Ecclesi*ae,* ni fallor) ... est principium fundamentale in relationibus inter Ecclesiam et ordinem civilem vitae humanae ».

Et reliqua, usque ad conclusionem, in pag. 18, his verbis: « Faxit Deus et Pater omnium ut familia humana, diligenter servata libertatis religiosae ratione in societate, per gratiam Christi et virtutem Spiritus Sancti adducatur ad sublimem illam ac perennem "liberationem gloriae filiorum Dei" ».

Placet, Patres, *non placet,* an *placet iuxta modum*? Triplex formula. Et ego finem impono meae orationi.

[*Intervallum*]

Moderator: Venerabiles Patres, proxima congregatio generalis feria sexta, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

SESSIO PUBLICA VII

28 octobris 1965

SESSIO PUBLICA VII

28 octobris 1965

1

Initium sessionis

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*: Rogantur Patres ut suam quisque sedem statim occupet, quia suffragationes post orationem statim incipient.

Chorus et omnes praesentes cantant antiphonam *Tu es Petrus*, alternatim cum versiculis *Ps.* 131: *Memento, Domine, David.*

Dum cantus protrahitur, Summus Pontifex, sacris vestibus sumptis, cum baculo et mitra pretiosa, ingressum facit in Basilicam Vaticanam, comitantibus em.mis cardinalibus et Patribus concelebrantibus.

Post brevem orationem ad faldistorium, Summus Pontifex, assistentibus em.mis DD. cardd. diaconis Alfredo Ottaviani et Arcadio Larraona, ad sedem ante altare papale erectam se confert.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, secretarius generalis Ss. Concilii, libro Sacrosancti Evangelii delato ad Summum Pontificem, qui eum osculatur, super parato throno Sacrum Codicem collocat.

Praestatur Summo Pontifici oboedientia a Patribus conciliaribus, duobus tantum, nomine ceterorum, ex unoquoque ordine, scil. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et superioribus generalibus Ordinum Mendicantium. Interea chorus cantat *Oremus pro Pontifice nostro Paulo,* quinque vocibus, auctore Perosi.

Cardinalis primus diaconus assistens, em.mus card. Alfredus Ottaviani, elata voce, dicit: *Orate,* et omnes genua flectunt.

Post breve temporis spatium, Summus Pontifex surgit ac tono feriali legit orationem *Adsumus, Domine,* una cum Patribus.

Oratione expleta, card. protodiaconus elata voce dicit: *Erigite vos,* et surgunt omnes, dum chorus cantat antiphonam *Exaudi nos, Domine,* quinque vocibus, auctore Bartolucci.

Summus Pontifex, dicta oratione *Mentes nostras,* praecinit hymnum *Veni, Creator Spiritus* — quem chorus prosequitur alternatim cum omni-

bus praesentibus: chorus quidem cantu polyphonico (6 vocibus) auctore Bartolucci, praesentes vero modo gregoriano — et, expleto hymno, cantat versiculos et orationes.

Receptis documentis a Summo Pontifice, exc.mus D. Pericles Felici, secretarius generalis, ad ambonem accedit et legit:

PAULUS EPISCOPUS, Servus servorum Dei, una cum Sacrosancti Concilii Patribus, ad perpetuam rei memoriam.

Decretum de pastorali episcoporum munere in Ecclesia

[*Cf. pag. 564 ss.*].

Patres venerabiles, decretum quod modo legi per partes, sed totum lectum habendum est, *placet* vobis an *non placet*? Respondeatis, quaeso. Haec est suffragatio 418. [*Intervallum*].

Rogantur scrutatores et notarii ut velint schedulas per assignatores locorum auferre.

[*Intervallum*]. Dum Patres suffragium suum per schedulas exprimunt, chorus Cappellae Sixtinae exsequitur cantum *Ave Maria,* 5 vocibus, auctore Victoria.

Secretarius generalis:

PAULUS EPISCOPUS, Servus servorum Dei, una cum Sacrosancti Concilii Patribus, ad perpetuam rei memoriam.

Decretum de accommodata renovatione vitae religiosae

[*Cf. pag. 584 ss.*].

Patres venerabiles, decretum modo lectum per partes, sed ut integrum lectum habendum, *placet*ne vobis an *non placet*? Respondeatis.

[*Intervallum*]. Dum Patres suffragium suum per schedulas exprimunt, chorus Cappellae Sixtinae exsequitur cantum: *Exsultate Deo,* 5 vocibus, auctore Palestrina.

Secretarius generalis:

PAULUS EPISCOPUS, Servus servorum Dei, una cum Sacrosancti Concilii Patribus, ad perpetuam rei memoriam.

Decretum de institutione sacerdotali

[*Cf. pag. 593 ss.*].

Patres venerabiles, hoc decretum, quod lectum est per partes sed integrum habendum est lectum, *placet*ne vobis an *non placet*? Suffragatio est 420.

[*Intervallum*]. Dum Patres suffragium suum per schedulas exprimunt, chorus Cappellae Sixtinae exsequitur cantum *Benedictus,* 6 vocibus, auctore Perosi.

Secretarius generalis:

PAULUS EPISCOPUS, Servus servorum Dei, una cum Sacrosancti Concilii Patribus, ad perpetuam rei memoriam.

Declaratio de educatione christiana

[*Cf. pag. 606 ss.*].

Haec declaratio, Patres venerabiles, quae pro integra lecta habenda est, *placet*ne vobis an *non placet*? Est suffragatio 421.

[*Intervallum*]. Dum Patres suffragium suum per schedulas exprimunt, chorus Cappellae Sixtinae exsequitur cantum: *O Sanctissima Anima,* 5 vocibus, auctore Perosi.

Secretarius generalis:

PAULUS EPISCOPUS, Servus servorum Dei, una cum Sacrosancti Concilii Patribus, ad perpetuam rei memoriam.

Declaratio de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas

[*Cf. pag. 616 ss.*].

Patres venerabiles! Haec declaratio, quae tota lecta habenda est, *placet*ne vobis an *non placet*? Est suffragatio 422 et ultima. Respondeatis, quaeso. [*Intervallum*].

Attendatis aliquantisper, Patres venerabiles! Summus Pontifex, hanc sessionis publicae nactus occasionem, dono dat omnibus Patribus conciliaribus vitam S. Caroli Borromaei conscriptam ab eius a secretis disci-

pulo et quasi filio spirituali, venerabili Carolo a Basilica S. Petri, vulgo dicto *Bascapé.*

Oremus omnes S. Carolum ut quemadmodum ipse fuit unus ex praecipuis auctoribus renovationis Ecclesiae sui temporis, temporis quidem Concilii Tridentini, et nos ipsi, sub Summo Pontifice, possimus esse Ecclesiae renovatores exemplo vitae nostrae et nostro magisterio pastorali! [*Plausus*].

Chorus et omnes praesentes alternatim cantant *Magnificat,* modo gregoriano, 8 G.

2

Missa

Summus Pontifex de sede descendit et, casula indutus, venit ad altare Confessionis ibique, alternatim cum concelebrantibus omnique populo, preces ad gradus altaris dicit. Ritus concelebrationis continuatur modo indicato in *Ordine concelebrationis.*

Rev.mus D. Petrus Mattioli, Auditor S. R. Rotae, ad legile, Epistolam legit.

Primus e concelebrantibus, em.mus P. D. Stephanus card. Wyszyński, Evangelium legit.

Lectione Evangelii expleta, Summus Pontifex, comitantibus primo et secundo e concelebrantibus, em.mis scil. DD. Stephano card. Wyszyński et Valeriano card. Gracias, de sede ante altare papale erecta, homiliam pronuntiat:

Homilia Summi Pontificis *

"Venerabiles Fratres ac dilecti Filii,

Modo audistis verba Apostoli, de actione Christi Domini disserentis, qui desuper opus suum in Ecclesia facere pergit; opus dicimus, eo pertinens, ut non solum conservetur quod ipse, cum in terra conversaretur, peregit, sed etiam novum quiddam aedificetur, id est progressus et incrementa fiant, quemadmodum in celebri illo Evangelii loco ipse annuntiavit, ubi pollicetur se auctus recte compositos et cohaerentes praebiturum esse aedificio a se condito super Petram, ab ipso electam et aptam redditam ad tantam molem sustinendam: « aedificabo », inquit « Ecclesiam meam »; [1] ait enim S. Paulus, in parte epistulae ad Ephesios modo

---

* *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 899-903.

[1] *Mt.* 16, 18.

ad meditandum nobis proposita: « Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, et doctores ad consummationem sanctorum, in aedificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi ».[2]

Haec res, divina, si causa spectetur, humana, si historia eius et veritas experiendo cognita attendatur, hac etiam aetate sensibus nostris spiritualibus percipi potest, dummodo hi ad tantum prodigium animadvertendum sint accommodati. Licet ad nos transferre hoc verbum messianicum, a Christo prolatum: « hodie impleta est haec scriptura in auribus vestris ».[3]

Re enim vera, quid in hac basilica accidit? Vos novistis: accidit, ut in hoc Sacrosancto Concilio Oecumenico, quod sanctae Ecclesiae Dei praeit eamque totam repraesentat, post non pauca studia rebus impensa et iteratas preces, promulgentur tria Decreta magni momenti, utpote quae ad vitam ipsius Ecclesiae attineant, id est de pastorali Episcoporum munere, de vita religiosa, de institutione sacerdotali. Quibus sollemnibus legibus adiunguntur Declarationes non minus sollemnes de educatione christiana deque rationibus Ecclesiae intercedentibus cum iis, qui religiones non christianas profitentur. Non est opus, ut horum documentorum materiam, vobis notissimam, explanemus neque gravitatem neque amplitudinem, qua late patebunt per orbem terrarum et per tempora, neque effectus, quos futuros esse saluberrimos speramus in animis et in vita ecclesiastica ducenda; unusquisque enim vestrum iam has partes mirabiles actorum, de quibus tractamus, ponderavit.

Nos ipsi potius meminerimus, post illorum promulgationem, utilissimam nobis et ministerio nostro futuram esse considerationem eiusmodi sententiarum ab Ecclesia edictarum, quae iterum animoque tranquillo a nobis fiat; quas sententias ipsa, ministerii sui partes praeclarissimas et onere gravissimas obiens, a Spiritu Sancto sine dubio mota, ab intima sua sapientia deducit et sibimet ipsi proponit velut res, quas amanti et laboriosa cogitatione est assecuta. Eas sibi constituit quasi novum quoddam officium, quo non quidem oneratur, sed sustinetur, provehitur, et illam accipit plenitudinem, illam securitatem, laetitiam illam, quas alio verbo appellare non possumus nisi nomine vitae.

Ecclesia vivit! En huius rei probatio; en eius veluti halitus, vox, cantus. Ecclesia vivit!

---

[2] *Eph.* 4, 11-13.

[3] *Lc.* 4, 21.

Nonne propter hoc, Venerabiles Fratres, huc post Concilii Oecumenici convocationem accurristis? scilicet, ut sentiretis Ecclesiam vivere, immo ut impensiorem vitam ei tribueretis, ut deprehenderetis non annos senectutis eius sed iuvenilem vigorem perennis eius vitalitatis, ut inter tempus, quod fugit hodieque, ob mutationes eodem concitatas et oblatas, magno impetu volvitur, et opus Christi, Ecclesiam nempe, novam necessitudinem efficeretis; quae quidem necessitudo non est huiusmodi, ut ad historiam tantum referatur vel ex « relativismi » doctrina, secundum permutationes profani cultus ingenii, consideretur natura Ecclesiae, quae semper eadem est sibique constat; talis videlicet, qualem Christus eam esse voluit et germana traditio perfectione promovit, sed eandem magis idoneam facit ad salutare munus suum gerendum novis in condicionibus humanae societatis? Propter hoc igitur huc convenistis; ecce, his ipsis extremis actis Concilii quasi experimentis cognitum habemus Ecclesiam vivere. Ecclesia cogitat, Ecclesia loquitur, Ecclesia orat, Ecclesia crescit, Ecclesia suum veluti aedificium construit.

Oportet sensu nostro gustemus hanc rem prorsus mirabilem; oportet mentes intendamus in eius rationem messianicam. Ecclesia a Christo procedit et ad Christum contendit; hi sunt eius gressus, id est actus, quibus in perfectiorem statum traducitur; se ipsam confirmat, incrementis se auget, se renovat, se sanctificat. Hic vero nisus, quo Ecclesia suae perfectioni studet, si intentius rem perpendimus, nihil aliud est quam significatio amoris erga Christum Dominum; erga Christum, qui eam impellit, ut indolem suam authenticam servet, sibi constet, sit viva atque fecunda, et qui eam ad se, Sponsum divinum, vocat et conducit. Huius autem motus causa ministerialis est ipsa indoles ac vis apostolica Ecclesiae, muneris nempe functio, qua Christus Corpus suum mysticum et sociale praeditum esse voluit, et quae patefit, efficientiam ei tribuens, per Hierarchiam apostolicam et pastoralem. Haec vero verba, gratiam, auctoritatem ab ipso Domino trahit, ea servat, perpetuat, tradit, iis utitur, ea auget, Populum Dei intrinsecus vivum et sanctum reddens, extrinsecus visibilem, scilicet socialem et historicum.

Quod ad hanc apostolicam indolem atque vim attinet, tempus celebramus locupletissimum ac perinsigne; hoc animos nostros pervadat, non ut nobismet ipsis meritum attribuamus, sed ut sursum ad Christum referamus gloriam actuum, quos in eius nomine et in virtute Spiritus Sancti, quem in nos infundit, peragimus, et ut nos, humiles ministri mediatores, deorsum in amplam familiam Dei, id est in sanctam Ecclesiam, incrementa largiamur efficacia, comparata ad eius aedificationem, quae nondum est absoluta.

Itaque placet Nobis, ut hoc contingat festo die Sanctorum Apostolo-

rum Simonis et Iudae, ad quorum honorem verbum Domini est enuntiatum lectione Evangelii, quam modo audivimus; quo verbo non promittitur facilitas et felicitas officii apostolici, sed ostenditur difficultas, cui est obnoxium, ac dolor, quo illud exercens affligitur.

Placet Nobis praeterea, ut hoc anniversario die electionis venerandi Decessoris Nostri Ioannis XXIII eveniat, qui, peculiari quodam instinctu permotus, eam mentem suscepit, ut hoc convocaret Concilium.

Placet igitur Nobis, ut Nobiscum adsint, concelebrantes, circa hoc altare apostolicum quidam Episcopi, Fratres carissimi, qui regiones illas repraesentant, ubi libertas, de qua Evangelium ius habet, coangustatur vel aufertur. Horum nonnulli ipsi sunt testes doloris, quo apostolus Christi vexatur. His Fratribus, Ecclesiis, quarum cruciatus aequo animo toleratos ii in memoriam revocant, regionibus, quarum amore iidem sua praesentia vehementius nos inflammant, per hanc sacrificalem precem consociatas voluntates nostras, caritatem nostram, vota nostra significamus.

Item Fratribus in Episcopatu, hic nobiscum praesentibus et oriundis e Nationibus, in quibus pacis perturbatio causa est tot lacrimarum, tanti sanguinis, tantae ruinae, et cur novae afflictationes timeantur, ex animo salutem dicimus et optamus, ut rectus cum iustitia ordo, concordia et pax in eorum partibus feliciter restituantur.

Pariter vobis omnibus, Fratres in Christo carissimi, apostoli et pastores in eius nomine, praecones eius Evangelii et aedificatores eius Ecclesiae, huius celebritatis communione, quam participatis aut cui assistitis, caritatem Nostram volumus testari, vosque rogare, ut Nobiscum concordes et unanimes perstetis, novis Concilii Decretis ad aedificandam sanctam Ecclesiam Dei confirmati.

Deus, qui mystice nobiscum adest et brevi sacramentaliter aderit, corroboret et sanctificet officium nostrum apostolicum et pastorale; utilitates inde capiat de eoque laetetur universa communitas Cleri, Religiosorum, Fidelium, quasi nova caritatis ostensione praebita; ad hoc enim Christus ministerium hierarchicum direxit.

Hanc vero manifestationem vultus Ecclesiae, cui venustas accessit, intueantur dilecti Fratres christiani, a perfecta eius communione adhuc seiuncti; item eam respiciant sectatores aliarum religionum, imprimis ii, quibuscum propinquitate Abrahae coniungimur, maxime Hebraei, quibuscum sic agitur, ut non reprobentur neque iis diffidatur, sed ut erga eos reverentia et amor adhibeantur spesque in iis collocetur.

Re quidem vera Ecclesia progreditur, firmiter tenens veritatem et fidem, amplificans et propagans iustitiam et caritatem. Profecto hoc modo vivit Ecclesia".

Dein progreditur ritus concelebrationis. Expleta recitatione antiphonae ad offertorium, chorus Cappellae Sixtinae exsequitur *Cantate Domino,* 5 vocibus, auctore Perosi.

Post communionem Summi Pontificis, dum concelebrantes se communicant et insimul Summus Pontifex Auditores laicos Concilii communicat, chorus, una cum omnibus adstantibus, recitat antiphonam ad communionem, deinde idem chorus ter cantat *Adoremus in aeternum,* 6 vocibus, auctore Bartolucci, et, alternatim cum Patribus, psalmum 116, modo gregoriano.

Sollemni Benedictione a Summo Pontifice impertita, Missa finitur.

3

Decretum

DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE IN ECCLESIA

PROOEMIUM

1. Christus Dominus, Filius Dei vivi, qui venit ut salvum faceret populum suum a peccatis [1] utque omnes homines sanctificarentur, sicut Ipse missus est a Patre, ita et misit Apostolos suos,[2] quos ideo sanctificavit, tradens eis Spiritum Sanctum, ut et ipsi glorificarent Patrem super terram et homines salvos facerent, « in aedificationem Corporis Christi » (*Eph.* 4, 12) quod est Ecclesia.

2. In hac Christi Ecclesia, Romanus Pontifex, ut successor Petri, cui oves et agnos suos pascendos Christus concredidit, suprema, plena, immediata et universali in curam animarum, ex divina institutione, gaudet potestate. Qui ideo, cum tamquam omnium fidelium pastor ad bonum commune Ecclesiae universae et ad bonum singularum Ecclesiarum procurandum missus sit, super omnes Ecclesias ordinariae potestatis obtinet principatum.

Episcopi autem et ipsi, positi a Spiritu Sancto, in Apostolorum locum succedunt ut animarum pastores,[3] atque, una cum Summo Pontifice et sub Eiusdem auctoritate, ad Christi, aeterni Pastoris, opus perenne reddendum missi sunt.[4] Christus enim Apostolis eorumque successoribus dedit mandatum atque potestatem ut docerent omnes gentes, hominesque sanctificarent in veritate atque pascerent. Episcopi itaque, per Spiritum Sanctum qui datus est eis, veri et authentici effecti sunt fidei Magistri, Pontifices ac Pastores.[5]

3. Hoc suum episcopale munus, quod per consecrationem episcopalem susceperunt,[6] Episcopi, sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes, in communione et sub auctoritate Summi Ponticis exercent, ad magisterium et re-

gimen pastorale quod attinet, omnes uniti in Collegio seu corpore quoad universam Dei Ecclesiam.

Illud exercent singuli quoad assignatas sibi dominici gregis partes, unusquisque Ecclesiae particularis sibi commissae curam gerens aut quandoque aliqui coniunctim necessitatibus quibusdam diversarum Ecclesiarum communibus providentes.

Quare Sacrosancta Synodus, attentis etiam condicionibus hominum consociationis, quae nostra hac aetate, ad novum fertur rerum ordinem,[7] pressius determinare intendens pastorale Episcoporum munus, haec quae sequuntur statuit.

NOTAE

[1] Cf. *Mt.* 1, 21.

[2] Cf. *Io.* 20, 21.

[3] Cf. CONC. VAT. I, Sessio IV, Const. dogm. I *de Ecclesia Christi*, c. 3, DENZ. 1828 (3061).

[4] Cf. CONC. VAT. I, Sessio IV, Const. dogm. I *de Ecclesia Christi,* Prooem., DENZ. 1821 (3050).

[5] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen gentium,* Cap. III, nn. 21, 24, 25: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 24-25, 29-31.

[6] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen gentium,* Cap. III, n. 21: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 24-25.

[7] Cf. IOANNES XXIII, Const. Apost. *Humanae salutis,* 25 dec. 1961: *A.A.S.,* 54 (1962), p. 6.

CAPUT I

DE EPISCOPIS QUOAD UNIVERSAM ECCLESIAM

I - PARTES QUAS HABENT EPISCOPI QUOAD UNIVERSAM ECCLESIAM

4. Episcopi, vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communione cum Collegii Capite atque membris, constituuntur membra Corporis episcopalis.[1] « Ordo autem Episcoporum, qui collegio Apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo corpus apostolicum continuo perseverat, una cum Capite suo Romano Pontifice, et numquam sine hoc Capite, subiectum quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam exsistit, quae quidem potestas nonnisi consentiente Romano Pontifice exerceri potest ».[2] Haec vero potestas « sollemni modo in Concilio Oecumenico exercetur »:[3] ideo Sacrosancta Synodus decernit omnibus Episcopis, qui sint membra Collegii episcopalis, ius esse ut Concilio Oecumenico intersint.

« Eadem potestas collegialis una cum Papa exerceri potest ab Episcopis in orbe terrarum degentibus, dummodo Caput Collegii eos ad actionem collegialem vocet, vel saltem Episcoporum dispersorum unitam actionem approbet vel libere recipiat, ita ut verus actus collegialis efficiatur ».[4]

5. Episcopi e diversis orbis regionibus selecti, modis et rationibus a Romano Pontifice statutis vel statuendis, Supremo Ecclesiae Pastori validiorem praestant adiutricem operam in Consilio, quod proprio nomine *Synodus Episcoporum* [5] appellatur, quae quidem, utpote totius catholici Episcopatus partes agens, simul significat omnes Episcopos in hierarchica communione sollicitudinis universae Ecclesiae participes esse.[6]

6. Episcopi, qua legitimi Apostolorum successores et Collegii episcopalis membra, inter se coniunctos semper se sciant atque omnium Ecclesiarum sollicitos sese exhibeant, cum ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris unusquisque Ecclesiae una cum ceteris Episcopis sponsor sit.[7] Praesertim solliciti sint de illis orbis terrarum regionibus in quibus verbum Dei nuntiatum nondum est aut in quibus, praecipue ob parvum sacerdotum numerum, christifideles in periculo versantur a vitae christianae mandatis discedendi, immo et ipsam fidem amittendi.

Quare omnibus viribus satagant ut evangelizationis et apostolatus opera a fidelibus alacriter sustineantur et promoveantur. Insuper curare studeant ut apti praeparentur sacrorum administri necnon auxiliares tum religiosi tum laici pro missionibus atque regionibus cleri penuria laborantibus. Curent etiam ut, quantum possibile sit, aliqui ex suis sacerdotibus praedictas missiones vel dioeceses adeant, ibidem sacrum ministerium in perpetuum aut saltem ad praefinitum tempus peracturi.

Prae oculis habeant praeterea Episcopi in usu bonorum ecclesiasticorum rationem quoque esse habendam necessitatum non tantum suae dioecesis sed et aliarum particularium Ecclesiarum, quippe quae unius Ecclesiae Christi sint partes. Attendant denique ad calamitates pro viribus sublevandas, quibus aliae dioeceses vel regiones laborant.

7. Maxime illos Sacrorum Antistites, qui propter nomen Christi calumniis et angustiis vexantur, in carceribus detinentur, vel suo ministerio prohibentur, fraterno amplectantur animo eosque germana actuosa cura prosequantur, ut eorum dolores precatione et opera Confratrum leniantur et mulceantur.

II - Episcopi et Apostolica Sedes

8. *a*) Episcopis, ut Apostolorum successoribus, in dioecesibus ipsis commissis per se omnis competit potestas ordinaria, propria ac immediata, quae ad exercitium eorum muneris pastoralis requiritur, firma semper in omnibus potestate quam, vi muneris sui, Romanus Pontifex habet sibi vel alii Auctoritati causas reservandi.

b) Singulis Episcopis dioecesanis facultas fit a lege generali Ecclesiae in casu particulari dispensandi fideles in quos ad normam iuris exercent auctoritatem, quoties id ad eorum bonum spirituale conferre iudicent, nisi a Suprema Ecclesiae Auctoritate specialis reservatio facta fuerit.

9. In exercenda suprema, plena et immediata potestate in universam Ecclesiam, Romanus Pontifex utitur Romanae Curiae Dicasteriis, quae proinde

nomine et auctoritate illius munus suum explent in bonum Ecclesiarum et in servitium Sacrorum Pastorum.

Exoptant autem Sacrosancti Concilii Patres ut haec Dicasteria, quae quidem Romano Pontifici atque Ecclesiae Pastoribus eximium praebuerunt auxilium, novae ordinationi, necessitatibus temporum, regionum ac Rituum magis aptatae, subiciantur, praesertim quod spectat eorundem numerum, nomen, competentiam propriamque procedendi rationem, atque inter se laborum coordinationem.[8] Exoptant pariter ut, ratione habita muneris pastoralis Episcoporum proprii, Legatorum Romani Pontificis officium pressius determinetur.

10. Praeterea cum eadem Dicasteria ad universalis Ecclesiae bonum sint constituta, optatur ut eorum Membra, Officiales et Consultores, necnon Legati Romani Pontificis, quantum fieri potest, ex diversis Ecclesiae regionibus magis assumantur, ita ut catholicae Ecclesiae officia seu organa centralia indolem vere universalem prae se ferant.

In votis quoque est ut inter Dicasteriorum Membra cooptentur etiam aliqui Episcopi praesertim dioecesani, qui mentem, optata ac necessitates omnium Ecclesiarum Summo Pontifici plenius referre valeant.

Denique perutile esse censent Concilii Patres si eadem Dicasteria laicos, virtute, scientia et experientia praestantes, magis audiant, ita ut et ipsi in rebus Ecclesiae partes sibi congruentes habeant.

NOTAE

[1] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen gentium,* cap. III, n. 22: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 25-27.

[2] CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen gentium,* ibid.

[3] CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen gentium,* ibid.

[4] CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen gentium,* ibid.

[5] Cf. PAULUS VI, Motu proprio *Apostolica Sollicitudo,* 15 sept. 1965: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 755-780.

[6] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia,* cap. III, n. 23: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 27-28.

[7] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Fidei donum,* 21 apr. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 237 ss.; cf. etiam BENEDICTUS XV, Epist. Ap. *Maximum illud,* 30 nov. 1919: *A.A.S.,* 11 (1919), p. 440; PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae,* 28 febr. 1926: *A.A.S.,* 18 (1926), p. 68.

[8] Cf. PAULUS VI, *Allocutio* ad Em.mos Patres Cardinales, Exc.mos Praesules, Rev.mos Praelatos ceterosque Romanae Curiae Officiales, 21 sept. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 793 ss.

Caput II

DE EPISCOPIS
QUOAD ECCLESIAS PARTICULARES SEU DIOECESES

I - Episcopi Dioecesani

11. Dioecesis est Populi Dei portio, quae Episcopo cum cooperatione presbyterii pascenda concreditur, ita ut, pastori suo adhaerens ab eoque per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregata, Ecclesiam particularem constituat, in qua vere inest et operatur Una Sancta Catholica et Apostolica Christi Ecclesia.

Singuli Episcopi, quibus Ecclesiae particularis cura commissa est, sub auctoritate Summi Pontificis, tamquam proprii, ordinarii et immediati earum pastores, oves suas in nomine Domini pascunt, munus docendi, sanctificandi et regendi in eas exercentes. Ipsi tamen agnoscant iura, quae sive Patriarchis sive aliis hierarchicis Auctoritatibus legitime competunt.[1]

Ad suum autem apostolicum munus intendant Episcopi ut Christi testes coram omnibus hominibus, non solum iis providentes qui iam Principem Pastorum sequuntur, sed iis quoque toto animo sese devoventes qui a via veritatis quoquo modo deflexerunt aut Christi Evangelium et misericordiam salutiferam ignorant, donec « in omni bonitate et iustitia et veritate » (*Eph.* 5, 9) tandem omnes ambulent.

12. In exercendo suo munere docendi, Christi Evangelium hominibus annuntient, quod inter praecipua Episcoporum munera eminet,[2] eos in Spiritus fortitudine ad fidem vocantes aut in fide viva confirmantes; integrum Christi mysterium ipsis proponant, illas nempe veritates quarum ignorantia, Christi ignorantia est, itemque viam quae divinitus revelata est ad glorificationem Dei atque eo ipso ad beatitudinem aeternam consequendam.[3]

Ostendant insuper res ipsas terrestres et humana instituta secundum Dei Creatoris consilium, ad hominum salutem quoque ordinari et ideo ad aedificationem Corporis Christi non parum conferre posse.

Edoceant ideo quanti, iuxta doctrinam Ecclesiae, aestimanda sit persona humana, cum sua libertate et ipsa corporis vita; familia eiusque unitas et stabilitas, prolisque procreatio et educatio; civile consortium cum suis legibus et professionibus; labor et otia, artes et technica inventa; paupertas et opum affluentia; rationes denique exponant quibus solvendae sunt de bonorum materialium possessione, incremento ac recta distributione, de pace et bello, de fraterna omnium populorum conversatione gravissimae quaestiones.[4]

13. Doctrinam christianam proponant ratione temporum necessitatibus aptata, quae scilicet respondeat difficultatibus et quaestionibus quibus maxime homines premuntur et anguntur; eandem doctrinam quoque tueantur, ipsos fideles docentes illam defendere et propagare. In eadem tradenda, maternam

Ecclesiae sollicitudinem comprobent erga omnes homines, sive fideles sive non fideles, et peculiari cura prosequantur pauperes et tenuiores, quos evangelizare misit eos Dominus.

Cum Ecclesiae sit cum humana societate, in qua vivit, ad colloquium venire,[5] Episcoporum imprimis est officium ut homines adeant et colloquia cum eisdem petant ac promoveant. Quae salutis colloquia, ut semper veritas cum caritate, intellegentia cum amore copulentur, perspicuitate sermonis simul ac humilitate et lenitate praestent oportet, itemque debita prudentia iuncta tamen cum fiducia, quippe quae amicitiam cum foveat animos coniungere nata sit.[6]

Varia media ad doctrinam christianam annuntiandam adhibere satagant in hodierno tempore quae praesto sunt, videlicet imprimis praedicationem atque catecheticam institutionem, quae quidem semper principem tenent locum, sed et propositionem doctrinae in scholis, in academiis, conferentiis et coadunationibus omnis generis, necnon eiusdem diffusionem declarationibus publicis occasione quorumdam eventuum factis, prelo variisque instrumentis communicationis socialis, quibus ad Christi Evangelium nuntiandum uti omnino oportet.[7]

14. Invigilet ut catechetica institutio, quae eo tendit ut in hominibus fides, per doctrinam illustrata, viva fiat atque explicita et operosa, tum pueris et adolescentibus, tum iuvenibus, tum etiam adultis sedula cura tradatur; ut in eadem tradenda serventur aptus ordo atque methodus conveniens non tantum materiae de qua agitur, sed et indoli, facultatibus et aetati necnon vitae condicionibus auditorum, ut eadem institutio innitatur Sacra Scriptura, Traditione, Liturgia, Magisterio vitaque Eclesiae.

Curent praeterea ut catechetae ad munus suum rite praeparentur, ita ut Ecclesiae doctrinam plane cognoscant, necnon et leges psychologicas et disciplinas paedagogicas theoretice et practice addiscant.

Satagant etiam ut institutio catechumenorum adultorum restituatur aut melius adaptetur.

15. In exercendo suo munere sanctificandi memores sint Episcopi se ex hominibus assumptos esse et pro hominibus constitui, in iis quae sunt ad Deum, ut offerant dona et sacrificia pro peccatis. Episcopi enim plenitudine Sacramenti Ordinis gaudent et ab ipsis in exercenda sua potestate pendent tum presbyteri, qui quidem, ut Ordinis episcopalis providi sint cooperatores, et ipsi consecrati sunt veri Novi Testamenti sacerdotes, tum diaconi, qui ad ministerium ordinati populo Dei in communione cum Episcopo eiusque presbyterio inserviunt; ipsi itaque Episcopi praecipui sunt dispensatores mysteriorum Dei, sicut et totius vitae liturgicae in Ecclesia sibi commissa moderatores, promotores atque custodes.[8]

Iugiter itaque adnitantur ut christifideles paschale mysterium penitius cognoscant et vivant, per Eucharistiam, ita ut unum arctissimum efficiant Corpus in unitate caritatis Christi; [9] « orationi et ministerio verbi instantes » (*Act.* 6, 4), laborem impendant ut omnes quorum cura sibi est commissa

unanimi sint in oratione [10] utque Sacramentorum receptione in gratia crescant ac fideles Domino sint testes.

Qua perfectores, Episcopi clericorum suorum, religiosorum et laicorum sanctitatem, secundum suam cuiusque peculiarem vocationem, promovere studeant,[11] memores quidem se teneri ad exemplum sanctitatis praebendum, in caritate, humilitate et vitae simplicitate. Ita Ecclesias sibi concreditas sanctificent ut in eisdem universae Christi Ecclesiae sensus plene effulgeat. Idcirco vocationes sacerdotales ac religiosas quam maxime foveant, speciali cura vocationum missionalium adhibita.

16. In exercendo suo munere patris ac pastoris, sint Episcopi in medio suorum sicut qui ministrant,[12] boni pastores qui cognoscunt suas oves quosque et ipsae cognoscunt, veri patres qui spiritu dilectionis et sollicitudinis erga omnes praestant, quorumque auctoritati divinitus quidem collatae omnes grato animo sese subiciunt. Integram sui gregis familiam ita congregent atque efforment ut omnes, officiorum suorum conscii, in communione caritatis vivant et operentur.

Quae ut efficaciter facere valeant, Episcopi, « ad omne opus bonum parati » (*2 Tim.* 2, 21) et « omnia sustinentes propter electos » (*2 Tim.* 2, 10) vitam suam ita ordinent oportet, ut necessitatibus temporum accommodata sit.

Sacerdotes, quippe qui munera et sollicitudinem ipsorum pro parte suscipiant et cura cotidiana tam studiose exerceant, peculiari semper caritate amplectantur, eosdem ut filios et amicos habentes [13] ideoque ad eos audiendos parati atque confidenti cum eisdem consuetudine, integrum opus pastorale totius dioecesis promovere studeant.

Solliciti sint eorum condicionum spiritualium, intellectualium et materialium ut hi sancte pieque vivere atque ministerium suum fideliter ac fructuose adimplere valeant. Quare institutiones foveant et peculiares conventus instaurent, in quibus sacerdotes aliquoties congregentur tum ad longiora peragenda exercitia spiritualia in vitae suae renovationem tum ad altiorem acquirendam cognitionem ecclesiasticarum disciplinarum, praesertim Sacrae Scripturae et theologiae, socialium maioris momenti quaestionum, necnon novarum actionis pastoralis rationum. Operosa misericordia prosequantur sacerdotes qui in periculo quoquo modo versantur aut in quibusdam defecerunt.

Fidelium bono ut pro sua cuiusque condicione aptius consulere queant, eorumdem necessitates, in socialibus in quibus vivunt adiunctis, rite cognoscere satagant, aptis ideo adhibitis instrumentis, praesertim investigationis socialis. Erga omnes sollicitos se praebeant cuiuscumque sunt aetatis, condicionis vel nationis, tum incolas, tum advenas et peregrinos. In hac pastorali sollicitudine exercenda fidelibus suis in rebus Ecclesiae partes ipsis congruentes servent, eorumdem officium et ius quoque agnoscentes active adlaborandi ad aedificationem mystici Corporis Christi.

Fratres seiunctos amore prosequantur, fidelibus etiam commendantes ut erga eos magna cum humanitate et caritate se gerant, oecumenismum quoque,

ut ab Ecclesia intelligitur foventes.[14] Etiam non baptizatos cordi habeant, ut et ipsis caritas eluceat Christi Iesu, cuius coram omnibus testes sunt Episcopi.

17. Variae foveantur apostolatus rationes atque in universa dioecesi, vel in eiusdem peculiaribus regionibus, omnium operum apostolatus, sub moderamine Episcopi, coordinatio atque intima coniunctio, qua quidem omnia incepta atque instituta, catechetica, missionalia, caritativa, socialia, familiaria, scholastica atque quaelibet alia finem pastoralem persequentia, ad concordem redigantur actionem, qua simul clarius dioecesis unitas eluceat.

Sedulo urgeatur officium quo tenentur fideles ad apostolatum pro sua quisque condicione et aptitudine exercendum, atque ipsis commendetur ut varia opera laicorum apostolatus, et praesertim Actionem Catholicam, participent aut iuvent. Associationes quoque promoveantur vel foveantur quae finem supernaturalem directe aut indirecte prosequuntur, ad perfectiorem scilicet vitam assequendam, aut ad Christi Evangelium omnibus annuntiandum, aut ad doctrinam christianam vel incrementum cultus publici promovendum, aut ad fines sociales persequendos aut ad pietatis vel caritatis opera exercenda.

Apostolatus formae rite accommodentur necessitatibus hodiernis, attentis hominum condicionibus, non solum spiritualibus et moralibus, sed etiam socialibus, demographicis et oeconomicis. Ad quod efficaciter et fructuose assequendum, magnopere conferunt investigationes sociales et religiosae, per officia sociologiae pastoralis, quae enixe commendantur.

18. Peculiaris sollicitudo habeatur fidelium, qui ob vitae condicionem communi ordinaria parochorum cura pastorali non satis frui valent aut eadem penitus carent, uti sunt quamplurimi migrantes, exsules et profugi, maritimi sicut et aëronavigantes, nomades aliique id genus. Aptae methodi pastorales promoveantur ad vitam spiritualem fovendam eorum qui relaxationis causa ad tempus alias regiones petunt.

Episcoporum Conferentiae, praesertim Nationales, urgentioribus quaestionibus ad praedictos spectantibus sedulo studeant, et aptis instrumentis ac institutionibus spirituali eorum curae, concordi voluntate viribusque unitis consulant atque faveant, attentis in primis normis ab Apostolica Sede statutis [15] vel statuendis, temporum, locorum et personarum condicionibus apte accommodatis.

19. In suo apostolico munere obeundo, quod animarum salutem intendit, Episcopi per se plena ac perfecta gaudent libertate atque independentia a quacumque civili potestate. Quare non licet eorum muneris ecclesiastici exercitium directe vel indirecte impedire neve eos prohibere quominus cum Apostolica Sede aliisque Auctoritatibus ecclesiasticis et cum suis subditis libere communicent.

Profecto Sacri Pastores, dum in spiritualem sui gregis curam incumbunt, reapse sociali quoque et civili profectui ac prosperitati consulunt, actuosam in hunc finem cum publicis auctoritatibus, pro sui officii ratione et sicut Epi-

scopos decet, operam consociantes atque iustis legibus oboedientiam et legitime constitutis potestatibus reverentiam suadentes.

20. Cum apostolicum Episcoporum munus sit a Christo Domino institutum atque spiritualem et supernaturalem finem prosequatur, Sacrosancta Oecumenica Synodus declarat ius nominandi et instituendi Episcopos esse competenti Auctoritati ecclesiasticae proprium, peculiare et per se exclusivum.

Quapropter ad Ecclesiae libertatem rite tuendam et ad christifidelium bonum aptius et expeditius promovendum in votis est Sacrosancti Concilii ut in posterum nulla amplius civilibus Auctoritatibus concedantur iura aut privilegia electionis, nominationis, praesentationis vel designationis ad Episcopatus officium; civiles vero Auctoritates, quarum obsequentem erga Ecclesiam voluntatem Sacrosancta Synodus grato animo agnoscit plurimi facit, humanissime rogantur ut praedictis iuribus vel privilegiis, quibus in praesens pacto aut consuetudine fruantur, consiliis cum Apostolica Sede initis, sua sponte renuntiare velint.

21. Cum igitur pastorale Episcoporum munus tanti sit momenti tantaeque gravitatis, Episcopi dioecesani aliique in iure ipsis aequiparati, si, ob ingravescentem aetatem aliamve gravem causam, implendo suo officio minus apti evaserint, enixe rogantur ut, vel sua ipsi sponte vel a competenti Auctoritate invitati, renuntiationem ab officio exhibeant. Competens autem Auctoritas, si illam acceptaverit, et de congruenti renuntiantium sustentatione et de peculiaribus iuribus iisdem recognoscendis providebit.

II - Dioecesium circumscriptio

22. Ad proprium dioecesis finem consequendum, oportet ut Ecclesiae natura in populo Dei ad ipsam dioecesim pertinente perspicue manifestetur; ut Episcopi munera sua pastoralia in iisdem efficaciter explere valeant; ut denique populi Dei saluti quam perfectissime fieri potest ministretur.

Id autem postulat sive congruentem finium territorialium dioecesium circumscriptionem, sive clericorum opumque distributionem rationi consentaneam atque apostolatus exigentiis accommodatam. Quae omnia non solum clericorum et christifidelium, quorum directe interest, verum etiam et totius catholicae Ecclesiae in bonum cedunt.

Itaque, ad dioecesium circumscriptiones quod attinet, decernit Sacrosancta Synodus ut, quatenus animarum bonum id exigat, quamprimum ad congruam recognitionem prudenter deveniatur, eas dividendo vel dismembrando vel uniendo, aut ipsarum fines mutando vel episcopalium sedium aptiorem locum determinando, aut denique, praesertim si de dioecesibus agatur quae ex maioribus urbibus constant, eas nova interna ordinatione disponendo.

23. In dioecesium circumscriptionibus recognoscendis in tuto ponatur praeprimis uniuscuiusque dioecesis unitas organica, quoad personas, officia,

instituta, ad instar corporis apte viventis. Singulis vero in casibus, omnibus adiunctis accurate perpensis, prae oculis habeantur criteria generaliora quae sequuntur.

1) In circumscriptione dioecesana definienda ratio, quantum fieri poterit, habeatur varietatis compositionis populi Dei, quae multum conferre potest ad pastoralem curam aptius exercendam; simulque curetur ut huius populi conglobationes demographicae, cum civilibus officiis institutisque socialibus quae structuram ipsius organicam efficiunt, in unum, quantum fieri poterit, serventur. Qua de causa uniuscuiusque dioecesis territorium nonnisi continuum pateat.

Attendatur etiam, si casus ferat, ad fines circumscriptionum civilium, atque ad peculiaria personarum locorumve adiuncta, v. g. psychologica, oeconomica, geographica, historica.

2) Amplitudo territorii dioecesani eiusve incolarum numerus talis sit generatim ut, ex una parte, ipse Episcopus, licet ab aliis adiutus, pontificalia exercere visitationesque pastorales congrue peragere valeat, omnia apostolatus opera in dioecesi rite moderari atque coordinare, sacerdotes suos praesertim cognoscere, necnon et religiosos et laicos rationem aliquam in dioecesanis inceptis habentes; ex altera vero parte, sufficiens ac idoneus praebeatur campus in quo sive Episcopus sive clerici, omnes suas vires in ministerium, prae oculis habitis universalis Ecclesiae necessitatibus, utiliter impendere possint.

3) Quo denique aptius salutis ministerium in dioecesi exerceri possit, pro regula habeatur ut unicuique dioecesi clerici, numero et idoneitate saltem sufficientes, praesto sint pro rite pascendo populo Dei; officia, instituta et opera ne desint quae Ecclesiae particularis propria sunt, quaeque pro eius apto regimine et apostolatu necessaria usu comprobantur; opes denique ad personas et instituta sustentanda aut iam adsint aut saltem prudenter praevideantur aliunde non defuturae.

Hunc quoque in finem, ubi sint fideles diversi Ritus, eorum spiritualibus necessitatibus Episcopus dioecesanus provideat sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem Ritus, sive per Vicarium Episcopalem aptis facultatibus instructum et, si casus ferat, etiam charactere episcopali ornatum, sive per seipsum diversorum Rituum Ordinarii munere fungentem. Quod si haec omnia, ob rationes peculiares, iudicio Apostolicae Sedis, fieri non possint, Hierarchia propria pro diversitate Rituum constituatur.[16]

Item, in similibus circumstantiis, diversi sermonis fidelibus provideatur sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem sermonis, sive per Vicarium Episcopalem sermonem bene callentem et etiam, si casus ferat, charactere episcopali ornatum, sive denique alia opportuniore ratione.

24. Ad dioecesium immutationes aut innovationes ad normam nn. 22-23 inducendas quod attinet, salva disciplina Ecclesiarum Orientalium, expedit ut competentes Conferentiae Episcopales haec negotia pro suo quaeque ter-

ritorio examini subiciant — ope etiam adhibita peculiaris Commissionis Episcopalis, si id opportunum videatur, at semper auditis praesertim Episcopis Provinciarum vel Regionum quarum interest — et deinde sua consilia et vota Apostolicae Sedi proponant.

III - Episcopi Dioecesani in munere pastorali Cooperatores

1) *Episcopi Coadiutores et Auxiliares*

25. In regendis dioecesibus, pastorali Episcoporum muneri ita provideatur, ut bonum dominici gregis semper sit suprema ratio. Quod bonum ut debite procuretur, haud raro Episcopi Auxiliares constituendi sunt, eo quod Episcopus dioecesanus, vel ob nimiam dioecesis amplitudinem aut nimium incolarum numerum, vel ob peculiaria apostolatus adiuncta aut alias diversae naturae causas, nequit per semetipsum omnia episcopalia munia, sicut animarum exigit bonum, adimplere. Immo et aliquando peculiaris necessitas postulat ut in ipsius Episcopi dioecesani adiutorium constituatur Episcopus Coadiutor. Qui Episcopi Coadiutores et Auxiliares ita congruentibus facultatibus instruendi sunt, ut, salva semper unitate dioecesani regiminis necnon Episcopi dioecesani auctoritate, eorum actio efficacior reddatur, et dignitas, Episcoporum propria, magis in tuto ponatur.

Iamvero Episcopi Coadiutores et Auxiliares, eo quod in partem sollicitudinis Episcopi dioecesani vocati sunt, ita munus suum exerceant, ut in omnibus negotiis unanima consensione cum ipso procedant. Praeterea obsequium et reverentiam semper exhibeant Episcopo dioecesano, qui et ipse Episcopos Coadiutores vel Auxiliares fraterne diligat atque existimatione prosequatur.

26. Bono animarum id exigente, ne renuat Episcopus dioecesanus a competenti Auctoritate unum pluresve Auxiliares expostulare, qui nempe sine iure successionis pro dioecesi constituuntur.

Quodsi in Litteris nominationis provisum non fuerit, Episcopus dioecesanus Auxiliarem vel Auxiliares suos constituat Vicarios Generales vel saltem Vicarios Episcopales, a sua auctoritate dumtaxat dependentes quos ipse, in perpendendis causis maioris momenti praesertim indolis pastoralis, consulere velit.

Nisi aliud a competenti Auctoritate statutum fuerit, cum Episcopi dioecesani munere non exspirant potestates et facultates quibus Episcopi Auxiliares a iure instructi sunt. Optandum quoque est ut, sede vacante, munus dioecesim regendi, nisi aliud graves rationes suadeant, committatur Episcopo Auxiliari vel, ubi plures sunt, uni ex Auxiliaribus.

Episcopus Coadiutor, qui nempe cum iure successionis nominatur, ab Episcopo dioecesano Vicarius Generalis semper constituatur. Eidem autem pleniores facultates in casibus particularibus a competenti Auctoritate concedi poterunt.

Ut quam maxime praesenti ac futuro dioecesis bono faveatur, Episcopus Coadiutus et Coadiutor in rebus maioris momenti mutuo se consulere ne omittant.

2) *Curia atque Consilia dioecesana*

27. Eminens in Curia dioecesana est officium Vicarii Generalis. Quoties autem rectum dioecesis regimen id requirat, constitui possunt ab Episcopo unus aut plures Vicarii Episcopales, qui nempe ipso iure, in determinata dioecesis parte aut in certo negotiorum genere aut quoad fideles determinati Ritus, ea gaudent potestate, quam ius commune Vicario Generali tribuit.

Inter Episcopi cooperatores in regimine dioecesis, illi presbyteri quoque enumerantur qui eius senatum consiliumve constituunt, ut sunt capitulum cathedrale, consultorum coetus vel alia consilia, secundum diversorum locorum circumstantias vel indolem. Haec instituta, praesertim capitula cathedralia, novae ordinationi, quatenus opus sit, necessitatibus hodiernis aptatae, subiciantur.

Sacerdotes et laici, qui ad Curiam dioecesanam pertinent, sciant se pastorali Episcopi ministerio adiutricem operam praestare.

Curia dioecesana ita ordinetur ut aptum instrumentum Episcopo fiat, non tantum ad dioecesim administrandam, sed etiam ad opera apostolatus exercenda.

Valde optandum est ut in unaquaque dioecesi peculiare instituatur Consilium pastorale, cui Episcopus dioecesanus ipse praesit et in quo clerici, religiosi et laici, specialiter delecti, partes habeant. Huius Consilii erit, ea quae ad pastoralia opera spectant investigare, perpendere atque de eis practicas expromere conclusiones.

3) *Clerus dioecesanus*

28. Omnes quidem presbyteri sive dioecesani sive religiosi, unum sacerdotium Christi cum Episcopo participant et exercent, ideoque Ordinis episcopalis providi cooperatores constituuntur. In animarum autem cura procuranda primas partes habent sacerdotes dioecesani, quippe qui, Ecclesiae particulari incardinati vel addicti, eiusdem servitio plene sese devoveant ad unam dominici gregis portionem pascendam; quare unum constituunt presbyterium atque unam familiam, cuius pater est Episcopus. Qui, ut ministeria sacra inter sacerdotes suos aptius et aequius disponere valeat, necessaria libertate gaudere debet in officiis vel beneficiis conferendis, suppressis proinde iuribus seu privilegiis, quae eamdem libertatem quoquo modo coarctent.

Necessitudines Episcopum inter et sacerdotes dioecesanos vinculis potissimum supernaturalis caritatis inniti debent, ita quidem ut sacerdotum voluntatis consociatio cum Episcopi voluntate pastoralem eorumdem actionem reddat uberiorem. Quare, ut animarum servitium magis magisque promoveatur, Episcopus sacerdotes ad colloquium, commune quoque, de re praesertim pastorali, vocare velit, non tantum data occasione, sed etiam, quantum fieri possit, statis temporibus.

Praeterea, omnes sacerdotes dioecesani uniti inter se sint ideoque boni spiritualis universae dioecesis sollicitudine urgeantur; insuper, memores bona, quae occasione officii ecclesiastici sibi comparant, cum munere sacro cohaerere, necessitatibus materialibus quoque dioecesis, iuxta Episcopi ordinationem, pro viribus liberaliter subveniant.

29. Proximiores Episcopi cooperatores sunt illi etiam sacerdotes, quibus munus pastorale aut apostolatus opera indolis supraparoecialis ab ipso committuntur, sive quoad determinatum dioecesis territorium, sive quoad speciales fidelium coetus, sive quoad peculiare actionis genus.

Eximiam quoque adiutricem operam praestant sacerdotes, quibus ab Episcopo diversa munera apostolatus, sive in scholis sive in aliis institutis aut associationibus, concreduntur. Etiam illi sacerdotes, qui operibus supradioecesanis sunt addicti, cum praeclara apostolatus opera exerceant, peculiari sollicitudini commendantur praesertim Episcopi in cuius dioecesi commorantur.

30. Praecipua autem ratione Episcopi cooperatores sunt parochi, quibus, tamquam pastoribus propriis, animarum cura committitur in determinata dioecesis parte sub illius auctoritate.

1) In hac autem cura gerenda parochi, cum suis adiutoribus ita munus docendi, sanctificandi et regendi adimpleant, ut fideles atque communitates paroeciales, tum dioecesis tum totius Ecclesiae universalis membra revera se sentiant. Quapropter cum aliis parochis collaborent necnon cum sacerdotibus, qui munus pastorale in territorio exercent (uti sunt e. g. Vicarii Foranei, Decani) vel operibus indolis supraparoecialis sunt addicti, ut cura pastoralis in dioecesi unitate non careat atque efficacior reddatur.

Praeterea cura animarum spiritu missionali semper informetur, ita ut ad omnes in paroecia degentes, debito modo, se extendat. Quodsi parochi quosdam personarum coetus attingere nequeant, alios, etiam laicos, in proprium adiutorium vocent, qui sibi auxilium praestent in iis quae ad apostolatum spectant.

Ad eamdem vero animarum curam efficaciorem reddendam, vita communis sacerdotum, praesertim eidem paroeciae addictorum, enixe commendatur, quae, dum actionem apostolicam fovet, caritatis et unitatis exemplum fidelibus praebet.

2) In exsequendo munere magisterii, parochorum est: verbum Dei praedicare omnibus christifidelibus, ut hi in fide, spe et caritate radicati, in Christo crescant et communitas christiana illud testimonium caritatis reddat, quod Dominus commendavit; [17] itemque catechetica instructione fideles ad plenam mysterii salutis cognitionem ducere, unicuique aetati accommodatam. Ad hanc autem instructionem tradendam non solum religiosorum auxilium quaerant, sed etiam laicorum cooperationem, erecta quoque Confraternitate Doctrinae Christianae.

In perficiendo opere sanctificationis, curent parochi ut celebratio Eucharistici Sacrificii centrum sit et culmen totius vitae communitatis christianae; itemque adlaborent ut fideles spirituali pabulo pascantur per devotam et fre-

quentem Sacramentorum receptionem atque per consciam et actuosam in Liturgia participationem. Meminerint etiam parochi quam maxime sacramentum Poenitentiae ad vitam christianam fovendam conferre; quare faciles se praebeant ad fidelium confessiones audiendas, advocatis ad hoc, si opus fuerit, aliis etiam sacerdotibus, qui varias linguas calleant.

In officio pastoris adimplendo, imprimis curent parochi proprium gregem cognoscere. Cum autem omnium ovium sint ministri, vitae christianae incrementum foveant tum in singulis fidelibus, tum in familiis, tum in associationibus praesertim apostolatui addictis, tum in universa communitate paroeciali. Domos igitur et scholas visitent, prout pastorale munus id exigat; adulescentibus et iuvenibus studiose prospiciant; pauperes et infirmos paterna caritate prosequantur; peculiarem denique curam de opificibus habeant atque adlaborent ut fideles operibus apostolatus auxilium praestent.

3) Vicarii paroeciales tamquam parochi cooperatores, praestantem et actuosam operam quotidie impendunt in ministerio pastorali sub parochi auctoritate exercendo. Quare inter parochum eiusque vicarios fraterna habeatur conversatio, mutua caritas et reverentia semper vigeat iidemque consiliis, auxilio et exemplo sese invicem adiuvent, paroeciali curae concordi voluntate communique studio providentes.

31. In iudicio efformando de sacerdotis idoneitate ad aliquam paroeciam regendam, Episcopus rationem habeat, non solum de illius doctrina, sed etiam de pietate, zelo apostolico, ceterisque dotibus ac qualitatibus, quae ad curam animarum rite exercendam requiruntur.

Praeterea cum muneris paroecialis tota ratio sit bonum animarum, quo facilius et aptius Episcopus ad provisionem paroeciarum procedere valeat, supprimantur, salvo iure Religiosorum, quaelibet iura praesentationis, nominationis vel reservationis, necnon, ubi exsistat, lex concursus, sive generalis sive particularis.

Parochi vero in sua quisque paroecia ea gaudeant stabilitate in officio, quam animarum bonum requirat. Quare, abrogata distinctione inter parochos amovibiles et inamovibiles, recognoscatur et simplicior reddatur modus procedendi in translatione et amotione parochorum, quo Episcopus, servata quidem naturali et canonica aequitate, aptius necessitatibus boni animarum providere possit.

Parochi autem, qui ob ingravescentem aetatem aliamve gravem causam, ab officio rite et fructuose adimplendo impediuntur, enixe rogantur ut sua ipsi sponte, aut ab Episcopo invitati, officii renuntiationem faciant. Episcopus renuntiantibus congruam sustentationem provideat.

32. Eadem denique salus animarum causa sit, quo determinentur aut recognoscantur paroeciarum erectiones aut suppressiones, aliaeve huiusmodi innovationes, quas quidem Episcopus propria auctoritate peragere poterit.

4) *Religiosi*

33. Omnibus Religiosis, quibus in iis quae sequuntur sodales accensentur ceterorum Institutorum consilia evangelica profitentes, iuxta propriam cuiusque vocationem, officium incumbit impense diligenterque adlaborandi ad aedificationem et incrementum totius mystici Corporis Christi et in bonum Ecclesiarum particularium.

Hos vero fines promovere tenentur imprimis oratione, poenitentiae operibus et propriae vitae exemplo, in quorum aestimatione et studio ut iugiter crescant, Sacrosancta haec Synodus eos magnopere hortatur. At, ratione habita indolis uniuscuiusque Religionis propriae, ad externa quoque apostolatus opera impensius accedant.

34. Religiosi sacerdotes, qui in presbyteratus officium consecrantur ut sint et ipsi providi cooperatores Ordinis episcopalis, hodie adhuc maiori auxilio Episcopis esse valent, pro ingravescente animarum necessitate. Ideo vera quadam ratione ad clerum dioecesis pertinere dicendi sunt, quatenus in cura animarum atque apostolatus operibus exercendis partem habent sub sacrorum Praesulum auctoritate.

Etiam alii sodales, sive viri sint sive mulieres, qui et ipsi peculiari ratione ad familiam dioecesanam pertinent, magnum auxilium sacrae Hierarchiae afferunt, atque in dies, auctis apostolatus necessitatibus, magis magisque afferre possunt ac debent.

35. Ad hoc autem ut apostolatus opera in singulis dioecesibus concorditer semper exerceantur atque unitas dioecesanae disciplinae sarta tecta servetur, haec principia fundamentalia statuuntur:

1) Episcopos, utpote Apostolorum successores, Religiosi omnes devoto semper obsequio ac reverentia prosequantur. Praeterea quoties ad apostolatus opera legitime vocantur ita munia sua exercere tenentur ut Episcopis auxiliatores adsint et subsint.[18] Quin immo Religiosi Episcoporum postulationibus votisque prompte ac fideliter obsecundent ut ampliores partes in salutis humanae ministerium suscipiant, salva Instituti indole et secundum Constitutiones, quae, si necesse sit, ad hunc finem accommodentur, inspectis huius Decreti Concilii principiis.

Praesertim, attentis urgentibus animarum necessitatibus atque cleri dioecesani penuria, Instituta religiosa, quae vitae mere contemplativae non addicuntur, ab Episcopis advocari possunt ut in variis ministeriis pastoralibus operam adiutricem impendant, inspecta tamen propria cuiusque Instituti indole; quam operam ut praestent, in paroeciis quoque suscipiendis etiam ad tempus, Superiores pro viribus faveant.

2) Religiosi autem, in externum apostolatum immissi, spiritu religionis propriae imbuti sint, atque fideles permaneant regulari observantiae et subiectioni erga proprios Superiores; quam obligationem ipsi Episcopi urgere ne omittant.

3) Exemptio, qua Religiosi ad Summum Pontificem vel ad aliam eccle-

siasticam Auctoritatem advocantur et ab Episcoporum iurisdictione subducuntur, ordinem Institutorum internum potissimum respicit, quo melius in iisdem omnia sint inter se apta et connexa atque incremento et perfectioni religiosae conversationis consulatur; [19] necnon ut de illis disponere possit Summus Pontifex in bonum Ecclesiae universae,[20] alia vero competens Auctoritas in bonum Ecclesiarum propriae iurisdictionis.

Haec autem exemptio non impedit quominus Religiosi in singulis dioecesibus Episcoporum iurisdictioni subsint ad normam iuris, prout horum pastorale munus perfungendum et animarum rite ordinanda curatio requirunt.[21]

4) Omnes Religiosi, exempti et non exempti, Ordinariorum locorum potestati subsunt in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, salva quidem Rituum diversitate, ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, religiosam et moralem educationem, catecheticam institutionem et liturgicam efformationem atque ad status clericalis decorem spectant necnon ad varia opera in iis quae sacri apostolatus exercitium respiciunt. Religiosorum quoque scholae catholicae Ordinariis locorum subsunt ad earum generalem ordinationem et vigilantiam quod attinet, firmo tamen iure Religiosorum quoad earumdem moderamen. Pariter Religiosi tenentur servare ea omnia quae Episcoporum Concilia aut Conferentiae ab omnibus servanda legitime edixerint.

5) Inter varia Instituta religiosa atque inter eadem et clerum dioecesanum, ordinata foveatur cooperatio. Arcta insuper habeatur omnium operum et actionum apostolicarum coordinatio, quae maxime pendet a supernaturali animorum et mentium habitu, in caritate radicato et fundato. Hanc autem coordinationem curare Apostolicae Sedi competit pro universa Ecclesia; sacris vero Pastoribus in sua cuiusque dioecesi; Patriarchalibus demum Synodis et Episcoporum Conferentiis in proprio territorio.

Episcopi vel Episcoporum Conferentiae et Superiores religiosi vel Conferentiae Superiorum Maiorum, pro operibus apostolatus quae a Religiosis exercentur, praeviis consiliis mutuo inter se collatis procedere velint.

6) Ad fovendas concorditer et fructuose mutuas relationes inter Episcopos et Religiosos, statis temporibus et quoties id opportunum videbitur, Episcopi et Superiores religiosi convenire velint ad negotia tractanda, quae universim ad apostolatum in territorio pertinent.

NOTAE

[1] Cf. CONC. VAT. II, Decr. *de Ecclesiis Orientalibus Catholicis, Orientalium Ecclesiarum,* nn. 7-11: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 79-80.

[2] Cf. CONC. TRID., Sess. V, Decr. *de reform.,* c. 2, MANSI 33, 30; Sess. XXIV, Decr. *de reform.,* c. MANSI 33, 159; CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen gentium,* Cap. III, n. 25: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 29 ss.

[3] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen gentium,* Cap. III, n. 25: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 29-31.

[4] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963, passim: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 257-304.
[5] Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 639.
[6] Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 644-645.
[7] Cf. CONC. VAT. II, Decr. *de instrumentis communicationis socialis, Inter mirifica*: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 145-153.
[8] Cf. CONC. VAT. II, Const. *de Sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium*: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 97 ss.; PAULUS VI, Motu proprio *Sacram Liturgiam,* 25 ian. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 139 ss.
[9] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 521 ss.; PAULUS VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei,* 3 sept. 1965: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 753-774.
[10] Cf. *Act.* 1, 14 et 2, 46.
[11] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen gentium,* Cap. VI, nn. 44-45: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 50-52.
[12] Cf. *Lc.* 22, 26-27.
[13] Cf. *Io.* 15, 15.
[14] Cf. CONC. VAT. II, Decr. *de Oecumenismo, Unitatis redintegratio*: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 90-107.
[15] Cf. S. PIUS X, Motu proprio *Iampridem,* 19 mart. 1914: *A.A.S.,* 6 (1914), p. 173 ss.; PIUS XII, Const. Ap. *Exsul Familia,* 1 aug. 1952: *A.A.S.,* 44 (1952), p. 649 ss.; *Leges Operis Apostolatus Maris,* auctoritate Pii XII conditae, 21 nov. 1957: *A.A.S.* (1958), pp. 375-383.
[16] Cf. CONC. VAT. II, Decr. *de Ecclesiis Orientalibus Catholicis, Orientalium Ecclesiarum,* n. 4: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 77.
[17] Cf. *Io.* 13, 35.
[18] Cf. PIUS XII, *Allocutio,* 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 28; PAULUS VI, *Allocutio,* 23 maii 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 571.
[19] Cf. LEO XIII, Const. Ap. *Romanos Pontifices,* 8 maii 1881: *Acta Leonis XIII,* vol. II (1882), p. 234.
[20] Cf. PAULUS VI, *Allocutio,* 23 maii 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 570-571.
[21] Cf. PIUS XII, *Allocutio,* 8 dec. 1950: l. c.

CAPUT III

DE EPISCOPIS IN COMMUNE PLURIUM ECCLESIARUM BONUM COOPERANTIBUS

I - SYNODI, CONCILIA ET PRAESERTIM EPISCOPORUM CONFERENTIAE

36. Inde a prioribus Ecclesiae saeculis Episcopi, peculiaribus quidem Ecclesiis praepositi, communione fraternae caritatis atque studio permoti universalis missionis Apostolis traditae, vires ac voluntates suas consociaverunt ad bonum tum commune tum singularum Ecclesiarum provehendum. Hac

ratione sive Synodi, sive Concilia provincialia, sive demum Concilia plenaria constituta fuerunt in quibus Episcopi aequalem pro variis Ecclesiis statuerunt rationem servandam tum in fidei veritatibus docendis tum in disciplina ecclesiastica ordinanda.

Exoptat haec Sancta Oecumenica Synodus ut veneranda Synodorum et Conciliorum instituta novo vigeant robore, quo aptius et efficacius fidei incremento disciplinaeque conservationi in variis Ecclesiis, pro temporum adiunctis, provideatur.

37. Hodiernis potissimum temporibus Episcopi haud raro munus suum apte ac fructuose adimplere non valent nisi cum aliis Episcopis arctiorem in dies suam concordem atque coniunctiorem operam efficiant. Cum autem Episcoporum Conferentiae — pluribus in nationibus iam constitutae — praeclara ediderint uberioris apostolatus argumenta, Sacrosancta haec Synodus summopere expedire censet, ut ubique terrarum eiusdem nationis seu regionis Episcopi in unum coetum confluant, statis temporibus simul convenientes, ut communicatis prudentiae et experientiae luminibus, collatisque consiliis sancta fiat ad commune Ecclesiarum bonum virium conspiratio.

Propterea de Episcoporum Conferentiis haec quae sequuntur statuit.

38. 1) Est Episcoporum Conferentia veluti coetus in quo sacrorum Antistites cuiusdam nationis vel territorii munus suum pastorale coniunctim exercent ad maius bonum, quod hominibus praebet Ecclesia, provehendum, praesertim per apostolatus formas et rationes occurrentibus aetatis adiunctis apte compositas.

2) Omnes Ordinarii locorum cuiuscumque ritus, Vicariis Generalibus exceptis, Coadiutores, Auxiliares aliique Episcopi titulares peculiari munere vel ab Apostolica Sede vel ab Episcoporum Conferentiis demandato fungentes ad Episcoporum Conferentiam pertinent. Ceteri Episcopi titulares necnon, ob singulare quod obeunt in territorio officium, Legati Romani Pontificis non sunt de iure membra Conferentiae.

Ordinariis locorum necnon Coadiutoribus competit suffragium deliberativum. Auxiliaribus aliisque Episcopis, quibus ius est Conferentiae interesse, suffragium deliberativum aut consultivum decernent statuta Conferentiae.

3) Quaelibet Conferentia Episcoporum sua conficiat statuta, ab Apostolica Sede recognoscenda, in quibus — praeter alia media — officia provideantur quae fini consequendo efficacius consulant, e. g. Consilium permanens Episcoporum, Commissiones Episcopales, Secretariatus Generalis.

4) Decisiones Conferentiae Episcoporum, dummodo legitime et per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum Praesulum, qui voto deliberativo fruentes ad Conferentiam pertinent, prolatae fuerint et ab Apostolica Sede recognitae, vim habeant iuridice obligandi in casibus dumtaxat in quibus aut ius commune id praescripserit aut peculiare Apostolicae Sedis mandatum, motu proprio aut ad petitionem ipsius Conferentiae datum, id statuerit.

5) Ubi peculiaria adiuncta id postulent, Episcopi plurium nationum, Apostolica Sede approbante, unam poterunt Conferentiam constituere.

Foveantur insuper relationes inter Conferentias Episcopales diversarum nationum ad maius bonum promovendum ac tuendum.

6) Enixe commendatur ut Praesules Orientalium Ecclesiarum, in disciplina propriae Ecclesiae in Synodis promovenda et ad opera in bonum religionis efficacius fovenda, rationem etiam habeant boni communis totius territorii, ubi plures Ecclesiae diversorum rituum exstant, consiliis in conventibus interritualibus collatis, iuxta normas a competenti Auctoritate statuendas.

II - Provinciarum Ecclesiasticarum circumscriptio et regionum ecclesiasticarum erectio

39. Animarum bonum non dioecesium tantum sed provinciarum quoque ecclesiasticarum aptam expostulat circumscriptionem, immo et regionum ecclesiasticarum suadet erectionem, ita ut apostolatus necessitatibus iuxta socialia et localia adiuncta melius provideatur, atque faciliores fructuosioresque reddantur Episcoporum relationes sive inter se sive cum Metropolitis et cum ceteris eiusdem nationis Episcopis, necnon et Episcoporum cum civilibus Auctoritatibus.

40. Itaque, ad memoratos fines consequendos, Sacrosancta Synodus haec statuenda decernit:

1) Provinciarum ecclesiasticarum circumscriptiones opportune recognoscantur et iura ac privilegia Metropolitarum novis aptisque normis definiantur.

2) Pro regula habeatur ut omnes dioeceses aliaeque territoriales circumscriptiones quae iure dioecesibus aequiparantur alicui provinciae ecclesiasticae adscribantur. Proinde dioeceses quae nunc Apostolicae Sedi immediate sint subiectae quaeque nulli alii uniantur, aut in novam provinciam ecclesiasticam, si id fieri possit, sunt simul componendae aut illi provinciae aggregandae, quae vicinior seu opportunior sit, et iuri metropolitico Archiepiscopi sunt subiciendae ad normam iuris communis.

3) Ubi utilitas id suadet, provinciae ecclesiasticae in regiones ecclesiasticas componantur, quarum ordinatio iure est statuenda.

41. Expedit ut competentes Episcoporum Conferentiae quaestionem de huiusmodi provinciarum circumscriptione aut regionum erectione examini subiciant, iuxta normas iam de dioecesium circumscriptione in nn. 23 et 24 statutas, et consilia ac vota sua Apostolicae Sedi proponant.

III - Episcopi munere interdioecesano fungentes

42. Cum necessitates pastorales magis magisque requirant ut quaedam pastoralia munia concorditer regantur et promoveantur, expedit ut in servitium omnium vel plurium dioecesium alicuius determinatae regionis aut nationis nonnulla constituantur officia, quae etiam Episcopis committi possunt.

Commendat autem Sancta Synodus ut inter Praelatos seu Episcopos, his

muneribus perfungentes, et Episcopos dioecesanos atque Conferentias Episcopales fraterna semper vigeat communio et animorum in sollicitudine pastorali conspiratio, cuius rationes etiam iure communi definiantur oportet.

43. Cum spirituali militum curae, ob peculiares eorumdem vitae condiciones, eximia debeatur sollicitudo, in unaquaque natione erigatur, pro viribus, Vicariatus Castrensis. Tum Vicarius tum cappellani in concordi cum Episcopis dioecesanis cooperatione huic difficili operi impense se devoveant.[1]

Quare Episcopi dioecesani Vicario Castrensi concedant numero sufficienti sacerdotes huic gravi muneri aptos simulque faveant inceptis ad bonum spirituale militum provehendum.[2]

Mandatum generale

44. Decernit Sacrosancta Synodus, ut in recognoscendo Codice Iuris Canonici aptae definiantur leges, ad normam principiorum quae in hoc Decreto statuuntur, perpensis etiam animadversionibus quae vel a Commissionibus vel a Patribus Conciliaribus prolatae sunt.

Decernit insuper Sancta Synodus ut Directoria generalia de cura animarum conficiantur in usum tum Episcoporum tum parochorum, ut certae ipsis praebeantur rationes ad proprium munus pastorale facilius aptiusque obeundum.

Conficiantur etiam tum speciale Directorium de cura pastorali peculiarium fidelium coetuum pro diversis singularum nationum vel regionum adiunctis, tum Directorium de catechetica populi christiani institutione, in quo agatur de fundamentalibus eiusdem institutionis principiis et ordinatione deque elaboratione librorum ad rem pertinentium. In iis vero Directoriis conficiendis ratio item habeatur animadversionum quae sive a Commissionibus sive a Patribus Conciliaribus exhibitae sunt.

NOTAE

[1] Cf. S. C. Consistorialis: *Instructio de Vicariis Castrensibus*: 23 apr. 1951: *A.A.S.*, 43 (1951), pp. 562-565; *Formula servanda in relatione de statu Vicariatus Castrensis conficienda,* 20 oct. 1956: *A.A.S.*, 49 (1957), pp. 150-163; Decr.: *De Sacrorum Liminum Visitatione a Vicariis Castrensibus peragenda*: 28 febr. 1959: *A.A.S.*, 51 (1959), pp. 272-74; Decr.: *Facultas audiendi confessiones militum Cappellanis extenditur*: 27 nov. 1960: *A.A.S.*, 53 (1961), pp. 49-50. Cf. etiam S. C. de Religiosis: *Instructio de Cappellanis militum religiosis*: 2 febr. 1955: *A.A.S.*, 47 (1955), pp. 93-97.

[2] Cf. S. C. Consistorialis: *Epistula* ad Em.mos PP. DD. Cardinales atque Exc.mos PP. DD. Archiepiscopos, Episcopos ceterosque Ordinarios Hispanicae Ditionis, 21 iun. 1951: *A.A.S.*, 43 (1951), p. 566.

Haec omnia et singula, quae in hoc Decreto edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita

potestate, illa, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus.

Romae, apud S. Petrum, die XXVIII mensis octobris anno MCMLXV.

Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Sequuntur Patrum subsignationes: cf. pag. 620.

4

Decretum

DE ACCOMMODATA RENOVATIONE VITAE RELIGIOSAE

1. PERFECTAE CARITATIS per consilia evangelica prosecutionem Sacrosancta Synodus praevie ostendit, in Constitutione cui initium est « Lumen gentium », a Divini Magistri doctrina et exemplis originem ducere et tamquam praeclarum signum Regni caelestis apparere. Nunc vero de vita ac disciplina institutorum, quorum sodales castitatem, paupertatem et oboedientiam profitentur, intendit agere eorumque necessitatibus, prout tempora nostra suadent, providere.

Inde ab exordiis quidem Ecclesiae fuerunt viri ac mulieres, qui per praxim consiliorum evangelicorum Christum maiore cum libertate sequi pressiusque imitari intenderunt et suo quisque modo vitam Deo dicatam duxerunt, e quibus multi, Spiritu Sancto afflante, vel vitam solitariam degerunt vel familias religiosas suscitaverunt, quas Ecclesia sua auctoritate libenter suscepit et adprobavit. Unde e consilio divino mirabilis varietas coetuum religiosorum succrevit, quae valde contulit, ut Ecclesia, non solum ad omne opus bonum instructa (cf. *2 Tim.* 3, 17) et ad opus ministerii in aedificationem Corporis Christi (cf. *Eph.* 4, 12) parata sit, sed etiam variis donis filiorum suorum decorata appareat sicut sponsa ornata viro suo (cf. *Apoc.* 21, 2) et per eam innotescat multiformis sapientia Dei (cf. *Eph.* 3, 10).

In tanta autem donorum varietate omnes, qui ad praxim consiliorum evangelicorum a Deo vocantur eademque fideliter profitentur, Domino se peculiariter devovent, Christum sequentes, qui virgo et pauper (cf. *Mt.* 8, 20; *Lc.* 9, 58) per oboedientiam usque ad mortem Crucis (cf. *Phil.* 2, 8) homines redemit et sanctificavit. Ita caritate impulsi, quam Spiritus Sanctus in cordibus eorum diffundit (cf. *Rom.* 5, 5), magis magisque vivunt Christo et corpori Eius quod est Ecclesia (cf. *Col.* 1, 24). Quo ferventius ergo tali sui donatione quae totam vitam complectitur, Christo coniunguntur, eo uberior fit vita Ecclesiae et apostolatus eius vegetius fecundatur.

Ut autem praestans valor vitae per consiliorum professionem consecratae eiusque necessarium munus in praesentis temporis adiunctis ad maius Ecclesiae bonum cedat, haec Sacra Synodus sequentia statuit, quae nonnisi principia generalia respiciunt accommodatae renovationis vitae ac disciplinae religionum atque, propria indole servata, societatum vitae communis sine votis et institutorum saecularium. Normae vero particulares pro eorumdem congrua expositione et applicatione post Concilium a competenti auctoritate statuendae sunt.

2. Accommodata renovatio vitae religiosae simul complectitur et continuum reditum ad omnis vitae christianae fontes primigeniamque institutorum inspirationem et aptationem ipsorum ad mutatas temporum condiciones. Quae renovatio, sub impulsu Spiritus Sancti et Ecclesia duce, promovenda est secundum principia quae sequuntur:

a) Cum vitae religiosae ultima norma sit Christi sequela in Evangelio proposita, haec ab omnibus institutis tamquam suprema regula habeatur.

b) In ipsum Ecclesiae bonum cedit ut instituta peculiarem suam indolem ac munus habeant. Ideo fideliter agnoscantur et serventur Fundatorum spiritus propriaque proposita, necnon sanae traditiones, quae omnia cuiusque instituti patrimonium constituunt.

c) Omnia instituta vitam Ecclesiae participent, eiusque incoepta et proposita ut in re biblica, liturgica, dogmatica, pastorali, oecumenica, missionali et sociali, iuxta propriam suam indolem, sua faciant et pro viribus foveant.

d) Instituta, de hominum temporumque condicionibus deque Ecclesiae necessitatibus, congruam cognitionem apud sodales suos promoveant; ita ut mundi huius aetatis adiuncta in lumine fidei sapienter diiudicantes, atque zelo apostolico exardescentes, efficacius hominibus subvenire valeant.

e) Cum vita religiosa ante omnia hoc ordinetur ut sodales Christum sequantur et Deo uniantur per professionem consiliorum evangelicorum, serio perpendendum est optimas accommodationes ad necessitates temporis nostri peractas effectum non sortiri, nisi animentur renovatione spirituali cui semper etiam in operibus externis promovendis primae partes tribuendae sunt.

3. Ratio vivendi, orandi et operandi hodiernis sodalium condicionibus physicis et psychicis, necnon, prout ab indole cuiusque instituti requiritur, apostolatus necessitatibus, culturae exigentiis, circumstantiis socialibus et oeconomicis, ubique, praesertim in missionum locis, apte conveniat.

Secundum eadem criteria examini quoque subiiciatur regiminis ratio institutorum.

Quapropter constitutiones, « directoria », libri usuum, precum et caeremoniarum aliique id genus codices, congruenter recognoscantur atque, iis praescriptis suppressis quae obsoleta sint, documentis huius Sacrae Synodi aptentur.

4. Efficax renovatio et recta accommodatio obtineri nequeunt nisi cooperantibus omnibus instituti sodalibus.

Normas autem accommodatae renovationis statuere et leges ferre, necnon

sufficienti prudentique experientiae locum dare, competentium tantum auctoritatum est, praesertim capitulorum generalium, salva, quatenus necessaria sit, approbatione Sanctae Sedis aut Ordinariorum locorum, ad normam iuris. Superiores vero, in his quae ad totius instituti sortes spectant, sodales suos apto modo consulant et audiant.

Pro accommodata renovatione monasteriorum monialium, vota et consulta etiam a consessibus foederationum aut ab aliis conventibus legitime convocatis obtineri poterunt.

Meminerint tamen omnes spem renovationis ponendam esse magis in diligentiore regulae et constitutionum observantia quam in multiplicandis legibus.

5. Cuiusvis instituti sodales mente recolant imprimis se professione consiliorum evangelicorum vocationi divinae responsum dedisse, ita ut, non solum peccato mortui (cf. *Rom.* 6, 11) sed etiam mundo renuntiantes, soli Deo vivant. Totam enim vitam suam Eius famulatui mancipaverunt, quod quidem constituit peculiarem quamdam consecrationem, quae in baptismatis consecratione intime radicatur eamque plenius exprimit.

Cum autem haec suiipsius donatio ab Ecclesia suscepta sit, eius etiam servitio sese sciant addictos.

Qui Dei famulatus exercitium virtutum in eis urgere ac fovere debet, praesertim humilitatis et oboedientiae, fortitudinis et castitatis, quibus Christi exinanitio (cf. *Phil.* 2, 7-8), simulque Eius vita in spiritu (cf. *Rom.* 8, 1-13) participantur.

Religiosi ergo, suae professioni fideles, omnia propter Christum dimittentes (cf. *Mc.* 10, 28), Ipsum tamquam unum necessarium (cf. *Lc.* 10, 42) sequantur (cf. *Mt.* 19, 21), Eius verba audientes (cf. *Lc* 10, 39), de iis quae Eius sunt solliciti (cf. *1 Cor.* 7, 32).

Quapropter cuiuslibet instituti sodales, Deum prae omnibus et unice quaerentes, contemplationem, qua Ei mente et corde adhaereant, cum amore apostolico, quo operi Redemptionis adsociari Regnumque Dei dilatare nitantur, coniungant oportet.

6. Qui evangelica consilia profitentur Deum qui nos prior dilexit (cf. *1 Io.* 4, 10) ante omnia quaerant ac diligant et in omnibus rerum adiunctis fovere studeant vitam absconditam cum Christo in Deo (cf. *Col.* 3, 3), unde profluit et urgetur proximi dilectio in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem. Hac caritate etiam ipsa praxis consiliorum evangelicorum animatur et regitur.

Quapropter institutorum sodales spiritum orationis et orationem ipsam, haurientes e germanis spiritualitatis christianae fontibus assiduo studio colant. Imprimis vero Sacram Scripturam quotidie prae manibus habeant, ut divinarum scripturarum lectione et meditatione « eminentem scientiam Iesu Christi » (*Phil.* 3, 8) ediscant. Sacram Liturgiam, praesertim sacrosanctum Eucharistiae mysterium, ad mentem Ecclesiae corde et ore peragant atque ex hoc ditissimo fonte vitam spiritualem alant.

Ita in mensa divinae Legis et sacri altaris refecti Christi membra fra-

terne ament, pastores spiritu filiali revereantur atque diligant; magis magisque vivant et sentiant cum Ecclesia eiusque missioni totaliter se devoveant.

7. Instituta quae integre ad contemplationem ordinantur, ita ut eorum sodales in solitudine ac silentio, in assidua prece et alacri poenitentia soli Deo vacent, in Corpore Christi mystico, in quo « omnia ... membra non eumdem actum habent » (*Rom.* 12, 4), quantumvis actuosi apostolatus urgeat necessitas, praeclaram partem semper retinent. Deo enim eximium laudis sacrificium offerunt, populum Dei sanctitatis uberrimis fructibus collustrant atque exemplo movent necnon arcana fecunditate apostolica dilatant. Ita Ecclesiae decus exstant et caelestium scatebra gratiarum. At eorum ratio vivendi secundum praedicta principia et criteria accommodatae renovationis recognoscatur, sanctissime tamen servatis eorum a mundi secessu atque vitae contemplativae exercitiis propriis.

8. Permulta sunt in Ecclesia instituta vel clericalia vel laicalia, variis apostolatus operibus dedita, quae donationes habent secundum gratiam quae data est eis, differentes: sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui miseretur in hilaritate (cf. *Rom.* 12, 5-8). « Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus » (*1 Cor.* 12, 4).

In istis institutis, ad ipsam naturam vitae religiosae pertinet actio apostolica et benefica utpote sanctum ministerium et opus caritatis proprium ab Ecclesia ipsis commissum eiusque nomine exercendum. Proinde tota vita religiosa sodalium spiritu apostolico imbuatur, tota vero actio apostolica religioso spiritu informetur. Ut igitur sodales vocationi suae ad Christum sequendum imprimis respondeant, ac ipsi Christo in Eius membris deserviant actio eorum apostolica ex intima cum Ipso unione procedat oportet. Inde fit ut caritas ipsa erga Deum et proximum foveatur.

Quapropter instituta illa observantias suas atque usus cum requisitis apostolatus, cui dedicantur, apte componant. Cum autem vita religiosa apostolicis operibus dedita formas multiplices induat, necesse est ut accommodata eius renovatio huiusmodi diversitatis rationem habeat, atque ut apud varia instituta sodalium vita in servitium Christi propriis eorum congruisque mediis sustentetur.

9. Fideliter servetur atque magis in dies elucescat in suo germano spiritu tum in Oriente tum in Occidente venerabile vitae monasticae institutum, quod praeclara merita longo saeculorum cursu in Ecclesia et in humana consortione sibi acquisivit. Monachorum praecipuum officium est divinae Maiestati humile simul ac nobile servitium praestare intra septa monasterii, sive in umbratili vita integre se divino cultui dedicent sive aliqua apostolatus vel christianae caritatis opera legitime assumpserint. Servata igitur indole propriae institutionis, antiquas beneficas traditiones renovent easque hodiernis animarum necessitatibus ita accommodent ut monasteria veluti seminaria sint aedificationis populi christiani.

Item religiones quae ex regula vel instituto vitam apostolicam intime con-

sociant officio chorali observantiisque monasticis, ita rationem vivendi cum apostolatus sibi convenientis exigentiis componant ut suam formam vitae fideliter servent utpote quae eximio Ecclesiae bono cedat.

10. Vita religiosa laicalis, tam pro viris quam pro mulieribus, statum in se completum professionis consiliorum evangelicorum constituit. Quapropter illam, muneri pastorali Ecclesiae in erudienda iuventute, in aegrotis curandis aliisque ministeriis explendis tam utilem, Sacra Synodus magni faciens, sodales in sua vocatione confirmat eosque ut hodiernis exigentiis vitam suam accommodent hortatur.

Sacra Synodus declarat nihil obstare quominus in religionibus Fratrum, firma manente earum indole laicali, ex dispositione Capituli generalis, ad subveniendum necessitatibus ministerii sacerdotalis in suis domibus, aliqui sodales sacris Ordinibus initientur.

11. Instituta saecularia quamvis non sint instituta religiosa,[1] veram et completam consiliorum evangelicorum professionem in saeculo ab Ecclesia recognitam secumferunt. Quae professio viris ac mulieribus, laicis et clericis in saeculo degentibus, consecrationem confert. Proinde iidem totalem suipsius Deo dedicationem in caritate perfecta praecipue intendant et ipsa instituta propriam ac peculiarem indolem, saecularem scilicet, servent ut apostolatum in saeculo ac veluti ex saeculo, ad quem exercendum orta sunt, efficaciter et ubique adimplere valeant.

Probe tamen sciant se tantum munus obire non posse, nisi sodales accurate in rebus divinis et humanis ita instituantur, ut revera fermentum sint in mundo ad robur et incrementum Corporis Christi. Moderatores ergo serio curent de institutione praesertim spirituali sodalibus impertienda necnon de ulteriore formatione promovenda.

12. Castitas « propter regnum caelorum » (*Mt.* 19, 12), quam religiosi profitentur, tamquam eximium gratiae donum aestimanda est. Cor enim hominis singulari modo liberat (cf. *1 Cor.* 7, 32-35), ut magis accendatur caritate erga Deum et homines universos, ideoque est peculiare signum bonorum caelestium necnon medium aptissimum quo religiosi alacriter servitio divino operibusque apostolatus sese dedicent. Sic ipsi coram omnibus Christifidelibus mirabile illud evocant connubium a Deo conditum et in futuro saeculo plene manifestandum quo Ecclesia unicum sponsum Christum habet.

Oportet ergo ut religiosi, professionem suam fideliter servare studentes, verbis Domini credant et, Dei auxilio confisi, de propriis viribus ne praesumant, mortificationem sensuumque custodiam adhibeant. Media quoque naturalia ne omittant, quae mentis et corporis sanitati favent. Ita fit ut falsis doctrinis, quae continentiam perfectam tamquam impossibilem vel humano profectui nocivam ostendant, non moveantur, et omnia quae castitatem in periculum adducunt, instinctu quodam spirituali, respuant. Meminerint insu-

---

[1] [*Cf. monitum secretarii generalis, pag. 546*].

per omnes, praesertim Superiores, castitatem securius servari cum inter sodales vera dilectio fraterna in vita communi viget.

Cum observantia continentiae perfectae profundiores naturae humanae inclinationes intime attingat, candidati ad professionem castitatis ne accedant neve admittantur, nisi post probationem vere sufficientem et cum debita maturitate psychologica et affectiva. Ipsi non solum de periculis castitati occurrentibus moneantur, sed ita instruantur ut coelibatum Deo dicatum etiam in bonum integrae personae assumant.

13. Paupertas voluntaria propter Christi sequelam cuius est signum praesertim hodie multum aestimatum, a religiosis diligenter excolatur atque, si opus sit, novis etiam formis exprimatur. Per eam participatur paupertas Christi, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus (cf. *2 Cor.* 8, 9; *Mt.* 8, 20).

Ad paupertatem autem religiosam quod attinet, haud sufficit in usu bonorum Superioribus subiici, sed oportet ut sodales re et spiritu sint pauperes, thesauros in caelo habentes (cf. *Mt.* 6, 20).

In suo quisque officio communi legi laboris se sentiant obnoxios, atque, dum ita res victui operibusque eorum necessariae comparantur, omnem indebitam sollicitudinem proiiciant et Patris caelestis Providentiae sese committant (cf. *Mt.* 6, 25).

Congregationes religiosae suis constitutionibus permittere possunt ut sodales bonis patrimonialibus acquisitis vel acquirendis renuntient.

Instituta ipsa, ratione habita singulorum locorum, testimonium paupertatis quasi collectivum reddere satagant et libenter ex propriis bonis aliquid conferant ad alias Ecclesiae necessitates et egenorum sustentationem, quos religiosi omnes in visceribus Christi diligant (cf. *Mt.* 19, 21; 25, 34-46; *Iac.* 2, 15-16; *1 Io.* 3, 17). Institutorum provinciae ac domus aliae cum aliis in bonis temporalibus communicent, ita ut illae quae plus habent alias adiuvent quae egestatem patiuntur.

Quamvis instituta, salvis regulis et constitutionibus, ius habeant possidendi omnia necessaria ad vitam temporalem et opera, omnem tamen speciem luxus, immoderati lucri ac bonorum cumulationis vitent.

14. Religiosi per professionem oboedientiae plenam propriae voluntatis dedicationem veluti sacrificium sui Deo offerunt, et per illud constantius et securius divinae voluntati salvificae uniuntur. Inde ad exemplum Iesu Christi, qui venit ut faceret voluntatem Patris (cf. *Io.* 4, 34; 5, 30; *Hebr.* 10, 7; *Ps.* 39, 9), et « formam servi accipiens » (*Phil.* 2, 7) ex iis, quae passus est, didicit oboedientiam (cf. *Hebr.* 5, 8), religiosi, Spiritu Sancto movente, Superioribus, vices Dei gerentibus, in fide sese subiiciunt et per eos ad omnium in Christo fratrum ministerium ducuntur, sicut ipse Christus ob suam erga Patrem submissionem fratribus ministravit et animam suam posuit redemptionem pro multis (cf. *Mt.* 20, 28; *Io.* 10, 14-18). Ita, Ecclesiae servitio arctius devinciuntur et in mensuram aetatis plenitudinis Christi (cf. *Eph.* 4, 13) pervenire contendunt.

Sodales ergo in spiritu fidei et amoris erga Dei voluntatem Superioribus suis ad normam regulae et constitutionum humile praestent obsequium, vires intelligentiae et voluntatis necnon naturae et gratiae dona in praeceptorum exsecutione et in expletione munerum sibi commissorum conferendo, scientes se ad aedificationem Corporis Christi secundum Dei propositum operam praestare. Sic oboedientia religiosa, nedum dignitatem personae humanae minuit, illam, ampliata libertate filiorum Dei, ad maturitatem adducit.

Superiores vero, rationem pro animabus sibi commissis reddituri (cf. *Hebr.* 13, 17), voluntati Dei in munere explendo dociles, in spiritu servitii pro fratribus auctoritatem exerceant, ita ut caritatem qua Deus illos diligit exprimant. Subditos regant qua filios Dei et cum respectu personae humanae, illorum voluntariam subiectionem promoventes. Ideoque speciatim debitam eis libertatem relinquant quoad poenitentiae sacramentum et conscientiae moderamen. Sodales eo perducant ut in muneribus obeundis et in inceptis suscipiendis activa atque responsabili oboedientia cooperentur. Itaque Superiores libenter sodales audiant necnon eorum conspirationem ad bonum instituti et Ecclesiae promoveant, firma tamen sua auctoritate decernendi et praecipiendi quae agenda sunt.

Capitula et consilia fideliter munus sibi commissum in regimine expleant atque suo quaeque modo sodalium omnium pro bono totius communitatis participationem et curam exprimant.

15. Vita in communi agenda, ad exemplum primaevae Ecclesiae in qua multitudo credentium erat cor unum et anima una (cf. *Act.* 4, 32), evangelica doctrina, Sacra Liturgia et praesertim Eucharistia refecta, in oratione et communione eiusdem spiritus perseveret (cf. *Act.* 2, 42). Religiosi, ut membra Christi, in fraterna conversatione honore se invicem praeveniant (cf. *Rom.* 12, 10), alter alterius onera portantes (cf. *Gal.* 6, 2). Caritate enim Dei in cordibus per Spiritum Sanctum diffusa (cf. *Rom.* 5, 5), communitas ut vera familia, in nomine Domini congregata, Eius praesentia gaudet (cf. *Mt.* 18, 20). Caritas autem plenitudo legis est (cf. *Rom.* 13, 10) ac vinculum perfectionis (cf. *Col.* 3, 14), eaque scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam (cf. *1 Io.* 3, 14). Immo fratrum unitas Christi adventum manifestat (cf. *Io.* 13, 35; 17, 21) magnaque virtus apostolica ex ea manat.

Ut autem inter sodales intimius sit vinculum fraternitatis, illi qui conversi, cooperatores vel alio nomine vocantur, vitae et communitatis operibus arcte coniungantur. Nisi rerum adiuncta aliud vere suadeant, curandum est ut in institutis mulierum ad unum genus sororum perveniatur. Tunc illa personarum tantum retineatur diversitas, quam diversorum operum distinctio exigat ad quae sorores vel speciali Dei vocatione vel speciali aptitudine destinentur.

Virorum autem monasteria et instituta non mere laicalia pro indole sua clericos et laicos, ad normam constitutionum, admittere possunt, pari ratione paribusque iuribus et obligationibus, salvis iis quae ex ordine sacro proveniunt.

16. Clausura papalis pro monialibus vitae unice contemplativae firma maneat sed iuxta temporum locorumque condiciones, iisque usibus sublatis qui obsoleti sint, accommodetur, auditis ipsorum monasteriorum votis.

Aliae vero moniales operibus externis apostolatus ex instituto deditae a clausura papali eximantur, ut concredita sibi munera apostolatus melius adimplere valeant, servata tamen clausura ad normam constitutionum.

17. Habitus religiosus, utpote signum consecrationis, sit simplex ac modestus, pauper simul et decens, insuper valetudinis requisitis consentaneus et temporum locorumque adiunctis necnon ministerii necessitatibus accommodatus. Habitus autem tam virorum quam mulierum, qui iis normis non congruit, immutandus est.

18. Institutorum accommodata renovatio a sodalium institutione maxime pendet. Ideo et ipsi sodales non clerici ac religiosae apostolatus operibus immediate post noviciatum ne destinentur sed eorum institutio religiosa et apostolica, doctrinalis et technica, titulis etiam congruentibus obtentis, in aptis domibus convenienter protrahatur.

Ne vero vitae religiosae ad nostri temporis exigentias adaptatio sit mere externa, neve illi qui externo apostolatui ex instituto vacant muneri suo implendo impares inveniantur, iuxta cuiusque intellectualem dotem et personalem indolem, de vigentibus hodiernae vitae socialis moribus rationibusque sentiendi et cogitandi, congruenter instruantur. Institutio per harmonicam elementorum suorum fusionem, ita peragatur ut ad unitatem vitae sodalium conferat.

Per totam autem vitam sodales intendant hanc culturam spiritualem, doctrinalem et technicam sedulo perficere, et Superiores, pro viribus, opportunitatem, adiumenta et tempus ad hoc eis procurent.

Officium quoque est Superiorum curare ut Moderatores, Magistri spiritus et Professores optime seligantur et sedulo praeparentur.

19. In novis institutis condendis, necessitas vel saltem magna utilitas necnon incrementi possibilitas serio ponderandae sunt, ne incaute oriantur instituta inutilia aut sufficienti vigore non praedita. Peculiari ratione in novellis Ecclesiis formae vitae religiosae promoveantur et excolantur quae indolis morumque incolarum necnon loci consuetudinum et condicionum rationem habeant.

20. Instituta, opera propria fideliter retineant et adimpleant atque, attenta utilitate universae Ecclesiae et dioecesium, temporum locorum necessitatibus ea accommodent, opportunis ac etiam novis mediis adhibitis, illis autem relictis operibus, quae instituti spiritui et germanae indoli hodie minus sint consentanea.

Spiritus missionalis in institutis religiosis omnino servetur et pro cuiusque eorum indole aptetur condicionibus hodiernis, ita ut praedicatio Evangelii apud omnes gentes efficacior fiat.

21. Instituta vero et monasteria quae, auditis Ordinariis locorum quorum intersit, iudicio Sanctae Sedis non praebeant fundatam spem ut ulterius flo-

reant, prohibeantur ne in posterum novicios recipiant et, si fieri possit, alii instituto vel monasterio vegetiori, quod fine et spiritu haud multum differat, uniantur.

22. Instituta et monasteria sui iuris, pro rei opportunitate et approbante Sancta Sede, inter se promoveant foederationes, si quodammodo ad eamdem familiam religiosam pertinent, aut uniones, si fere pares habent constitutiones et usus eodemque animantur spiritu, praesertim cum nimis sunt exigua, aut associationes, si iisdem vel similibus operibus externis incumbunt.

23. Favendum est conferentiis seu consiliis Superiorum Maiorum a Sancta Sede erectis, quae valde conferre possunt ad finem singulorum institutorum plenius assequendum, ad efficaciorem conspirationem in bonum Ecclesiae fovendam, ad Evangelii operarios in determinato territorio aequiore modo distribuendos, necnon ad communia religiosorum negotia pertractanda, congrua instaurata coordinatione et cooperatione cum Conferentiis episcopalibus quoad exercitium apostolatus.

Huiusmodi autem conferentiae etiam pro institutis saecularibus institui possunt.

24. Sacerdotes educatoresque christiani seria conamina adhibeant ut vocationibus religiosis, congruenter et accurate selectis, novum detur incrementum Ecclesiae necessitatibus plane respondens. Etiam in praedicatione ordinaria saepius agatur de consiliis evangelicis et de statu religioso amplectendo. Parentes filios suos christianis moribus educando, vocationem religiosam in eorum cordibus excolant ac tueantur.

Institutis autem fas est sui notitiam, ad vocationes fovendas, divulgare atque candidatos quaerere, dummodo hoc fiat cum debita prudentia et servatis normis a Sancta Sede et Ordinario loci traditis.

Meminerint vero sodales exemplum propriae vitae optimam commendationem esse sui instituti et invitationem ad vitam religiosam capessendam.

25. Instituta pro quibus hae accommodatae renovationis normae statuuntur, prompto animo suae divinae vocationi et muneri suo in Ecclesia hisce temporibus respondeant. Magni enim facit Sacra Synodus genus eorum vitae virginalis, pauperis et oboedientis, cuius Ipse Christus Dominus est exemplar firmamque spem in opera eorum abscondita et aperta tam fecunda collocat. Religiosi ergo omnes fidei integritate, caritate erga Deum et proximum, amore crucis necnon spe futurae gloriae, Christi bonum nuntium in toto mundo diffundant, ut testimonium eorum ab omnibus conspiciatur et Pater noster, qui in caelis est, glorificetur (cf. *Mt.* 5, 16). Ita deprecante suavissima Deipara Virgine Maria, « cuius vita omnium est disciplina »,[1] ampliora quotidie incrementa capient ac uberiores salutares afferent fructus.

Haec omnia et singula, quae in hoc Decreto edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita

---

[1] S. AMBROSIUS, *De Virginitate,* l. II, c. II, n. 15.

potestate, illa, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus.

Romae, apud S. Petrum, die XXVIII mensis octobris anno MCMLXV.

Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Sequuntur Patrum subsignationes: *cf. pag. 620.*

5

Decretum
DE INSTITUTIONE SACERDOTALI

PROOEMIUM

Optatam totius Ecclesiae renovationem probe noscens Sancta Synodus a sacerdotum ministerio, Christi spiritu animato, magna ex parte pendere,[1] gravissimum institutionis sacerdotalis momentum proclamat, eiusque primaria quaedam principia declarat, quibus confirmentur leges iam saeculorum usu probatae in easque nova inducantur, quae huius Sancti Concilii Constitutionibus et Decretis necnon mutatis temporum rationibus respondeant. Quae sacerdotalis conformatio ob ipsam catholici sacerdotii unitatem, omnibus sacerdotibus utriusque cleri et cuiusvis ritus necessaria est; ideoque haec praescripta, quae clerum dioecesanum directe respiciunt, congrua congruis referendo, omnibus accommodanda sunt.

I - DE SACERDOTALIS INSTITUTIONIS RATIONE IN SINGULIS NATIONIBUS INEUNDA.

1. Cum in tanta gentium regionumque diversitate nonnisi generales leges ferri possint, in singulis nationibus vel ritibus peculiaris « Sacerdotalis Institutionis Ratio » ineatur, ab Episcoporum Conferentiis statuenda,[2] certis temporibus recognoscenda atque ab Apostolica Sede approbanda, qua leges universales ad peculiaria locorum temporumque adiuncta accommodentur, ut sacerdotalis institutio semper congruat pastoralibus necessitatibus illarum regionum in quibus ministerium exercendum sit.

II - DE VOCATIONIBUS SACERDOTALIBUS INSTANTIUS FOVENDIS

2. Fovendarum vocationum officium[3] ad totam christianam communitatem pertinet, quae imprimis vita plene christiana id provehere debet; maxime in id conferunt tum familiae, quae, spiritu fidei, caritatis et pietatis animatae,

veluti primum seminarium fiunt, tum paroeciae quarum uberem vitam ipsi adolescentes participant. Magistri atque omnes qui puerorum iuvenumque institutionem quovis modo curant, praecipue Consociationes Catholicae, adolescentes sibi concreditos ita excolere studeant ut vocationem divinam percipere et libenter sequi valeant. Omnes sacerdotes zelum apostolicum in fovendis vocationibus quam maxime ostendant et propria ipsorum vita humili, operosa, laeto animo peracta, necnon mutua sacerdotali caritate et fraterna operae consortione, adolescentium animos ad sacerdotium trahant.

Episcoporum autem est in vocationibus provehendis gregem suum excitare arctamque omnium virium laborumque curare coniunctionem; eos vero quos ipsi ad sortem Domini vocatos iudicaverint, ut patres, nullis parcentes sacrificiis adiuvare.

Haec actuosa ad vocationes fovendas universi populi Dei conspiratio Divinae Providentiae actioni respondet, quae hominibus ad Christi Sacerdotium hierarchicum participandum divinitus electis congruas dotes tribuit eosque sua gratia adiuvat, dum legitimis Ecclesiae ministris committit ut idoneitate agnita, candidatos qui tantum munus recta intentione et plena libertate petierint, comprobatos vocent et Sancti Spiritus sigillo Dei cultui et Ecclesiae servitio consecrent.[4]

Sancta Synodus tradita quidem communis cooperationis subsidia imprimis commendat uti sunt instans oratio, christiana paenitentia necnon in dies altior christifidelium institutio, sive praedicatione et catechesi sive etiam variis communicationis socialis instrumentis impertienda, qua quidem necessitas, natura et praestantia vocationis sacerdotalis declarentur. Insuper mandat ut Opera vocationum, secundum pontificia ad rem documenta, in singularum dioecesium, regionum vel nationum ambitu iam constituta vel ineunda, universam fovendarum vocationum pastoralem actionem, nullis opportunis auxiliis posthabitis quae hodiernae doctrinae psychologicae et sociologicae utiliter protulerint, methodice et cohaerenter disponant atque pari discretione ac zelo promoveant.[5]

Opus vero fovendarum vocationum fines singularum dioecesium, nationum, familiarum religiosarum atque rituum dilatato corde transcendat oportet atque ad universalis Ecclesiae necessitates respiciens illis praecipue regionibus auxilium afferat, in quibus ad Domini vineam instantius operarii advocantur.

3. In Seminariis Minoribus ad germina vocationis excolenda erectis alumni peculiari religiosa conformatione, imprimis apta moderatione spirituali, ad Christum Redemptorem generoso animo et puro corde sequendum componantur. Sub paterno superiorum moderamine, parentibus opportune cooperantibus, vitam ducant quae adolescentium aetati, spiritui et evolutioni conveniat et sanae psychologiae normis plene aptetur, congrua rerum humanarum experientia et consuetudine cum propria familia non praetermissis.[6] Ea praeterea quae in sequentibus de Seminariis Maioribus statuuntur, quatenus fini et rationi Seminarii Minoris conveniunt, ipsi quoque accommoden-

tur. Studia ab alumnis peragenda sic ordinentur oportet ut ipsi ea sine incommodo alibi prosequi possint, si alium vitae statum amplectantur.

Pari cura foveantur etiam germina vocationis adolescentium et iuvenum in peculiaribus Institutis quae pro locorum adiunctis Seminariorum Minorum quoque fini inserviunt, necnon eorum qui sive in aliis scholis sive ceteris educationis mediis instituuntur; ac sedulo promoveantur Instituta aliaque incoepta pro iis qui maiore aetate divinam sequuntur vocationem.

III - De seminariorum maiorum ordinatione

4. Seminaria Maiora ad sacerdotalem conformationem necessaria sunt. In eis integra alumnorum institutio eo tendere debet ut ad exemplar Domini Nostri Iesu Christi, Magistri, Sacerdotis et Pastoris, veri animarum pastores ipsi formentur; [7] praeparentur ergo ad ministerium verbi: ut verbum Dei revelatum semper melius intelligant, meditantes possideant, lingua et moribus exprimant; ad ministerium cultus et sanctificationis: ut orantes et sacras liturgicas celebrationes peragentes opus salutis per Sacrificium eucharisticum et Sacramenta exerceant; ad ministerium Pastoris: ut sciant repraesentare hominibus Christum, qui non « venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis » (*Mc.* 10, 45; cf. *Io.* 13, 12-17) et ut, omnium facti servi, plures lucrifaciant (cf. *1 Cor.* 9, 19).

Quare omnes institutionis rationes, spiritualis, intellectualis, disciplinaris, consociata actione ad hunc finem pastoralem ordinentur, eique assequendo sedulam concordemque operam navent omnes moderatores et magistri, Episcopi auctoritati fideliter obsequentes.

5. Cum alumnorum institutio et a sapientibus legibus et maxime quidem ab idoneis educatoribus pendeat, Seminariorum moderatores et magistri ex optimis viris seligantur [8] atque solida doctrina, congrua experientia pastorali et peculiari institutione spirituali et paedagogica diligenter praeparentur. Instituta igitur ad hunc finem assequendum vel saltem cursus apta ratione disponendi necnon Moderatorum Seminariorum conventus statutis temporibus celebrandi promoveantur oportet.

Moderatores vero et magistri persentiant quantopere a suipsorum cogitandi agendique ratione pendeat alumnorum formationis exitus; sub Rectoris ductu arctissimam spiritus et actionis consortionem ineant atque inter semetipsos et cum alumnis eam familiam constituant quae Domini orationi « Ut sint unum » (cf. *Io.* 17, 11) respondeat et in alumnis propriae vocationis gaudium nutriat. Episcopus autem assidua praedilectionis cura animet eos qui in Seminario laborant ac ipsis alumnis se demonstret verum in Christo Patrem. Omnes denique sacerdotes cor dioecesis Seminarium considerent eique propriam adiutricem operam libenter praestent.[9]

6. Vigilanti cura, pro singulorum aetate eorumque progressu, inquiratur de candidatorum recta intentione ac libera voluntate, de idoneitate spirituali, morali et intellectuali, de congrua physica et psychica valetudine, consideratis

quoque dispositionibus a familia forsan transmissis. Expendatur quoque candidatorum capacitas sacerdotalia onera ferendi et officia pastoralia exercendi.[10]

In universa autem alumnorum selectione et probatione debita semper adhibeatur animi firmitas etiamsi lugenda sit sacerdotum penuria,[11] cum Deus Ecclesiam suam ministris carere non sinat, si digni promoveantur, non idonei tempestive ad alia munera obeunda paterne dirigantur atque iuventur ut vocationis suae christianae conscii, alacriter apostolatum laicalem ineant.

7. Ubi singulae dioeceses proprio Seminario rite instruendo impares sint, erigantur ac foveantur Seminaria pluribus dioecesibus vel universae regioni vel nationi communia, ut solidae alumnorum institutioni, quae in hac re suprema lex est habenda, efficaciore ratione consulatur. Haec vero Seminaria, si regionalia sint vel nationalia, regantur iuxta statuta ab Episcopis quorum interest [12] condita et ab Apostolica Sede probata.

In Seminariis autem ubi multi sunt alumni, retenta regiminis et scientificae institutionis unitate, alumni apta ratione distribuantur in coetus minores ut singulorum conformationi personali melius provideatur.

IV - De institutione spirituali impensius excolenda

8. Institutio spiritualis cum doctrinali et pastorali arcte connectatur et, directore spiritus praecipue adiuvante,[13] ita impertiatur, ut alumni cum Patre per Filium Eius Iesum Christum in Spiritu Sancto familiari et assidua societate vivere discant. Per sacram ordinationem Christo Sacerdoti configurandi, etiam intima totius vitae consortione, ut amici, Ei adhaerere assuescant.[14] Eius Mysterium Paschale ita vivant ut in illud initiare sciant plebem sibi committendam. Christum quaerere edoceantur in verbi Dei fideli meditatione, in actuosa cum sacrosanctis Ecclesiae Mysteriis communicatione, imprimis in Eucharistia et in officio divino; [15] in Episcopo, qui eos mittit et in hominibus ad quos mittuntur, praesertim pauperibus, parvulis, infirmis, peccatoribus et incredulis. Beatissimam Virginem Mariam, quae a Christo Iesu in cruce moriente discipulo data est uti mater, filiali fiducia diligant et colant.

Enixe foveantur pietatis exercitia venerando Ecclesiae usu commendata; curandum vero est ne formatio spiritualis in iis solis consistat nec solum affectum religiosum excolat. Discant potius alumni secundum formam Evangelii vivere, in fide, spe et caritate firmari, ut in earum exercitio spiritum orationis sibi acquirant,[16] vocationis suae robur et munimen consequantur, ceterarum virtutum vigorem obtineant et zelo omnes homines Christo lucrifaciendi crescant.

9. Mysterio Ecclesiae ab hac Sancta Synodo praecipue illustrato alumni ita imbuantur ut Christi Vicario humili et filiali caritate devincti atque, sacerdotio aucti, proprio Episcopo tamquam fidi cooperatores adhaerentes et sociam cum fratribus operam praestantes, testimonium exhibeant illius unitatis qua homines ad Christum attrahuntur.[17] Dilatato corde participare discant in totius Ecclesiae vita secundum illud S. Augustini: « Quantum quisque amat

Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum Sanctum ».[18] Clarissime intellegant alumni, se non dominatui nec honoribus destinari, sed totos servitio Dei et pastorali ministerio mancipari. Peculiari sollicitudine in sacerdotali oboedientia, in pauperis vitae ratione et in sui abnegandi spiritu ita excolantur,[19] ut etiam ea quae licita sunt, sed non expediunt, prompte abdicare et Christo crucifixo se conformare assuescant.

De oneribus ab ipsis suscipiendis alumni reddantur certiores, nulla vitae sacerdotalis difficultate reticita; ne tamen in futura operositate periculi rationem fere unice conspiciant, sed potius ad vitam spiritualem ex ipsa eorum pastorali actione quam maxime roborandam conformentur.

10. Alumni qui secundum proprii ritus sanctas firmasque leges venerandam coelibatus sacerdotalis traditionem sequuntur, diligenti cura educentur ad hunc statum, in quo societati coniugali propter regnum caelorum (cf. *Mt.* 19, 12) renuntiantes, Domino adhaerent amore indiviso [20] novo Foederi intime congruente, futuri saeculi resurrectionis testimonium exhibent (cf. *Lc.* 20, 36) [21] et aptissimum consequuntur auxilium ad eam perfectam caritatem continuo exercendam, qua in ministerio sacerdotali omnia omnibus fieri valeant.[22] Alte persentiant quam grato animo ille status suscipi debeat non quidem solum ut lege ecclesiastica praeceptus, sed ut pretiosum donum Dei humiliter impetrandum, cui gratia Spiritus Sancti excitante et adiuvante, libere et generose respondere properent.

Officia et dignitatem christiani matrimonii, quod amorem inter Christum et Ecclesiam repraesentat (cf. *Eph.* 5, 32 s.), alumni debite cognoscant; perspiciant autem virginitatis Christo consecratae praecellentiam,[23] ita ut optione mature deliberata ac magnanimi, integra corporis et animi deditione Domino se devoveant.

De periculis quae eorum castitati maxime in praesentis temporis societate occurrunt, moneantur; [24] aptis praesidiis divinis humanisque adiuti, matrimonii renuntiationem ita integrare addiscant ut ipsorum vita et operositas ex coelibatu non modo ullum patiatur detrimentum, sed potius ipsi altius animi corporisque dominium pleniorisque maturitatis profectum acquirant atque Evangelii beatitudinem perfectius percipiant.

11. Christianae educationis normae sancte serventur, et recentioribus sanae psychologiae et paedagogiae inventis rite compleantur. Institutione igitur sapienter ordinata in alumnis excolenda est etiam debita maturitas humana, praecipue comprobata in quadam animi stabilitate, in facultate ferendi ponderatas decisiones atque in recta de eventibus et hominibus iudicandi ratione. Alumni propriam indolem recte componere assuescant; ad animi fortitudinem formentur et in universum illas virtutes aestimare discant quae inter homines pluris fiunt et Christi ministrum commendant,[25] cuiusmodi sunt animi sinceritas, assidua iustitiae cura, promissis servata fides, in agendo urbanitas, in colloquendo modestia cum caritate coniuncta.

Vitae Seminarii disciplina aestimanda est non solum validum vitae communis caritatisque praesidium, sed totius institutionis necessaria pars ad sui

dominium acquirendum, ad solidam personae maturitatem promovendam ceterasque animi dispositiones efformandas quae ordinatam et fructuosam Ecclesiae operositatem maxime iuvant. Ita tamen exerceatur ut fiat alumnorum interna aptitudo qua auctoritas superiorum ex intima persuasione seu propter conscientiam (cf. *Rom.* 13, 5) et propter supernaturales rationes suscipiatur. Disciplinae vero normae iuxta alumnorum aetatem ita applicentur ut ipsi, dum gradatim sibimetipsis moderari addiscant, libertate sapienter uti, sponte naviterque agere [26] et cum confratribus et laicis sociam praestare operam assuescant.

Tota Seminarii ratio, pietatis et silentii studio atque mutui adiutorii sollicitudine perfusa, ita ordinetur oportet ut iam quaedam initiatio sit futurae vitae a sacerdote ducendae.

12. Ut spiritualis institutio solidiore ratione innitatur et alumni vocationem optione mature deliberata amplectantur, Episcoporum erit congruum instaurare temporis intervallum pro impensiore tirocinio spirituali. Eorumdem quoque erit opportunitatem perpendere quandam studiorum interruptionem statuendi vel aptum tirocinium pastorale disponendi ut sacerdotii candidatorum probationi satius consulatur. Pro singularum regionum condicionibus Episcoporum pariter erit decernere de protrahenda aetate a iure communi in praesenti pro sacris ordinibus expostulata necnon deliberare de opportunitate statuendi ut alumni, expleto cursu theologico, per congruum tempus diaconalem exerceant ordinem, antequam ad sacerdotium promoveantur.

V - De studiis ecclesiasticis recognoscendis

13. Antequam sacrorum alumni studia proprie ecclesiastica aggrediantur, ea humanistica et scientifica institutione ornentur, qua iuvenes in sua cuiusque natione superiora studia inire valeant; ac praeterea eam linguae latinae cognitionem acquirant, qua tot scientiarum fontes et Ecclesiae documenta intellegere atque adhibere possint.[27] Studium linguae liturgicae unicuique ritui propriae necessarium habeatur, cognitio vero congrua linguarum Sacrae Scripturae et Traditionis valde foveatur.

14. In ecclesiasticis studiis recognoscendis eo imprimis spectandum est ut disciplinae philosophicae et theologicae aptius componantur et concordi ratione conspirent ad alumnorum mentibus magis magisque aperiendum Mysterium Christi quod totam generis humani historiam afficit, in Ecclesiam iugiter influit et ministerio sacerdotali praecipue operatur.[28]

Ut haec visio ab institutionis limine cum alumnis communicetur, studia ecclesiastica inchoentur cursu introductorio per congruum tempus protrahendo. In hac studiorum initiatione Mysterium salutis ita proponatur ut alumni studiorum ecclesiasticorum sensum, ordinem eorumque finem pastoralem conspiciant simulque ad propriam vitam universam fide fundandam et penetrandam iuventur atque in vocatione deditione personali et laeto animo amplectenda firmentur.

15. Philosophicae disciplinae ita tradantur ut alumni imprimis ad solidam et cohaerentem hominis, mundi et Dei cognitionem acquirendam manuducantur, innixi patrimonio philosophico perenniter valido,[29] ratione quoque habita philosophicarum investigationum progredientis aetatis, praesertim earum quae in propria natione maiorem influxum exercent, necnon recentioris scientiarum progressus, ita ut alumni hodiernae aetatis indole recte percepta ad colloquium cum hominibus sui temporis opportuno praeparentur.[30]

Historia philosophiae ita tradatur ut alumni, dum variorum systematum principia ultima attingunt, ea quae ibi vera probantur teneant, errorum radices detegere eosque refellere valeant.

In ipsa docendi ratione excitetur in alumnis amor veritatis rigorose quaerendae, observandae, demonstrandae simul cum honesta agnitione limitum cognitionis humanae. Sedulo attendatur ad necessitudinem inter philosophiam et vera problemata vitae necnon quaestiones quae alumnorum mentes movent; ipsi quoque adiuventur ad perspiciendos nexus qui intercedunt inter argumenta philosophica et mysteria salutis quae in theologia superiore lumine fidei considerantur.

16. Disciplinae theologicae, in lumine fidei, sub Ecclesiae Magisterii missa, in exegeseos methodum accurate initientur, maxima divinae Revelationis accurate hauriant, profunde penetrent, propriae vitae spiritualis reddant alimentum [32] eamque in ministerio sacerdotali annuntiare, exponere atque tueri valeant.

Sacrae Scripturae studio, quae universae theologiae veluti anima esse debet,[33] peculiari diligentia alumni instituantur; congrua introductione praemissa, in exegeseos methodum accurate initientur, maxima divinae Revelationis themata perspiciant et in Sacris Libris quotidie legendis et meditandis incitamentum et nutrimentum recipiant.[34]

Theologia dogmatica ita disponatur ut ipsa themata biblica primum proponantur; quid Patres Ecclesiae Orientis et Occidentis ad singulas Revelationis veritates fideliter transmittendas et enucleandas contulerint necnon ulterior dogmatis historia — considerata quoque ipsius relatione ad generalem Ecclesiae historiam — alumnis aperiatur; [35] deinde ad mysteria salutis integre quantum fieri potest illustranda, ea ope speculationis, S. Thoma magistro, intimius penetrare eorumque nexum perspicere alumni addiscant; [36] eademque semper in actionibus liturgicis [37] et universa Ecclesiae vita praesentia et operantia agnoscere doceantur; atque humanorum problematum solutiones sub Revelationis luce quaerere, eius aeternas veritates mutabili rerum humanarum condicioni applicare easque modo coaevis hominibus accommodato communicare discant.[38]

Item ceterae theologicae disciplinae ex vividiore cum Mysterio Christi et historia salutis contactu instaurentur. Specialis cura impendatur Theologiae morali perficiendae, cuius scientifica expositio, doctrina S. Scripturae magis nutrita, celsitudinem vocationis fidelium in Christo illustret eorumque obligationem in caritate pro mundi vita fructum ferendi. Similiter in iure cano-

nico exponendo et in historia ecclesiastica tradenda respiciatur ad Mysterium Ecclesiae, secundum Constitutionem dogmaticam « De Ecclesia » ab hac S. Synodo promulgatam. Sacra Liturgia quae primus, isque necessarius fons spiritus vere christiani habenda est, doceatur ad mentem articulorum 15 et 16 Constitutionis de Sacra Liturgia.[39]

Variarum regionum condicionibus opportune consideratis, manuducantur alumni ad plenius cognoscendas Ecclesias et Communitates ecclesiales a Sede Apostolica Romana seiunctas, ut unitatis redintegrationi inter universos Christianos secundum huius S. Synodi praescripta promovendae conferre valeant.[40]

Introducantur etiam ad alias religiones cognoscendas in singulis regionibus magis vulgatas, quo melius id quod boni et veri, Deo disponente, habent, agnoscant, errores refellere discant et plenum veritatis lumen non habentibus communicare valeant.

17. Cum vero doctrinalis institutio non ad meram notionum communicationem, sed ad veram intimamque alumnorum formationem tendere debeat, methodi didacticae recognoscantur tum ad praelectiones, colloquia et exercitationes quod attinet, tum quoad alumnorum studium sive privatum sive in parvis coetibus excitandum. Totius institutionis unitas ac soliditas sedulo curetur, vitata nimia disciplinarum et lectionum multiplicatione atque iis quaestionibus omissis, quae vix ullum momentum retinent vel quae ad altiora academica studia remittenda sunt.

18. Episcoporum erit curare ut iuvenes indole, virtute et ingenio apti ad peculiaria Instituta, Facultates vel Universitates mittantur ut in scientiis sacris necnon in aliis quae opportunae videantur, sacerdotes praeparentur altiore ratione scientifica instructi, qui variis apostolatus necessitatibus satisfacere valeant; eorum vero institutio spiritualis et pastoralis, maxime si sacerdotio nondum sint aucti, nullo modo negligatur.

VI - De institutione stricte pastorali promovenda

19. Pastoralis illa sollicitudo quae integram prorsus alumnorum institutionem informare debet,[41] postulat etiam ut ipsi diligenter instruantur in iis quae peculiari ratione ad sacrum ministerium spectant, praesertim in catechesi et praedicatione, in cultu liturgico et sacramentorum administratione, in operibus caritatis, in officio occurrendi errantibus et incredulis, et in ceteris pastoralibus muneribus. Accurate instituantur in animarum moderandarum arte, qua universos Ecclesiae filios imprimis ad vitam christianam plene consciam et apostolicam atque ad sui status officia implenda conformare valeant; pari sollicitudine adiuvare discant religiosos et religiosas ut in propriae vocationis gratia perseverent et secundum variorum Institutorum spiritum proficiant.[42]

In universum in alumnis congruae aptitudines excolantur, quae maxime ad dialogum cum hominibus conferunt, uti sunt capacitas alios audiendi et ad varia necessitudinis humanae adiuncta animum aperiendi in spiritu caritatis.[43]

20. Subsidiis quoque uti edoceantur quae disciplinae sive paedagogicae, sive psychologicae, sive sociologicae [44] afferre valent, iuxta rectas methodos et Auctoritatis Ecclesiasticae normas. Item ad apostolicam laicorum actionem excitandam ac fovendam accurate instruantur,[45] necnon ad varias efficacioresque apostolatus formas promovendas; atque eo spiritu vere catholico imbuantur, quo propriae dioecesis, nationis vel ritus fines transcendere et totius Ecclesiae necessitates iuvare assuescant, animo parati ad Evangelium ubique praedicandum.[46]

21. Cum vero opus sit ut alumni apostolatus exercendi artem non tantum theoretice, sed etiam practice addiscant atque propria responsabilitate et consociata opera agere valeant, iidem iam per studiorum curriculum, feriarum quoque tempore, praxi pastorali initientur per opportunas exercitationes; quae vero pro alumnorum aetate ac locorum condicione, prudenti Episcoporum iudicio, methodice et sub virorum in re pastorali peritorum ductu fieri debent, praepollente supernaturalium auxiliorum vi semper memorata.[47]

VII - De institutione post studiorum curriculum perficienda

22. Cum sacerdotalis institutio, ob recentiores potissimum societatis rerum adiuncta, etiam studiorum in Seminariis curriculo absoluto prosequenda atque perficienda sit,[48] Conferentiarum Episcoporum erit in singulis nationibus aptiora media adhibere, cuiusmodi sunt pastoralia Instituta cum paroeciis opportune selectis cooperantia, conventus statis temporibus cogendi et accommodatae exercitationes quarum ope iunior clerus sub aspectu spirituali, intellectuali et pastorali in sacerdotalem vitam atque apostolicam operositatem gradatim introducatur easque in dies magis renovare ac fovere valeat.

Conclusio

Huius Sanctae Synodi Patres, opus a Concilio Tridentino inchoatum prosequentes, dum Seminariorum moderatoribus et magistris fidenter concredunt munus futuros Christi sacerdotes efformandi in spiritu renovationis ab hac Sacrosancta Synodo promotae, eos qui ad sacerdotale ministerium se praeparant, vehementer hortantur ut ipsi spem Ecclesiae animarumque salutem sibi committi persentiant atque huius Decreti normas libenti animo suscipientes, fructus qui semper maneant, uberrimos afferant.

NOTAE

[1] Universi populi Dei progressum ex ipsius Christi voluntate a sacerdotum ministerio quam maxime pendere, ex verbis patet quibus Dominus Apostolos eorumque successores et cooperatores constituit Evangelii praecones, novi populi electi duces et mysteriorum Dei dispensatores; idem confirmatur ex Patrum ac Sanctorum effatis atque ex iteratis Summorum Pontificum documentis.

Cf. in primis:

S. PIUS X, Exhortatio ad Clerum *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *S. Pii X Acta,* IV, pp. 237-264.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), imprimis pp. 37-52.

PIUS XII, Adhortatio Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 657-702.

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 545-579.

PAULUS VI, Epistula Apost. *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 979-995.

[2] Universa institutio sacerdotalis, id est Seminarii ordinatio, institutio spiritualis, ratio studiorum, alumnorum vita communis et disciplina, exercitia pastoralia variis locorum adiunctis accommodanda sunt. Quae accommodatio, ad praecipua principia quod spectat, secundum normas communes facienda est, pro clero saeculari ab Episcoporum Conferentiis, et congrua ratione a Superioribus competentibus pro clero regulari (cf. S. Congr. de Religiosis, Const. Apost. *Sedes Sapientiae* eique adnexa *Statuta Generalia,* art. 19, ed. altera, Romae 1957, pp. 38 s.).

[3] Inter praecipuas aerumnas quibus Ecclesia hodie affligitur, fere ubique eminet vocationum exigua copia.

Cf. PIUS XII, Adhortatio Apost. *Menti Nostrae*: « ... sacerdotum numerus cum in catholicorum regionibus, tum in missionalibus terris, impar plerumque increscentibus necessitatibus est » (*A.A.S.,* 42 [1950], p. 682).

IOANNES XXIII: « Il problema delle vocazioni ecclesiastiche e religiose è quotidiana sollecitudine del Papa..., è sospiro della Sua preghiera, aspirazione ardente della Sua anima ». (Ex Allocutione ad I Congressum Internationalem de Vocationibus ad Status Perfectionis, 16 dec. 1961: *A.A.S.,* 54 [1962], p. 33).

[4] PIUS XII, Const. Ap. *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 357; PAULUS VI, Ep. Ap. *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 984 ss.

[5] Cf. imprimis: PIUS XII, Motu proprio *Cum nobis* « de Pontificio Opere Vocationum Sacerdotalium apud S. Congregationem Seminariis et Studiorum Universitatibus praepositam constituendo », 4 nov. 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 479; cum adnexis Statutis et Normis ab eadem S. Congregatione promulgatis die 8 sept. 1943. Motu proprio *Cum supremae* « de Pontificio Opere primario religiosarum vocationum », 11 febr. 1955: *A.A.S.,* 47 (1955), p. 266; cum adnexis Statutis et Normis a S. Congr. de Religiosis promulgatis (ibid., pp. 298-301); Conc. Vat. II, Decretum *De accommodata renovatione vitae religiosae, Perfectae Caritatis,* n. 24; Decretum *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, Christus Dominus,* n. 15.

[6] Cf. PIUS XII, Adhortatio Apostolica *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 685.

[7] Cf. CONC. VAT. II, Constitutio dogmatica *de Ecclesia, Lumen gentium,* n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 34.

[8] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 37: « Diligens imprimis esto moderatorum magistrorumque delectus... Sacris eiusmodi conlegiis sacerdotes tribuite maxima virtute ornatos; neque gravemini eos e muneribus abstrahere, specie quidem maioris ponderis, quae tamen cum

hac capitali re, cuius partes nulla alia susceperit, comparari nequeunt ». Quod seligendi optimos principium iterum inculcatur a Pio XII in Litteris Apostolicis ad Ordinarios Brasiliae directis die 23 aprilis 1947, *Discorsi e Radiomessaggi* IX, pp. 579-580.

[9] De communi officio Seminariis auxiliatricem operam navandi cf. PAULUS VI, Epistula Apost. *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963: *A.A.S.,* 53 (1963), p. 984.

[10] Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 684; S. Congreg. de Sacramentis, Litt. circulares *Magna equidem* ad locorum Ordinarios, 27 dec. 1935, n. 10. Pro religiosis cf. *Statuta Generalia* adnexa Constitutioni Apostolicae *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956, art. 33.

PAULUS VI, Epistula Apost. *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 987 s.

[11] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 41.

[12] Statuitur, ut in determinandis Seminariorum regionalium vel nationalium Statutis omnes Episcopi quorum interest partem habeant, derogando praescripto canonis 1357, par. 4 C.I.C.

[13] Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 674; S. Congr. de Sem. et Stud. Univ., *La Formazione spirituale del candidato al sacerdozio,* Città del Vaticano 1965.

[14] Cf. S. PIUS X, Exhort. ad Clerum catholicum, *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *S. Pii X Acta,* IV, pp. 242-244; PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 659-661; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri Primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 550 s.

[15] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), pp. 547 ss. et 572 s.; IOANNES XXIII, Adhortatio Apost. *Sacrae Laudis,* 6 ian. 1962: *A.A.S.,* 54 (1962), p. 69; CONC. VAT. II, Const. *De Sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium,* art. 16 et 17: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 104 s.; S. C. RITUUM, *Instructio ad exsecutionem Constitutionis de Sacra Liturgia recte ordinandam,* 26 sept. 1964, nn. 14-17: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 880 s.

[16] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri Primordia*: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 559 s.

[17] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *De Ecclesia, Lumen gentium,* n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 35 s.

[18] S. AUGUSTINUS, *In Ioannem tract.* 32, 8: *PL* 35, 1646.

[19] Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 662 s., 685, 690; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri Primordia*: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 551-553; 556 s.; PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 634 s.; CONC. VAT. II, Const. dogm. *De Ecclesia,* imprimis n. 8: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 12.

[20] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 mart. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 165 ss.

[21] Cf. S. CYPRIANUS, *De habitu virginum,* 22: *PL* 4, 475; S. AMBROSIUS, *De virginibus,* I, 8, 52: *PL* 16, 202 s.

[22] Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 663.

[23] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* l. c., pp. 170-174.

[24] Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* l. c., pp. 664 et 690 s.

[25] Cf. PAULUS VI, Epistula Apost. *Summi Dei Verbum,* 4 nov. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 991.

[26] Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* l. c., p. 686.

[27] Cf. PAULUS VI, Epistula Apost. *Summi Dei Verbum,* l. c., p. 993.

[28] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *De Ecclesia, Lumen gentium,* nn. 7 et 28: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 9-11; 33.

[29] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani Generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 571-575.

[30] Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 637 ss.

[31] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani Generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 567-569; Allocutio *Si diligis,* 31 maii 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 314 s.; PAULUS VI, Allocutio in Gregoriana Pontificia Studiorum Universitate habita, 12 mart. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 364 s.; CONC. VAT. II, Const. dogm. *De Ecclesia, Lumen gentium,* n. 25: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 29-31.

[32] Cf. S. BONAVENTURA, *Itinerarium mentis in Deum,* Prol., n. 4: « (Nemo) credat quod sibi sufficiat lectio sine unctione, speculatio sine devotione, investigatio sine admiratione, circumspectio sine exsultatione, industria sine pietate, scientia sine caritate, intelligentia sine humilitate, studium absque divina gratia, speculum absque sapientia divinitus inspirata » (S. BONAVENTURA, *Opera Omnia,* V, Quaracchi 1891, p. 296).

[33] Cf. LEO XIII, Encycl. *Providentissimus Deus,* 18 nov. 1893: *A.S.S.,* 26 (1893-94), p. 283.

[34] Cf. Commissio Pontificia de Re Biblica, *Instructio de Sacra Scriptura recte docenda,* 13 maii 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 502.

[35] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani Generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 568 s.: « ... sacrorum fontium studio sacrae disciplinae semper iuvenescunt; dum contra speculatio quae ulteriorem sacri depositi inquisitionem neglegit, ut experiundo novimus, sterilis evadit ».

[36] Cf. PIUS XII, Sermo ad Alumnos Seminariorum, 24 iunii 1939: *A.A.S.,* 31 (1939), p. 247: « Aemulatio ... in veritate quaerenda et propaganda per commendationem doctrinae S. Thomae non supprimitur, sed excitatur potius ac tuto dirigitur ». PAULUS VI, Allocutio in Gregoriana Pont. Studiorum Univ. habita, 12 mart. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 365: « (Magistri) ... vocem Ecclesiae Doctorum reverenter auscultent, inter quos Divus Aquinas praecipuum obtinet locum; Angelici enim Doctoris tanta est ingenii vis, tam sincerus veritatis amor, ac tanta sapientia in altissimis veritatibus pervestigandis, illustrandis aptissimoque unitatis nexu colligendis, ut ipsius doctrina efficacissimum sit instrumentum non solum ad Fidei fundamenta in tuto collocanda, sed etiam ad sanae progressionis fructus utiliter et secure percipiendos ». Cf. etiam Allocutio coram VI Congressu Internationali Thomistico, 10 sept. 1965: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 788-792.

[37] Cf. CONC. VAT. II, Const. *De Sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium,* nn. 7 et 16: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 100 s. et 104 s.

[38] Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 640 s.

[39] Cf. CONC. VAT. II, Const. *De Sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium,* nn. 10, 14, 15, 16; S. C. RITUUM, *Instructio ad exsecutionem Constitutionis de*

Sacra Liturgia recte ordinandam, 26 sept. 1964, nn. 11 et 12: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 879 s.

[40] Cf. CONC. VAT. II, Decretum *De Oecumenismo, Unitatis redintegratio,* nn. 1, 9, 10: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 90 et 98 s.

[41] Perfecta pastoris forma potest deduci ex recentiorum Pontificum documentis quae de vita, de dotibus et de institutione Sacerdotum distincte agunt, imprimis:

S. PIUS X, Exhortatio ad Clerum *Haerent animo*: *S. Pii X Acta,* IV, pp. 237 ss.;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii*: *A.A.S.*, 28 (1936), pp. 5 ss.;

PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae*: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 657 ss.;

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia*: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 545 ss.;

PAULUS VI, Epist. Apost. *Summi Dei Verbum*: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 979 ss.

Non pauca de formatione pastorali inveniuntur etiam in Litt. Encycl. *Mystici Corporis* (1943), *Mediator Dei* (1947), *Evangelii Praecones* (1951), *Sacra Virginitas* (1954), *Musicae Sacrae Disciplina* (1955), *Princeps Pastorum* (1959), necnon in Const. Apost. *Sedes Sapientiae* (1956) pro Religiosis.

PIUS XII, IOANNES XXIII et PAULUS VI etiam in suis allocutionibus ad seminaristas et sacerdotes formam boni pastoris compluries illustrarunt.

[42] De momento status, qui professione consiliorum evangelicorum constituitur cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *De Ecclesia, Lumen gentium,* cap. VI: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 49-53; Decretum *De accommodata renovatione vitae religiosae, Perfectae Caritatis.*

[43] Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964) passim, imprimis pp. 635 s. et 640 ss.

[44] Cf. imprimis IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 401 ss.

[45] Cf. praecipue CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen gentium,* n. 33: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 39.

[46] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen Gentium,* n. 17: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 20 s.

[47] Plurima documenta Pontificia praemonent contra periculum in actione pastorali neglegendi finem supernaturalem et parvipendendi saltem practice subsidia supernaturalia; cf. imprimis documenta in nota 41 laudata.

[48] Recentiora S. Sedis documenta particularem de neosacerdotibus curam habendam urgent. Commemoranda sunt imprimis:

PIUS XII, Motu proprio *Quandoquidem,* 2 aprilis 1949: *A.A.S.,* 41 (1949), pp. 165-167; Adhortatio Apost. *Menti Nostrae,* 23 septembris 1950: *A.A.S.,* 42 (1950); Constitutio Apostolica (pro Religiosis) *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956 et Statuta Generalia adnexa; Allocutio ad sacerdotes « Convictus Barcinonensis », 14 iunii 1957, *Discorsi e Radiomessaggi,* XIX, pp. 271-273.

PAULUS VI, Allocutio coram sacerdotibus Instituti « Gian Matteo Giberti » dioecesis Veronensis, 11 martii 1964: *L'Osservatore Romano,* 13 marzo 1964.

Haec omnia et singula, quae in hoc Decreto edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approba-

mus, decernimus ac statuimus et quae synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus.

Romae, apud S. Petrum, die XXVIII mensis octobris anno MCMLXV.

Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Sequuntur Patrum subsignationes: cf. pag. 620.

6

Declaratio

DE EDUCATIONE CHRISTIANA

Prooemium

Gravissimum educationis momentum in vita hominis eiusque influxum semper maiorem in socialem huius aetatis progressum Sancta Oecumenica Synodus attente perpendit.[1] Re quidem vera iuvenum educatio, immo adultorum quoque continua quaedam institutio, cum facilior tum urgentior redditur temporis nostri adiunctis. Homines enim propriae dignitatis et officii plenius conscii, vitam socialem ac praesertim oeconomicam et politicam actuosius in dies participare praeoptant; [2] mirabiles artis technicae et inquisitionis scientificae progressus, nova communicationis socialis subsidia opportunitatem praebent hominibus, maiore interdum temporis spatio ab occupationibus liberi fruentibus, facilius ad patrimonium mentis animique culturae accedendi atque arctiore tum coetuum tum ipsorum populorum necessitudine mutuo se complendi.

Proinde ubique conatus fiunt ad opus educationis magis magisque promovendum; hominum, et peculiariter puerorum atque parentum, iura primaria educationem respicientia declarantur et publicis documentis consignantur; [3] alumnorum numero celeriter crescente, late multiplicantur et perficiuntur scholae atque alia educationis instituta conduntur; novis experimentis excoluntur educationis et instructionis methodi; magni quidem ponderis peraguntur nisus ad eas omnibus hominibus procurandas licet permulti pueri et iuvenes institutione etiam fundamentali adhuc priventur et tot alii apta educatione, in qua simul veritas et caritas excoluntur, careant.

Cum vero Sancta Mater Ecclesia ad mandatum implendum a divino suo Conditore acceptum, mysterium nempe salutis omnibus hominibus nuntiandi et omnia instaurandi in Christo, integram hominis vitam etiam terrenam quatenus cum vocatione caelesti connexam curare debeat,[4] in educationis progressu atque amplificatione partes suas habet. Proinde S. Synodus de educatione christiana praesertim in scholis fundamentalia quaedam principia de-

clarat, quae a speciali post Concilium Commissione fusius evolvenda erunt atque ab Episcoporum Conferentiis ad diversas regionum condiciones applicanda.

1. Omnibus hominibus cuiusvis stirpis, condicionis et aetatis utpote dignitate personae pollentibus, ius est inalienabile ad educationem,[5] proprio fini respondentem,[6] propriae indoli, sexus differentiae, culturae patriisque traditionibus accommodatam et simul fraternae cum aliis populis consortioni apertam ad veram unitatem et pacem in terris fovendam. Vera autem educatio prosequitur formationem personae humanae in ordine ad finem eius ultimum et simul ad bonum societatum, quarum homo membrum exstat et in quarum officiis, adultus effectus, partem habebit.

Pueri igitur et adolescentes, ratione habita progressus scientiae psychologicae, paedagogicae et didacticae adiuventur oportet ad dotes physicas, morales et intellectuales harmonice evolvendas, ad gradatim acquirendum perfectiorem sensum responsabilitatis in propria vita continuo nisu recte excolenda et in vera libertate prosequenda, obstaculis magno et constanti animo superatis. Positiva et prudenti educatione sexuali progrediente aetate instituantur. Praeterea ad vitam socialem participandam ita conformentur ut, instrumentis necessariis et opportunis rite instructi, in varios humanae communitatis coetus actuose sese inserere valeant, colloquio cum aliis aperiantur communique bono provehendo operam libenter navent.

Similiter Sancta Synodus declarat pueris ac adolescentibus ius esse ut in valoribus moralibus recta conscientia aestimandis et adhaesione personali amplectendis necnon in Deo perfectius cognoscendo et diligendo instimulentur. Ideoque enixe rogat omnes qui vel populorum regimen tenent vel educationi praesunt, ut curent ne umquam iuventus hoc sacro iure privetur. Filios autem Ecclesiae exhortatur ut generoso animo operam praestent in universo educationis campo, praesertim hunc in finem ut congrua educationis et instructionis beneficia ad omnes ubique terrarum citius extendi possint.[7]

2. Omnibus christianis, quippe qui, per regenerationem ex aqua et Spiritu Sancto nova creatura effecti,[8] filii Dei nominentur et sint, ius est ad educationem christianam. Quae quidem non solum maturitatem humanae personae modo descriptam prosequitur, sed eo principaliter spectat ut baptizati dum in cognitionem mysterii salutis gradatim introducuntur, accepti fidei doni in dies magis conscii fiant; Deum Patrem in spiritu et veritate adorare (cf. *Io.* 4, 23) praeprimis in actione liturgica addiscant, ad propriam vitam secundum novum hominem in iustitia et sanctitate veritatis (*Eph.* 4, 22-24) gerendam conformentur; ita quidem occurrant in virum perfectum, in aetatem plenitudinis Christi (cf. *Eph.* 4, 13) et augmento corporis mystici operam praestent. Iidem insuper suae vocationis conscii tum spei quae in eis est (cf. *1 Pt.* 3, 15), testimonium exhibere tum christianam mundi conformationem adiuvare consuescant, qua naturales valores in completa hominis a Christo redempti consideratione assumpti, ad totius societatis bonum conferant.[9] Quare haec S. Synodus animarum Pastoribus gravissimum recolit offi-

cium omnia disponendi ut hac educatione christiana omnes fideles fruantur, praeprimis iuvenes qui spes sunt Ecclesiae.[10]

3. Parentes, cum vitam filiis contulerint, prolem educandi gravissima obligatione tenentur et ideo primi et praecipui eorum educatores agnoscendi sunt.[11] Quod munus educationis tanti ponderis est ut, ubi desit, aegre suppleri possit. Parentum enim est talem familiae ambitum amore, pietate erga Deum et homines animatum creare qui integrae filiorum educationi personali et sociali faveat. Familia proinde est prima schola virtutum socialium quibus indigent omnes societates. Maxime vero in christiana familia, matrimonii sacramenti gratia et officio ditata, filii iam a prima aetate secundum fidem in baptismo receptam Deum percipere et colere atque proximum diligere doceantur oportet; ibidem primam inveniunt experientiam et sanae societatis humanae et Ecclesiae; per familiam denique in civilem hominum consortionem et in populum Dei sensim introducuntur. Persentiant igitur parentes quanti momenti sit familia vere christiana pro vita et progressu ipsius populi Dei.[12]

Educationis impertiendae munus primario familiae competens totius societatis auxiliis indiget. Praeter igitur iura parentum ceterorumque quibus ipsi partem in munere educationis concredunt, certa quidem officia et iura competunt societati civili, quatenus eius est ea ordinare quae ad bonum commune temporale requiruntur. Ad eius munera pertinet educationem iuventutis pluribus modis provehere: parentum scilicet aliorumque qui in educatione partes habent officia et iura tueri eisque adiumenta praebere; iuxta subsidiarii officii principium, deficientibus parentum aliarum societatum incoeptis, educationis opus, attentis quidem parentum votis, perficere; insuper, quatenus bonum commune postulat, scholas et instituta propria condere.[13]

Singulari demum ratione officium educandi ad Ecclesiam spectat, non solum quia humana quoque societas educationis tradendae capax agnoscenda est, sed maxime quia munus habet viam salutis omnibus hominibus annuntiandi, credentibus vitam Christi communicandi eosque continua sollicitudine adiuvandi ut ad huius vitae plenitudinem pervenire valeant.[14] His igitur filiis suis tamquam Mater eam praestare Ecclesia tenetur educationem, qua tota eorum vita spiritu Christi imbuatur, simul autem omnibus populis suam operam praebet ad promovendam integram personae humanae perfectionem, ad bonum quoque societatis terrestris atque ad aedificationem mundi humanius configurandi.[15]

4. In munere suo educationis explendo Ecclesia de omnibus aptis subsidiis sollicita, praecipue de eis curat quae ipsi sunt propria, quorum primum est institutio catechetica [16] quae fidem illuminat et roborat, vitam secundum spiritum Christi nutrit, ad mysterii liturgici consciam et actuosam participationem conducit [17] atque ad actionem apostolicam excitat. Ecclesia magni facit et suo spiritu penetrare et elevare quaerit cetera quoque auxilia, quae ad commune hominum patrimonium pertinent quaeque ad animos excolendos hominesque formandos magnopere conferunt, uti sunt communicationis socialis

instrumenta,[18] multiplices animi corporisque exercitationum coetus, iuvenum consociationes atque praesertim scholae.

5. Inter omnia educationis instrumenta peculiare momentum habet schola,[19] quare vi suae missionis dum facultates intellectuales assidua cura excolit, recte iudicandi capacitatem evolvit, in patrimonium culturae a generationibus praeteritis acquisitum introducit, sensum valorum promovet, vitam professionalem praeparat, inter alumnos diversae indolis et condicionis amicalem consortionem pariens mutuam se comprehendendi dispositionem fovet; insuper velut quoddam centrum constituit cuius operositatem et profectum una participare debent familiae, magistri, varii generis consociationes vitam culturalem, civicam, religiosam promoventes, societas civilis, et tota communitas humana.

Pulchra igitur et gravis quidem ponderis est vocatio illorum omnium qui parentes in eorundem officio implendo iuvantes et communitatis humanae vices gerentes, munus educandi in scholis suscipiunt; quae vocatio peculiares mentis et cordis dotes, diligentissimam praeparationem, continuam renovationis et adaptationis promptitudinem expostulat.

6. Parentes quibus primum et inalienabile officium et ius est filios educandi, in scholis eligendis vera libertate gaudeant oportet. Potestas publica igitur cuius est civium libertates tueri et defendere, iustitiae distributivae consulens curare debet, ut subsidia publica ita erogentur ut parentes pro filiis suis scholas, secundum conscientiam suam, vere libere selegere valeant.[20]

Ceterum rei publicae est providere ut omnes cives ad congruam culturae participationem accedere valeant atque ad officia et iura civilia exercenda debite praeparentur. Ipsa igitur res publica ius puerorum ad adaequatam educationem scholarem tutari, magistrorum capacitati studiorumque praestantiae vigilare, alumnorum sanitati consulere atque in genere integrum scholarum opus promovere debet, principio subsidiarii officii prae oculis habito et ideo quovis excluso scholarum monopolio, quod nativis humanae personae iuribus, ipsius quoque culturae profectui et divulgationi, pacificae civium consortioni necnon pluralismo in permultis societatibus hodie vigenti adversatur.[21]

Christifideles vero S. Synodus hortatur ut sive ad aptas educationis methodos studiorumque rationem inveniendas, sive ad magistros efformandos qui iuvenes recte educare valeant, auxiliatricem operam ultro praestent atque, parentum praesertim consociationibus, universum scholae munus et praecipue educationem moralem in ea tradendam suis adiumentis prosequantur.[22]

7. Gravissimum praeterea officium persentiens moralem et religiosam educationem omnium suorum filiorum sedulo curandi, Ecclesia peculiari suo affectu et adiutorio praesens sit oportet iis plurimis qui in scholis non catholicis instituuntur; tum per testimonium vitae eorum qui eos docent et moderantur, tum per condiscipulorum apostolicam actionem,[23] tum maxime per ministerium sacerdotum et laicorum qui eis doctrinam salutis tradunt, ratione

aetati et adiunctis accommodata et spirituale auxilium praebent opportunis incoeptis pro rerum temporumque condicione.

Parentibus autem grave recolit officium quod eis competit omnia disponendi vel etiam exigendi ut filii sui illis auxiliis frui possint et formatione christiana harmonico gressu cum profana progrediantur. Propterea Ecclesia illas auctoritates et societates civiles dilaudat, quae pluralismi hodiernae societatis ratione habita et debitae libertati religiosae consulentes, familias adiuvant ut educatio filiorum in omnibus scholis secundum propria familiarum principia moralia et religiosa impertiri possit.[24]

8. Ecclesiae praesentia in scholarum campo ostenditur peculiari ratione per scholam catholicam. Ea quidem non minus quam aliae scholae fines culturales et humanam iuvenum formationem prosequitur. Proprium autem illius est communitatis scholaris ambitum, spiritu evangelico libertatis et caritatis animatum creare, adolescentes adiuvare ut in propria persona evolvenda una simul crescant secundum novam creaturam quae per baptismum effecti sunt, atque universam culturam humanam ad nuntium salutis postremo ordinare ita ut cognitio quam alumni de mundo, vita et homine gradatim acquirunt, fide illuminetur.[25] Ita quidem schola catholica, dum progredientis aetatis condicionibus sicut oportet se aperit, suos alumnos ad civitatis terrestris bonum efficaciter provehendum educat et ad servitium pro Regno Dei dilatando praeparat, ut exemplaris et apostolicae vitae exercitio salutare veluti fermentum humanae communitatis efficiantur.

Schola catholica igitur cum ad Populi Dei missionem explendam tantopere conferre et dialogo inter Ecclesiam et hominum communitatem, in ipsorum mutuum beneficium, inservire valeat, nostris quoque rerum adiunctis suum gravissimum retinet momentum. Quare haec S. Synodus ius Ecclesiae scholas cuiusvis ordinis et gradus libere condendi atque regendi, in plurimis Magisterii documentis iam declaratum,[26] denuo proclamat, in memoriam revocans huiusmodi iuris exercitium libertati quoque conscientiae et parentum iuribus tuendis necnon ipsius culturae profectui summopere conferre.

Meminerint autem Magistri se quam maxime esse auctores ut schola catholica sua proposita et incoepta ad rem deducere valeat.[27] Peculiari ergo iidem praeparentur sollicitudine ut scientia tum profana tum religiosa idoneis titulis comprobata sint praediti et arte educandi progredientis aetatis inventis congruente ditati. Caritate sibi vicissim et discipulis devicti atque spiritu apostolico imbuti, tam vita quam doctrina testimonium exhibeant unico Magistro Christo. Sociam, imprimis cum parentibus praestent operam; una cum ipsis debitam in universa educatione habeant rationem discriminis sexus et finis proprii utrique sexui in familia et in societate a divina providentia praestituti; personalem ipsorum alumnorum actionem excitare satagant eosque, absoluto curriculo scholari, consilio, amicitia, peculiaribus quoque conditis associationibus vero spiritu ecclesiali ditatis prosequi pergant. Horum magistrorum ministerium veri nominis apostolatum, nostris quoque temporibus maxime congruentem et necessarium S. Synodus declarat, simulque verum servitium socie-

tati praestitum. Parentibus vero catholicis officium memorat liberos suos concredendi, quando et ubi possunt, scholis catholicis, eas pro viribus sustinendi et cum eis in bonum filiorum suorum collaborandi.[28]

9. Huic scholae catholicae imagini omnes scholae ab Ecclesia quavis ratione dependentes pro viribus conformentur oportet, licet schola catholica pro locorum adiunctis varias formas induere possit.[29] Carissimas sane sibi habet Ecclesia etiam scholas catholicas quae in novarum ecclesiarum praesertim territoriis ab alumnis quoque non catholicis frequentantur.

Ceterum in scholis catholicis constituendis et ordinandis progredientis aetatis necessitatibus consulendum est. Propterea, dum fovendae manent scholae quae inferioris et medii ordinis sunt atque educationis fundamentum constituunt, magni quoque faciendae sunt illae quae ab hodiernis condicionibus peculiari ratione requiruntur, ut sunt scholae quae professionales [30] et technicae nuncupantur, instituta erudiendis adultis, socialibus auxiliis provehendis necnon iis, qui ob naturae defectum peculiari cura indigent, destinata atque scholae in quibus magistri tum pro institutione religiosa tum pro aliis educationis formis praeparantur.

Sancta Synodus Ecclesiae Pastores necnon omnes christifideles vehementer hortatur ut, nullis praetermissis sacrificiis, scholas catholicas adiuvent in earundem munere in dies perfectius explendo et praeprimis in curandis necessitatibus eorum qui bonis temporalibus sunt pauperes vel familiae adiutorio et affectu privantur vel a dono fidei sunt alieni.

10. Altioris ordinis pariter scholas, praesertim Universitates et Facultates Ecclesia sedula prosequitur cura. Quin etiam in iis quae ab ipsa dependent, organica ratione intendit ut singulae disciplinae propriis principiis, propria methodo atque propria inquisitionis scientificae libertate ita excolantur, ut profundior in dies earum intelligentia obtineatur et, novis progredientis aetatis quaestionibus ac investigationibus accuratissime consideratis, altius perspiciatur quomodo fides et ratio in unum verum conspirent, Ecclesiae Doctorum, praesertim S. Thomae Aquinatis vestigia premendo.[31] Ita quidem veluti publica, stabilis atque universalis praesentia efficiatur mentis christianae in toto culturae altioris promovendae studio atque horum institutorum alumni formentur homines doctrina vere praestantes, gravioribus officiis in societate obeundis parati atque fidei in mundo testes.[32]

In Universitatibus Catholicis in quibus nulla Facultas S. Theologiae exstet, Institutum habeatur vel Cathedra S. Theologiae, in qua lectiones laicis quoque alumnis accommodatae tradantur. Cum scientiae per investigationes peculiares altioris scientifici momenti praecipue proficiant, in Universitatibus et Facultatibus catholicis Instituta maxime foveantur, quae primario investigationi scientificae promovendae inserviant.

Sancta Synodus valde commendat ut Universitates et Facultates catholicae in diversis terrae partibus convenienter distributae, promoveantur, ita tamen ut non numero, sed doctrinae studio eniteant; eorumque aditus facile

pateat alumnis maioris spei, etsi tenuioris fortunae, iis praesertim qui e novis adveniant nationibus.

Quandoquidem sors societatis et ipsius Ecclesiae cum iuvenum altiora studia excolentium profectu intime connectitur,[33] Ecclesiae Pastores non tantum impensam habeant curam de vita spirituali alumnorum qui Universitates Catholicas frequentant; sed de formatione spirituali omnium filiorum suorum solliciti, inter Episcopos consiliis opportune collatis, provideant ut etiam apud Universitates non catholicas convictus et centra universitaria catholica habeantur, in quibus sacerdotes, religiosi et laici, accurate selecti et praeparati, iuventuti universitariae spirituale et intellectuale adiutorium praebeant permanens. Iuvenes autem melioris ingenii sive catholicarum sive aliarum Universitatum, qui ad docendum et investigandum apti videantur, peculiari cura excolantur et ad magisteria suscipienda promoveantur.

11. A scientiarum sacrarum Facultatum operositate plurimum exspectat Ecclesia.[34] Ipsis enim concredit gravissimum officium proprios alumnos praeparandi non solum ad ministerium sacerdotale sed maxime sive ad docendum in superiorum studiorum ecclesiasticorum sedibus sive ad disciplinas propria ope promovendas sive ad magis ardua apostolatus intellectualis munera suscipienda. Ipsarum Facultatum item est varias sacrarum disciplinarum regiones altius pervestigare ita ut profundior in dies Sacrae Revelationis intellectus obtineatur, patrimonium sapientiae christianae a maioribus traditum plenius aperiatur, dialogus cum fratribus seiunctis et cum non christianis promoveatur atque quaestionibus a doctrinarum progressu exortis respondeatur.[35]

Quare ecclesiasticae Facultates, propriis ipsarum legibus opportune recognitis, scientias sacras et cum sacris connexas impense promoveant et recentioribus quoque methodis et auxiliis adhibitis, ad altiores investigationes auditores instituant.

12. Cum cooperatio, quae in ordine dioecesano, nationali et internationali altius in dies urgetur et invalescit, etiam in re scholastica maxime sit necessaria, omni ope curandum est ut inter scholas catholicas apta foveatur coordinatio, atque inter easdem ceterasque scholas provehatur collaboratio, quam universae hominum communitatis bonum requirit.[36]

Ex maiore coordinatione sociaque opera praecipue in Institutorum academicorum ambitu uberiores fructus percipientur. In omni igitur Universitate variae Facultates mutuam sibi, prout obiectum siverit, praestent operam. Ipsae quoque Universitates mutua inter sese operae coniunctione conspirent, conventus internationales una simul promovendo, scientificas pervestigationes inter sese distribuendo, inventa vicissim communicando ac magistros ad tempus permutando inter se ceteraque quae ad maiorem adiutricem operam conferunt provehendo.

CONCLUSIO

S. Synodus ipsos iuvenes enixe hortatur ut praestantiae muneris educandi conscii, ad illud suscipiendum generoso animo sint parati, in illis praesertim regionibus in quibus ob magistrorum inopiam iuventutis educatio in discrimine est.

Eadem S. Synodus, dum gratissimam se profitetur erga sacerdotes, religiosos, religiosas et laicos, qui evangelica sui deditione in praecellens educationis et scholarum cuiusvis generis et gradus opus incumbunt, eos hortatur ut in suscepto munere generose perseverent atque in alumnis spiritu Christi imbuendis, in paedagogica arte et in scientiarum studio ita excellere nitantur ut non solum internam Ecclesiae renovationem promoveant, sed eius beneficam praesentiam in mundo hodierno praesertim intellectuali servent et augeant.

NOTAE

[1] Inter plurima documenta momentum educationis illustrantia cf. imprimis:

BENEDICTUS XV, Ep. Apost. *Communes Litteras,* 10 apr. 1919: *A.A.S.,* 11 (1919), p. 172.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* 31 dec. 1929: *A.A.S.,* 22 (1930), pp. 49-86.

PIUS XII, Alloc. ad Iuvenes A. C. I., 20 apr. 1946: Discorsi e Radiomessaggi, VIII, pp. 53-57.

— Alloc. ad Patres familias Galliae, 18 sept. 1951: Discorsi e Radiomessaggi, XIII, pp. 241-245.

IOANNES XXIII, Nuntius tricesimo exacto anno ex quo Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri* editae sunt, 30 dec. 1959: *A.A.S.,* 52 (1960), pp. 57-59.

PAULUS VI, Allocutio ad sodales F.I.D.A.E. (Federazione Istituti Dipendenti dall'Autorità Ecclesiastica), 30 dec. 1963: Encicliche e Discorsi di S. S. Paolo VI, I, Roma 1964, pp. 601-603.

Insuper conferantur *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* series I, Antepraeparatoria, vol. III, pp. 363-364, 370-371, 373-374.

[2] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 413, 415-417, 424.

— Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 278 s.

[3] Cf. Professionem Universalem iurium humanorum (Déclaration des droits de l'homme) die 10 dec. 1948 a Foederatarum Nationum Coetu generali ratam habitam; et cf. Déclaration des droits de l'enfant, 20 nov. 1959; Protocole additionnel à la convention de sauvegarde des droits de l'homme et des libertés fondamentales, Parisiis, 20 mart. 1952; circa illam Professionem Universalem iurium humanorum cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 295 s.

[4] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 402.

CONC. VAT. II, Constitutio dogm. *de Ecclesia, Lumen gentium*: n. 17: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 21.

[5] PIUS XII, Nuntius radiophonicus datus 24 dec. 1942: *A.A.S.,* 35 (1943), pp. 12, 19.

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 259 s. Et cf. Declarationes iurium hominis laudatas in nota 3.

[6] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* 31 dec. 1929: *A.A.S.,* 22 (1930), p. 50 s.

[7] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 441 s.

[8] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c. p. 83.

[9] Cf. CONC. VAT. II, Constitutio dogm. *de Ecclesia, Lumen gentium,* n. 36: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 41 s.

[10] Cf. CONC. VAT. II, Decr. de pastorali episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus,* nn. 12-14.

[11] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c. p. 59 s.; Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* 14 martii 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 164 s.

PIUS XII, Allocutio ad primum congressum nationalem Consociationis Italicae Magistrorum catholicorum (A.I.M.C.), 8 sept. 1946: Discorsi e Radiomessaggi, VIII, p. 218.

[12] Cf. CONC. VAT. II, Constitutio dogm. *de Ecclesia, Lumen gentium,* nn. 11 et 35: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 16 et 40 s.

[13] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c. p. 63 s.

PIUS XII, Nuntius radiophonicus datus 1 iunii 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 200; Allocutio ad primum Congressum nationalem Consociationis Italicae Magistrorum catholicorum, 8 sept. 1946: Discorsi e Radiomessaggi, VIII, p. 218.

Circa principium subsidiaritatis cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 294.

[14] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c. pp. 53 s., 56 s.

— Litt. Encycl. *Non abbiamo bisogno,* 29 iunii 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 311 s.

PIUS XII, Litt. Secretariae Status ad XXVIII Hebdomadam Soc. Ital. 20 sept. 1955: *L'Osservatore Romano,* 29 sept. 1955.

[15] Ecclesia laudat illas auctoritates civiles, locales, nationales et internationales quae, urgentiorum huius aetatis necessitatum consciae, omnes vires impendunt, ut omnes populi plenioris educationis et cultus humani participes fieri valeant. Cf. PAULUS VI, Allocutio in Consilio Nationum Unitarum, 4 oct. 1965: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 877-885.

[16] Cf. PIUS XI, Motu proprio *Orbem catholicum,* 29 iunii 1923: *A.A.S.,* 15 (1923), pp. 327-329, Decretum *Provide sane,* 12 ian. 1935: *A.A.S.,* 27 (1935), pp. 145-152. CONC. VAT. II, Decretum *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, Christus Dominus,* nn. 13 et 14.

[17] Cf. CONC. VAT. II, Const. *De Sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium,* n. 14: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 104.

[18] Cf. CONC. VAT. II, Decretum *De instrumentis communicationis socialis, Inter mirifica,* nn. 13 et 14: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 149 s.

[19] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c. p. 76; PIUS XII, Allocutio ad Associationem Magistrorum Catholicorum Bavariae, 31 dec. 1956: Discorsi e Radiomessaggi XVIII, p. 746.

[20] Cf. CONC. PROV. CINCINNATENSE III, a. 1861: Collatio Lacensis, III, col. 1240, c/d; PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c., pp. 60, 63 s.

[21] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c., p. 63; Litt. Encycl. *Non abbiamo bisogno,* 29 iunii 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 305.

PIUS XII, Litt. Secretariae Status ad XXVIII Hebdomadam Soc. Ital., 20 sept. 1955: *L'Osservatore Romano,* 29 sept. 1955.

PAULUS VI, Allocutio ad Associationem Christianam Operariorum Italiae (A.C.L.I.), 6 octobris 1963: Encicliche e Discorsi di Paolo VI, I, Roma 1964, p. 230.

[22] Cf. IOANNES XXIII, Nuntius tricesimo exacto anno ex quo Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri* editae sunt, 30 dec. 1959: *A.A.S.,* 52 (1960), p. 57.

[23] Ecclesia magni facit actionem apostolicam, quam etiam in illis scholis magistri et condiscipuli catholici exercere valent.

[24] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Assoc. Magistr. Cath. Bavariae, 31 aug. 1956: *Discorsi e Radiomessaggi,* XVIII, p. 745 s.

[25] Cf. CONC. PROV. WESTMONASTERIENSE I, a. 1852: Collatio Lacensis III, col. 1334, a/b. — PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c., p. 77 s. — PIUS XII, Allocutio ad Associationem Magistrorum Catholicorum Bavariae, 31 dec. 1956: *Discorsi e Radiomessaggi,* XVIII, p. 746. — PAULUS VI, Allocutio ad sodales F.I.D.A.E. (Federazioni Istituti Dipendenti dall'Autorità Ecclesiastica), 30 dec. 1963: *Encicliche e Discorsi di Paolo VI,* I, Roma 1964, p. 602 s.

[26] Cf. imprimis documenta in nota 1 laudata; insuper hoc Ecclesiae ius proclamatur a multis Conciliis provincialibus nec non in recentissimis Declarationibus plurium Conferentiarum Episcoporum.

[27] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Illius Magistri,* l. c., p. 80 s. — PIUS XII, Allocutio ad Consociationem Catholic. Italicam Magistrorum scholarum secundariarum (U.C.I.I.M.), 5 ian. 1954: *Discorsi e Radiomessaggi,* XV, pp. 551-556. — IOANNES XXIII, Allocutio ad VI Congressum Associationis Italicae Magistrorum Catholicorum (A.I.M.C.), 5 sept. 1959: *Discorsi, Messaggi, Colloqui,* I, Roma 1960, pp. 427-431.

[28] Cf. PIUS XII, Allocutio ad Consociationem Cathol. Italicam Magistrorum scholarum secundariarum (U.C.I.I.M.), 5 ian. 1954, l. c., p. 555.

[29] Cf. PAULUS VI, Allocutio ad Officium Internationale Educationis Catholicae (O.I.E.C.), 25 febr. 1964: *Encicliche e Discorsi di Paolo VI,* II, Roma 1964, p. 232.

[30] Cf. PAULUS VI, Allocutio ad Associationem Christianam Operariorum Italiae (A.C.L.I.), 6 oct. 1963: *Encicliche e Discorsi di Paolo VI,* I, Roma 1964, p. 229.

[31] Cf. PAULUS VI, Allocutio coram VI Congressu Thomistico Internationali, 10 sept. 1965: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 788-792.

[32] Cf. PIUS XII, Allocutio ad magistros et alumnos Institutorum Superiorum Cathol. Galliae, 21 sept. 1950: *Discorsi e Radiomessaggi,* XII, pp. 219-221; Ep. ad XXII Congressum « Pax Romana », 12 aug. 1952: *Discorsi e Radiomessaggi,* XIV, pp. 567-569. — IOANNES XXIII, Allocutio ad Foederationem Universitatum Catholicarum, 1 apr. 1959: *Discorsi, Messaggi, Colloqui,* I, Roma 1960, pp. 226-229. — PAULUS VI, Allocutio ad Senatum Academicum Universita-

tis Catholicae Mediolanensis, 5 apr. 1964: *Encicliche e Discorsi di Paolo VI,* II, Roma, 1964, pp. 438-443.

[33] Cf. Pius XII, Allocutio ad Senatum Academicum et alumnos Universitatis Romanae, 15 iunii 1952: *Discorsi e Radiomessaggi,* XIV, p. 208: « La direzione della società di domani è principalmente riposta nella mente e nel cuore degli universitari di oggi ».

[34] Cf. Pius XI, Constitutio Apostolica *Deus Scientiarum Dominus,* 24 maii 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), pp. 245-247.

[35] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Humani Generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 568 s., 578. — Paulus VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Suam,* Pars III, 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 637-659. — Conc. Vat. II, Decretum *De Oecumenismo, Unitatis redintegratio*: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 90-107.

[36] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 284 et passim.

Haec omnia et singula, quae in hoc Decreto edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus.

Romae, apud S. Petrum, die XXVIII mensis octobris anno MCMLXV.

Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Sequuntur Patrum subsignationes: cf. pag. 620.

7

Declaratio

DE ECCLESIAE HABITUDINE AD RELIGIONES NON-CHRISTIANAS

1. Nostra aetate, in qua genus humanum in dies arctius unitur et necessitudines inter varios populos augentur, Ecclesia attentius considerat quae sit sua habitudo ad religiones non-christianas. In suo munere unitatem et caritatem inter homines, immo et inter gentes, fovendi ea imprimis hic considerat quae hominibus sunt communia et ad mutuum consortium ducunt.

Una enim communitas sunt omnes gentes, unam habent originem, cum Deus omne genus hominum inhabitare fecerit super universam faciem terrae,[1] unum etiam habent finem ultimum, Deum, cuius providentia ac bonitatis testimonium et consilia salutis ad omnes se extendunt,[2] donec uniantur electi in Civitate Sancta, quam claritas Dei illuminabit, ubi gentes ambulabunt in lumine eius.[3]

Homines a variis religionibus responsum exspectant de reconditis condicionibus humanae aenigmatibus, quae sicut olim et hodie corda hominum intime commovent: quid sit homo, quis sensus et finis vitae nostrae, quid bonum et quid peccatum, quem ortum habeant dolores et quem finem, quae sit via ad veram felicitatem obtinendam, quid mors, iudicium et retributio post mortem, quid demum illud ultimum et ineffabile mysterium quod nostram existentiam amplectitur, ex quo ortum sumimus et quo tendimus.

2. Iam ab antiquo usque ad tempus hodiernum apud diversas gentes invenitur quaedam perceptio illius arcanae virtutis, quae cursui rerum et eventibus vitae humanae praesens est, immo aliquando agnitio Summi Numinis vel etiam Patris. Quae perceptio atque agnitio vitam earum intimo sensu religioso penetrant. Religiones vero cum progressu culturae connexae subtilioribus notionibus et lingua magis exculta ad easdem quaestiones respondere satagunt. Ita in Hinduismo homines mysterium divinum scrutantur et exprimunt inexhausta foecunditate mythorum et acutis conatibus philosophiae, atque liberationem quaerunt ab angustiis nostrae conditionis vel per formas vitae asceticae vel per profundam meditationem, vel per refugium ad Deum cum amore et confidentia. In Buddhismo secundum varias eius formas radicalis insufficientia mundi huius mutabilis agnoscitur et via docetur qua homines, animo devoto et confidente, sive statum perfectae liberationis acquirere, sive, vel propriis conatibus vel superiore auxilio innixi, ad summam illuminationem pertingere valeant. Sic ceterae quoque religiones, quae per totum mundum inveniuntur, inquietudini cordis hominum variis modis occurrere nituntur proponendo vias, doctrinas scilicet ac praecepta vitae, necnon ritus sacros.

Ecclesia catholica nihil eorum, quae in his religionibus vera et sancta sunt reicit. Sincera cum observantia considerat illos modos agendi et vivendi, illa praecepta et doctrinas, quae, quamvis ab iis quae ipsa tenet et proponit in multis discrepent, haud raro referunt tamen radium illius Veritatis, quae illuminat omnes homines. Annuntiat vero et annuntiare tenetur indesinenter Christum, qui est « via, veritas et vita » (*Io.* 14, 6), in quo homines plenitudinem vitae religiosae inveniunt, in quo Deus omnia Sibi reconciliavit.[4]

Filios suos igitur hortatur, ut cum prudentia et caritate per colloquia et collaborationem cum asseclis aliarum religionum, fidem et vitam christianam testantes, illa bona spiritualia et moralia necnon illos valores socio-culturales, quae apud eos inveniuntur, agnoscant, servent et promoveant.

3. Ecclesia cum aestimatione quoque Muslimos respicit qui unicum Deum adorant, viventem et subsistentem, misericordem et omnipotentem, Creatorem caeli et terrae,[5] homines allocutum, cuius occultis etiam decretis toto animo se submittere student, sicut Deo se submisit Abraham ad quem fides islamica libenter sese refert. Iesum, quem quidem ut Deum non agnoscunt, ut prophetam tamen venerantur, matremque eius virginalem honorant Mariam et aliquando eam devote etiam invocant. Diem insuper iudicii expectant cum Deus omnes homines resuscitatos remunerabit. Exinde vitam

moralem aestimant et Deum maxime in oratione, eleemosynis et ieiunio colunt.

Quodsi in decursu saeculorum inter Christianos et Muslimos non paucae dissensiones et inimicitiae exortae sint, Sacrosancta Synodus omnes exhortatur, ut, praeterita obliviscentes, se ad comprehensionem mutuam sincere exerceant et pro omnibus hominibus iustitiam socialem, bona moralia necnon pacem et libertatem communiter tueantur et promoveant.

4. Mysterium Ecclesiae perscrutans, Sacra haec Synodus meminit vinculi, quo populus Novi Testamenti cum stirpe Abrahae spiritualiter coniunctus est.

Ecclesia enim Christi agnoscit fidei et electionis suae initia iam apud Patriarchas, Moysen et Prophetas, iuxta salutare Dei mysterium, inveniri. Confitetur omnes Christifideles, Abrahae filios secundum fidem,[6] in eiusdem Patriarchae vocatione includi et salutem Ecclesiae in populi electi exitu de terra servitutis mystice praesignari. Quare nequit Ecclesia oblivisci se per populum illum, quocum Deus ex ineffabili misericordia sua Antiquum Foedus inire dignatus est, Revelationem Veteris Testamenti accepisse et nutriri radice bonae olivae, in quam inserti sunt rami oleastri Gentium.[7] Credit enim Ecclesia Christum, Pacem nostram, per crucem Iudaeos et Gentes reconciliasse et utraque in Semetipso fecisse unum.[8]

Semper quoque prae oculis habet Ecclesia verba Apostoli Pauli de cognatis eius, « quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa, quorum patres et ex quibus est Christus secundum carnem » (*Rom.* 9, 4-5), filius Mariae Virginis. Recordatur etiam ex populo iudaico natos esse Apostolos, Ecclesiae fundamenta et columnas, atque plurimos illos primos discipulos, qui Evangelium Christi mundo annuntiaverunt.

Teste Sacra Scriptura, Ierusalem tempus visitationis suae non cognovit,[9] atque Iudaei magna parte Evangelium non acceperunt, immo non pauci diffusioni eius se opposuerunt.[10] Nihilominus, secundum Apostolum, Iudaei Deo, cuius dona et vocatio sine poenitentia sunt, adhuc carissimi manent propter patres.[11] Una cum Prophetis eodemque Apostolo Ecclesia diem Deo soli notum expectat, quo populi omnes una voce Dominum invocabunt et « servient ei humero uno » (*Soph.* 3, 9).[12]

Cum igitur adeo magnum sit patrimonium spirituale Christianis et Iudaeis commune, Sacra haec Synodus mutuam utriusque cognitionem et aestimationem, quae praesertim studiis biblicis et theologicis atque fraternis colloquiis obtinetur, fovere vult et commendare.

Etsi auctoritates Iudaeorum cum suis asseclis mortem Christi urserunt,[13] tamen ea quae in passione Eius perpetrata sunt nec omnibus indistincte Iudaeis tunc viventibus, nec Iudaeis hodiernis imputari possunt. Licet autem Ecclesia sit novus populus Dei, Iudaei tamen neque ut a Deo reprobati neque ut maledicti exhibeantur, quasi hoc ex Sacris Litteris sequatur. Ideo curent omnes ne in catechesi et in Verbi Dei praedicatione habenda quidquam doceant, quod cum veritate evangelica et spiritu Christi non congruat.

Praeterea, Ecclesia, quae omnes persecutiones in quosvis homines reprobat, memor communis cum Iudaeis patrimonii, nec rationibus politicis sed religiosa caritate evangelica impulsa, odia, persecutiones, antisemitismi manifestationes, quovis tempore et a quibusvis in Iudaeos habita, deplorat.

Ceterum Christus, uti semper tenuit et tenet Ecclesia, propter peccata omnium hominum voluntarie passionem suam et mortem immensa caritate obiit, ut omnes salutem consequantur. Ecclesiae praedicantis ergo est annuntiare crucem Christi tamquam signum universalis Dei amoris et fontem omnis gratiae.

5. Nequimus vero Deum omnium Patrem invocare, si erga quosdam homines, ad imaginem Dei creatos, fraterne nos gerere renuimus. Habitudo hominis ad Deum Patrem et habitudo hominis ad homines fratres adeo connectuntur, ut Scriptura dicat: « qui non diligit, non novit Deum » (*1 Io.* 4, 8).

Fundamentum ergo tollitur omni theoriae vel praxi quae inter hominem et hominem, inter gentem et gentem, discrimen quoad humanam dignitatem et iura exinde dimanantia inducit.

Ecclesia igitur quamvis hominum discriminationem aut vexationem stirpis vel coloris, condicionis vel religionis causa factam tamquam a Christi mente alienam, reprobat. Proinde, Christifideles Sacra Synodus, vestigia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli premens, ardenter obsecrat ut « conversationem inter gentes habentes bonam » (*1 Pt.* 2, 12) si fieri potest, quod in eis est cum omnibus hominibus pacem habeant,[14] ita ut vere sint filii Patris qui in caelis est.[15]

NOTAE

1 Cf. *Act.* 17, 26.
2 Cf. *Sap.* 8, 1; *Act.* 14, 17; *Rom.* 2, 6-7; *1 Tim.* 2, 4.
3 Cf. *Apoc.* 21, 23-24.
4 Cf. *2 Cor.* 5, 18-19.
5 Cf. S. Greg. VII, *Epist. III, 21 ad Anazir* (*Al-Nāṣir*), *regem Mauritaniae*: ed. E. Caspar in MGH, ep. sel. II, 1920, I, p. 288, 11, 15; *PL* 148, 451 A.
6 Cf. *Gal.* 3, 7.
7 Cf. *Rom.* 11, 17-24.
8 Cf. *Eph.* 2, 14-16.
9 Cf. *Lc.* 19, 44.
10 Cf. *Rom.* 11, 28.
11 Cf. *Rom.* 11, 28-29; Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen gentium*: *A.A.S.*, 57 (1965), p. 20.
12 Cf. *Is.* 66, 23; *Ps.* 65, 4; *Rom.* 11, 11-32.
13 Cf. *Io.* 19, 6.
14 Cf. *Rom.* 12, 18.
15 Cf. *Mt.* 5, 45.

Haec omnia et singula, quae in hac Declaratione edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita

potestate, illa, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus.

Romae, apud S. Petrum, die XXVIII mensis octobris anno MCMLXV.

Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Sequuntur Patrum subsignationes: cf. infra.

VACATIO LEGIS
pro decretis promulgatis in sessione VII

Beatissimus Pater pro novis legibus quae in modo promulgatis decretis continentur, statuit vacationem usque ad diem vigesimam nonam mensis iunii anni MCMLXVI, nempe usque ad festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli proximi anni.

Interea Summus Pontifex normas edet ad praedictas leges exsequendas.

† PERICLES FELICI
Archiepiscopus tit. Samosatensis
Ss. Concilii Secretarius Generalis

8

Patrum subsignationes

Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.

✠ Ego Eugenius ep. Ostiensis ac Portuensis et S. Rufinae card. Tisserant, Sacri Collegii Decanus.*
✠ Ego Ioseph ep. Albanensis card. Pizzardo.
✠ Ego Benedictus ep. Praenestinus card. Aloisi Masella.
✠ Ego Ferdinandus ep. Veliternus card. Cento.
✠ Ego Hamletus Ioannes ep. Tusculanus card. Cicognani.
✠ Ego Ioseph Antonius, ep. Sabinensis et Mandelensis card. Ferretto.
✠ Ego Ignatius Gabriel patr. Antiochenus Syrorum card. Tappouni.
✠ Ego Maximus IV patr. Antiochenus Melchitarum card. Saigh.
✠ Ego Paulus Petrus patr. Antiochenus Maronitarum card. Meouchi.
✠ Ego Stephanus I patr. Alexandrinus Coptorum card. Sidarouss.

---

* Quidam Patres suffragium dederunt, quin decreta Ss. Concilii subsignaverint.
In Concilio Oecumenico concessum est ut crucem suo nomini apponerent iis quoque Patribus Cardinalibus qui, etsi ordinis presbyteralis, episcopi tamen residentiales essent.

✠ Ego Emmanuel titulo SS. Petri et Marcellini presb. card. Gonçalves Cerejeira, patr. Lisbonensis.

✠ Ego Achilles titulo S. Sixti presb. card. Liénart, ep. Insulensis.

Ego Iacobus Aloisius titulo S. Laurentii in Damaso, presb. card. Copello.

Ego Gregorius Petrus titulo S. Bartholomaei in Insula presb. card. Agagianian.

✠ Ego Normannus Thomas titulo Quatuor Coronatorum presb. card. Gilroy, arch. Sydneyensis.

✠ Ego Franciscus titulo Ss. Ioannis et Pauli presb. card. Spellman, arch. Neo-Eboracensis.

✠ Ego Iacobus titulo Ss. Bonifacii et Alexii presb. card. de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluvii Ianuarii.

✠ Ego Ioseph titulo S. Ioannis ante Portam Latinam presb. card. Frings, arch. Coloniensis.

✠ Ego Ernestus titulo S. Sabinae presb. card. Ruffini, arch. Panormitanus.

✠ Ego Antonius titulo S. Laurentii in Panisperna presb. card. Caggiano, arch. Bonaerensis.

Ego Petrus titulo S. Laurentii in Lucina presb. card. Ciriaci.

✠ Ego Ioseph titulo S. Mariae de Victoria presb. card. Siri, arch. Ianuensis.

✠ Ego Iacobus titulo S. Mariae in Transpontina presb. card. Lercaro, arch. Bononiensis.

✠ Ego Stephanus titulo S. Mariae Trans Tiberim presb. card. Wyszyński, arch. Gnesnensis et Varsaviensis, primas Poloniae.

✠ Ego Beniamin titulo Ss. Vitalis, Valeriae, Gervasii et Protasii presb. card. de Arriba y Castro, arch. Tarraconensis.

✠ Ego Ferdinandus titulo S. Augustini presb. card. Quiroga y Palacios, arch. Compostellanus.

✠ Ego Paulus Aemilius titulo S. Mariae Angelorum in Thermis presb. card. Léger, arch. Marianopolitanus.

✠ Ego Valerianus titulo S. Mariae in Via Lata presb. card. Gracias, arch. Bombayensis.

✠ Ego Ioannes titulo S. Marci presb. card. Urbani, patr. Venetiarum.

Ego Paulus titulo S. Mariae in Vallicella presb. card. Giobbe.

✠ Ego Ioseph titulo S. Honophrii in Ianiculo presb. card. Garibi y Rivera, arch. Guadalajarensis.

✠ Ego Antonius M. titulo S. Chrysogoni presb. card. Barbieri, arch. Montisvidei.

Ego Carolus titulo S. Agnetis extra Moenia presb. card. Confalonieri.

✠ Ego Paulus titulo SS. Quirici et Iulittae presb. card. Richaud, arch. Burdigalensis.

✠ Ego Ioseph M. titulo SS. Viti, Modesti et Crescentiae presb. card. Bueno y Monreal, arch. Hispalensis.

✠ Ego Franciscus titulo S. Eusebii presb. card. König, arch. Vindobonensis.

✠ Ego Iulius titulo S. Mariae Scalaris presb. card. Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis.

Ego Paulus titulo S. Andreae Apostoli de Hortis presb. card. Marella.

Ego Gustavus titulo S. Hieronymi Illyricorum presb. card. Testa.

Ego Aloisius titulo S. Andreae de Valle presb. card. Traglia.

✠ Ego Petrus Tatsuo titulo S. Antonii Patavini de Urbe presb. card. Doi, arch. Tokiensis.

✠ Ego Ioseph titulo S. Ioannis Baptistae Florentinorum presb. card. Lefèbvre, arch. Bituricensis.

✠ Ego Bernardus titulo S. Ioachimi presb. card. Alfrink, arch. Ultraiectensis.

✠ Ego Rufinus titulo S. Mariae ad Montes presb. card. Santos, arch. Manilensis.

✠ Ego Laureanus titulo S. Francisci Assisiensis ad Ripam Maiorem, presb. card. Rugambwa, ep. Bukobaensis.

✠ Ego Ioseph titulo SS. Redemptoris et S. Alfonsi in Exquiliis presb. card. Ritter, arch. S. Ludovici.

✠ Ego Ioseph Humbertus titulo Ss. Andreae et Gregorii ad Clivum Scauri presb. card. Quintero, arch. Caracensis.

✠ Ego Aloisius titulo S. Mariae Novae presb. card. Concha, arch. Bogotensis.

Ego Ioseph titulo S. Priscae presb. card. da Costa Nuñes.

Ego Hildebrandus titulo S. Sebastiani ad Catacumbas presb. card. Antoniutti.

Ego Ephraem titulo S. Crucis in Hierusalem presb. card. Forni.

✠ Ego Ioannes titulo S. Mariae de Aracaeli presb. card. Landázuri Ricketts, arch. Limanus, primas Peruviae.

✠ Ego Radulfus titulo S. Bernardi ad Thermas presb. card. Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chile.

✠ Ego Leo Ioseph titulo S. Petri ad Vincula presb. card. Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

✠ Ego Ioseph titulo S. Athanasii presb. card. Slipyj, arch. Maior Leopolitanus Ucrainorum.

✠ Ego Laurentius titulo S. Leonis I presb. card. Jäger, arch. Paderbornensis.

✠ Ego Ioseph titulo S. Crucis in via Flaminia presb. card. Beran, arch. Pragensis.

✠ Ego Mauritius titulo B.M.V. Ss.mi Sacramenti et Protomartyrum Canadensium presb. card. Roy, arch. Quebecensis, primas Canadiae.

✠ Ego Ioseph M. titulo S. Theresiae ad Cursum Italiae presb. card. Martin, arch. Rothomagensis.

✠ Ego Audoenus titulo S. Praxedis presb. card. McCann, arch. Capetownensis.

✠ Ego Leo Stephanus titulo S. Balbinae presb. card. Duval, arch. Algeriensis.

✠ Ego Hermenegildus titulo Reginae Apostolorum presb. card. Florit, arch. Florentinus.

✠ Ego Franciscus titulo Ss. Petri et Pauli in via Ostiensi presb. card. Šeper, arch. Zagabriensis.

✠ Ego Ioannes titulo S. Silvestri in Capite presb. card. Heenan, arch. Vestmonasteriensis, primas Angliae.

✠ Ego Ioannes titulo Ss.mae Trinitatis in Monte Pincio presb. card. Villot, arch. Lugdunensis et Viennensis, primas Galliae.

✠ Ego Paulus titulo S. Camilli de Lellis ad Hortos Sallustianos presb. card. Zoungrana, arch. Uagaduguensis.

✠ Ego Laurentius titulo S. Clementis presb. card. Shehan, arch. Baltimorensis.

Ego Henricus titulo S. Agathae Gothorum presb. card. Dante.

Ego Caesar titulo D.nae N.ae a S. Corde in Circo Agonali presb. card. Zerba.

✠ Ego Agnellus titulo Praeclarae Matris Dei presb. card. Rossi, arch. S. Pauli in Brasilia.
✠ Ego Ioannes titulo Ss. Silvestri et Martini in Montibus presb. card. Colombo, arch. Mediolanensis.
✠ Ego Villelmus titulo S. Patricii ad Villam Ludovisi presb. card. Conway, arch. Armachanus, primas Hiberniae.
✠ Ego Angelus titulo Ss.mi Cordis B. Mariae Virginis ad Forum Euclidis presb. card. Herrera y Oria, ep. Malcitanus.
Ego Franciscus S. Mariae in Cosmedin diac. card. Roberti.
Ego Arcadius Ss. Blasii et Caroli ad Catenarios diac. card. Larraona.
Ego Franciscus Ss. Cosmae et Damiani diac. card. Morano.
Ego Villelmus Theodorus S. Theodori in Palatio diac. card. Heard.
Ego Augustinus S. Sabae diac. card. Bea.
Ego Frater Michael S. Pauli Apostoli in Arenula diac. card. Browne.
Ego Ioachim Anselmus S. Apollinaris diac. card. Albareda.
Ego Fredericus S. Ioannis Bosco in via Tusculana diac. card. Callori di Vignale.
Ego Ioseph S. Michaelis Archangeli de Petralata diac. card. Cardijn.
Ego Carolus S. Mariae in Portico diac. card. Journet.
✠ Ego Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus Latinorum.
✠ Ego Ignatius Petrus XVI Batanian. patr. Ciliciae Armenorum.
✠ Ego Ioseph Vieira Alvernaz, patr. Indiarum Orientalium.
✠ Ego Ioannes Carolus McQuaid, arch. Dublinensis, primas Hiberniae.
✠ Ego Andreas Rohracher, arch. Salisburgensis, primas Germaniae.
✠ Ego Demetrius Moscato, arch. primas Salernitanus et administrator perpetuus Acernensis.
✠ Ego Hugo Camozzo, arch. Pisanus et primas Sardiniae et Corsicae.
✠ Ego Paulus Gouyon, arch. Rhedonensis, primas Britanniae.
✠ Ego Alexander Tokić, arch. Antibarensis et primas Serbiae.
✠ Ego Michael Darius Miranda y Gómez, arch. Mexicanus, primas Mexici.
✠ Ego Franciscus M. da Silva, arch. Bracharensis, primas Hispaniarum.
✠ Ego Ernestus Senna de Oliveira, arch. ep. Conimbricensis.
✠ Ego Andreas Cesarano, arch. Sipontinus.
✠ Ego Aloisius Centoz, arch. tit. Edessenus in Osrhoëne.
✠ Ego Antonius Abed, arch. Tripolitanus Maronitarum.
✠ Ego Ioseph Attipetty, arch. Verapolitanus.
✠ Ego Nicolaus Fasolino, arch. S. Fidei in Argentina.
✠ Ego Antonius Riberi, arch. tit. Darensis.
✠ Ego Ioannes Georgius Stété, arch. Damascenus Syrorum.
✠ Ego Fredericus Eduardus Camillus Lamy, arch. tit. Byziensis.
✠ Ego Aloisius M. Altamirano y Buines, arch. Moreliensis.
✠ Ego Iustinus Daniel Simonds, arch. Melbournensis.
✠ Ego Floridus Ambrosius Acciari, arch. Rhodiensis.
✠ Ego Thomas Roberts, arch. tit. Sugdaeus.
✠ Ego Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensis.
✠ Ego Aloisius Chávez y González, arch. S. Salvatoris in America.
✠ Ego Alfredus Silva Santiago, arch. tit. Petrensis in Palaestina.
✠ Ego Matthaeus Beovich, arch. Adelaidensis.
✠ Ego Ioseph Walsh, arch. Tuamensis.

✠ Ego Nersès Tayroyan, arch. Babylonensis Armenorum.
✠ Ego Moises Alves de Pinho, arch. Luandensis.
✠ Ego Robertus Emmet Lucey, arch. S. Antonii.
✠ Ego Georgius Cabana, arch. Sherbrookensis.
✠ Ego Ioseph Ignatius Lopez Umaña, arch. Carthaginensis in Colombia.
✠ Ego Norbertus Perini, arch. Firmanus.
✠ Ego Norbertus Robichaud, arch. Monctonensis.
✠ Ego Fortinus Gómez León, arch. Antequerensis.
✠ Ego Franciscus Ayoub, arch. Aleppensis Maronitarum.
✠ Ego Abel Isidorus Antezana y Rojas, arch. Pacensis in Bolivia.
✠ Ego Michael Gonzi, arch. Melitensis.
✠ Ego Marcellinus Olaechea Loizaga, arch. Valentinus.
✠ Ego Humbertus Malchiodi, arch.-ep. Placentinus.
✠ Ego Ioseph Antonius O'Sullivan, arch. Kingstoniensis.
✠ Ego Ioseph Cheikho, arch. Sehnaensis Chaldaeorum.
✠ Ego Carolus Albertus Ferrero di Cavallerleone, arch. tit. Trapezuntinus.
✠ Ego Carolus de Provenchères, arch. Aquensis in Gallia.
✠ Ego Ioseph D'Avack, arch. tit. Leontopolitanus in Pamphylia.
✠ Ego Theodorus Labrador, arch. Fucheuvensis.
✠ Ego Petronius Lacchio, arch. Ciamsciavensis.
✠ Ego Fredericus Melendro, arch. Nganchimensis.
✠ Ego Pacificus Vanni, arch. tit. Proconnesius.
✠ Ego Paulus Yü Pin, arch. Nanchimensis.
✠ Ego Aloisius Morel, arch. tit. Aeniensis.
✠ Ego Dominicus Lucas Capozi, arch. Taeiuenensis.
✠ Ego Alexander Derouineau, arch. Coenmimensis.
✠ Ego Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum.
✠ Ego Leonardus Rodriguez Ballón, arch. Arequipensis.
✠ Ego Ioseph Burzio, arch. tit. Gortyniensis.
✠ Ego Paulus Schulte, arch. Indianopolitanus.
✠ Ego Caietanus Pollio, arch. Hydruntinus.
✠ Ego Alfredus Vincentius Scherer, arch. Portalegrensis in Brasilia.
✠ Ego Gabriel Garrone, arch. Tolosanus.
✠ Ego Antonius Taffi, arch. tit. Sergiopolitanus.
✠ Ego Antonius Gregorius Vuccino, arch. tit. Aprensis.
✠ Ego Sebastianus Fraghi, arch. Arborensis.
✠ Ego Laurentius Gargiulo, arch. tit. Germensis in Hellesponto.
✠ Ego Ludovicus M. Ferdinandus de Bazelaire de Ruppière, arch. Chamberiensis.
✠ Ego Reginaldus Ioseph M. Addazzi, arch. Tranensis et Barolensis.
✠ Ego Michael O'Neill, arch. Reginatensis.
✠ Ego Geraldus Thomas Bergan, arch. Omahensis.
✠ Ego Patricius M. O'Donnell, arch. Brisbanensis.
✠ Ego Iacobus Cornelius van Miltenburg, arch.-ep. Hyderabadensis in Pakistan.
✠ Ego Robertus Ronca, arch. tit. Naupactensis.
✠ Ego Raphael Mario Radossi, arch. Spoletanus.
✠ Ego Ioannes B. Bosio, arch. Theatinus.
✠ Ego Philippus Nabaa, arch. Berytanus et Gibailensis Melkitarum.

✠ Ego Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia.
✠ Ego Vido Aloisius Bentivoglio, arch. Catanensis.
✠ Ego Aegidius Vagnozzi, arch. tit. Myrensis.
✠ Ego Isaac Ghattas, arch.-ep. Thebanus.
✠ Ego Leo Binz, arch. S. Pauli de Minnesota.
✠ Ego Paulus Botto, arch. Calaritanus.
✠ Ego Iulius Rosales, arch. Cebuanus.
✠ Ego Petrus Sigismondi, arch. tit. Neapolitanus in Pisidia.
✠ Ego Paulus Noussier, arch. Hermopolitanus.
✠ Ego Carolus Heerey, arch. Onitshaensis.
✠ Ego Raphael Calabrìa, arch. Beneventanus.
✠ Ego Armandus Fares, arch. Catacensis et ep. Squillacensis.
✠ Ego Constantinus Stella, arch. Aquilanus.
✠ Ego Vido Tonetti, arch.-ep. Cuneensis.
✠ Ego Ioannes Ferro, arch. Rheginensis.
✠ Ego Augustus Bertazzoni, arch.-ep. Potentinus et Marsicensis.
✠ Ego Ludovicus Alonso Muñoyerro, arch. tit. Sionensis.
✠ Ego Octavianus Márquez Tóriz, arch. Angelorum.
✠ Ego Sergius Pignedoli, arch. tit. Iconiensis.
✠ Ego Dionysius Eugenius Hurley, arch. Durbanianus.
✠ Ego Eris Michael O'Brien, arch. Camberrensis et Gulburnensis.
✠ Ego Ioannes Colburn Garner, arch. Praetoriensis.
✠ Ego Iacobus Thomas Gibbons Hayes, arch. Cagayanus.
✠ Ego Franciscus Carpino, arch. tit. Serdicensis.
✠ Ego Patricius Iacobus Skinner, arch. S. Ioannis Terrae Novae.
✠ Ego Ioseph Alexander Fernandes, arch. Dehliensis.
✠ Ego Alfonsus Espino y Silva, arch. Monterreyensis.
✠ Ego Iacobus Thomas Hayes, arch. Cagayanus.
✠ Ego Gordon Ioseph Gray, arch. S. Andreae et Edimburgensis.
✠ Ego Ioseph M. Cuenco, arch. Jacensis.
✠ Ego Emmanuel Pius López Estrada, arch. Jalapensis.
✠ Ego Zaya Dachtou, arch. Urmiensis.
✠ Ego Philippus Franciscus Pocock, arch. tit. Isauropolitanus.
✠ Ego Hugo Bressane de Araújo, arch.-ep. Mariliensis.
✠ Ego Ioseph Medeiros Delgado, arch. Fortalexiensis.
✠ Ego Ioseph Clemens Maurer, arch. Sucrensis.
✠ Ego Ianuarius Verolino, arch. tit. Corinthiensis.
✠ Ego Antonius de Almeida Moraes, arch. Nictheroyensis.
✠ Ego Hilarius Alcini, arch. tit. Nicaenus.
✠ Ego Thomas Arturus Connolly, arch. Seattlensis.
✠ Ego Albertus Gaudentius Ramos, arch. Belemensis de Pará.
✠ Ego Ioannes Dadone, arch.-ep. Fossanensis.
✠ Ego Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii.
✠ Ego Paulus Bertoli, arch. tit. Nicomediensis.
✠ Ego Ioseph Bartholomaeus Evangelisti, arch.-ep. Meerutensis.
✠ Ego Ioseph Kuo, arch. tit. Salaminensis.
✠ Ego Eduardus Ioseph Hunkeler, arch. Kansanopolitanus in Kansas.
✠ Ego Henricus Nicodemo, arch. Barensis.

✠ Ego Thomas Aloisius Boland, arch. Novarcensis.
✠ Ego Caelestinus Ioseph Damiano, arch.-ep. Camdensis.
✠ Ego Anacletus Cazzaniga, arch. Urbinatensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph McCarthy, arch. Nairobiensis.
✠ Ego Edgardus Aristides Maranta, arch. Daressalaamensis.
✠ Ego Aloisius Ioseph Cabana, arch. tit. Caralliensis.
✠ Ego Hector Cunial, arch. tit. Soteropolitanus.
✠ Ego Ioannes Bučko, arch. tit. Leucadensis.
✠ Ego Sebastianus Baggio, arch. tit. Ephesinus.
✠ Ego Michael Olçomendy, arch. Malacensis-Singaporensis.
✠ Ego Ioseph Marcus Gopu, arch. Hyderabadensis.
✠ Ego Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis.
✠ Ego Nicolaus Margiotta, arch. Brundusinus.
✠ Ego Raphael Garcia y Garcia de Castro, arch. Granatensis.
✠ Ego Ioseph Lemieux, arch. Ottaviensis.
✠ Ego Ambrosius Rayappan, arch. Pondicheriensis et Cuddalorensis.
✠ Ego Ioseph Garcia y Goldaraz, arch. Vallisoletanus.
✠ Ego Ioannes Petrus Leonard, arch. Maduraiensis.
✠ Ego Romulus Carboni, arch. tit. Sidoniensis.
✠ Ego Opilius Rossi, arch. tit. Ancyranus.
✠ Ego Henricus Pintonello, arch. tit. Theodosiopolitanus in Arcadia.
✠ Ego Ioseph de Almeida Batista, arch. Brasiliapolitanus.
✠ Ego Athanasius Ioannes Daniel Bakose, arch. Babylonensis Syrorum.
✠ Ego Aloisius Raimondi, arch. tit. Tarsensis.
✠ Ego Henricus Audrain, arch. Auxitanus.
✠ Ego Marcellus M. Dubois, arch. Bisuntinus.
✠ Ego Dominicus Picchinenna, arch. Cosentinus.
✠ Ego Iacobus Palombella, arch. Materanensis.
✠ Ego Villelmus Patricius Whelan, arch. Bloemfonteinensis.
✠ Ego Elias Zoghby, arch. tit. Nubiensis.
✠ Ego Gregorius B. Varghese Thangalathil, arch. Trivandrum Syrorum Malankarensium.
✠ Ego Natalis Mosconi, arch. Ferrariensis.
✠ Ego Martinus Michael Johnson, arch. Vancouveriensis.
✠ Ego Aloisius Punzolo, arch. tit. Sebastenus in Armenia.
✠ Ego Elias Farah, arch. Cyprensis Maronitarum.
✠ Ego Guilfordus Clyde Young, arch. Hobartensis.
✠ Ego Ioseph Strebler, arch. tit. Nicopolitanus in Epiro.
✠ Ego Aemilius Socquet, arch. tit. Selimbrianus.
✠ Ego Victor Sartre, arch. tit. Beroensis.
✠ Ego Ioseph Coucherousset, arch. Banguensis.
✠ Ego Helder Pessâo Câmara, arch. Olindensis et Recifensis.
✠ Ego Arturus Mery Beckdorf, arch. tit. Phasianus.
✠ Ego Antonius Jordan, arch. Edmontonensis.
✠ Ego Ioseph Schneider, arch. Bambergensis.
✠ Ego Adelmus Machado Cavalcanti, arch. Macejensis.
✠ Ego Franciscus Poirier, arch. Portus Principis.
✠ Ego Renatus Graffin, arch. tit. Misthiensis.

✠ Ego Ioannes Wolff, arch. de Diego Suarez.
✠ Ego Felicissimus Stephanus Tinivella, arch. tit. Uthinensis.
✠ Ego Xaverius Ferdinandus Thoyer, arch. tit. Odessitanus.
✠ Ego Petrus Leclerc, arch.-ep. Seguensis.
✠ Ego Michael Bernard, arch. tit. Arensis in Mauritania.
✠ Ego Petrus Parente, arch. tit. Ptolemaidensis in Thebaide.
✠ Ego Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis.
✠ Ego Casimirus Morcillo Gonzalez, arch. Matritensis-Complutensis.
✠ Ego Evasius Colli, arch.-ep. Parmensis.
✠ Ego Ioannes B. Bong-kii-Sye, arch. Taegu.
✠ Ego Avelar Brandâo Vilela, arch. Teresianus.
✠ Ego Gerardus de Milleville, arch. tit. Gabalensis.
✠ Ego Antonius Ioseph Plaza, arch. Platensis.
✠ Ego Caesar Antonius Mosquera Corral, arch. Guayaquilensis.
✠ Ego Ioseph Zaffonato, arch. Utinensis.
✠ Ego Dominicus Romualdus Basilius Athaide, arch. Agraensis.
✠ Ego Emmanuel Dos Santos Rocha, arch. tit. Mitylenensis.
✠ Ego Ludovicus Ferrand, arch. Turonensis.
✠ Ego Ioseph Parecattil, arch. Ernakulamensis.
✠ Ego Primus Principi, arch. tit. Tyanensis.
✠ Ego Ismael Marius Castellano, arch. Senensis.
✠ Ego Henricus Delgado y Gómez, arch. Pampilonensis.
✠ Ego Marcus Armandus Lallier, arch. Massiliensis.
✠ Ego Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis Ucrainorum.
✠ Ego Franciscus Aldegunde Dorrego, arch. Tingitanus.
✠ Ego Carolus M. Jurgens Byrne, arch. Cuschensis.
✠ Ego Orlandus Chavez, arch. Cuiabaensis.
✠ Ego Ioseph Amici, arch. Mutinensis.
✠ Ego Villelmus Bolatti, arch.-ep. Rosariensis.
✠ Ego Ferdinandus Gomes dos Santos, arch. Goianiensis.
✠ Ego Aurelius Signora, arch. tit. Nicosiensis.
✠ Ego Germinianus Esorto, arch. Sinus Albi.
✠ Ego Tullius Botero Salazar, arch. Medellensis.
✠ Ego Ioannes de Sousa Lima, arch. Manaensis.
✠ Ego Felix Cesar da Cunha Vasconcelos, arch. Rivi Nigri.
✠ Ego Ioannes Carolus Aramburu, arch. Tucumanensis.
✠ Ego Emmanuel a Jesu Serrano Abad, arch. Conchensis in Aequatore.
✠ Ego Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis.
✠ Ego Raphael Rabban, arch. Cherchensis.
✠ Ego Paulus Dalmais, arch. Arcis Lamy.
✠ Ego Ioannes Rezende Costa, arch. tit. Martyropolitanus.
✠ Ego Antonius M. Alvez de Siqueira, arch. tit. Chalcidensis in Syria.
✠ Ego Henricus Hector Golland Trindade, arch. Botucatuensis.
✠ Ego Aloisius del Rosario, arch. Zamboangensis.
✠ Ego Ioannes B. da Mota e Albuquerque, arch. Victoriensis Spiritus S.
✠ Ego Theophilus Camomot Bastide, arch. tit. Marcianopolitanus.
✠ Ego Hermannus Schäufele, arch. Friburgensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph Bernal Ortiz, arch. Tequinensis.

✠ Ego Ioannes Hieronymus Adam, arch. Liberopolitanus.
✠ Ego Carolus Grano, arch. tit. Thessalonicensis.
✠ Ego Angelus Dell'Acqua, arch. tit. Chalcedonensis.
✠ Ego Ioannes Franciscus Dearden, arch. Detroitensis.
✠ Ego Villelmus Cousins, arch. Milwaukiensis.
✠ Ego Benedictus Falcucci, arch. tit. Preslavensis.
✠ Ego Ansgarius de Oliveira, arch. Marianensis.
✠ Ego Aemilius Tagle Covarrubias, arch.-ep. Vallis Paradisi.
✠ Ego Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis.
✠ Ego Ioannes B. Theunissen, arch. Blantyrensis.
✠ Ego Benedictus Printesis, arch. Atheniensis.
✠ Ego Dionysius Antonius Hayek, arch. Aleppensis Syrorum.
✠ Ego Angelus Fernandes, arch. tit. Neopatrensis.
✠ Ego Arturus Duque Villegas, arch. Manizalensis.
✠ Ego Ioannes McCarty, arch. Kadunaensis.
✠ Ego Theopistus Alberto y Valderrama, arch. Cácerensis.
✠ Ego Hannibal Muñoz Duque, arch. Neo-Pampilonensis.
✠ Ego Gasto Mojaisky-Perrelli, arch.-ep. Nuscanus.
✠ Ego Georgius Layek, arch. Aleppensis Armenorum.
✠ Ego Ioseph Tawil, arch. tit. Myrensis Melchitarum.
✠ Ego Martinus Ioannes O'Connor, arch. tit. Laodicenus in Syria.
✠ Ego Bernardus Mels, arch. Luluaburgensis.
✠ Ego Franciscus Marty, arch. Remensis.
✠ Ego Raphael Baratta, arch. Perusinus.
✠ Ego Ioannes Kodwo Amissah, arch. Litoris Capitis.
✠ Ego Felix Scalais, arch. tit. Aquensis in Numidia.
✠ Ego Andreas Perraudin, arch. Kabgayensis.
✠ Ego Ioseph Khoury, arch. Tyrensis Maronitarum.
✠ Ego Ioseph Floribertus Cornelis, arch. Elisabethapolitanus.
✠ Ego Secundus Garcia de Sierra y Mendez, arch. Burgensis.
✠ Ego Cyrillus Emmanuel Benni, arch. Mausiliensis Syrorum.
✠ Ego Thomas Morris, arch. Casheliensis.
✠ Ego Petrus Sfair, arch. tit. Nisibenus.
✠ Ego Hieronymus Rakotomalala, arch. Tananarivensis.
✠ Ego Bernardus Yago, arch. Abidjanensis.
✠ Ego Iacobus Petrus Davis, arch. S. Fidei in America Septemtrionali.
✠ Ego Ioseph Vincentius Távora, arch. Aracajuensis.
✠ Ego Carolus Humbertus Rodriguez-Quirós, arch. S. Ioseph in Costarica.
✠ Ego Aemilius Arsenius Blanchet, arch. tit. Philippopolitanus in Thracia.
✠ Ego Marcus Mihayo, arch. Taboraensis.
✠ Ego Michael Paternain, arch. tit. Achridensis.
✠ Ego Dinus Staffa, arch. tit. Caesariensis in Palaestina.
✠ Ego Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis.
✠ Ego Ioseph McGeough, arch. tit. Hemesenus.
✠ Ego Ioannes Perris, arch. Naxiensis.
✠ Ego Marcus Alaupović, arch. Serajensis (Vrhbosnensis).
✠ Ego Petrus Martinus Ngo-dinh-Thuc, arch. Hueensis.
✠ Ego Paulus Nguyen Van Binh, arch. Saigonensis.

✠ Ego Ioannes B. Urrutia, arch. tit. Carpathiensis.
✠ Ego Gerardus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus.
✠ Ego Matthaeus Garković, arch. Jadrensis.
✠ Ego Nicolaus Schneiders, arch. Makassarensis.
✠ Ego Pius Kerketta, arch. Ranchiensis.
✠ Ego Georgius Flahiff, arch. Vinnipegensis.
✠ Ego Emmanuel Mabathoana, arch. Maseruensis.
✠ Ego Hadrianus Djajasepoetra, arch. Djakartensis.
✠ Ego Antonius Henricus van den Hurk, arch. Medanensis.
✠ Ego Herculanus van der Burgt, arch. Pontianakensis.
✠ Ego Ioseph Raphael Pulido Mendez, arch. tit. Cyrrhensis.
✠ Ego Albertus Castelli, arch. tit. Rhusiensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum.
✠ Ego Asrate M. Yemmeru, arch. Neanthopolitanus.
✠ Ego Gabriel Bukatko, arch. Beogradensis.
✠ Ego Franciscus Vicentin, arch. Corrientensis.
✠ Ego Conradus Mingo, arch. Montis Regalis.
✠ Ego Alfonsus M. Buteler, arch. Mendozensis.
✠ Ego Veuillot, arch. tit. Constantiensis in Thracia.
✠ Ego Ioannes Patricius Cody, arch. Novae Aureliae.
✠ Ego Ambrosius Senyshyn, arch. Philadelphiensis Ucrainorum.
✠ Ego Ioannes Murphy, arch. Cardiffensis.
✠ Ego Paulus Achkar, arch. Laodicensis Melchitarum.
✠ Ego Ioannes Zoa, arch. Yaundensis.
✠ Ego Ambrosius Marchioni, arch. tit. Severianensis.
✠ Ego Marius Brini, arch. tit. Algizensis.
✠ Ego Ioannes Aloisius Marinoni, arch. tit. Amorianus.
✠ Ego Raimundus M. Tchidimbo, arch. Konakriensis.
✠ Ego Cornelius Rocco, arch. tit. Iustinianopolis in Galatia.
✠ Ego Xaverius Zupi, arch. tit. Serrensis in Proconsulari.
✠ Ego Aloisius Dadaglia, arch. tit. Leriensis.
✠ Ego Felix Pirozzi, arch. tit. Gratianensis.
✠ Ego Aemilius De Brigard Ortiz, arch. tit. Dystiensis.
✠ Ego Antonius Pinci, arch. tit. Tarasensis in Numidia.
✠ Ego Conradus Ursi, arch. Acheruntinus.
✠ Ego Emmanuel Nuñes Gabriel, arch. tit. Methymnaeus.
✠ Ego Haroldus Henry, arch. Kwangiuensis.
✠ Ego Boleslaus Kominek, arch. tit. Euchaitenus.
✠ Ego Claudius Dupuy, arch. Albiensis.
✠ Ego Neophytus Edelby, arch. tit. Edessenus in Osrhoene.
✠ Ego Antonius Lopez Aviña, arch. Durangensis.
✠ Ego Ioannes Bassoul, arch. Emesenus Melchitarum.
✠ Ego Hyacinthus Thiandoum, arch. Dakarensis.
✠ Ego Paulus Hallinan, arch. Atlantensis.
✠ Ego Robertus Dosseh, arch. Lomensis.
✠ Ego Paulus Carta, arch. Turritanus.
✠ Ego Gilbertus Ramantoanina, arch. Fianarantsoaensis.
✠ Ego Villemus Motolese, arch. Tarentinus.

✠ Ego Ioseph Thomas McGucken, arch. S. Francisci in California.
✠ Ego Iacobus Ioseph Byrne, arch. Dubuquensis.
✠ Ego Paulus Kinam Ro, arch. Seulensis.
✠ Ego Ioannes B. Sye Bong-kil, arch. Taeguensis.
✠ Ego Lucas Augustus Sangaré, arch. Bamakoensis.
✠ Ego Andreas Pangrazio, arch. Goritiensis et Gradiscanus.
✠ Ego Alexander Gonçalves do Amaral, arch. Uberabensis.
✠ Ego Ioseph D'Angelo Neto, arch. de Pouso Alegre.
✠ Ego Geraldus M. de Morais Penido, arch. Judiciforensis.
✠ Ego Hector Henricus Santos Hernàndez, arch. Tegucigalpensis.
✠ Ego Thomas Leonetti, arch. Capuanus.
✠ Ego Antonius Varthalitis, arch. Corcyrensis, Zacynthiensis et Cephaloniensis.
✠ Ego Custodius Alvim Pereira, arch. de Lourenço Marques.
✠ Ego Adolfus Servandus Tortolo, arch. Paranensis.
✠ Ego Albertus Vincentius D'Souza, arch. Calcuttensis.
✠ Ego Pacificus M. Aloisius Perantoni, arch. Lancianensis.
✠ Ego Paulus Philippe, arch. tit. Heracleopolitanus.
✠ Ego Petrus Palazzini, arch. tit. Caesariensis in Cappadocia.
✠ Ego Ioannes Iulianus Weber, arch.-ep. Argentoratensis.
✠ Ego Renatus Ludovicus M. Stourm, arch. Senonensis.
✠ Ego Alexander B. Gottardi, arch. Tridentinus.
✠ Ego Albertus Rencoret Donoso, arch. Portus Montt.
✠ Ego Emmanuel Sanchez Beguiristain, arch. Ss. Conceptionis.
✠ Ego Franciscus Fasola, arch. Messanensis.
✠ Ego Ioseph Schiavini, arch. tit. Famagustanus.
✠ Ego Clemens Ignatius Mansourati, arch. tit. Apamenus in Syria.
✠ Ego Antonius Santin, arch. Tergestinus et Iustinopolitanus.
✠ Ego Flavianus Zaccharias Melki, arch. tit. Amidenus.
✠ Ego Clemens Gaddi, arch. ep. Bergomensis.
✠ Ego Marius Casariego, arch. tit. Pergensis.
✠ Ego Michael Federici, arch. S. Severinae.
✠ Ego Ioannes Navarrete y Guerrero, arch. Hermosillensis.
✠ Ego Hyginus Cardinale, arch. tit. Neptensis.
✠ Ego Carolus Maccari, arch. Montis Regalis in Pedemontio.
✠ Ego Ioseph Bonfiglioli, arch. tit. Darnitanus.
✠ Ego Iustinus Darmajuwana, arch. Semarangensis.
✠ Ego Carolus Marianus Perez Estava, arch. Saltensis.
✠ Ego Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis.
✠ Ego Leonardus Ioseph Raymond, arch. Nagpurensis.
✠ Ego Georgius Andreas Beck, arch. Liverpolitanus.
✠ Ego Iacobus Donaldus Scanlan, arch. Glasguensis.
✠ Ego Bruno Frattegiani, arch. Camarinensis.
✠ Ego Ioseph Pogačnik, arch. Labacensis.
✠ Ego Thomas Albertus Clavel Méndez, arch. Panamensis.
✠ Ego Ludovicus Levesque, arch. tit. Egnatiensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph da Mota e Albuquerque, arch. S. Ludovici in Marignano.
✠ Ego Andreas Pallier, arch. tit. Marcellianensis.
✠ Ego Petrus Cantero Cuadrado, arch. Caesaraugustanus.

✠ Ego Angelus M. Ocampo Berrio, arch. Tunquensis.
✠ Ego Iacobus Villelmus Gleeson, arch. tit. Aurusulianensis.
✠ Ego Petrus Wijnants, arch. Coquilhatvillensis.
✠ Ego Ioseph Malula, arch. Leopoldpolitanus.
✠ Ego Aloisius Mena Arroyo, arch. tit. Sinitensis.
✠ Ego Philippus Nguyen Kim Dien, arch. tit. Parianus.
✠ Ego Ludovicus Bellotti, arch. tit. Voncarianensis.
✠ Ego Duraisamy Simon Lourdusamy, arch. tit. Philippensis.
✠ Ego Radulfus Franciscus Primatesta, arch. Cordubensis in Argentina.
✠ Ego Aloisius Poggi, arch. tit. Forontonianensis.
✠ Ego Henricus Jenny, arch. tit. Salditanus.
✠ Ego Emmanuel Martin del Campo Padilla, arch. tit. Vadesitanus.
✠ Ego Aurelius Sabbatini, arch. tit. Iustinianensis.
✠ Ego Alfonsus Niehues, arch. tit. Aptucensis.
✠ Ego Georgius Patricius Dwyer, arch. Birminghamiensis.
✠ Ego Michael Pelegrino, arch. Taurinensis.
✠ Ego Georgius Haddad, arch. Tyrensis Melchitarum.
✠ Ego Augustinus Sépinski, arch. tit. Assuritanus.
✠ Ego Alfredus Poledrini, arch. tit. el. Vazaritanus.

✠ Ego Ludovicus de Cooman, ep. tit. Taciamontanensis.
✠ Ego Franciscus M. Franco, ep. tit. Iliensis.
✠ Ego Ioannes Mele, ep. Lungrensis.
✠ Ego Fidelis Garcia Martinez, ep. tit. Sululitanus.
✠ Ego Ioannes Smit, ep. tit. Paraliensis.
✠ Ego Ioannes M. Jan, ep. tit. Edistianensis.
✠ Ego Michael Angelus Boiles, ep. S. Rosae de Osos.
✠ Ego Carolus Vanuytven, ep. tit. Megarensis.
✠ Ego Ioachim Eftimios, ep. Mariamnensis.
✠ Ego Boleslaus Sloskans, ep. tit. Cillitanus.
✠ Ego Cyrillus Kurteff, ep. tit. Briulitanus.
✠ Ego Hadrianus Larribeau, ep. tit. Thinitanus.
✠ Ego Hector Catry, ep. tit. Simtensis.
✠ Ego Ioseph Placidus M. Nicolini, ep. Assisiensis.
✠ Ego Paulus Molin, ep. tit. Garbensis.
✠ Ego Caietanus Mignani, ep. Chinganensis.
✠ Ego Stephanus Hàsz, ep. tit. Surenus.
✠ Ego Villelmus Bouter, ep. Nellorensis.
✠ Ego Iacobus Patritius O'Collins, ep. Ballaratensis.
✠ Ego Thomas Wade, ep. tit. Barbalissenus.
✠ Ego Dominicus Petroni, ep. Melphiensis et Rapollensis
✠ Ego Ioannes Pirastru, ep. Ecclesiensis.
✠ Ego Ioseph Aldaeus Desmarais, ep. Amosensis.
✠ Ego Matthias Solá y Farrell, ep. tit. Colophoniensis.
✠ Ego Aloisius Guizar Barragán, ep. Saltillensis.
✠ Ego Theodorus Eugenin, ep. tit. Hierissensis.
✠ Ego Thomas Gorman, ep. Dallesensis-Arcis Vorthensis.
✠ Ego Aemilius Sosa Gaona, ep. tit. Sergentzensis.

✠ Ego Patricius Ioseph Farrelly, ep. Lismorensis.
✠ Ego Augustinus Rodriguez, ep. Villaricensis.
✠ Ego Ioseph Franciolini, ep. Cortonensis.
✠ Ego Franciscus Niccoli, ep. Collensis.
✠ Ego Stanislaus Amilcarus Battistelli, ep. Teramensis et Atriensis.
✠ Ego Iacobus Mangers, ep. Osloensis.
✠ Ego Ioseph Rancans, ep. tit. Marcopolitanus.
✠ Ego Ioseph Cognata, ep. tit. Pharsalius.
✠ Ego Ioseph Bonhomme, ep. tit. Tulanensis.
✠ Ego Ioseph Trudel, ep. tit. Nobensis.
✠ Ego Edgarus Antonius Häring, ep. Scioceuvensis.
✠ Ego Franciscus Venantius Filippini, ep. tit. Thinisensis in Numidia.
✠ Ego Leo Radulfus Hayes, ep. Davenportensis.
✠ Ego Faustinus Baldini, ep. Massanus.
✠ Ego Ioachim Amman, ep. tit. Petnellissensis.
✠ Ego Villelmus Cobben, ep. Helsinskiensis.
✠ Ego Christophorus Arduinus Terzi, ep. tit. Diocletianensis.
✠ Ego Oscar Sevrin, ep. tit. Mossinensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Lacoursière, ep. tit. Amadassenus.
✠ Ego Camillus Verfaillie, ep. tit. Oeensis.
✠ Ego Alexander Roy, ep. tit. Ambiensis.
✠ Ego Nicolaus Laudadio, ep. tit. Alamiliarensis.
✠ Ego Cuthbertus Martinus O'Gara, ep. Iuenlimensis.
✠ Ego Paulus Bouque, ep. tit. Abbiritanus Germaniciana.
✠ Ego Stephanus Ferrando, ep. Shillongensis.
✠ Ego Leo Angelus Olano y Urteaga, ep. tit. Laginensis.
✠ Ego Ferdinandus Longinotti, ep. S. Severini.
✠ Ego Franciscus Aemilius M. Cléret de Langavant, ep. tit. Mactaritanus.
✠ Ego Tarcisius van Valenberg, ep. tit. Combensis.
✠ Ego Assuerus Theophanus Bassi, ep. Loiamensis.
✠ Ego Victor Burić, ep. Seniensis.
✠ Ego Philippus Côté, ep. Siuceuvensis.
✠ Ego Sanctes Moro Briz, ep. Abulensis.
✠ Ego Georgius Leo Leech, ep. Harrisburgensis.
✠ Ego Achilles Salvucci, ep. Melphictensis, Iuvenacensis et Terlitiensis.
✠ Ego Ludovicus de Courrèges d'Ustou, ep. Montis Albani.
✠ Ego Angelus Ioseph Jelmini, ep. tit. Thermensis.
✠ Ego Albertus M. Guiot, ep. Portus Pacis.
✠ Ego Paulus Samson Ioannes M. Robert, ep. Gonayvesensis.
✠ Ego Emmanuel Moll y Salord, ep. Dertosensis.
✠ Ego Candidus Bampi, ep. tit. Tloensis.
✠ Ego Vincentius Dereere, ep. Trivandrensis Latinorum.
✠ Ego Antonius Pildáin y Zapiáin, ep. Canariensis.
✠ Ego Franciscus Marchesani, ep. Clavarensis.
✠ Ego Stephanus Woznicki, ep. Saginavensis.
✠ Ego Blasius Budelacci, ep. tit. Nyssenus.
✠ Ego Alfredus Viola, ep. Saltensis in Uruguay.
✠ Ego Angelus Calabretta, ep. Netensis.

✠ Ego Ioannes Ioseph Villipelet, ep. Nannetensis.
✠ Ego Simon Conradus Landersdorfer, ep. Passaviensis.
✠ Ego Franciscus von Streng, ep. Basileensis et Luganensis.
✠ Ego Laurentius Basoli, ep. Oleastrensis.
✠ Ego Carolus Rossi, ep. Bugellensis.
✠ Ego Fredericus Pezzullo, ep. Policastrensis.
✠ Ego Ioseph Evrard, ep. tit. Dionysopolitanus.
✠ Ego Innocentius Alfredus Russo, ep. tit. Pegaeus.
✠ Ego Lucianus Marcante, ep. Valvensis et Sulmonensis.
✠ Ego Emmanuel de Medeiros Guerreiro, ep. Nampulensis.
✠ Ego Henricus Ambrosius Pinger, ep. Ceuzuenensis.
✠ Ego Franciscus Augustinus Henschke, ep. Corvopolitanus.
✠ Ego Marcellus Oliverius Maradan, ep. Portus Victoriae.
✠ Ego Georgius Ioannes Rehring, ep. Toletanus in America.
✠ Ego Michael Browne, ep. Galviensis et Duacensis.
✠ Ego Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus-S. Mariae Leucadensis.
✠ Ego Ioseph Malouf, ep. Heliopolitanus Melchitarum.
✠ Ego Carolus Leo Nelligan, ep. tit. Phoenicius.
✠ Ego Raphael Barbieri, ep. Cassanensis.
✠ Ego Hieronymus Fernandez, ep. Quilonensis.
✠ Ego Ioseph Perniciaro, ep. tit. Arbanensis.
✠ Ego Octavius Terrienne, ep. tit. Menelaitensis.
✠ Ego Napoleo Alexander La Brie, ep. tit. Hiltensis.
✠ Ego Iacobus Mendonça, ep. Tiruchirapolitanus.
✠ Ego Ioseph Pronti, ep. Nucerinus Tadinensis.
✠ Ego Petrus Massa, ep. Naniamensis.
✠ Ego Ioseph Andreas Coimbra, ep. Patensis.
✠ Ego Emmanuel Larrain Errazuriz, ep. Talcensis.
✠ Ego Alfonsus M. Van den Bosch, ep. Matadiensis.
✠ Ego Carolus Weber, ep. Iceuvensis.
✠ Ego Henricus Ioseph Piérard, ep. Benensis.
✠ Ego Urbanus Stephanus Morlion, ep. Balduinopolitanus.
✠ Ego Irenaeus Chelucci, ep. Ilcinensis.
✠ Ego Constantinus Gómez Villa, ep. tit. Cucusenus.
✠ Ego Vincentius Lojali, ep. Amerinus.
✠ Ego Paulus Babini, ep. Foroliviensis.
✠ Ego Paulus Rusch, ep. Oenipontanus.
✠ Ego Paulus Mazé, ep. tit. Ascalonitanus.
✠ Ego Thomas McCabe, ep. Vollongongensis.
✠ Ego Patricius Cleary, ep. Nancemensis.
✠ Ego Ioannes Theodorus Suhr, ep. tit. Apisanensis.
✠ Ego Thomas Rochus Agniswami, ep. Kottarensis.
✠ Ego Franciscus Bruls, ep. Villavicentiensis.
✠ Ego Hugo Ryan, ep. Tounsvillensis.
✠ Ego Franciscus Cogoni, ep. Octeriensis.
✠ Ego Adolfus Ciuchini, ep. Algarensis.
✠ Ego Nicolaus Dudás, ep. Hajdudoroghensis.
✠ Ego Ignatius de Alba y Hernández, ep. Colimensis

✠ Ego Ludovicus Laravoire Morrow, ep. Krishnagarenssi.
✠ Ego Aemilianus Čekada, ep. Scopiensis.
✠ Ego Sigisbaldus Blasius Kurz, ep. tit. Terenuthitanus.
✠ Ego Henricus Martinus Mekkelholt, ep. tit. Dausarenus.
✠ Ego Carolus Ioseph Lemaire, ep. tit. Otroensis.
✠ Ego Fridericus Antonius Donaghy, ep. Uceuvensis.
✠ Ego Cornelius Farren, ep. Derriensis.
✠ Ego Villelmus Ioseph Condon, ep. Great-Ormensis.
✠ Ego Raphael Campelli, ep. Calliensis et Pergulanus.
✠ Ego Petrus Paulus Tenreiro Francia, ep. Guanarensis.
✠ Ego Ioachim Pedicini, ep. Abellinensis.
✠ Ego Augustus Osvaldus Salinas Fuenzalida, ep. Linarensis.
✠ Ego Ioseph Lach, ep. tit. Dodonaeus.
✠ Ego Albertus Aloisius Fletcher, ep. Petriculanus.
✠ Ego Arturus Douville, ep. S. Hyacinthi.
✠ Ego Patricius Ioseph Kelly, ep. Urbis Beninensis.
✠ Ego Sydnaeus Matthaeus Metzger, ep. Elpasensis.
✠ Ego Edmundus Peiris, ep. Chilavensis.
✠ Ego Albertus Carinci, ep. Boianensis-Campobassensis.
✠ Ego Vincentius Brizgys, ep. tit. Bosanensis.
✠ Ego Ioannes Michael O'Neill, ep. Portus Gratiae-Granfallensis.
✠ Ego Lucianus Lebrun, ep. Augustodunensis.
✠ Ego Victorius De Zanche, ep. Concordiensis.
✠ Ego Eliseus Coroli, ep. tit. Zamensis Maior.
✠ Ego Cyrillus Ioannes Zohrabian, ep. tit. Acilisenus.
✠ Ego Ioseph Abraham Martinez Betancourt, ep. Tacambarensis.
✠ Ego Ioseph Angrisani, ep. Casalensis.
✠ Ego Leo de Uriarte Bengoa, ep. tit. Madaurensis.
✠ Ego Vincentius Kovács, ep. tit. Zaraitanus.
✠ Ego Felix Bonomini, ep. Comensis.
✠ Ego Thomas Leo Parker, ep. Northantoniensis.
✠ Ego Marianus Hyacinthus Valdivia y Ortiz, ep. Huancayensis.
✠ Ego Theodosius Moreno Quintana, ep. Huarazensis.
✠ Ego Ioseph Grueter, ep. Umtatanus.
✠ Ego Franciscus Borgias do Amaral, ep. Taubatensis.
✠ Ego Daniel Gomes Junquiera, ep. Novae Lisbonae.
✠ Ego Aloisius Gonzaga da Cunha Marelim, ep. Caxiensis in Maragnano.
✠ Ego Dionysius Moynihan, ep. Kerriensis.
✠ Ego Vitus Chang Tso-Huan, ep. tit. Cyanitanus.
✠ Ego Andreas Dupont, ep. Bobodiulassensis.
✠ Ego Michael O'Reilly, ep. S. Georgii Terrae Novae.
✠ Ego Carolus Baldini, ep. Clusinus et Pientinus.
✠ Ego Alexander Menchaca Lira, ep. tit. Pinarensis.
✠ Ego Petrus Aguilera Narbona, ep. Iquiquensis.
✠ Ego Antonius M. Casaux, ep. Lucionensis.
✠ Ego Henricus M. Verin de la Brunelière, ep. S. Petri et Arcis Galliae.
✠ Ego Paulus Yoshigoro Taguchi, ep. Osakensis.
✠ Ego Maximilianus Spiller, ep. tit. Myricensis.

✠ Ego Petrus Villelmus Bartholome, ep. S. Clodoaldi.
✠ Ego Antonius Catarella, ep. Platiensis.
✠ Ego Ioseph Alfonsus Baud, ep. Visakhapatnamensis.
✠ Ego Antonius Zattera, ep. Pelotensis.
✠ Ego Ioannes Gunnarson, ep. tit. Holarensis.
✠ Ego Ioannes Senner, ep. tit. Equizetensis.
✠ Ego Daniel Llorente y Federico, ep. Segobiensis.
✠ Ego Ernestus De Paula, ep. tit. Hierocaesariensis.
✠ Ego Rembertus Casimirus Kowalski, ep. Uciamensis.
✠ Ego Andreas M. Charue, ep. Namurcensis.
✠ Ego Petrus Čule, ep. Mandetriensis.
✠ Ego Eduardus Martinez Gonzáles, ep. Zamorensis.
✠ Ego Aloisius Rosa, ep. Balneoregiensis.
✠ Ego Carolus Allorio, ep. Papiensis.
✠ Ego Camillus Andreas Le Blanc, ep. Bathurstensis in Canada.
✠ Ego Georgius Leo Pelletier, ep. Trifluvianensis in Canada.
✠ Ego Marcus Lacroix, ep. tit. Rhosiensis.
✠ Ego Raimundus Iglesias Navarri, ep. Urgellensis.
✠ Ego Villelmus Tiburtius McCarthy, ep. Rapidopolitanus.
✠ Ego Ioannes Gay, ep. Imae Telluris et Pointapitrensis.
✠ Ego Thomas Niu Hui-Ching, ep. Iamcuvensis.
✠ Ego Alfonsus Emmanuel Escalante, ep. tit. Soranus.
✠ Ego Aemilius Baroncelli, ep. Recinetensis Lauretanus.
✠ Ego Franciscus Van den Bergh, ep. Budjalaensis.
✠ Ego Eduardus Nécsey, ep. tit. Veliciensis.
✠ Ego Nilus Nicolaus Savaryn, ep. Edmontensis Ucrainorum.
✠ Ego Mattheus Aloisius Niedhammer, ep. tit. Caloenus.
✠ Ego Mauritius Paulus Rousseau, ep. tit. Ausafensis.
✠ Ego Delphinus Ribeiro Guedes, ep. S. Ioannis a Rege.
✠ Ego Ignatius Mummadi, ep. Gunturensis.
✠ Ego Ioseph Gori, ep. Nepesinus et Sutrinus.
✠ Ego Antonius Bagnoli, ep. Fesulanus.
✠ Ego Ioseph Battaglia, ep. Faventinus.
✠ Ego Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis.
✠ Ego Ioseph Dell'Olmo, ep. Aquensis.
✠ Ego Gregorius Alonso Aparicio, ep. tit. Poglensis.
✠ Ego Carolus Zinato, ep. Vicentinus.
✠ Ego Innocentius Rodriguez Diez, ep. Conchensis.
✠ Ego Raphael Alvarez Lara, ep. Maioricensis.
✠ Ego Ludovicus Severinus Haller, ep. tit. Bethleemitanus.
✠ Ego Stanislaus Courbe, ep. tit. Castoriensis.
✠ Ego Iulianus Le Couëdic, ep. Trecensis.
✠ Ego Ioseph Stella, ep. Spediensis, Sarzanensis et Brugnatensis.
✠ Ego Ignacius Krause, ep. Scioenteanus.
✠ Ego Ioannes Hervás y Benet, ep. tit. Doritanus.
✠ Ego Dominicus Fukahori, ep. Fukuokaensis.
✠ Ego Ioannes Nicolai, ep. Tarijensis.
✠ Ego Georgius Alapatt, ep. Trichuriensis.

✠ Ego Patritius Franciscus Lyons, ep. Saliensis.
✠ Ego Eduardus Ellis, ep. Nottinghamensis.
✠ Ego Eugenius O'Doherty, ep. Dromorensis.
✠ Ego Victor Foley, ep. tit. Petinessensis.
✠ Ego Hieronymus Bartholomaeus Bortignon, ep. Patavinus.
✠ Ego Raimundus Iulianus Martin, ep. Verae Pacis.
✠ Ego Michael Angelus Garcia y Aráuz, ep. Jalapensis in Guatimala.
✠ Ego Raphael González Estrada, ep. tit. Matregensis.
✠ Ego Ioseph López Ortiz, ep. Tudensis-Vicensis.
✠ Ego Aloisius Almarcha Hernández, ep. Legionensis.
✠ Ego Ferdinandus Pasini, ep. Saniuenensis.
✠ Ego Henricus Gelain, ep. Vaccariensis.
✠ Ego Augustinus Jauffrès, ep. tit. Arsennaritanus.
✠ Ego Bernardus Stein, ep. tit. Dagnensis.
✠ Ego Iacobus Connelly, ep. Riverormensis.
✠ Ego Carolus a Trinitate Borge y Catrilla, ep. tit. Lappensis.
✠ Ego Saturninus Rubio y Montiel, ep. Oxomensis-Sorianus.
✠ Ego Richardus Cleire, ep. tit. Tadamatensis.
✠ Ego Vincentius Roig y Villalba, ep. tit. Aradensis.
✠ Ego Alfredus Marie, ep. Caiennensis.
✠ Ego Ioseph Souto Vizoso, ep. Palentinus.
✠ Ego Adolphus Bolte, ep. Fuldensis.
✠ Ego Antonius Ioannes King Mussio, ep. Steubenvicensis.
✠ Ego Franciscus Ioseph Schenk, ep. Duluthensis.
✠ Ego Villelmus Ioseph Smith, ep. Pembrokensis.
✠ Ego Thaddaeus Le Huu Tu, ep. tit. Daphnusiensis.
✠ Ego Henricus Routhier, ep. tit. Naissitanus.
✠ Ego Ioseph Köstner, ep. Gurcensis.
✠ Ego Candidus Rada Senostain, ep. Guarandensis.
✠ Ego Aetius Barbieri, ep. Civitatis Plebis.
✠ Ego Apollinaris Villelmus Baumgartner, ep. tit. Ioppitanus.
✠ Ego Dominicus Valerii, ep. Marsorum.
✠ Ego Ioseph de Medeiros Leite, ep. Oliveirensis.
✠ Ego Franciscus Charrière, ep. Lausannensis, Genevensis et Friburgensis.
✠ Ego Franciscus Jop, ep. tit. Dauliensis.
✠ Ego Carolus Boiardi, ep. Apuaniensis.
✠ Ego Bertrandus Lacaste, ep. Oranensis.
✠ Ego Renatus Ioseph Piérard, ep. Catalaunensis.
✠ Ego Renatus Boisguérin, ep. Suifuanus.
✠ Ego Carolus Greco, ep. Alexandrinus.
✠ Ego Laurentius Bereciartua Balerdi, ep. S. Sebastiani.
✠ Ego Franciscus Gerardus Kramer, ep. Lunganensis.
✠ Ego Stephanus Kuijpers, ep. Paramariboensis.
✠ Ego Ioannes Petrus Zarranz y Pueyo, ep. Placentinus in Hispania.
✠ Ego Arturus Tabera Araoz, ep. Albasitensis.
✠ Ego Maturinus Blanchet, ep. Augustanus.
✠ Ego Ioannes B. Piasentini, ep. Clodiensis.
✠ Ego Petrus Raimondi, ep. Crotonensis.

✠ Ego Thomas Laurentius Noa, ep. Marquettensis.
✠ Ego Casimirus Ioseph Kowalski, ep. Culmensis.
✠ Ego Leonillus Scheffer, ep. tit. Isbitanus.
✠ Ego Carolus Ioseph Van Melckebeke, ep. Nimsciianus.
✠ Ego Faustinus Tissot, ep. Chemceuvensis.
✠ Ego Antonius Demets, ep. tit. Cadossensis.
✠ Ego Georgius Marcus de Oliveira, ep. S. Andreae in Brasilia.
✠ Ego Aloisius Gonzaga Peluso, ep. Pachoeirensis de Itapemirim.
✠ Ego Petrus Arnoldus Aparicio y Quintanilla, ep. S. Vincentii.
✠ Ego Danius Bolognini, ep. Cremonensis.
✠ Ego Venceslaus Majewski, ep. tit. Docimensis.
✠ Ego Leo Ferdinandus Dworschak, ep. Fargensis.
✠ Ego Daniel Ioseph Feeney, ep. Portlandensis.
✠ Ego Iacobus Holmes-Siedle, ep. Kigomaensis.
✠ Ego Andreas van den Bronk, ep. Parakuensis.
✠ Ego Patricius Dunne, ep. tit. Narensis.
✠ Ego Eduardus Aloisius Fitzgerald, ep. Vinonaensis.
✠ Ego Aurelius Marena, ep. Rubensis et Bituntinus.
✠ Ego Ioannes B. Costa, ep. tit. Scilitanus.
✠ Ego Benedictus Zorzi, ep. Caxiensis.
✠ Ego Maximilianus Držečnik, ep. Mariborensis.
✠ Ego Beniaminus Ibberson Webster, ep. Peterboroughensis.
✠ Ego Gabriel Paulinus Bueno Couto, ep. tit. Leucenus.
✠ Ego Albertus Conradus De Vito, ep. Lucknovensis.
✠ Ego Bernardus Dionysius Stewart, ep. Sandhurstensis.
✠ Ego Franciscus Jedwabski, ep. tit. Maxulitanus.
✠ Ego Alfredus Ancel, ep. tit. Myrinensis.
✠ Ego Daniel Tavares Baeta Neves, ep. Septemlacunensis.
✠ Ego Thomas Ioseph McDonough, ep. Savannensis.
✠ Ego Ioseph Gabriel Anaya y Diez de Bonilla, ep. Zamorensis in Mexico.
✠ Ego Paschalis Quaremba, ep. Gallipolitanus.
✠ Ego Nicolaus Verhoeven, ep. Manadoensis.
✠ Ego Leopoldus Brellinger, ep. Chimscienensis.
✠ Ego Ioseph Carolus McCormick, ep. Altunensis-Johnstoniensis.
✠ Ego Secundus Chiocca, ep. tit. Caesariensis in Bythinia.
✠ Ego Ioseph Melas, ep. Nuorensis.
✠ Ego Ioannes Eduardus Petit, ep. Menevensis.
✠ Ego Iacobus Fergus, ep. Achadensis.
✠ Ego Ioannes Lück, ep. Alivalensis.
✠ Ego Daniel Liston, ep. Portus Ludovici.
✠ Ego Carolus Pekala, ep. tit. Trocmadianus.
✠ Ego Floid Laurentius Begin, ep. Quercopolitanus.
✠ Ego Ioseph Hascher, ep. tit. Aeliensis.
✠ Ego Ioseph Augustinus Hagendorens, ep. Tshumbeensis.
✠ Ego Camillus Placidus Crous y Salichs, ep. tit. Cratiensis.
✠ Ego Claudius Bayet, ep. tit. Cidyessensis.
✠ Ego Georgius Béjot, ep. tit. Cassandrensis.
✠ Ego Aurelius Del Pino Gómez, ep. Illerdensis.

✠ Ego Andreas Fauvel, ep. Corisopitensis.
✠ Ego Alfonsus Ródenas Garcia, ep. Almeriensis.
✠ Ego Albericus Semeraro, ep. Uritanus.
✠ Ego Ioannes Ioseph Wright, ep. Pittsburgensis Latinorum.
✠ Ego Ioannes Kyne, ep. Midensis.
✠ Ego Georgius Xenopulos, ep. Syrensis.
✠ Ego Ioseph Marling, ep. Civitatis Jeffersoniensis.
✠ Ego Iacobus Grent, ep. Betagbarensis.
✠ Ego Nicanor Carolus Gavilanes Chamorro, ep. Portus Veteris.
✠ Ego Petrus M. Puech, ep. Carcassonensis.
✠ Ego Ioseph Aurelianus Bilgeri, ep. Eshowensis.
✠ Ego Marcellus Rogerius Buyse, ep. Lahorensis.
✠ Ego Augustinus Wildermuth, ep. Patnensis.
✠ Ego Adolfus Alexander Noser, ep. tit. Hierpinianensis.
✠ Ego Iacobus Moynagh, ep. Calabarensis.
✠ Ego Carolus M. Cavallera, ep. Marsabitensis.
✠ Ego Nicolaus Hettinga, ep. Ravalpindensis.
✠ Ego Ioseph Maximilianus Müller, ep. Siopolitanus.
✠ Ego Ignacius Glennie, ep. Trincomaliensis.
✠ Ego Hubertus M. Newell, ep. Cheyennensis.
✠ Ego Iacobus Aloisius NcNulty, ep. Buffalensis.
✠ Ego Albertus Zuroweste, ep. Bellevillensis.
✠ Ego Wendelinus Ioseph Nold, ep. Galvestoniensis-Houstoniensis.
✠ Ego Carolus Eduardus Saboia Bandeira de Mello, ep. Palmensis.
✠ Ego Anselmus Pietrulla, ep. Tubaraoensis.
✠ Ego Paulus Petrus Pinier, ep. Constantinianus.
✠ Ego Emmanuel Könner, ep. tit. Modrenus.
✠ Ego Franciscus Bottino, ep. tit. Sebastenus in Palaestina.
✠ Ego Benignus Carrara, ep. Imolensis.
✠ Ego Emmanuel Petrus da Cunha Cintra, ep. Petropolitanus.
✠ Ego Eduardus Jetté, ep. tit. Tabenus.
✠ Ego Franciscus Gleeson, ep. de Fairbanks.
✠ Ego Antonius Ferreira Gomes, ep. Portugallensis.
✠ Ego Ioseph Rodgers, ep. Laoniensis.
✠ Ego Vunibaldus Talleur, ep. tit. Magydensis.
✠ Ego Antonius Tedde, ep. Uxellensis et Terralbensis.
✠ Ego Ioseph Brendan Whelan, ep. Overriensis.
✠ Ego Andreas Roborecki, ep. Saskatoonensis Ucrainorum.
✠ Ego Iacobus Black, ep. Pasletanus.
✠ Ego Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus.
✠ Ego Ioannes Toohey, ep. Maitlandensis.
✠ Ego Ludovicus Ioseph Reicher, ep. Austiniensis.
✠ Ego Eduardus Ioannes Doody, ep. Armidalensis.
✠ Ego Clemens Geiger, ep. tit. Olenensis.
✠ Ego Alfredus Bertram Leverman, ep. S. Ioannis Canadensis.
✠ Ego Ioseph Delphinus Des Rosiers, ep. Qachasnekensis.
✠ Ego Angelus Muzzolón, ep. tit. Tyriaensis.
✠ Ego Ioannes B. Rosenthal, ep. Queenstownensis.

✠ Ego Ioannes B. Dal Prà, ep. Interamnensis et Narniensis.
✠ Ego Fredericus Hall, ep. tit. Castranovensis.
✠ Ego Aldus Patroni, ep. Calicutensis.
✠ Ego Silvius Cassulo, ep. Maceratensis-Tolentinus.
✠ Ego Michael Albertus Arduino, ep. Hierarcensis-Locrensis.
✠ Ego Emmanuel a Iesu Pereira, ep. Brigantiensis.
✠ Ego Paulus Rolim Loureiro, ep. Crucismogensis.
✠ Ego Ioseph Iulianus Oste, ep. Geholensis.
✠ Ego Vincentius Billington, ep. tit. Fallabensis.
✠ Ego Kenedus Rodericus Turner, ep. Liscioeivensis.
✠ Ego Ioseph Terceiro de Souza, ep. Penedensis.
✠ Ego Russel Ioseph McVinney, ep. Providentiensis.
✠ Ego Villelmus Brasseur, ep. tit. Agathonicianus.
✠ Ego Horacius Ferucius Ceol, ep. Chiceuvensis.
✠ Ego Ioannes B. Velasco, ep. Sciiamenensis.
✠ Ego Georgius Mercier, ep. Laguatensis.
✠ Ego Raphael Macario, ep. tit. Tiberiensis.
✠ Ego Robertus Massimiliani, ep. Civitatis Castellanae, Hortanus et Gallesinus.
✠ Ego Andreas Jacq, ep. tit. Cerasenus.
✠ Ego Leo Arkfeld, ep. tit. Bucellensis.
✠ Ego Petrus Severi, ep. tit. Pergamenus.
✠ Ego Ioseph Schröffer, ep. Eystettensis.
✠ Ego Carolus Angeleri, ep. tit. Ptolemaidensis in Lybia.
✠ Ego Percival Caza, ep. tit. Albulensis.
✠ Ego Gerardus Bertrand, ep. Navrongensis.
✠ Ego Henricus Vion, ep. Pictaviensis.
✠ Ego Ioseph Lazarus Neves, ep. Assisensis.
✠ Ego Claudius Constantinus M. Flusin, ep. S. Claudii.
✠ Ego Ioannes B. Parodi, ep. Savonensis et Naulensis.
✠ Ego Iesus Antonius Castro Becerra, ep. Palmiranus.
✠ Ego Franciscus Minerva, ep. Lyciensis.
✠ Ego Leo Pietsch, ep. tit. Naronensis.
✠ Ego Ioseph Alves de Sa'Trindade, ep. Montisclarensis.
✠ Ego Carolus Ioseph Leiprecht, ep. Rottenburgensis.
✠ Ego Alfredus Galindo Mendoza, ep. Tigiuanaensis.
✠ Ego Thomas Vincentius Cahill, ep. Cairnensis.
✠ Ego Emmanuel Tato, ep. S. Iacobi de Estero.
✠ Ego Franciscus Esser, ep. Keimoesanus.
✠ Ego Antonius Victor Hälg, ep. tit. Baianensis.
✠ Ego Alfonsus M. Ungarelli, ep. tit. Azurensis.
✠ Ego Hugo Boyle, ep. Ioannesburgensis.
✠ Ego Ioseph Obert, ep. Dinajpurensis.
✠ Ego Lucianus Lacoste, ep. Talianus.
✠ Ego Villelmus Aloisius O'Connor, ep. Campifontis in Illinois.
✠ Ego Carolus M. Himmer, ep. Tornacensis.
✠ Ego Franciscus Constantinus Mazzieri, ep. Ndolaensis.
✠ Ego Vladimirus Borić, ep. de Punta Arenas.
✠ Ego Ioseph Romaeus Gagnon, ep. Edmundstonensis.

✠ Ego Lurdu Mariaden Salvanaden, ep. Salemensis.
✠ Ego Ceslaus Falkowski, ep. Lomzensis.
✠ Ego Paulus Tobar González, ep. Cuttackensis.
✠ Ego Hieronymus Aemilianus Pillai, ep. Jaffnensis.
✠ Ego Franciscus Odo De Wilde, ep. Niangaraensis.
✠ Ego Paulus Hippolytus de Souza Libório, ep. Parnaibensis.
✠ Ego Carolus Hermannus Helmsing, ep. Kansanopolitanus-S. Ioseph.
✠ Ego Ludovicus Ioannes Guyot, ep. Constantiensis.
✠ Ego Tarcisius Vincentius Benedetti, ep. Laudensis.
✠ Ego Ioannes Evangelista McBride, ep. Kokstadensis.
✠ Ego Leo Lommel, ep. Luxemburgensis.
✠ Ego Leo D'Mello, ep. Aimerensis et Jaipurensis.
✠ Ego Petrus Grimm, ep. Zincheuvensis.
✠ Ego Laurentius Bianchi, ep. Sciiamchiamensis.
✠ Ego Edwinus Pinto, ep. Ahmedabadensis.
✠ Ego Balthasar Alvarez Restrepo, ep. Pereiranus.
✠ Ego Ioseph Calasanctius Rosenhammer, ep. tit. Amporensis.
✠ Ego Andreas Alexius D'Souza, ep. Poonensis.
✠ Ego Ioseph Rudderham, ep. Cliftoniensis.
✠ Ego Ioannes Beniaminus Grellinger, ep. tit. Syenitanus.
✠ Ego Ioachim Muccin, ep. Feltrensis et Bellunensis.
✠ Ego Aemilius Biancheri, ep. Ariminensis.
✠ Ego Ioannes Capistranus Cayer, ep. tit. Cissitanus.
✠ Ego Bernardinus Collin, ep. Diniensis.
✠ Ego Villelmus Kempf, ep. Limburgensis.
✠ Ego Petrus Kalwa, ep. Lublinensis.
✠ Ego Matthaeus Vido Sperandeo, ep. Calvensis et Theanensis.
✠ Ego Thomas Bernardus Pearson, ep. tit. Sindensis.
✠ Ego Robertus Pobožný, ep. tit. Neilenus.
✠ Ego Ambrosius Lazik, ep. tit. Appianus.
✠ Ego Franciscus Tomášek, ep. tit. Butiensis.
✠ Ego Franciscus Zauner, ep. Linciensis.
✠ Ego Henricus Pinault, ep. Cemtuanus.
✠ Ego Ioseph Guffens, ep. tit. Germanicianensis.
✠ Ego Crispulus Benítez Fontúrvel, ep. Barsiquimetensis.
✠ Ego Ioannes Patricius Kavanagh, ep. Dunedinensis.
✠ Ego Ioseph Martin, ep. Bururiensis.
✠ Ego Bernardinus Echeverria Ruiz, ep. Ambatensis.
✠ Ego Arturus Quintanilla, ep. Coeitevensis.
✠ Ego Claudius Colling, ep. Passofundensis.
✠ Ego Antonius Bergamaschi, ep. Feretranus.
✠ Ego Georgius Guibert, ep. Reunionensis.
✠ Ego Georgius Villelmus Ahr, ep. Trentonensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Muthappa, ep. Coimbaturensis.
✠ Ego Hirtius Aloisius Magliacani, ep. tit. Diensis.
✠ Ego Ioannes Ambrosius Abasolo y Lecue, ep. Vijayapuramensis.
✠ Ego Ioannes Russell, ep. Richmondiensis.
✠ Ego Christophorus Weldon, ep. Campifontis.

✠ Ego Ioannes McEleney, ep. Kingstonensis.
✠ Ego Marcellus Daubechies, ep. tit. Buffadensis.
✠ Ego Emmanuel Llopis Ivorra, ep. Cauriensis-Castrorum Caeciliorum.
✠ Ego Andreas Parenty, ep. tit. Sitifensis.
✠ Ego Petrus Kelleter, ep. Betlehemitanus.
✠ Ego Iacobus Cannonero, ep. Astensis.
✠ Ego Sylvius Aloisius Haro Alvear, ep. Ibarrensis.
✠ Ego Alexander M. Zaleski, ep. tit. Lyrbitanus.
✠ Ego David Cunningham, ep. tit. Lampsacenus.
✠ Ego Polycarpus da Costa Vaz, ep. Aegitaniensis.
✠ Ego Bernardus Arango Henao, ep. Barrancabermejensis.
✠ Ego Emmanuel Marengo, ep. Azulensis.
✠ Ego Gerardus van Velsen, ep. Kroonstadensis.
✠ Ego Gustavus Iosephus Bouve, ep. Kongoloensis.
✠ Ego Antonius Koreiche, ep. Sidoniensis Maronitarum.
✠ Ego Heribertus Bednorz, ep. tit. Bullensis.
✠ Ego Franciscus Pennisi, ep. Ragusiensis.
✠ Ego Aloisius Faveri, ep. Tiburtinus.
✠ Ego Aemilius Ioseph De Smedt, ep. Brugensis.
✠ Ego Ioseph M. Garcia Lahiguera, ep. Huelvensis.
✠ Ego Timotheus O'Shea, ep. Livingstonensis.
✠ Ego Dragutin Nežic, ep. Parentinus et Polensis.
✠ Ego Petrus M. Pham-ngoc Chi, ep. Danangensis.
✠ Ego Dominicus Hoang-van-Doan, ep. Quinhon.
✠ Ego Ioseph Albertus Martin, ep. Nicoletanus.
✠ Ego Vincentius Reyes, ep. Boranganensis.
✠ Ego Petrus Dudziec, ep. tit. Camulianensis.
✠ Ego Raimundus de Castro e Silva, ep. tit. Uzalensis.
✠ Ego Franciscus Leipzig, ep. Bakeriensis.
✠ Ego Ignatius Gregorius Larrañaga Lasa, ep. Pimliamensis.
✠ Ego Valterus Vervoort, ep. tit. Baricensis.
✠ Ego Victor M. Keuppens, ep. Kaminaensis.
✠ Ego Vincentius Hanly, ep. Elphinensis.
✠ Ego Thomas Fernando, ep. Tuticorensis.
✠ Ego Hermannus Tillemans, ep. ti. Berissenus.
✠ Ego Abdallah Nujaim, ep. Heliopolitanus Maronitarum.
✠ Ego Sebastianus Vayalil, ep. Palaiensis.
✠ Ego Augustinus Quinn, ep. Kilmorensis.
✠ Ego Merlinus Ioseph Guilfoyle, ep. tit. Bullensis.
✠ Ego Timotheus O'Shea, ep. Livingstonensis.
✠ Ego Paulus Leonardus Hagerty, ep. Nassaviensis.
✠ Ego Ioseph Varani, ep. Jaboticaballensis.
✠ Ego Vincentius M. Jacono, ep. tit. Patarensis.
✠ Ego Ioannes Florianus Löwenau, ep. tit. Drivastensis.
✠ Ego Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis.
✠ Ego Angelus Hidalgo Ibañez, ep. Jacensis.
✠ Ego Cornelius Lucey, ep. Corcagiensis et Rossensis.
✠ Ego Villelmus Cleven, ep. tit. Sasimensis.

✠ Ego Ioannes B. Cesana, ep. Guluensis.
✠ Ego Ludovicus Cabrera Cruz, ep. S. Ludovici Potosiensis.
✠ Ego Mauritius Schexnayder, ep. Lafayettensis.
✠ Ego Augustinus D'Arco, ep. Castri Maris.
✠ Ego Blasius Musto, ep. Aquinatensis, Soranus et Pontiscurvi.
✠ Ego Patricius D'Boyle, ep. Alladensis.
✠ Ego Alfonsus Beretta, ep. Varangalensis.
✠ Ego Andreas Jacques, ep. Bomaensis.
✠ Ego Petrus Zuccarino, ep. Bobiensis.
✠ Ego Albertus Franciscus Cousineau, ep. Capitis Haitiani.
✠ Ego Ioseph Lennon Federal, ep. Civitatis Lacus Salis.
✠ Ego Nicolaus Petrus van der Westen, ep. Pangkalpinangensis.
✠ Ego Caesarius Benedetti, ep. tit. Tidditanus.
✠ Ego Sixtus Mazzoldi, ep. tit. Lamenus.
✠ Ego Paschalis Venezia, ep. Arianensis.
✠ Ego Ghebre Iesus Iacob, ep. tit. Erythritanus.
✠ Ego Haile Mariam Cahsay, ep. Adigratensis.
✠ Ego Dinus Aloisius Romoli, ep. Pisciensis.
✠ Ego Antonius Hubertus Thijssen, ep. Larantukanus.
✠ Ego Leo Adolphus Messmer, ep. Ambaniaensis.
✠ Ego Ioannes Ricote Alonso, ep. tit. Miletopolitanus.
✠ Ego Aemilius Pizzoni, ep. Terracinensis, Privernensis et Setinus.
✠ Ego Hilarius Roatta, ep. S. Agathae Gothorum.
✠ Ego Vitalis Bonifacius Bertoli, ep. tit. Attaeatanus.
✠ Ego Petrus Carretto, ep. tit. Zenobiensis.
✠ Ego Henricus Rau, ep. Maris Platensis.
✠ Ego Edmundus Nowicki, ep. Gedanensis.
✠ Ego Gerardus Mongeau, ep. tit. Dianensis.
✠ Ego Stephanus Bäuerlein, ep. Diacovensis-Sirmiensis.
✠ Ego Vido M. Casullo, ep. tit. Uticensis.
✠ Ego Ioannes B. Franz, ep. Peoriensis.
✠ Ego Bruno Desrochers, ep. S. Annae Pocatierensis.
✠ Ego Petrus Ioseph Rivera Mejía, ep. Succursensis et S. Aegidii.
✠ Ego Peregrinus de La Fuente, ep. tit. Mylasensis.
✠ Ego Gerardus M. Coderre, ep. S. Ioannis Quebecensis.
✠ Ego Fulton Sheen, ep. tit. Caesariensis.
✠ Ego Maximus Tessier, ep. Timminsensis.
✠ Ego Loras Thomas Lane, ep. Rockfordiensis.
✠ Ego Aemilianus Frenette, ep. S. Hieronymi Terrebonae.
✠ Ego Ioannes Greif, ep. Tororoensis.
✠ Ego Hermannus Westermann, ep. Sambalpurensis.
✠ Ego Ioseph Schoiswohl, ep. Graecensis-Secoviensis.
✠ Ego Ioseph Dougherty, ep. Yakimensis.
✠ Ego Aloisius Boccadoro, ep. Montis Falisci.
✠ Ego Aemilius Elias Verhille, ep. Arcis Rousset.
✠ Ego Villelmus M. Van Zuylen, ep. Leodiensis.
✠ Ego Dermot O'Flanagan, ep. Junellensis.
✠ Ego Ioseph Fady, ep. Lilongwensis.

✠ Ego Orestes Marengo, ep. Tezpurensis.
✠ Ego Paulus Furuya Yoshiyuki, ep. Kyotensis.
✠ Ego Villelmus Duschak, ep. tit. Abiddensis.
✠ Ego Henricus Dupont, ep. tit. Dorylaensis.
✠ Ego Athanasius Ach Chaer, ep. Caesariensis.
✠ Ego Ioannes Paschang, ep. Insulae Grandis.
✠ Ego Lancellottus Ioannes Goody, ep. Bumburiensis.
✠ Ego Matthias Wehr, ep. Trevirensis.
✠ Ego Ioseph Pont y Gol, ep. Segobricensis-Castellionensis.
✠ Ego Paulus Chevalier, ep. Cenomanensis.
✠ Ego Ioannes Lesourd, ep. Nunensis.
✠ Ego Salvator Quezada Limón, ep. de Aguas Calientes.
✠ Ego Marcellus Riopel, ep. tit. Neocaesariensis in Syria.
✠ Ego Antonius Poma, ep. Mantuanus.
✠ Ego Aloisius Carolus Borromeo, ep. Pisauriensis.
✠ Ego Vincentius Radicioni, ep. Montis Alti.
✠ Ego Fredericus Rintelen, ep. tit. Chusirensis.
✠ Ego Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania.
✠ Ego Ioannes Vos, ep. tit. Cnidiensis.
✠ Ego Lucas Katsusaburo Arai, ep. Yokohamaensis.
✠ Ego Alfredus Lanctót, ep. Rulengensis.
✠ Ego Andreas Jacquemin, ep. Baiocensis.
✠ Ego Ambrosius De Battista, ep. Vijayavadanus.
✠ Ego Villelmus Escobar Vélez, ep. Antioquiensis.
✠ Ego Georgius Manrique, ep. Orurensis.
✠ Ego Franciscus Ioseph Klein, ep. Saskatoonensis.
✠ Ego Aloisius Victor Sartori, ep. S. Mariae.
✠ Ego Xaverius Geeraerts, ep. tit. Laganitanus.
✠ Ego Lambertus Hoch, ep. Siouxormensis.
✠ Ego Aloisius Bigirumwami, ep. Nyundoensis.
✠ Ego Iacobus Buis, ep. tit. Astypalaensis.
✠ Ego Adolfus Binni, ep. Nolanus.
✠ Ego Xaverius M. Ariz Huarte, ep. tit. Baparensis.
✠ Ego Lionellus Audet, ep. tit. Thibaritanus.
✠ Ego Antonius Frondosa, ep. Capicensis.
✠ Ego Sergius Méndez Arceo, ep. Cuernavacensis.
✠ Ego Bryan Gallagher, ep. Portus Piriensis.
✠ Ego Stephanus Loosdregt, ep. tit. Amaurensis.
✠ Ego Raimundus Larose, ep. Chittagongensis.
✠ Ego Ambrosius Galbiati, ep. Jalpaiguriensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph Boardman, ep. tit. Gunelensis.
✠ Ego Carolus Ferrari, ep. Monopolitanus.
✠ Ego Ioseph Nepote-Fus, ep. tit. Helensis.
✠ Ego Ioachim de Lange, ep. tit. Photicensis.
✠ Ego Carolus Aloisius Geromini, ep. tit. Zabensis.
✠ Ego Felix M. Verdet, ep. Rupellensis.
✠ Ego Alexander Fernández Feo-Tinoco, ep. S. Christophori in Venezuela.
✠ Ego Robertus Ioseph Dwyer, ep. Renensis.

✠ Ego Ioseph Gargitter, ep. Bausanensis-Brixinensis.
✠ Ego Aemilius Durrheimer, ep. Katiolaensis.
✠ Ego Flavianus Ariola, ep. Legaspiensis.
✠ Ego Franciscus Simons, ep. Indorensis.
✠ Ego Aloisius Rodriguez Pardo, ep. S. Crucis de Sierra.
✠ Ego Ioseph Adelinus Dantas, ep. Garanhunensis.
✠ Ego Philippus Lussier, ep. S. Pauli in Alberta.
✠ Ego Michael Arattukulam, ep. Alleppeyensis.
✠ Ego Bernardus Fey Schneider, ep. tit. Philadelphensis minor.
✠ Ego Villelmus Van Kester, ep. Basankusuensis.
✠ Ego Prosper Dodds, ep. Ziguinchorensis.
✠ Ego Ioseph Howard Hodges, ep. Whelingensis.
✠ Ego Hyacinthus Argaya Goicoechea, ep. Mindoniensis-Ferrolensis.
✠ Ego Raimundus Masnou Boixeda, ep. Vicensis.
✠ Ego Antonius Añoveros Ataún, ep. Gadicensis-Septensis.
✠ Ego Michael Antonius Medina y Medina, ep. Monteriensis.
✠ Ego Ioseph McGee, ep. Gallovidianus.
✠ Ego Valterus Kampe, ep. tit. Bassianensis.
✠ Ego Aloisius Barbero, ep. Viglevanensis.
✠ Ego Michael Alfonsus Harrington, ep. Kamloopsensis.
✠ Ego Paulus Constantinus Schoenmaeckers, ep. tit. Acarasiensis.
✠ Ego Ioseph Carraro, ep. Veronensis.
✠ Ego Angelus Temiño Saiz, ep. Auriensis.
✠ Ego Abilius del Campo y de la Bárcena, ep. Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis.
✠ Ego Ioseph Zimmermann, ep. tit. Ceryniensis.
✠ Ego Ioannes Franciscus Hackett, ep. tit. Helenopolitanus in Palaestina.
✠ Ego Thomas Ioseph Brosnahan, ep. Liberae Urbis et Boensis.
✠ Ego Benedictus Tomizawa, ep. Sapporensis.
✠ Ego Gregorius Elias Olazar Muruaga, ep. tit. Prusensis.
✠ Ego Franciscus Rendeiro, ep. tit. Benepotensis.
✠ Ego Ernestus Corripio Ahumada, ep. Tampicensis.
✠ Ego Augustinus Ioachim Lopes de Moura, ep. Portalegrensis-Castri Albi.
✠ Ego Artemius Prati, ep. Carpensis.
✠ Ego Ioannes B. Pardini, ep. Aesinus.
✠ Ego Patricius Shanley, ep. tit. Sophenensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Sanguon Souvannasri, ep. tit. Oenoandensis.
✠ Ego Ioseph Truong-cao-Dai, ep. tit. Silensis.
✠ Ego Rajarethinam Arokiaswami Sundaram, ep. Tanjorensis.
✠ Ego Alfonsus Fresnel, ep. Arcis Delphini.
✠ Ego Villelmus Sedlmeier, ep. tit. Aulonitanus.
✠ Ego Emmanuel Alphonsus de Carvalho, ep. Angrensis.
✠ Ego Marinus Bergonzini, ep. Volaterranus.
✠ Ego Ioannes Rüth, ep. tit. Amudarsensis.
✠ Ego Henricus Romulus Compagnone, ep. Anagninus.
✠ Ego Otho Motta, ep. Campaniensis in Brasilia.
✠ Ego Natalis Boucheix, ep. Portus Novi.
✠ Ego Petrus de la Chanonie, ep. Claromontanus.

✠ Ego Ioannes Ernestus Ménard, ep. Ruthenensis.
✠ Ego Zacharias Rolim de Moura, ep. Cajazeirasensis.
✠ Ego Gerardus Valencia Cano, ep. tit. Rhesainensis.
✠ Ego Gustavus Posada Peláez, ep. tit. Zalichenus.
✠ Ego Petrus Grau y Arola, ep. tit. Pellensis.
✠ Ego Ioannes Bokenfohr, ep. Kimberleyensis.
✠ Ego Georgius Kettel, ep. Kabindaensis.
✠ Ego Ivo Plumey, ep. Garuensis.
✠ Ego Remigius Augustin, ep. tit. Turuzitanus.
✠ Ego Vincentius De Chiara, ep. Miletensis.
✠ Ego Mauritius Raspini, ep. Oppidensis.
✠ Ego Aldus Forzoni, ep. Dianensis.
✠ Ego Constantinus Caminada, ep. Ferentinus.
✠ Ego Aegidius Henricus Alexis Barthe, ep. Foroiuliensis Tolonensis.
✠ Ego Virginius Dondeo, ep. Urbevetanus.
✠ Ego Franciscus Ioseph Green, ep. Tucsonensis.
✠ Ego Valterus Philippus Kellemberg, ep. Petropolitanus in Insula Longa.
✠ Ego Carolus Anasagasti, ep. tit. Caltadriensis.
✠ Ego Augustinus Baroni, ep. tit. Baleciensis.
✠ Ego Ioannes Hubertus Macey Rodgers, ep. tit. Sbidensis.
✠ Ego Albertus Leménager, ep. Yarmuthensis.
✠ Ego Alfredus Rubio Diaz, ep. Sonsonensis.
✠ Ego Augustus Gianfranceschi, ep. Caesenatensis.
✠ Ego Firminus Courtemanche, ep. de Fort Jameson.
✠ Ego Primus Gasbarri, ep. tit. Thennesiensis.
✠ Ego Villelmus Ioseph Brennan, ep. Toovoombensis.
✠ Ego Dominicus Ekandem, ep. de Ikot Ekpene.
✠ Ego Alexander Renard, ep. Versaliensis.
✠ Ego Colemannus Carroll, ep. Miamiensis.
✠ Ego Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis.
✠ Ego Aemilius Abascal Salmerón, ep. tit. Abziritanus.
✠ Ego Ioseph Borgatti, ep. Viedmensis.
✠ Ego Bernardus Ioseph Flanagan, ep. Vigorniensis.
✠ Ego Hermannus Spiess, ep. tit. Cemerinianensis.
✠ Ego Alfredus Vozzi, ep. Cavensis et Sarnensis.
✠ Ego Expeditus Eduardus de Oliveira, ep. Patosensis.
✠ Ego Carolus Bandini, ep. Sarsinatensis.
✠ Ego Amatus Decosse, ep. Gravelburgensis.
✠ Ego Ioseph de Almeida Batista Pereira, ep. Guaxupensis.
✠ Ego Placidus M. Cambiaghi, ep. Novariensis.
✠ Ego Felix Romero Menjibar, ep. Giennensis.
✠ Ego Ioseph Armandus Gutierrez Granier, ep. Cochabambensis.
✠ Ego Martinus Fulgentius Elorza Legaristi, ep. tit. Balianensis.
✠ Ego Franciscus Monaco, ep. Calatanisiadensis.
✠ Ego Villelmus Philbin, ep. Dunensis et Connorensis.
✠ Ego Athanasius Cheriyan Polachirikal, ep. Tiruvallensis.
✠ Ego Septimius Eusebius Mari, ep. tit. Pachnemunitanus.
✠ Ego Ioannes Van Cauwelaert, ep. Inongoensis.

✠ Ego Franciscus Clemens Van Hoeck, ep. tit. Cissitanus.
✠ Ego Antonius Konings, ep. Ketaensis.
✠ Ego Villelmus Ioannes Demarteau, ep. Bandjarmasinensis.
✠ Ego Ioannes David, ep. Maiungaensis.
✠ Ego Petrus Arikata Kobayashi, ep. Sendaiensis.
✠ Ego Laureanus Castán Lacoma, ep. Segentinus-Guadalajariensis.
✠ Ego Laurentius Bessone, ep. Meruensis.
✠ Ego Ioseph Garneri, ep. Segusiensis.
✠ Ego Leonidas Proaño Villalba, ep. Rivibambensis.
✠ Ego Ioseph a Iesu Alba Palacios, ep. Tehuantepecensis.
✠ Ego Paulus Barrachina Estevan, ep. Oriolensis-Lucentinus.
✠ Ego Ioseph M. Pernicone, ep. tit. Hadrianopolitanus in Honoriade.
✠ Ego Alfonsus Caelestinus Basilius Baud, ep. Berberatensis.
✠ Ego Ioannes Reddington, ep. Josensis.
✠ Ego Xaverius Morilleau, ep. tit. Coloniensis in Capadocia.
✠ Ego Marius Longo Dorni, ep. Pistoriensis.
✠ Ego Leo Christophorus Byrne, ep. tit. Sabadiensis.
✠ Ego Emmanuel Pereira Da Costa, ep. Campinae Grandis.
✠ Ego Eugenius de Araújo Sales, ep. tit. Thibicensis.
✠ Ego Ioseph Bretault, ep. Kuduguensis.
✠ Ego Petrus Fiordelli, ep. Pratensis.
✠ Ego Robertus Joyce, ep. Burlingtonensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph Scanlan, ep. tit. Cenensis.
✠ Ego Hermannus Ioannes van Elswijck, ep. Morogoroensis.
✠ Ego Camillus Faresin, ep. tit. Bubastitanus.
✠ Ego Franciscus Xaverius Fenech, ep. Jhansiensis.
✠ Ego Hieronymus Hannan, ep. Scrantonensis.
✠ Ego Malcholmus MacEachern, ep. Carolinapolitanus.
✠ Ego Raimundus Bogarin Argaña, ep. S. Ioannis B. a Missionibus.
✠ Ego Gilbertus Baroni, ep. Regiensis in Aemilia.
✠ Ego Ioannes Pereiro Venâncio, ep. Leiriensis.
✠ Ego Franciscus Valentinus Allen, ep. tit. Avensensis.
✠ Ego Richardus Guilly, ep. Georgeopolitanus.
✠ Ego Antonius De Campos, ep. tit. Febianensis.
✠ Ego Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis.
✠ Ego Honoratus Van Waeyenbergh, ep. tit. Gilbensis.
✠ Ego Ioannes Donavan, ep. tit. Rhasensis.
✠ Ego Ioseph Gennangi, ep. Kamechliensis Armenorum.
✠ Ego Eugenius Beitia Aldazabal, ep. tit. Verronensis.
✠ Ego Ioseph Reuss, ep. tit. Sinopenus.
✠ Ego Octavius Aguiar, ep. Palmiriensis Indorum.
✠ Ego Carolus Carret Maloney, ep. tit. Capsitanus.
✠ Ego Bruno Wechner, ep. tit. Cartennitanus.
✠ Ego Florentinus de Andrade e Silva, ep. tit. Heliosebastenus.
✠ Ego Andreas Creemers, ep. Bondoensis.
✠ Ego Andreas Lefebvre, ep. Kikuitensis.
✠ Ego Thomas McGettrick, ep. Ogogiaensis.
✠ Ego Ludovicus Julliard, ep. tit. Vulturiensis.

✠ Ego Franciscus Peralta y Ballabriga, ep. Victoriensis.
✠ Ego Ioseph Aloisius Durick, ep. tit. Cerbalitanus.
✠ Ego Andreas Pioger, ep. Sagiensis.
✠ Ego Cyprianus Tourel, ep. Montis Pessulani.
✠ Ego Nicolaus Elko, ep. Pittsburgensis Ruthenorum.
✠ Ego Franciscus Nunes Teixeira, ep. Quelimanensis.
✠ Ego Rogerius Michon, ep. Carnutensis.
✠ Ego Antonius Rosarius Mennonna, ep. Neritonensis.
✠ Ego Ioannes Wember, ep. tit. Vasadensis.
✠ Ego Ioseph Asajiro Satowaki, ep. Kagoshimaensis.
✠ Ego Dominicus Vendargon, ep. Kuala Lumpurensis.
✠ Ego Antonius Jannucci, ep. Pinnensis-Piscariensis.
✠ Ego Paulus Dumouchel, ep. tit. Sufetanus.
✠ Ego Caesarius Alexander Minali, ep. tit. Achyraensis.
✠ Ego Ioseph Ioachim Flórez Hernández, ep. Ibaguensis.
✠ Ego Emmanuel Antonius Pires, episcopus Silva Portuensis.
✠ Ego Antonius Mistrorigo, ep. Tarvisinus.
✠ Ego Cyrillus Restiaux, ep. Plymuthensis.
✠ Ego Iulius Laschi Gonzalez, ep. tit. Abydenus.
✠ Ego Carolus Van den Ouwelant, ep. Surigensis.
✠ Ego Longinus Gabriel Pereira, ep. tit. Vadensis.
✠ Ego Ernestus Arturus Green, ep. Portus Elizabethensis.
✠ Ego Patricius Cronin, ep. tit. Ubazensis.
✠ Ego Villelmus Hart, ep. Dunkeldensis.
✠ Ego Renatus Fourrey, ep. Bellicensis.
✠ Ego Vincentius Marchetti Zioni, ep. Bauropolitanus.
✠ Ego Vincentius de Araujo Matos, ep. Cratensis.
✠ Ego Thomas Ioseph McCarthy, ep. S. Catharinae in Ontario.
✠ Ego Daniel Chinnayan Arulswami, ep. Kumbakonamensis.
✠ Ego Antonius M. Michelato Danese, ep. tit. Archelaidensis.
✠ Ego Angelus Rodriguez Gamoneda, ep. tit. Gazerensis.
✠ Ego Ioseph Albertus Rosario, ep. Amravatensis.
✠ Ego Ubaldus Theophanus Stella, ep. tit. Antaeopolitanus.
✠ Ego Ioseph Bascuñana Llópez, ep. Celsonensis.
✠ Ego Alfonsus Silveira de Mello, ep. tit. Nasaitensis.
✠ Ego Antonius Padiyara, ep. Ootacamundensis.
✠ Ego Ioseph a Iesu Pimiento Rodriguez, ep. Garzonensis-Neivensis.
✠ Ego Iacobus Eugenius Ludovicus Ménager, ep. Meldensis.
✠ Ego Otho Spülbeck, ep. Mismensis.
✠ Ego Urbanus M. Person, ep. tit. Cymaeus.
✠ Ego Ioseph Damasus Laberge, ep. tit. Clypiensis.
✠ Ego Paulus Etoga, ep. Mbalmayoensis.
✠ Ego Petrus Bernardus Pereira, ep. tit. Urusitanus.
✠ Ego Antonius Ravagli, ep. Mutilensis.
✠ Ego Iacobus Henricus Romeijn, ep. Samarindaensis.
✠ Ego Syrus Silvestri, ep. Fulginatensis.
✠ Ego Ladislaus Paz, ep. Corumbensis.
✠ Ego Aloisius Carvajal, ep. tit. Coptitanus.

✠ Ego Aristides Pirovano, ep. tit. Hadrianiensis.
✠ Ego Altinus Ribeiro De Santana, ep. Sadabandeiropolitanus.
✠ Ego Edmundus Aloisius Kunz, ep. tit. Ptolemaidensis in Phoenicia
✠ Ego Petrus Kimbondo, ep. Kisantuensis.
✠ Ego Eladius Vicuña Aránguiz, ep. Chillanensis.
✠ Ego Laurentius Morin, ep. Principis Albertensis.
✠ Ego Thomas Quinlan, ep. Chuncheonensis.
✠ Ego Simon Hoa Nguyen-van Hien, ep. Dalatensis.
✠ Ego Ioseph Emmanuel Santos Ascarza, ep. Valdiviensis
✠ Ego Sebastianus Valloppilly, ep. Tellicherriensis.
✠ Ego Caesarius D'Amato, ep. tit. Sebastenus in Cilicia.
✠ Ego Ioannes Nuer, ep. Lycopolitanus.
✠ Ego Eustachius Smith, ep. tit. Apamensis.
✠ Ego Michael Aurrecoechea Palacio, ep. tit. Dolichenus.
✠ Ego Matthias Zvekanovic, ep. tit. Burcensis.
✠ Ego Thomas Mongo, ep. Dualaensis.
✠ Ego Narcissus Jubany Arnau, ep. Gerundensis.
✠ Ego Constantinus Christianus Luna, ep. Zacapensis.
✠ Ego Bernardus Patricius Wall, ep. Brentwoodensis.
✠ Ego Stephanus Leven, ep. tit. Buritanus.
✠ Ego Claudius Rolland, ep. Antsirabensis.
✠ Ego Caelestinus Michael Fernández Pérez, ep. S. Marci in Guatimala.
✠ Ego Philippus Furlong, ep. tit. Araxensis.
✠ Ego Argimirus Alvarez Garcia Rodriguez, ep. tit. Coropissenus.
✠ Ego Ioannes Morkovsky, ep. tit. Tigavitanus.
✠ Ego Victorius Longo, ep. tit. Lorymiensis.
✠ Ego Robertus Stephanus Dehler, ep. tit. Clazomeniensis.
✠ Ego Gustavus Andreas Raballand, ep. tit. Egugensis.
✠ Ego Marius Paré, ep. Chicoutimiensis.
✠ Ego Stanislaus Tigga, ep. Raigharensis-Ambikapurensis.
✠ Ego Aloisius Rinaldi, ep. S. Marci et Bisinianensis.
✠ Ego Antonius Reiterer, ep. Lydenburgensis.
✠ Ego Georgius Pearce, ep. tit. Attalensis in Pamphylia.
✠ Ego Deodatus Yougbare, ep. Kupelaensis.
✠ Ego Dorotheus Fernandez y Fernandez, ep. tit. Castabalensis.
✠ Ego Valerianus Bélanger, ep. tit. Cyrenensis.
✠ Ego Florentius Coronado Romani, ep. tit. Huancavelicensis.
✠ Ego Gabriel Ganni, ep. Berytensis Chaldaeorum.
✠ Ego Eduardus Franciscus Ioseph Schlotterback, ep. tit. Balanensis.
✠ Ego Elias Mchonde, ep. Mahengensis.
✠ Ego Antonius Ona de Echave, ep. Lucensis in Hispania.
✠ Ego Ioseph Philippus de Carmine Colaço, ep. S. Iacobi Capitis Viridis.
✠ Ego Richardus Ackerman, ep. Covingtonensis.
✠ Ego Ioannes M. Etrillard, ep. Gagnoaënsis.
✠ Ego Rogerius Johan, ep. Agennensis.
✠ Ego Michael Doumith, ep. Sarbensis Maronitarum.
✠ Ego Alden Ioannes Bell, ep. Sacramentensis.
✠ Ego Ioannes Chrysostomus Gomes de Almeida, ep. tit. Jerafitanus.

✠ Ego Rudolfus Staverman, ep. tit. Mosynopolitanus.
✠ Ego Adalbertus Almeida Merino, ep. Zacatecensis.
✠ Ego Florentius Angelini, ep. tit. Messeniensis.
✠ Ego Ioel Bellec, ep. Elnensis.
✠ Ego Ioannes Carberry, ep. Columbensis.
✠ Ego Antonius Cece, ep. tit. Tamiathitanus.
✠ Ego Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis.
✠ Ego Carolus M. Cafferata, ep. S. Ludovici in Argentina.
✠ Ego Franciscus Vennera, ep. S. Nicolai de los Arroyos.
✠ Ego Franciscus Borgias Valenzuela Rios, ep. Antofagastensis.
✠ Ego Iesus Serrano Pastor, ep. tit. Hypselitanus.
✠ Ego Hieronymus Lingenheim, ep. tit. Thunudrumensis.
✠ Ego Petrus Rouanet, ep. Daloaensis.
✠ Ego Andreas Duirat, ep. Buakensis.
✠ Ego Adolfus Marx, ep. Brownsvillensis.
✠ Ego Maximilianus Valdes Subercaseaux, ep. Osornensis.
✠ Ego Ioseph Vázquez Diaz, ep. tit. Usulensis.
✠ Ego Laurentius Glenn, ep. Crookstoniensis.
✠ Ego Andreas Iacobus Fougerat, ep. Gratianopolitanus.
✠ Ego Ioannes Farmer Healy, ep. Gibraltariensis.
✠ Ego Stephanus Kocisko, ep. Passaicensis.
✠ Ego Ioseph Schmondiuk, ep. Stanfordensis Ucrainorum.
✠ Ego Matthaeus Pothanamuzhi, ep. Kothamangalemensis.
✠ Ego Ioseph Petrus da Silva, ep. Visensis.
✠ Ego Franciscus Bougon, ep. Molinensis.
✠ Ego Ioseph Alí Lebrun Moratinos, ep. Valentinus in Venezuela.
✠ Ego Dantes Battaglierin, ep. Kulnensis.
✠ Ego Ioseph Bezerra Coutinho, ep. Stantianus.
✠ Ego Caelestinus Bezmalinovic, ep. tit. Hadrumetinus.
✠ Ego Marius Di Lieto, ep. Asculanus Apuliae et Ceriniolensis.
✠ Ego Odilo Etspüler, ep. tit. Fatensis.
✠ Ego Henricus Byrne, ep. tit. Lamianus.
✠ Ego Telesphorus Ioannes Cioli, ep. Arretinus.
✠ Ego Stephanus László, ep. Sideropolitanus.
✠ Ego Thomas Franciscus Reilly, ep. tit. Themisonensis.
✠ Ego Emmanuel Menéndez, ep. Foromartiniensis.
✠ Ego Carolus Villelmus Hartl, ep. tit. Stratonicensis in Caria.
✠ Ego Ioseph Brunini, ep. tit. Axomitanus.
✠ Ego Petrus Martin, ep. tit. Selinusiensis.
✠ Ego Arnoldus Bogaert, ep. Rosensis.
✠ Ego Germanus Villa Gaviria, ep. Barranquillensis.
✠ Ego Paulus Correa León, ep. Cucutensis.
✠ Ego Mauritius Otunga, ep. Kisiianus.
✠ Ego Ignatius Doggett, ep. tit. Mundinizensis.
✠ Ego Ioseph Gustavus Prévost, ep. tit. Ammaedarensis.
✠ Ego Henricus Anselmus Clinch, ep. tit. Badiensis.
✠ Ego Franciscus Zak, ep. S. Hippolyti.
✠ Ego Geraldus Fernandes Bijos, ep. Londrinensis.

✠ Ego Ioannes M. Holterman, ep. Gulielmopolitanus.
✠ Ego Vincentius Kennally, ep. tit. Sassuritanus.
✠ Ego Carolus Arturus Brown, ep. tit. Vallitanus.
✠ Ego Iacobus Aloisius Coelho, ep. Maringaensis.
✠ Ego Severinus Marianus de Aguiar, ep. Pesqueirensis.
✠ Ego Ioseph Ludovicus Andreas Ouelette, ep. Montis Laurei.
✠ Ego Alexander Carter, ep. S. Mariae Ormensis.
✠ Ego Ioseph Alphonsus Tscherrig, ep. tit. Nephelidensis.
✠ Ego Franciscus Spanedda, ep. Basanensis.
✠ Ego Gerardus Couturier, ep. Altaripensis.
✠ Ego Andreas Gregorius Grutka, ep. Gariensis.
✠ Ego Hilarius Hacker, ep. Bismarckiensis.
✠ Ego Radulfus Zambrano Camader, ep. Facatativensis.
✠ Ego Iustinus Iacobus Field, ep. S. Georgii in Insula Granada.
✠ Ego Secundus Tagliabue, ep. Anglonensis-Tursiensis.
✠ Ego Valerianus Ludovicus Arroyo, ep. tit. Gomphensis.
✠ Ego Rudolfus Koppmann, ep. tit. Dalisandensis in Pamphylia.
✠ Ego Ioannes Choi, ep. Pusanensis.
✠ Ego Henricus M. Janssen, ep. Hildeseiensis.
✠ Ego Daniel Raimundus Lamont, ep. Umtaliensis.
✠ Ego Marcellus Morgante, ep. Asculanus in Piceno.
✠ Ego Georgius Ioseph Biskup, ep. Desmoinensis.
✠ Ego Eugenius Ioseph Butler, ep. Mombasaensis.
✠ Ego Augustinus Herrera, ep. Franciscopolitanus.
✠ Ego Carmelus Canzonieri, ep. Calatayeronensis.
✠ Ego Hannibal Maricevich Fleitas, ep. tit. Diocletianopolis in Palaestina.
✠ Ego Michael Raspanti, ep. Moronensis.
✠ Ego Antonius Baptista Fragoso, ep. Crateopolitanus.
✠ Ego Georgius Kemerer, ep. Posadensis.
✠ Ego Gabriel Champagne, ep. Tamalensis.
✠ Ego Horatius Semeraro, ep. Cariatensis.
✠ Ego Georgius Raymundus Chalup, ep. Gualeguaychensis.
✠ Ego Ioannes Ahern, ep. Cloynensis.
✠ Ego Gregorius Warmeling, ep. Joinvillensis.
✠ Ego Iacobus Vincentius Casey, ep. Lincolnensis.
✠ Ego Herminius Malzone Hugo, ep. Valadarensis.
✠ Ego Antonius M. Aguirre, ep. S. Isidori in Argentina.
✠ Ego Georgius Mayer, ep. S. Rosae in Argentina.
✠ Ego Albertus Deane, ep. Civitatis Mariae.
✠ Ego Franciscus Brustia, ep. Andriensis.
✠ Ego Aemilius Cinense, ep. S. Ferdinandi.
✠ Ego Renatus Boudon, ep. Mimatensis.
✠ Ego Henricus Bernardinus Hoffmann, ep. Gibutensis.
✠ Ego Ioseph Hasler, ep. S. Galli.
✠ Ego Hieronymus Mazzarotto, ep. tit. Arsinoitanus in Arcadia.
✠ Ego Theodulfus Domingo y Sabugal, ep. Tuguegaraoanus.
✠ Ego Stanislaus Jakiel, ep. tit. Tanagraeus.
✠ Ego Pacificus Scozzina, ep. Formosae.

✠ Ego Emmanuel Talamás Camandari, ep. Civitati Juarezensis.
✠ Ego Ioseph Augustinus Marozzi, ep. Resistenciae.
✠ Ego Ioannes Fondalinski, ep. tit. Doberitanus.
✠ Ego Salvator Martinez Aguirre, ep. tit. Arcenus.
✠ Ego Ioseph Petrus Costa, ep. Caetitensis.
✠ Ego Ioseph M. Pires, ep. Arasuahyensis.
✠ Ego Andreas Sana, ep. Akrensis.
✠ Ego Eduardus Ioseph Maginn, ep. tit. Curiensis.
✠ Ego Ioseph Stangl, ep. Herbipolensis.
✠ Ego Martinus Stanton, ep. tit. Citiensis.
✠ Ego Valterus Villelmus Curtis, ep. Bridgeportensis.
✠ Ego Ioannes Iacobus Rudin, ep. Musonensis.
✠ Ego Alfredus Stemper, ep. tit. Eleutheropolitanus in Palaestina.
✠ Ego Humbertus Lara Mejía, ep. tit. Traianopolitanus in Phrygia.
✠ Ego Raphael Bidawid, ep. Amadiensis.
✠ Ego Bernardinus Mazzarella, ep. Comayoguensis.
✠ Ego Felix Leonardo, ep. Thelesinus.
✠ Ego Helmodus Hermannus Wittler, ep. Osnabrugensis.
✠ Ego Aloisius Carli, ep. Signinus.
✠ Ego Alfredus Atton, ep. Langrensis.
✠ Ego Arturus Elchinger, ep. tit. Antandrinus.
✠ Ego Ioannes Fearns, ep. tit. Geritanus.
✠ Ego Albertus Sanschagrin, ep. tit. Bagensis.
✠ Ego Ioseph Eugenius Corrêa, ep. Caratingensis.
✠ Ego Iacobus Cunningham, ep. Hagulstadensis et Novocastrensis.
✠ Ego Wilson Laus Schmidt, ep. Xapecoensis.
✠ Ego David De Souza, ep. Funchalensis.
✠ Ego Dominicus Roa Perez, ep. Maracaibensis.
✠ Ego Ioannes B. Musty, ep. tit. Botrianensis.
✠ Ego Fredericus Villelmus Freking, ep. Crossensis.
✠ Ego Ioannes Vonderach, ep. Curiensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph Iriarte, ep. Reconquistensis.
✠ Ego Andreas Wronka, ep. tit. Vatarbensis.
✠ Ego Iulius Puset, ep. Tamatavensis.
✠ Ego Theodorus Van den Tillaert, ep. Atambuensis.
✠ Ego Angelus Barbisotti, ep. tit. Cauniensis.
✠ Ego Reginaldus Ioannes Delargey, ep. tit. Hirinensis.
✠ Ego Leonardus Cowley, ep. tit. Pertusensis.
✠ Ego Alfonsus Schladweiler, ep. Novae Ulmae.
✠ Ego Henricus Principe, ep. tit. Abilenus Lysaniae.
✠ Ego Ioannes Jaroszewiez, ep. tit. Letopolitanus.
✠ Ego Vincentius Favé, ep. tit. Andedensis.
✠ Ego Victor Ioseph Reed, ep. Oklahomensis et Tulsensis.
✠ Ego Paulus Vignancour, ep. Valentinus.
✠ Ego Franciscus Ferreira Arreda, ep. Texcocensis.
✠ Ego Laurentius Satoshi Nagae, ep. Urawaensis.
✠ Ego Camillus Vandekerckhove, ep. Bikoroensis.
✠ Ego Ioseph Ioachim Ribeiro, ep. tit. Aegeaensis.

✠ Ego Michael Moloney, ep. Bathurstensis in Gambia.
✠ Ego Adolfus Hernández Hurtado, ep. Tapacolensis.
✠ Ego Renatus Toussaint, ep. Idiofaensis.
✠ Ego Camillus Chilouet, ep. Farafanganensis.
✠ Ego Ferdinandus Romo Gutierrez, ep. Torreonensis.
✠ Ego Bernardinus Piñera Carvallo, ep. Temucensis.
✠ Ego Villelmus Richardus Field, ep. Ondoensis.
✠ Ego Antonius Barbosa, ep. Campi Grandis.
✠ Ego Ioseph de Aquino Pereira, ep. Prudentipolitanus.
✠ Ego Iacobus Ryan, ep. tit. Margensis.
✠ Ego Hyacinthus Gad, ep. tit. Gratianopolitanus.
✠ Ego Alfonsus Höfer, ep. tit. Thebanus in Phtiotide.
✠ Ego Alexander Schell, ep. Clivi Zamoerensis.
✠ Ego Walmor Battù Wichrowski, ep. tit. Phelbesianus.
✠ Ego Angelus Riesco Carbajo, ep. tit. Limisensis.
✠ Ego Raphael Gonzalez Moralejo, ep. tit. Dardanius.
✠ Ego Franciscus Gómez Marijuan, ep. tit. Sinnensis.
✠ Ego Robertus Ludovicus Hodapp, ep. Belizensis.
✠ Ego Marianus Oblak, ep. tit. Flaviensis.
✠ Ego Ioannes Arnaud, ep. tit. Tintyritanus.
✠ Ego Ioseph Martenetz, ep. tit. Soldaiensis.
✠ Ego Nicolaus Riezzo, ep. Castellanetensis.
✠ Ego Ioseph Antonius Dammert Bellido, ep. Cajamarcensis.
✠ Ego Antonius Lima dos Santos, ep. Ilheosensis.
✠ Ego Alcides Mendoza Castro, ep. Abancaiensis.
✠ Ego Iacobus Berenguer Prado, ep. Fori S. Annae.
✠ Ego Ioseph Emmanuel Piña Torres, ep. tit. Milevitanus.
✠ Ego Nemesius Rivera Meza, ep. tit. Diospolitanus superior.
✠ Ego Augustus Petrò, ep. Uruguaianensis.
✠ Ego Henricus Pachowiak, ep. tit. Phyteanus.
✠ Ego Henricus Tenhumberg, ep. tit. Thuburnicensis.
✠ Ego Ioannes Kabès, ep. tit. Cleopadritensis.
✠ Ego Ioannes Franciscus Fresno Larrain, ep. Copiapoensis.
✠ Ego Adolfus Aloisius Bossi, ep. tit. Parnassenus.
✠ Ego Henricus Bartoletti, ep. tit. Myndiensis.
✠ Ego Henricus Murphy, ep. Limericiensis.
✠ Ego Ioseph Lecuona Labandibar, ep. tit. Vagadensis.
✠ Ego Eugenius Cornelius Arthurs, ep. Tangaensis.
✠ Ego Iacobus Vincentius Pardy, ep. Cheongiuensis.
✠ Ego Eduardus Piana, ep. tit. Eureoensis in Phoenicia.
✠ Ego Hugo Poletti, ep. tit. Medelitanus.
✠ Ego Ioannes Prasko, ep. tit. Zygritanus.
✠ Ego Antonius Corso, ep. tit. Moglaenensis.
✠ Ego Villelmus Michael Fitzgerald, ep. tit. Zarnensis.
✠ Ego Antonius Pirotto, ep. Troianus.
✠ Ego Ioseph Germanus Benavides Morriberón, ep. Chachapoyasensis.
✠ Ego Paulus Ioseph Schmitt, ep. Metensis.
✠ Ego Georgius Stroba, ep. tit. Aradiensis.

✠ Ego Henricus Mazerat, ep. Andegavensis.
✠ Ego Michael Garcia Franco, ep. Mazatlanensis.
✠ Ego Iacobus Schuck, ep. tit. Avissensis.
✠ Ego Daniel Stuyvenberg, ep. tit. Dionysiensis.
✠ Ego Adolfus Fürstenberg, ep. Abercornensis.
✠ Ego Horatius Gomez Davila, ep. Riojensis.
✠ Ego Raphaël Bayan, ep. Alexandrinus Armenorum.
✠ Ego Carolus Msakila, ep. Karemaensis.
✠ Ego Richardus Finn, ep. Ibadanensis.
✠ Ego Ioseph Pintado, ep. tit. Phobenus.
✠ Ego Andreas Katkoff, ep. tit. Naupliensis.
✠ Ego Benignus Chiriboga, ep. Latacungensis.
✠ Ego Demetrius Mansilla Reoyo, ep. Civitatensis.
✠ Ego Albinus Luciani, ep. Victoriensis Venetorum.
✠ Ego Ioseph Gabriel Calderón, ep. Carthadensis in Columbia.
✠ Ego Ioannes Czerniak, ep. tit. Eudociatensis.
✠ Ego Ioseph Quezada, ep. Acapulcanus.
✠ Ego Ioannes Cullinane, ep. tit. Flumentzeritanus.
✠ Ego Fidelis Cortès Pérez, ep. Chilapensis.
✠ Ego Ioannes Jobst, ep. tit. Pitanaeus.
✠ Ego Stanislaus Alcaraz Figuerao, ep. Matamorensis.
✠ Ego Ioseph Modzelewski, ep. tit. Daoniensis.
✠ Ego Ioannes Villelmus Comber, ep. tit. Foratianensis.
✠ Ego Petrus Ioannes Antonius Moors, ep. Ruremondensis.
✠ Ego Ioseph Pintado, ep. tit. Phobanus.
✠ Ego Iulius Angerhausen, ep. tit. Eminentianensis.
✠ Ego Iacobus Gerrard, ep. tit. Formensis.
✠ Ego Emmanuel Fernández-Conde, ep. Cordubensis.
✠ Ego Marcellus Mendiharat, ep. tit. Zertensis.
✠ Ego Ioseph Denning, ep. tit. Mallotanus.
✠ Ego Raimundus D'Mello, ep. Allahabadensis.
✠ Ego Leo Theobaldus Delaere, ep. Molegbensis.
✠ Ego Alfonsus Sánchez Tinoco, ep. Papantlensis.
✠ Ego Ioseph Thurler, ep. tit. Capitoliensis.
✠ Ego Franciscus Lehaen, ep. Sakaniensis.
✠ Ego Michael Kien Samophithak, ep. tit. Octabensis.
✠ Ego Antonius Gogo Nwedo, ep. Umuahiaensis.
✠ Ego Ioannes Karroum, ep. Spinensis Syrorum.
✠ Ego Carolus Mulrooney, ep. tit. Valentianensis.
✠ Ego Iulius Gonzalez Ruiz, ep. Puniensis.
✠ Ego Seraphinus Fernandes de Araujo, ep. tit. Verinopolitanus.
✠ Ego Paulus Piché, ep. tit. Orcistenus.
✠ Ego Angelus Tarantino, ep. Aruaensis.
✠ Ego Angelus Zambarbieri, ep. Guastallensis.
✠ Ego Robertus Tracy, ep. Rubribaculensis.
✠ Ego Christianus Portela de Araújo Pena, ep. Divinopolitanus.
✠ Ego Plato Kornyljak, ep. tit. Castromartianus.
✠ Ego Alexander Duran Moreira, ep. S. Caroli Ancudiae.

✠ Ego Ioseph Nkongolo, ep. Lueboensis.
✠ Ego Eugenius Maillat, ep. Nzerekoreensis.
✠ Ego Paulus Savino, ep. tit. Caesariensis in Thessalia.
✠ Ego Didacus Parodi, ep. tit. Centenariensis.
✠ Ego Amandus Hubert, ep. tit. Saitanus.
✠ Ego Iacobus Guilhem, ep. Valleguidonensis.
✠ Ego Angelicus Melotto Mazzardo, ep. Sololensis.
✠ Ego Angelus Martinez, ep. Tsiroanomandidyensis.
✠ Ego Constantius Micci, ep. Larinensis.
✠ Ego Thomas Manning, ep. tit. Arsamosatenus.
✠ Ego Henricus Grondziel, ep. tit. Athribitanus.
✠ Ego Raimundus de Lamoureyre, ep. Muilaensis.
✠ Ego Ioseph Bonacini, ep. Brittinoriensis.
✠ Ego Ioseph Dalvit, ep. S. Matthaei.
✠ Ego Georgius Jacquot, ep. Vapincensis.
✠ Ego Franciscus Janssen, ep. tit. Coelianensis.
✠ Ego Edilbertus Dinkelborg, ep. Oeirensis.
✠ Ego Ioannes Lenhardt, ep. tit. Carystensis.
✠ Ego Mauritius Choquet, ep. tit. Diospolitanus inferior.
✠ Ego Michael Ntuyahaga, ep. Buiumburaensis.
✠ Ego Michael Henricus Cannone, ep. Tulearensis.
✠ Ego Bernardus Schräder, ep. tit. Scyrius.
✠ Ego Zeno Albinus Testa, ep. tit. Tinistensis.
✠ Ego Albertus Etges, ep. S. Crucis in Brasilia.
✠ Ego Carolus Buswell, ep. Pueblensis.
✠ Ego Leo Nanayakkara, ep. Kandiensis.
✠ Ego Iolanthes Nuzzi, ep. Campaniensis.
✠ Ego Alfredus Pichler, ep. Banialucensis.
✠ Ego Augustus Carvalho, ep. Caruaruensis.
✠ Ego Arnolfus Arcilla, ep. Sorsogonensis.
✠ Ego Ioseph Winkler, ep. tit. Dadimensis.
✠ Ego Honoratus Piazera, ep. Neo-Iguassuensis.
✠ Ego Stephanus Bello, ep. Aleppensis Chaldaeorum.
✠ Ego Petrus Rougé, ep. Nemausensis.
✠ Ego Vincentius Urban, ep. tit. Abitinensis.
✠ Ego Renatus Luisi, ep. Neocastrensis.
✠ Ego Virgilius Copas, ep. tit. Bennefensis.
✠ Ego Samuel Ludovicus Gaumain, ep. Munduensis.
✠ Ego Franciscus Vollaro, ep. Ambatondrazakaensis.
✠ Ego Dominicus Yoshimatsu Noguchi, ep. Hiroshimaensis.
✠ Ego Samuel Ruiz Garcia, ep. Chiapasensis.
✠ Ego Ernestus Primeau, ep. Manchesteriensis.
✠ Ego Iacobus Hogan, ep. tit. Philomeliensis.
✠ Ego Vincentius Hines, ep. Norvicensis.
✠ Ego Ioseph de Solitudine Torres y Castañeda, ep. Civitatis Obregonensis.
✠ Ego Henricus Gufflet, ep. tit. Calamensis.
✠ Ego Marius Maziers, ep. tit. Augustopolitanus in Phrygia.
✠ Ego Alfonsus Carolus Kempf, ep. tit. Limyrensis.

✠ Ego Raphael Pellecchia, ep. Aliphanus.
✠ Ego Victorius Emmanuel Bonamin, ep. tit. Bitensis.
✠ Ego Marion Franciscus Forst, ep. Dodgepolitanus.
✠ Ego Iacobus Malone, ep. tit. Alabandensis.
✠ Ego Nicolaus Cavanna, ep. Reatinus.
✠ Ego Epaminondas Ioseph de Araujo, ep. Ruibarbosensis.
✠ Ego Ioseph Goupy, ep. Blasensis.
✠ Ego Ioannes Dozolme, ep. Aniciensis.
✠ Ego Melchior Ioachim da Silva Neto, ep. tit. Cremnensis
✠ Ego Moyses Iulius Blanchoud, ep. Rivi Quarti.
✠ Ego Petrus Poreku Dery, ep. Vaensis.
✠ Ego Iacobus Flores Martin, ep. Barbastrensis.
✠ Ego Thomas Villelmus Muldoon, ep. tit. Fesseitanus.
✠ Ego Ioannes Crawford, ep. tit. Caffenus.
✠ Ego Albertus Scola, ep. Nursinus.
✠ Ego Iacobus Hagan, ep. Makurdensis.
✠ Ego Albinus Mensa, ep. Eporediensis.
✠ Ego Villelmus Connare, ep. Greensburgensis.
✠ Ego Georgius Hammes, ep. Superiorensis.
✠ Ego Antonius Dionysius Galvin, ep. tit. Letaeus.
✠ Ego Mauritius Pourchet, ep. S. Flori.
✠ Ego Eduardus Thomas Boza Masvidal, ep. tit. Vindensis.
✠ Ego Humbertus Altomare, ep. Muranus.
✠ Ego Ioseph Maximinus Eusebius Dominguez y Rodriguez, ep. Matanzensis.
✠ Ego Stephanus McGill, ep. Ergadiensis et Insularum.
✠ Ego Renatus Butibubage Lwamosa, ep. tit. Casiotanus.
✠ Ego Franciscus Xaverius Rajaonarivo, ep. Miarinarivensis.
✠ Ego Hector Rueda Hernández, ep. Bucaramanguensis.
✠ Ego Franciscus Planas Muntaner, ep. Ebusitanus.
✠ Ego Georgius Albertus Giraldo Restrepo, ep. Pastopolitanus.
✠ Ego Angelus Pérez Cisneros, ep. Barcinonensis in Venezuela.
✠ Ego David Picâo, ep. tit. Thoitanus.
✠ Ego Ioseph M. Cirarda Lachiondo, ep. tit. Drusilianensis.
✠ Ego Arturus Antonius Szymanski Ramirez, ep. tit. S. Andreae de Tuxtla.
✠ Ego Bruno Pelaia, ep. Tricaricensis.
✠ Ego Clemens Ioseph Carolus Isnard, ep. Neo-Friburgensis.
✠ Ego Anastasius Granados Garcia, ep. tit. Cidramenus.
✠ Ego Paulus Cheng, ep. tit. Ucculensis.
✠ Ego Eligius Tato Losada, ep. tit. Cardicensis.
✠ Ego Antonius Fustella, ep. Tudertinus.
✠ Ego Macarius Tinti, ep. Fabrianensis et Mathelicensis.
✠ Ego Ioseph Zimmermann, ep. Morombensis.
✠ Ego Ioseph Melhado Campos, ep. tit. Hospitensis.
✠ Ego Aniger Franciscus M. Melillo, ep. Piracicabensis.
✠ Ego Eugenius Klein, ep. tit. Echinensis.
✠ Ego Arturus Rivera Damas, ep. tit. Legiensis.
✠ Ego Leo Lemay, ep. tit. Agbiensis.
✠ Ego Salvator Sorrentino, ep. tit. Gerasenus.

✠ Ego Stephanus Desmazières, ep. Bellovacensis.
✠ Ego Gentilis Dinia Barreto, ep. Mossorensis.
✠ Ego Ioseph Brandão De Castro, ep. Propriensis.
✠ Ego Emmanuel Daddi, ep. Mausiliensis Chaldaeorum.
✠ Ego Ceslaus Sipović, ep. tit. Mariammitanus.
✠ Ego Basilius Cristea, ep. tit. Lebediensis.
✠ Ego Carolus Schmitt, ep. Auratopolitanus.
✠ Ego Humbertus Tonna, ep. Floridensis.
✠ Ego Orestes Iacobus Nuti, ep. Canalopolitanus.
✠ Ego Ioseph Brendan Houlihan, ep. Eldoretensis.
✠ Ego Garabed Amadouni, ep. tit. Amathusius in Cypro.
✠ Ego Franciscus Furey, ep. tit. Temnitanus.
✠ Ego Vladimirus Malanczuk, ep. tit. Epiphaniensis in Syria.
✠ Ego Eduardus Ioannes Harper, ep. tit. Heracleensis Ponticus.
✠ Ego Franciscus Bertoglio, ep. tit. Pariensis.
✠ Ego Ioseph Lenotti, ep. Fodianus.
✠ Ego Andreas Bontems, ep. Maurianensis.
✠ Ego Antonius Nguyen-van-Thien, ep. Vinhlongensis.
✠ Ego Benedictus Epiphanius Rodriguez, ep. tit. Arycandensis.
✠ Ego Thomas Patricius Collins, ep. tit. Sufetulensis.
✠ Ego Ioseph Raymundus Windle, ep. tit. Uzitensis.
✠ Ego Stephanus Barela, ep. Czestochoviensis.
✠ Ego Thomas Holland, ep. Salfordiensis.
✠ Ego Aloisius Ioannes Wycislo, ep. tit. Stadiensis.
✠ Ego Carolus Parteli, ep. Tacuarembianus.
✠ Ego Carolus Gnädinger, ep. tit. Celerinensis.
✠ Ego Franciscus Robertus Rush, ep. Rockhamptoniensis.
✠ Ego Paulus Aemilius Charbonneau, ep. Hullensis.
✠ Ego Ioannes M. Fortier, ep. Gaspesiensis.
✠ Ego Franciscus Ndong, ep. tit. Raphaneotanus.
✠ Ego Ioseph Tran-Van-Thien, ep. Mythoensis.
✠ Ego Vedastus M. Jacquier, ep. tit. Sufasaritanus.
✠ Ego Valentinus Vailati, ep. S. Severi.
✠ Ego Ioseph Costa Campos, ep. Valentinus in Brasilia.
✠ Ego Henricus Angelelli Carletti, ep. tit. Listrensis.
✠ Ego Abdul Ahad Sana, ep. Alquoshensis Chaldaeorum.
✠ Ego Titus Mancini, ep. tit. Vartanensis.
✠ Ego Elias Coueter, ep. tit. Tauitanus.
✠ Ego Leo Carolus Ioseph De Kesel, ep. tit. Synaitanus.
✠ Ego Henricus Laurentius Cabrera Urdangarin, ep. Mercedanianus.
✠ Ego Marcellus Gonzalez Martin, ep. Asturicensis.
✠ Ego Lambertus van Kessel, ep. Sintangensis.
✠ Ego Robertus Bézac, ep. Aturensis.
✠ Ego Ioannes Aloisius Jobidon, ep. Mzuzuensis.
✠ Ego Carmelus Zazinovic, ep. tit. Lebessenus.
✠ Ego Franciscus Kervéadou, ep. Briocensis.
✠ Ego Victor Ioannes Hermannus Ioachim Tielbeek, ep. tit. Tipasensis in Numidia.

✠ Ego Michael Antonius Salas, ep. Calabocensis.
✠ Ego Geraldus Micheletto Pellanda, ep. de Ponta Grossa.
✠ Ego Theodorus Gerardus Antonius Hendriksen, ep. tit. Eumenensis.
✠ Ego Archangelus Cerqua, ep. tit. Olbiatanus.
✠ Ego Ianuarius Prata, ep. tit. Hadrianiensis in Hellesponto.
✠ Ego Carolus Alexander Grant, ep. tit. Alindensis.
✠ Ego Ludovicus Sanchez-Moreno Lira, ep. tit. Nilopolitanus.
✠ Ego Gervasius Nkangala, ep. tit. Balburensis.
✠ Ego Vincentius McCauley, ep. Arcis Portal.
✠ Ego Villelmus Gomes, ep. tit. Parlaitanus.
✠ Ego Henricus Ioseph Soenneker, ep. Ovensburgensis.
✠ Ego Walfridus Teixeira Vieira, ep. tit. Larandensis.
✠ Ego Michael González Ibarra, ep. Rivoriensis.
✠ Ego Caesar Gatimo, ep. Nyeriensis.
✠ Ego Hippolytus Berlier, ep. Niameyensis.
✠ Ego Michael Vial, ep. Nivernensis.
✠ Ego Victorius Cecchi, ep. Forosemproniensis.
✠ Ego Marius Renatus Cornejo Radavero, ep. tit. Sanavensis.
✠ Ego Abraham François, ep. Asmarensis.
✠ Ego Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus.
✠ Ego Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis.
✠ Ego Petrus Tou, ep. Hsinchuensis.
✠ Ego Ioseph Chang Tien-Siang, ep. Kaohsiungensis.
✠ Ego Angelus Cuniberti, ep. tit. Arsinoensis in Cypro.
✠ Ego Ioseph Almici, ep. Alexandrinus Statiellorum.
✠ Ego Ioseph Gomes, ep. Bagensis.
✠ Ego Erasmus Hinojosa Hurtado, ep. Piurensis.
✠ Ego Calogerus Lauricella, ep. tit. Selensis.
✠ Ego Renatus Pailloux, ep. Arcis Rosebery.
✠ Ego Adalbertus Dominicus Marzi, ep. tit. Saesinensis.
✠ Ego Godefridus Okoye, ep. Portus Harcurtensis.
✠ Ego Franciscus Austregesilo Mesquita, ep. Afogadensis de Ingazeira.
✠ Ego Ignatius Phakoe, ep. Leribensis.
✠ Ego Ioseph Hubertus Soudant, ep. Palembangensis.
✠ Ego Ioannes Whealon, ep. tit. Andrapenus.
✠ Ego Antonius Mabutas y Lloren, ep. Laoagensis.
✠ Ego Aloisius Nganga, ep. Lisalaensis.
✠ Ego Villelmus McNaughton, ep. Inchonensis.
✠ Ego Benedictus Dominicus Coscia, ep. Jataiensis.
✠ Ego Franciscus Philippus Muguerza, ep. Novoraniensis.
✠ Ego Philippus Pocci, ep. tit. Jerichuntinus.
✠ Ego Ioannes Canestri, ep. tit. Tenediensis.
✠ Ego Caietanus Michetti, ep. tit. Irenopolitanus in Cilicia.
✠ Ego Ioseph Vairo, ep. Gravinensis et Montis Pelusii.
✠ Ego Vincentius Zazpe, ep. Raphaeliensis.
✠ Ego Ioseph de Iesu Sahagún de la Parra, ep. Tullanensis.
✠ Ego Mauritius Eugenius Magliano, ep. Rivogallaecensis.
✠ Ego Albertus Devoto, ep. Goyanensis.

✠ Ego Gerardus Ferreira Reis, ep. Leopoldinensis.
✠ Ego Petrus Bouckaert, ep. Popokabakaensis.
✠ Ego Alexander Mbuka-Nzundu, ep. tit. Cataquensis.
✠ Ego Paulus Sani, ep. Denpasarensis.
✠ Ego Ioseph Arneric, ep. Sibenicensis.
✠ Ego Albertus Hermelink, ep. de Tandjung-Karang.
✠ Ego Renatus Kérautret, ep. tit. Arcopolitanus.
✠ Ego Vido Riobé, ep. Aurelianensis.
✠ Ego Antonius Rossi, ep. Cervi Lusci.
✠ Ego Andreas Sapelak, ep. tit. Sebastopolitanus in Thracia.
✠ Ego Marcus Gregorius McGrath, ep. S. Iacobi Veraguensis.
✠ Ego Philippus Iacobus Benítez Avalos, ep. tit. Chersonesitanus in Europa.
✠ Ego Laurentius Michael Graziano, ep. tit. Limatensis.
✠ Ego Iaroslav Gabro, ep. S. Nicolai Chicagiensis Ucrainorum.
✠ Ego Augustinus Eugenius Hornyak, ep. tit. Hermonthitanus.
✠ Ego Romanus Arrieta Villalobos, ep. Pluviensis.
✠ Ego Paulus Ioseph Tavares, ep. Macaonensis.
✠ Ego Petrus Guichet, ep. tit. Stectorenus.
✠ Ego Ioseph Sibomana, ep. Ruhengeriensis.
✠ Ego Andreas Makarakiza, ep. Ngoziensis.
✠ Ego Iacobus Mbali, ep. Butaensis.
✠ Ego Ioannes B. Gahamanyi, ep. Butarensis.
✠ Ego Mauritius Rigaud, ep. Apamiensis.
✠ Ego Antonius Hofmann, ep. tit. Berenicensis.
✠ Ego Ioseph Maurus Ramalho de Alarcón Santiago, ep. Iguatuvinus.
✠ Ego Raimundus Caesar Bergamin, ep. Padangensis.
✠ Ego Paternus Nicolaus Ioannes Cornelius Geise, ep. Bogorensis.
✠ Ego Angelus Prinetto, ep. tit. Hadrianopolitanus.
✠ Ego Ioseph Ludovicus Buchkremer, ep. tit. Aggaritanus.
✠ Ego Ioannes Bluyssen, ep. tit. Aetensis.
✠ Ego Aloisius Oldani, ep. tit. Gergitanus.
✠ Ego Thomas Ioseph Drury, ep. Corporis Christi.
✠ Ego Ioannes Wosinski, ep. tit. Abaradirensis.
✠ Ego Hadrianus Ddungu, ep. Masakaensis.
✠ Ego Antonius Caillot, ep. Ebroicensis.
✠ Ego Geraldus Emmet Carter, ep. Londonensis.
✠ Ego Simon N'zita, ep. tit. Gindarensis.
✠ Ego Gerardus Huyghe, ep. Atrebatensis.
✠ Ego Hyacinthus Eccher, ep. tit. Garrianensis.
✠ Ego Petrus Saburo Hirata, ep. Oitaensis.
✠ Ego Henricus Véniat, ep. Arcis Archambault.
✠ Ego Gregorius Garavito, ep. tit. Cyparissiensis.
✠ Ego Ernestus Unterköfler, ep. tit. Latopolitanus.
✠ Ego Artemius Casas, ep. Imusensis.
✠ Ego Michael Darmancier, ep. tit. Auguritensis.
✠ Ego Paulus Ghizzoni, ep. tit. Thenitanus.
✠ Ego Robertus Caceres, ep. Melensis.
✠ Ego Aloisius Lorscheider, ep. Angelopolitanus.

✠ Ego Andreas Charles de la Brousse, ep. Divionensis.
✠ Ego Leo Maher, ep. S. Rosae in California.
✠ Ego Ioseph Villelmus Regan, ep. tit. Isindensis.
✠ Ego Antonius Quarracino, ep. S. Dominici Novem Julii.
✠ Ego Petrus Filipak, ep. Jacarezinhoensis.
✠ Ego Marcus Caliaro, ep. Sabinensis et Mandelensis.
✠ Ego Ioannes Oblak, ep. tit. Abbiritanus.
✠ Ego Ioseph Villelmus Regan, ep. tit. Isindensis.
✠ Ego Aloisius Franco Caseón, ep. Nivariensis.
✠ Ego Ioannes de Cambourg, ep. tit. Eutymensis.
✠ Ego Ioseph Amihere Essuah, ep. Kumasiensis.
✠ Ego Augustus Azzolini, ep. Makenensis.
✠ Ego Iacobus Corboy, ep. Monzensis.
✠ Ego Iulius Barbetta, ep. tit. Pharanitanus.
✠ Ego Franciscus Tortora, ep. tit. Liviensis.
✠ Ego Hermannus Volk, ep. Moguntinus.
✠ Ego Ioannes Hoffmann, ep. Vestphalianus.
✠ Ego Cyprianus Urgel Villahermosa, ep. Calbayoganus.
✠ Ego Rudolfus Graber, ep. Ratisbonensis.
✠ Ego Villelmus Sillekens, ep. Ketapangensis.
✠ Ego Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Adramyttenus.
✠ Ego Iulius Victor Daem, ep. Antverpiensis.
✠ Ego Ioseph Carreras, ep. Fororaphaelensis.
✠ Ego Ernestus Segura, ep. tit. Carpitanus.
✠ Ego Emmanuel Augustus Cárdenas, ep. tit. Aulonensis.
✠ Ego Ignatius Strecker, ep. Campofonti-Capitis Girardeaunensis.
✠ Ego Cornelius Chizzini, ep. tit. Aegaeus.
✠ Ego Cornelius De Wit, ep. tit. Amisenus.
✠ Ego Iacobus Patria, ep. Petrocoricensis.
✠ Ego Nicolaus Grimley, ep. tit. Thuburbitanus.
✠ Ego Aloisius Eduardus Henriquez Jimenez, ep. tit. Lamdiensis.
✠ Ego Aurelius Sorrentino, ep. Bovensis.
✠ Ego Eduardus Schick, ep. tit. Araditanus.
✠ Ego Ioannes Shojiro Ito, ep. Niigataensis.
✠ Ego Lambertus van Heygen, ep. Dumensis.
✠ Ego Daniel Catarzi, ep. Uviraensis.
✠ Ego Villelmus Franciscus Kupfer, ep. Taichungensis.
✠ Ego Petrus Magoshiro Matsuoka, ep. Nagoyaensis.
✠ Ego Ioannes Proni, ep. Thermularum.
✠ Ego Brennus Foley, ep. Lancastrensis.
✠ Ego Villelmus Ericus Grasar, ep. Salopiensis.
✠ Ego Iacobus Landriault, ep. Hearstensis.
✠ Ego Varnerius Boudreaux, ep. tit. Calyndensis.
✠ Ego Vincentius Baldwin, ep. tit. Bencennensis.
✠ Ego Ioannes Marchesi, ep. tit. Coelenus.
✠ Ego Michael D'Aversa, ep. tit. Macrensis in Mauretania.
✠ Ego Aloisius Liverzani, ep. Tusculanus.
✠ Ego Milo McKeon, ep. tit. Antipyrgensis.

✠ Ego Anselmus Zarza, ep. Linarenus.
✠ Ego Victorinus Alvarez Tena, ep. Apatzinganiensis.
✠ Ego Victorius M. Costantini, ep. Suessanus.
✠ Ego Franciscus Zayek, ep. tit. Callinicensis Maronitarum.
✠ Ego Owen Snedden, ep. tit. Acheloius.
✠ Ego Ioannes B. Przyklenk, ep. Januariensis.
✠ Ego Franciscus Reh, ep. tit. Macrianensis in Mauritania.
✠ Ego Carolus Ponce de Leon, ep. tit. Rhaedestenus.
✠ Ego Iulius Peeters, ep. Bueaensis.
✠ Ego Hugo Gerbermann, ep. tit. Amathusius in Palaestina.
✠ Ego Ioseph Carranza Chévez, ep. S. Rosae de Copán.
✠ Ego Raimundus Lui, ep. Paracatuensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Thomas, ep. Geraldtonensis.
✠ Ego Raphael Ayala y Ayala, ep. Tehuacaniensis.
✠ Ego Emmanuel Romero Arvizu, ep. tit. Dusensis.
✠ Ego Hugo Aufderbeck, ep. tit. Arcenus.
✠ Ego Petrus Boillon, ep. Virodunensis.
✠ Ego Michael Ioseph Green, ep. tit. Trisipensis.
✠ Ego Geraldus Vincentius McDevitt, ep. tit. Tigiensis.
✠ Ego Ioseph Gonçalves da Costa, ep. tit. Rhodopolitanus.
✠ Ego Candidus Padin, ep. tit. Tremithusius.
✠ Ego Raymundus Hunthausen, ep. Helenensis.
✠ Ego Carolus Schmidt, ep. tit. Thasiensis.
✠ Ego Achilles Palmerini, ep. Aeserniensis et Venafranus.
✠ Ego Felicianus Gonzales Ascanio, ep. Maracayensis
✠ Ego Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis.
✠ Ego Acacius Rodriguez Alves, ep. Palmonopolitanus.
✠ Ego Laurentius Trevor Picachy, ep. Jamshedpurensis.
✠ Ego Raimundus Ndudi, ep. tit. Mataritanus in Proconsulari.
✠ Ego Fortunatus Da Veiga Coutinho, ep. Belgaumensis.
✠ Ego Ludovicus Antonius Jansen, ep. Isangiensis.
✠ Ego Paschalis Bacile, ep. Iaciensis.
✠ Ego Ioseph Mancuso, ep. Mazariensis.
✠ Ego Petrus Birch, ep. Ossoriensis.
✠ Ego Ioseph Esau Robles Jiménez, ep. Tulancingensis.
✠ Ego Patricius Ioseph Dalton, ep. Yolaensis.
✠ Ego Ioannes Mouisset, ep. Nicensis.
✠ Ego Leo Tigga, ep. Dumkaensis.
✠ Ego Augustinus Frotz, ep. tit. Coradenus.
✠ Ego Ericus Benjamin, ep. Darjeelingensis.
✠ Ego Aloisius Morstabilini, ep. Brixiensis.
✠ Ego Iulianus Barni, ep. tit. Coracesiotanus.
✠ Ego Dinus Tomassini, ep. Isclanus.
✠ Ego Andreas Bréheret, ep. Cadurcensis.
✠ Ego Thomas Kuba, ep. Mahagiensis.
✠ Ego Miltonius Corrêa Pereira, ep. tit. Coronensis.
✠ Ego Alanus Leroy, ep. Kilvaensis.
✠ Ego Alfredus Cavagna, ep. tit. Tianus.

✠ Ego Aloisius Civardi, ep. tit. Thespiensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Gillmore Stock, ep. tit. Auziensis.
✠ Ego Andreas Collini, ep. tit. Zephyriensis.
✠ Ego Emmanuel De Almeida Trindade, ep. Aveirensis.
✠ Ego Climerius Almeida de Andrade, ep. Victoriensis de Conquista.
✠ Ego Ioannes Sauvage, ep. Anneciensis.
✠ Ego Hieronymus Ioseph Podestà, ep. Avellanediensis.
✠ Ego Symphorianus Lucas, ep. tit. Boriensis.
✠ Ego Marius Zanchin, ep. Fidentinus.
✠ Ego Constantinus Trapani, ep. Nicosiensis.
✠ Ego Ernestus Gonçalves da Costa, ep. Inhambaensis.
✠ Ego Ioseph Lamartine Soares, ep. tit. Fussalensis.
✠ Ego Casimirus Ioannes Majdanski, ep. tit. Zorolensis.
✠ Ego Michael Balaguer, ep. tit. Castellominoritanus.
✠ Ego Hadrianus Hipolito, ep. tit. Diospolitanus in Thracia.
✠ Ego Raphael Sarmiento Peralta, ep. Ocaniensis.
✠ Ego Remigius Ioseph De Roo, ep. Victoriensis in Insula Vancouver.
✠ Ego Thomas Villelmus Murphy, ep. Juazeiriensis.
✠ Ego Ioannes Gazza, ep. tit. Circesiensis.
✠ Ego Cyprianus Kihangire, ep. Hoimanus.
✠ Ego Ivo Georgius Renatus Ramousse, ep. tit. Pisitanus.
✠ Ego Ioannes Picco, ep. tit. Anaeus.
✠ Ego Henricus Clemens Donze, ep. Tutelensis.
✠ Ego Ioseph Arturus Costello, ep. tit. Chomatitanus.
✠ Ego Bernardus Ioseph Bueno Miele, ep. tit. Bararitanus.
✠ Ego Ioannes Ioseph Dougherty, ep. tit. Cotennensis.
✠ Ego Ioseph Nicomedes Grossi, ep. Spaeleopolitanus a Bono Iesu.
✠ Ego Aloisius Paro, ep. tit. Diocaesariensis in Isauria.
✠ Ego Pompaeus de Sá Leão y Seabre, ep. Malanjensis.
✠ Ego Stanislaus Arnoldus van Melis, ep. tit. Polemoniensis.
✠ Ego Gerardus Schaffran, ep. tit. Semneaensis.
✠ Ego Ioachim Segedi, ep. tit. Gypsariensis.
✠ Ego Clarencius Elwell, ep. tit. Conensis.
✠ Ego Ioseph Kurpas, ep. tit. Orisenus.
✠ Ego Antonius D'Erchia, ep. tit. Podaliensis.
✠ Ego Victorius Ottaviani, ep. Alatrinus.
✠ Ego Felix Niza Ribeiro, ep. Tetiensis.
✠ Ego Antonius de Saram, ep. Gallensis.
✠ Ego Villelmus Gran, ep. Osloensis.
✠ Ego Salamon Ferraz, ep. tit. Eleuthernensis.
✠ Ego Bernardus Nolker, ep. Paranaguensis.
✠ Ego Ignacius Leonorus Arroyo, ep. Tuxpaniensis.
✠ Ego Ioseph Guadalupe Padilla Lozano, ep. Verae Crucis.
✠ Ego Audenus McCoy, ep. Oyoensis.
✠ Ego Petrus Caelestinus Nkou, ep. Sangmelimaensis.
✠ Ego Clemens Carranza Lopez, ep. Esteliensis.
✠ Ego Ioseph M. Carrizo Villareal, ep. Chitrensis.
✠ Ego Marcellus Rosina, ep. tit. Aezanitanus.

✠ Ego Ildefonsus Rea, ep. tit. Coronensis.
✠ Ego Henricus Bolaños Quesada, ep. tit. Andropolitanus.
✠ Ego Georgius Henricus Speltz, ep. tit. Claniensis.
✠ Ego Andreas Rousset, ep. tit. Vagensis.
✠ Ego Gaugerius Leuliet, ep. Ambianensis.
✠ Ego Amedeus Gonzalez Ferreiro, ep. tit. Metrensis.
✠ Ego Emmanuel Lisboa De Oliveira, ep. Nazarensis.
✠ Ego Ioannes Höhne, ep. tit. Urimensis.
✠ Ego Georgius Ablewicz, ep. Tarnoviensis.
✠ Ego Dionysius Vincentius Durning, ep. Arushaensis.
✠ Ego Eduardus Macheiner, ep. tit. Seljensis.
✠ Ego Iesus Sison, ep. Tarlacensis.
✠ Ego Henricus Theissing, ep. tit. Minensis.
✠ Ego Franciscus Costa, ep. tit. Emmausensis.
✠ Ego Nivaldus Monte, ep. tit. Eluzanus.
✠ Ego Abel Conigli, ep. Biturgensis.
✠ Ego Philippus Broers, ep. Carabellensis.
✠ Ego Venceslaus Skomorucha, ep. tit. Zoarensis.
✠ Ego Ioannes Pietraszko, ep. tit. Torreblandensis.
✠ Ego Henricus Alvear Urrutia, ep. S. Philippi.
✠ Ego Marianus Gaviola, ep. Cabanatuensis.
✠ Ego Antonius Cunial, ep. Lucerinus.
✠ Ego Salvator Nicolosi, ep. Liparensis.
✠ Ego Franciscus Rossi, ep. Derthonensis.
✠ Ego Lucianus Agboka, ep. Abomeiensis.
✠ Ego Altivus Pacheco Ribeiro, ep. Barrensis de Pirahy.
✠ Ego Thomas Ryan, ep. Clonfertensis.
✠ Ego Ioannes Hermil, ep. tit. Maridensis.
✠ Ego Ioseph a Iesu Tirada Pedraza, ep. Civitatis Victoriensis.
✠ Ego Renatus Audet, ep. tit. Chonochoritanus.
✠ Ego Alfonsus Gerardus Bannwarth, ep. Suessionensis.
✠ Ego Ioannes Melis Fois, ep. Ampuriensis et Templensis.
✠ Ego Laurentius Michael De Falco, ep. Amarillensis.
✠ Ego Adolfus Rodriguez Herrera, ep. Camagueyensis.
✠ Ego Hamletus De Angelis, ep. Vianensis.
✠ Ego Normannus Ioseph Gallagher, ep. tit. Adrasenus.
✠ Ego Ioseph Wilhelm, ep. tit. Saccacotenus.
✠ Ego Laurentius Noël, ep. tit. Agathopolitanus.
✠ Ego Franciscus Esteves Dias, ep. Lusitanianus.
✠ Ego Thomas Vaquero, ep. S. Ioannis in Brasilia.
✠ Ego Basilius Petrus Carolus Habra, ep. tit. Bathnensis Syrorum.
✠ Ego Ioannes B. Mudartha, ep. tit. Idebessanus.
✠ Ego Stephanus Courtois, ep. Kayesensis.
✠ Ego Desiderius de Montclos, ep. Sikassensis.
✠ Ego Ioannes Zareba, ep. tit. Bityliensis.
✠ Ego Aloisius Ioannes Tomé, ep. Mercedensis.
✠ Ego Mesrob Terzian, ep. tit. Comanensis in Armenia.
✠ Ego Ioseph a Carmine Valle Gallardo, ep. tit. Germanicensis in Numidia.

✠ Ego Hieronymus Hastrich, ep. tit. Gurzensis.
✠ Ego Aloisius Bettazzi, ep. tit. Thagastensis.
✠ Ego Arnoldus Radulphus Cotey, ep. Nachingweaensis.
✠ Ego Felicissimus Raeymaeckers, ep. tit. Aperlitanus.
✠ Ego Ioseph Khiamsun Nittayo, ep. Bangkokensis.
✠ Ego Ioannes Carlos Ferro, ep. Ss.mae Conceptionis in Argentina.
✠ Ego Italus Severinus Di Stefano, ep. S. Rochi.
✠ Ego Albertus Thomas, ep. Bathurstensis.
✠ Ego Victorinus Kong-hi Youn, ep. Suwonensis.
✠ Ego Ioseph Petralia, ep. Agrigentinus.
✠ Ego Henricus Pechuán Marin, ep. Crucis Axeatae.
✠ Ego Ioseph Stimpfle, ep. Augustanus Vindelicorum.
✠ Ego Eugenius Abissa Kwaku, ep. Abenguruensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Elkichi Tanaka, ep. Takamatsuensis.
✠ Ego Fredericus Sargolini, ep. tit. Lysiadensis.
✠ Ego Clemens Kabukasansha, ep. Kasamaensis.
✠ Ego Iulius Leguerrier, ep. tit. Bavagaliensis.
✠ Ego Fridericus Kaiser, ep. tit. Berrhoeensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius de Piedade Rebello, ep. tit. Tipasitanus in Mauretania.
✠ Ego Boleslaus Micas Taborski, ep. tit. Dicensis.
✠ Ego Eduardus Fedders, ep. tit. Antiochenus ad Meandrum.
✠ Ego Bartholomaeus Carrasco, ep. Huejutlensis.
✠ Ego Alfonsus Mathias, ep. Chikmagalurensis.
✠ Ego Matthias Fernandes, ep. Mysuriensis.
✠ Ego Villelmus Dunne, ep. Kituiensis.
✠ Ego Radulfus Silva Silva, ep. tit. Eudoxiadensis.
✠ Ego Ignatius M. De Orbegozo y Goicoechea, ep. tit. Ariassensis.
✠ Ego Ioseph Daley, ep. tit. Barcaeus.
✠ Ego Victor Garaygordobil, ep. tit. Pudentianensis.
✠ Ego Vincentius Maya Guzman, ep. tit. Comanensis Ponticus.
✠ Ego Andreas Petrus Cornelius Sol, ep. Amboinaensis.
✠ Ego Ignatius Gopu, ep. tit. Feraditanus maior.
✠ Ego Bernardus Cazzaro, ep. tit. Pyrgensis.
✠ Ego Ambrosius Yeddanapally, ep. Bellaryensis.
✠ Ego Carolus Manziana, ep. Cremensis.
✠ Ego Ioannes Paulus M. Vincent, ep. Baionensis, Lascurrensis et Oloronensis.
✠ Ego Ioannes Kaldany, ep. tit. Gabenus.
✠ Ego Iacobus Martin, ep. tit. Neapolitanus in Palaestina.
✠ Ego Gabriel Diaz Cueva, ep. tit. Arensis in Numidia.
✠ Ego Daniel Sheehan, ep. tit. Capsensis.
✠ Ego Philippus a Iesu Cueto González, ep. Tlalnepantlanus.
✠ Ego Ioannes de Reeper, ep. Kisumaensis.
✠ Ego Leo Chambon, ep. Bossangoensis.
✠ Ego Georgius Hilarius Dupont, ep. Palaensis.
✠ Ego Aeneas Selis, ep. tit. Caesariensis in Mauretania.
✠ Ego Bogdan Marianus Vincentius Sikorski, ep. Plocensis.
✠ Ego Villelmus Gordon Wheeler, ep. tit. Theudalensis.
✠ Ego Ioannes Wiesen, ep. tit. Telmissensis.

✠ Ego Paulus Muñoz Vega, ep. tit. Ceramensis.
✠ Ego Antonius Maanicus, ep. Bangassuensis.
✠ Ego Albertus Ioseph Tsiahoana, ep. tit. Abtugnitanus.
✠ Ego Henricus Ioseph Cornelius De Cocq, ep. tit. Aquensis in Byzacena.
✠ Ego Valdirus Calheiros de Novais, ep. tit. Muliensis.
✠ Ego Franciscus Kuharić, ep. tit. Metensis.
✠ Ego Antonius de Castro Xavier Montiero, ep. tit. Ombitanus.
✠ Ego Ioseph Albertus Lopes de Castro Pinto, ep. tit. Hieropolitanus in Isauria.
✠ Ego Thomas Andreas Donnellan, ep. Ogdenburgensis.
✠ Ego Carolus Colombo, ep. tit. Victorianensis.
✠ Ego Lucas Olu Chukwuka Nwaezeapu, ep. Varriensis.
✠ Ego Ferdinandus Azcárate de Andrada, ep. tit. Cefalensis.
✠ Ego Carolus Oviedo Cavada, ep. tit. Beneventensis.
✠ Ego Eduardus Pironio, ep. tit. Caeciritanus.
✠ Ego Romulus Alberti, ep. Apucaranensis.
✠ Ego Patiens Redois, ep. Natatinguensis.
✠ Ego Lucianus Metzinger, ep. tit. Autentensis.
✠ Ego Paulus Verschuren, ep. tit. Aquaesirensis.
✠ Ego Pius Benincasa, ep. tit. Burunitanus.
✠ Ego Stanislaus Brzana, ep. tit. Cufrutensis.
✠ Ego Paulus Hnilica, ep. tit. Rusadicensis.
✠ Ego Hadrianus Gand, ep. tit. Macrianensis minor.
✠ Ego Edmundus Quaglia Martinez, ep. Jodinensis.
✠ Ego Leontius Albertus Van Peteghem, ep. Gandavensis.
✠ Ego Ernestus Camagni, ep. tit. Svavensis.
✠ Ego Ioannes Gerardus Willebrands, ep. tit. Maurianensis.
✠ Ego Iulius Franco Arango, ep. Duitamensis.
✠ Ego Petrus Salmon, ep. tit. Jucundiana.
✠ Ego Ioannes Fallani, ep. tit. Parthensiensis.
✠ Ego Ioseph Guerra Campos, ep. tit. Mutiensis.
✠ Ego Maximinus Romero Lema, ep. tit. Hortensis.
✠ Ego Daniel Henricus Nuñez, ep. Davidensis.
✠ Ego Marcellus Chauvin, ep. Fada Ngurmaensis.
✠ Ego Eduardus Lawton, ep. Sokotoensis.
✠ Ego Eugenius Iacobus Peyrou, ep. Rivadavia.
✠ Ego Albertus Ndongmo, ep. Nkongsambensis.
✠ Ego Ioannes Bianchi, ep. tit. Seleucianensis.
✠ Ego Ioseph Aurelius Plourde, ep. tit. Lapdensis.
✠ Ego Hubertus D'Rosario, ep. Dibrugarhensis.
✠ Ego Augustus Delisle, ep. Kabbaensis.
✠ Ego Maurus Rubio Repullès, ep. Salmantinus.
✠ Ego Ioannes Badré, ep. tit. Aquanovensis in Proconsulari.
✠ Ego Henricus Dias Nogueira, ep. Cabralopolitanus.
✠ Ego Brianus Patritius Ashby, ep. Christopolitanus.
✠ Ego Ianuarius Jenko, ep. tit. Acufidensis.
✠ Ego Petrus Paulus Koop, ep. Linensis.
✠ Ego Antonius Hacault, ep. tit. Mediensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Nierhoff, ep. Florestensis.

✠ Ego Michael Rusnak, ep. tit. Tzernicensis.
✠ Ego Renatus Spallanzani, ep. tit. Mazacensis.
✠ Ego Paulus Brezanóczy, ep. tit. Rotariensis.
✠ Ego Ioseph Bánk, ep. tit. Materianensis.
✠ Ego Ioseph Ijjas, ep. tit. Tagaratensis.
✠ Ego Ioseph Cserháti, ep. tit. Melzitanus.
✠ Ego Vedastus Hains, ep. tit. Belesasensis.
✠ Ego Iulianus Vaivods, ep. tit. Macrianensis maioris.
✠ Ego Marcus Ribardoni, ep. tit. Africanus.
✠ Ego Ioseph Marafini, ep. Verulanus-Frusinatensis.
✠ Ego Petrus Augustus Boussard, ep. Venetensis.
✠ Ego Gabriel Matagrin, ep. tit. Florianensis.
✠ Ego Ioannes Vilnet, ep. S. Deodati.
✠ Ego Bernardus Oguki Atakjah, ep. Atakpamensis.
✠ Ego Marcellus Evaristus Van Rengen, ep. Mvekaensis.
✠ Ego Albertus Zambrano Palacios, ep. tit. Casensis in Numidia.
✠ Ego Laudislaus Rubin, ep. tit. Sertensis.
✠ Ego Daniel Donaldus Herlihy, ep. Fernensis.
✠ Ego Ioseph Perrot, ep. Sanensis.
✠ Ego Laurentius Moran, ep. tit. Caesareensis Philippi.
✠ Ego Bernardus Ratsimamotoa, ep. Morondanensis.
✠ Ego Michael Foylan, ep. Aberdonensis.
✠ Ego Franciscus Brazys, ep. tit. Zellensis.
✠ Ego Iacobus Ddongo, ep. tit. Bahannensis.
✠ Ego Franciscus Thomson, ep. Matrisfontis.
✠ Ego Adolfus Proulx, ep. tit. Missuensis.
✠ Ego Raphael Grovas, ep. Caguanus.
✠ Ego Justinus Pastorino, ep. tit. Babrensis.
✠ Ego Eduardus Herrera Riesca, ep. tit. Sertensis.
✠ Ego Iacobus Ciona, ep. tit. Bacanariensis.
✠ Ego Michael Callens, ep. tit. Maxoritanus.
✠ Ego Jacobus Martin Hayes, ep. tit. Reperitanus.
✠ Ego Sylvius M. Dario, ep. tit. Oppodonovensis.
✠ Ego Iacobus Nguyen Ngoc Quang, ep. Canthoensis.
✠ Ego Basilius D'Souza, ep. Mangalorensis.
✠ Ego Franciscus Henricus Greteman, ep. tit. Vissalsensis.
✠ Ego Aloisius Clemens de la Vega Rodriguez, ep. Tulcanensis.
✠ Ego Ioannes B. Brunon, ep. tit. Vagalitanus.
✠ Ego Petrus Hoang Min Syeng, ep. Taeiconensis.
✠ Ego Urbanus Eugenius McGarry, ep. Bhagalpurensis.
✠ Ego Ioannes Martensen, ep. Hafnieae.
✠ Ego Ioseph Carata, ep. tit. Praesidiensis.
✠ Ego Eugenius Franciscus Vroemen, ep. Ciquavana.
✠ Ego Gabriel Ukee, ep. Buniaensis.
✠ Ego Eduardus McCarthy, ep. tit. Tamascensis.
✠ Ego Martinus Legarra Tellechea, ep. tit. Lupercianensis.
✠ Ego Cyrillus Vogel, ep. Selinensis.
✠ Ego Alexander Piazza, ep. Albingensis.

✠ Ego Antonius Columba McFeely, ep. Rapotensis.
✠ Ego Daniel Tji, Hak Soun, ep. Woniuensis.
✠ Ego Alfredus Michael Watson, ep. tit. Nationensis.
✠ Ego Eugenius Polge, ep. tit. Thiavensis.
✠ Ego Bernardus Alix, ep. tit. Medianensis.
✠ Ego Alanus van Gaver, ep. tit. Nakornrasimaensis.
✠ Ego Ioseph a Trinitate Sepulveda Ruiz Velasco, ep. Tuxtlensis.
✠ Ego Nevin Villelmus Hayes, ep. tit. Novasinnensis.
✠ Ego Raimundus Gallagher, ep. Lafayettensis in Indiana.
✠ Ego Vincentius Pichol Montiz, ep. Santanderiensis.
✠ Ego Ioannes Navarro Ramirez, ep. Civitatis Altamirensis.
✠ Ego Gabinus Diaz Merchán, ep. Guadicensis.
✠ Ego Iucundus Grotti, ep. tit. Thunigabensis.
✠ Ego Raphael Angelus González Ramirez, ep. Barinensis.
✠ Ego Marcus Antonius Noronha, ep. el. Itabirensis.
✠ Ego Constantinus Maradei Donato, ep. Cabimensis.
✠ Ego Loras Ioseph Watters, ep. tit. Fidolomensis.
✠ Ego Theophilus A. Cadoux, ep. Kaolackensis.
✠ Ego Franciscus Arinza, ep. tit. Fissianensis.
✠ Ego Iesus M. Pellin, ep. tit. Aquensis.
✠ Ego Ioannes da Silva Saraiva, ep. tit. Moptensis.
✠ Ego Carolus Ambrosius Lewis, ep. tit. Novapetrensis.
✠ Ego Georgius Benedictus Gassongo, ep. tit. Cubdensis.
✠ Ego Aloisius Maverna, ep. tit. Vannidensis.
✠ Ego Olympus Santiago Maresma, ep. Gegitanus.
✠ Ego Firminus Martin Schmidt, ep. tit. Conanensis.
✠ Ego Petrus Bartholomaeus Hanrion, ep. Dapangensis.
✠ Ego Emmanuel Castro Ruiz, ep. tit. Cincaritanus.
✠ Ego Raphael Nze Abuy, ep. tit. Sutunurcensis.
✠ Ego Ioseph Breitenbeck, ep. tit. Tepeltensis.
✠ Ego Henricus Beel, ep. tit. Sucardensis.
✠ Ego Iulius Taveres Rebimbas, ep. Pharaonensis.
✠ Ego Ismael Blasius Rolòn Silvero, ep. tit. el. Furnitanus maior.
✠ Ego Hieronymus Pechillo, ep. tit. el. Novasparsensis.
✠ Ego Bernardus Ratsimamotoa, ep. Morondavensis.

Ego Petrus Romualdus Zilianti, abbas nullius S. Mariae Oliveti Maioris.
Ego Martinus Michler, abbas nullius B. M. V. de Monteserrato Fluminis Ianuarii.
Ego Henricus Groner, abbas nullius B. M. V. Maris Stellae.
Ego Anselmus Ludovicus Tranfaglia, abbas nullius Montis Virginis.
Ego Faustus Mezza, abbas nullius Ss.mae Trinitatis Cavensis.
Ego Raimundus Tschudy, abbas nullius Einsiedlensis.
Ego Valtherus Arturus Coggin, abbas nullius M. Mariae Auxiliatricis de Belmont.
Ego Hieronymus Ferdinandus Weber, abbas nullius S. Petri apud Münster.
Ego Theodorus Minisci, abbas nullius B. Mariae Cryptaeferratae.
Ego Aegidius Gavazzi, abbas Sublacensis.
Ego Gregorius Gomez, abbas nullius Novae Nurciae.
Ego Ioannes Franzoni, abbas nullius S. Pauli in Urbe.

Ego Servilius Conti, prael. nullius Roraimensis.
Ego Iacobus Carolus Burke, prael. nullius Chimbotiensis.
Ego Alquilius Alvarez Diaz, prael. nullius Maraiensis.
Ego Redemptus Gauci, prael. nullius Chuquibambensis.
Ego Franciscus McHugh, prael. nullius Itacoatiarensis.
Ego Florentinus Armas Lerena, prael. nullius Chotensis.
Ego Damianus Nicolau, prael. nullius Huamacucianus.
Ego Raimundus Salas Valdes, prael. nullius Aricensis.
Ego Angelus Rivato, prael. nullius Petrosi Culminis.
Ego Marius Robertus Anglim, prael. nullius Coaritanus.
Ego Ioannes Conway McNabb, prael. nullius Chulucanensis.
Ego Nicolaus D'Antonio Salza, prael. nullius Immac. Conc. B. M. V. in Olancho.
Ego Hadrianus Veigle, prael. nullius Borbensis.

Ego Petrus Moretti, praef. apost. Tungchovensis.
Ego Quintinus Pessers, praef. apost. Kiangchovensis.
Ego Matthias Buchholz, praef. apost. Shihtsienensis.
Ego Dominicus Desperben, praef. apost. Hainanensis.
Ego Hermenegildus da Losenstein, praef. apost. Khiamuszeensis.
Ego Petrus Maleddu, praef. apost. Hinganfuensis.
Ego Dominicus Ferrara, praef. apost. Mopoiensis.
Ego Eduardus Gabriel Quint, praef. apost. Veihaiveiensis.
Ego Henricus Vallejo, praef. apost. Tierradentroensis.
Ego Georgius Breen, praef. apost. Haflongensis.
Ego Iacobus Ireland, praef. apost. de Insulis Falkland seu Malvinis.
Ego Albanus de Blackburn, praef. apost. de Jullundur.
Ego Aloisius Dettmer, praef. apost. De Aarensis.
Ego Heribertus Correa Yepes, praef. apost. Mituensis.
Ego Clarentius Iacobus Duhart, praef. apost. Udonthanensis.
Ego Ioseph a Iesu Arango, praef. apost. Guapiensis.
Ego Felix Erviti, praef. apost. de Sahara Hispaniae et Ifni.
Ego Emmanuel Gomez Frande, praef. apost. S. Michaelis de Sucumbios.
Ego Ioannes Giordani, praef. apost. Paciensis in California Inferiori.
Ego Villelmus Van den Elzen, praef. apost. Dorumaensis.
Ego Attilius Previtali, praef. apost. Misuratensis.
Ego Urbanus Murphy, praef. apost. Bechuanalandensis.
Ego Rupertus Hillerich, praef. apost. Solwenziensis.
Ego Villelmus Mahony, praef. apost. Ilorinensis.
Ego Hermannus Gerardus Te Riele, praef. apost. Malakalensis.
Ego Edvinus Kinch, praef. apost. Ingwavumensis.
Ego Ioannes Thomas Durkin, praef. apost. de Louis Trichardt.
Ego Ioannes Boerkamp, praef. apost. Kashmirensis et Jammuensis.
Ego Antonius de Hornedo Correa, praef. apost. S. Francisci Xaverii.
Ego Angelus Romaniello, praef. apost. Kweilinensis.
Ego Henricus Hubertus Winkelmolen, praef. apost. Samensis.
Ego Iesus Coronado Caro, praef. apost. Ariariensis.
Ego Colin Davies, praef. apost. de Ngong.
Ego Emanuel de Baizama Labaca Ugarte, praef. apost. Aguaricoensis.

Ego Edmundus Ioseph Fitzgibbon, praef. apost. Minnaensis.
Ego Paschalis Sweeney, praef. apost. Vanimo.
Ego Andreas Loucheur, praef. apost. Bafiensis.
Ego Ioseph Kantzian, ordinarius Armenorum Graeciae.
Ego Ianuarius Paul, ordinarius Chandaensis.

Ego Ioseph Soetemans, abbas gen. Congr. Ss.mi Salvatoris Lateranensis.
Ego Gebardus Koberger, abbas gen. Congr. Canonicorum Regularium S. Augustini Lateranensium Austriaca.
Ego Angelinus Lovey, praep. gen. Congr. Ss. Nicolai et Bernardi Montis Iovis.
Ego Norbertus Calmels, abbas gen. O. Praem.
Ego Villelmus Van Hees, magister gen. O.S.Cr.
Ego Benno Gut, abbas primas O.S.B.
Ego Albertus Clerici, abbas praeses Congr. Cassinensis O.S.B.
Ego Christophorus Butler, praeses Congr. Angliae O.S.B.
Ego Ioannes Hoeck, praeses Congr. Bavaricae O.S.B.
Ego Ioannes Prou, sup. gen. Congr. Gallicae O.S.B.
Ego Balduinus Dworschak, praeses Congr. Americanae Cassinensis O.S.B.
Ego Petrus Borne, praeses Congr. Beuronensis O.S.B.
Ego Petrus Caelestinus Gusi, abbas gen. Congr. Sublacensis O.S.B.
Ego David Melancon, praeses Congr. Helveto-Americanae O.S.B.
Ego Maurus Riha, praeses Congr. Austriacae ab Immaculata Conceptione.
Ego Henricus Brechter, archiabbas Congr. Ottiliensis O.S.B.
Ego Godefridus Dayez, praeses Congr. Belgicae ab Annuntiatione B.M.V.
Ego Maurus Verzich, praeses Congr. Slavae S. Adalberti.
Ego Aliprandus Catani, prior gen. Congr. Monachorum Eremitarum Camaldulensium O.S.B.
Ego Iacobus Del Rio, maior Congr. Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae.
Ego Alfonsus Salvini, abbas gen. Congr. Vallis Umbrosae O.S.B.
Ego Leo Cornelli, abbas gen. Congr. Silvestrinae O.S.B.
Ego Hemaiagh Ghedigian, abb. gen. Melch. Venet.
Ego Sighardus Kleiner, abbas gen. S. Ord. Cist.
Ego Carolus Braunstorfer, abbas praeses Congr. Austriacae S. Ord. Cist.
Ego Theobaldus Moscatelli, abbas praeses Congr. S. Bernardi Italiae S. Ord. Cist.
Ego Ioannes Van Engelen, abbas praeses Congr. Belgicae S. Ord. Cist.
Ego Nivardus Buttarazzi, abbas praeses Congr. Casamari S. Ord. Cist.
Ego Emmanuel Chu-kim-Tuyen, abb. praeses Congr. S. Familiae S. Ord. Cist.
Ego Ignatius Gillet, abb. gen. ord. Cist. Ref.
Ego Georgius Tomzinski, prior gen. S. Paoli Primi Eremitae.
Ego Basilius Heiser, min. gen. O.F.M. Conv.
Ego Clementinus a Vlissingen, min. gen. O.F.M. Cap.
Ego Ludovicus Secondo, min. gen. T.O.R.
Ego Augustinus Trapé, prior gen. O.E.S.A.
Ego Ioseph Torbey, sup. gen. Ordinis Antoniani Libanensis Maronitarum.
Ego Maroun Harika, sup. gen. Ordinis Antoniani S. Isaiae Maronitarum.
Ego Athanasius Welyckj, sup. gen. Ordinis Basiliani S. Iosaphat.
Ego Anicetus Fernandez Alonso, mag. gen. O.P.
Ego Angelus Almárcegui, prior gen. O.R.S.A.

Ego Gabriel dell'Addolorata Marinucci, prior gen. Ordinis Fratrum Eremitarum Discalceatorum S. Augustini.
Ego Kilianus Healy, prior gen. O. Carm.
Ego Anastasius a SS. Rosario, praep. gen. O.C.D.
Ego Michael a Iesu, min. gen. Ordinis Ss.mae Trinitatis redemptionis captivorum.
Ego Bernardus Navarro Allende, mag. gen. O. de M.
Ego Ioseph Loftus, prior gen. O.S.M.
Ego Marianus Tumler, Magister Superior Ord. Teutonici.
Ego Antonius Sagrera, praep. gen. Ordinis Theatinorum.
Ego Ioannes Bernasconi, praep. gen. Congr. Barnabitarum.
Ego Petrus Arrupe, praep. gen. S.I.
Ego Ioseph Boeris, praep. gen. Ordinis C.R.S.
Ego Forsennius Vezzani, praef. gen. Ordinis Min. Inf.
Ego Florillus Piersanti, praep. gen. CC.RR.MM.
Ego Aloisius De Santis, rector gen. O.M.D.
Ego Vincentius Tomek, praep. gen. Sch. P.
Ego Octorinus Rolando, praep. gen. Congr. Presb. Doctr. Christ.
Ego Theodorus Foley, praep. gen. C.P.
Ego Villelmus Gaudreau, rector maior C.SS.R.
Ego Henricus Systermans, sup. gen. SS.CC.
Ego Michael Sudres, sup. gen. C.S.V.
Ego Ioseph Buckley, praep. gen. S.M.
Ego Cornelius Heiligers, sup. gen. S.M.M.
Ego Leo Deschâtelets, sup. gen. O.M.I.
Ego Paulus Ioseph Hoffer, sup. gen. S.M.
Ego Ioannes Gaddo, praep. gen. I.C.
Ego Germanus M. Lalande, sup. gen. C.S.C.
Ego Vilfridus Ioseph Dufault, sup. gen. A.A.
Ego Rolandus Huot, sup. gen. S.S.S.
Ego Petrus Schweiger, sup. gen. C.M.F.
Ego Aloisius Ricceri, rector maior Societatis S. Francisci Salesii.
Ego Ioseph Van Kerckhoven, sup. gen. M.S.C.
Ego Villelmus Buckley, sup. gen. O.S.F.S.
Ego Ioannes Schütte, sup. gen. S.V.D.
Ego Villelmus Slattery, sup. gen. C.M.
Ego Villelmus Möhler, rector gen. S.A.C.
Ego Leo Volker, sup. gen. P.A.
Ego Geraldus Mahon, sup. gen. M.H.M.
Ego Ioseph Antonius De Palma, sup. gen. S.C.I.
Ego Gaetanus Briani, sup. gen. F.S.C.I.
Ego Omer Degrijse, sup. gen. C.I.C.M.
Ego Maurinus Rast, sup. gen. S.D.S.
Ego Maurus a Matre Perdolente, prior gen. C.M.I.
Ego Dominicus Fiorina, sup. gen. I.M.C.
Ego Henricus Bliestle, sup. gen. M.S.F.
Ego Iacobus Alberione, sup. gen. S.S.P.
Ego Ioseph Zambarbieri, dir. gen. Don Orione.
Ego Iacobus Kielt, sup. gen. Soc. S. Colombani.

PROCURATORES *

✠ Andreas Rohracher, arch. Salisburgensis, primas Germaniae (Adam Hefter, arch. tit. Maximianopolitanus in Rhodope).
✠ Michael Darius Miranda y Gomez, arch. Mexicanus, primas Mexici (Franciscus Orozco Lomelin, ep. tit. Vitensis).
✠ Michael Darius Miranda y Gomez, arch. Mexicanus, primas Mexici (Ioseph Villalón Mercado, ep. tit. Hermianensis).
✠ Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia (Augustus Grimault, ep. tit. Maximianopolitanus in Palaestina).
✠ Ioannes Kodwo Amissah, arch. Littoris Capitis (Ioseph Bowers, ep. Accraensis).
✠ Hannibal Muñoz Duque, arch. Neo-Pampilonensis (Ioannes Ioseph Diaz Plata, prael. Bertraniae in Catatumbo).
✠ Gasto Mojaisky-Perelli, arch. ep. Nusanus (Christophorus Dominicus Carullo, arch. Composanus).
✠ Alexander Gonçalves do Amaral, arch. Uberabensis (Almirus Marques Ferreira, ep. Fertiliensis).
✠ Geraldus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus (Ioseph Mauritius da Rocha, ep. Brigantiensis in Brasilia).
✠ Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis (Andreas Leclerc, ep. tit. Haephestiensis).
✠ Ioseph Varani, ep. Jaboticaballensis (Lafayette Libânio, ep. Riopretensis).
✠ Ioseph Varani, ep. Iaboticaballensis (Ioseph Ioachim Gonçalves, ep. tit. Tanitanus).
✠ Ioannes Beniaminus Grellinger, ep. tit. Siene (Stanislaus Vincentius Bona, ep. Sinus Viridis).
✠ Albertus Conradus De Vito, ep. Lucknovensis (Ioannes Angelus Poli, ep. tit. Pertensis).
✠ Reginaldus Ioannes Delargey, ep. tit. Hirinensis (Iacobus Michael Liston, ep. Aucopolitanus).
✠ Henricus Mazerat, ep. Andegavensis (Augustus Ioseph Gaudel, ep. tit. Nisyensis).
✠ Georgius Jacquot, ep. Vapicensis (Augustus Bonnabel, ep. tit. Zuritanus).
✠ Ioannes Theodorus Senner, ep. Cochabambensis (Petrus Franciscus Luna, ep. tit. Titoiolitanus).
✠ Ioseph Carranza Chévez, ep. S. Rosae de Copán (Leonellus Berti, ep. tit. Germanicopolitanus).
✠ Andreas Van den Bronk, ep. Parakuensis (Ioseph Geraldus Holland, ep. tit. Cynopolitanus in Aegypto).
✠ Ioannes Carolus McCormick, ep. Altunensis-Johnstoniensis (Ioseph M. Yuen Cing Ping, ep. Ciumatiensis).
✠ Ioseph Emmanuel Piña Torres, ep. tit. Milevitanus (Anastasius Hurtado y Robles, ep. Tepicensis).
✠ Alfonsus Niehues, arch. tit. Aptucensis (Ioachim Domingues de Oliveira, arch. Florianopolitanus).

* Intra uncos refertur nomen Patris, qui repraesentatur.

✠ Alfonsus Niehues, arch. tit. Aptucensis (Daniel Hostin, ep. Lagensis).
✠ Ioseph Bonacini, ep. Brittinoriensis (Angelus Calabretta, ep. Nepensis).
✠ Radulfus Silva Silva, ep. tit. Eudoxiadensis (Eduardus Larrain Cordovez, ep. Rancaguensis).
✠ Raphael Bidawid, ep. Amadiensis (Ioseph Gogué, ep. Basrensis Chaldaeorum).
✠ Eduardus Jetté, ep. tit. Tabenus (Ioseph Arturus Papineau, ep. Joliettensis).
✠ Bernardus Ioseph Bueno Miele, ep. tit. Bararitanus (Paulus de Tarso Campos, ep. Caminensis).
✠ Nigellus Farren, ep. Derriensis (Ioannes McGinley, ep. tit. Croensis).
✠ Albertus Aloisius Fletcher, ep. Petriculensis (Iacobus Albertus Duffy, ep. tit. Silandensis).
✠ Carolus Villelmus Hartl, ep. tit. Stratonicensis in Caria (Pius Albertus Fariña Fariña, ep. tit. Citharizenus).
✠ Marius Paré, ep. Chicoutimiensis (Georgius Melançon, arch. tit. Esbonitanus).
✠ Carmelus Zazinović, ep. tit. Lebessenus (Ioseph Srebrnić, arch.-ep. Veglensis).
✠ Climerius Almeida de Andrade, ep. Victoriensis de Conquista (Florentius Sisenius Vieira, ep. Amargosensis).
✠ Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus (Alfonsus Toriz Cobián, ep. Queretarensis).
✠ Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus (Ioseph Salazar Lopez, ep. tit. Prusiensis).
✠ Vido Riobé, ep. Aurelianensis (Robertus Picard de la Vacquerie, arch. Amidenus).
✠ Ego Laurentius Michael Graziano, ep. tit. Limatensis (Beniamin Barrera y Reyes, ep. S. Annae).
✠ Raphael Calabria, arch. Beneventanus (Ioannes Rizzo, arch. Rossanensis).
✠ Ego Arturus Mery Beckdorf, arch. tit. Phasianus (Raimundus Munita Eyzaguirre, ep. tit. Maximianensis in Numidia).
✠ Ego Ioseph Maria Cuenco, arch. Jarensis (Ioannes Nilmar, ep. tit. Zaparensis).
✠ Ego Andreas Gregorius Grutka, ep. Gariensis (Hugo Donohoe, ep. Stocktoniensis).
✠ Ego Radulfus Zambrano Camader, ep. Facatativensis (Carolus Alfonsus Gachet, ep. Castriesensis).
✠ Ego Ioseph Bonfiglioli, arch. tit. Darnitanus (Hector Baranzini, arch. Syracusanus).
✠ Ego Alexander Derouineau, arch. Coenmimensis (Ioannes Larrart, arch. Cuoeiiamensis).
✠ Ego Antonius Lopez Aviña, arch. Durangensis (Linus Aguirre Garcia, ep. Culiacanensis).
✠ Ego Aemilius de Brigard Ortiz, ep. tit. Dystiensis (Hyacinthus Vasquez Ochea, ep. Espinalensis).
✠ Ego Simon Hua Nguyen-van-Hien, ep. Dalatensis (Ioannes Morcellini, ep. Comaciensis).
✠ Ego Simon Hua Nguyen-van Hien, ep. Dalatensis (Ioannes Casaigne, ep. tit. Gadarensis).
✠ Ego Gilbertus Baroni, ep. Geriensis in Aemilia (Ioseph Thibault, ep. tit. Canathenus).

✠ Ego Donaldus Herlihy, ep. Fernensis (Thomas Keogh, ep. Darensis et Leighliensis).
✠ Ego Raimundus Iglesias Navarri, ep. Urgellensis (Gregorius Modrego y Casáus, arch. Barcinonensis).
✠ Ego Albertus Conradus de Vito, ep. Lucknovensis (Michael Klepacz, ep. Lodzensis).
✠ Ego Daniel Tavares Baeta Neves, ep. Septemlacunensis (Ioseph a Iesu Garcia Ayela, ep. tit. Lacedaemoniensis).
✠ Ego Alfonsus Emmanuel Escalante, ep. tit. Soranus (Ioseph a Iesu Angulo del Valle y Navarro, ep. Tabasquensis).
✠ Ego Albertus Cousineau, ep. Capitis Haitiani (Ioannes M. Jan, ep. tit Edistianensis).
✠ Ego Raphael Alvarez Lara, ep. Maioricensis (Bartholomaeus Pascual Marroig, ep. Minoricensis).
✠ Ego Stanislaus Courbe, ep. tit. Castoriensis (Petrus Brot, ep. tit. Marcianensis).
✠ Ego Franciscus Borgias do Amaral, ep. Taubatensis (Carolus Carmelus de Vasconcellos Motta, card. arch. Apparitiopolitanus).
✠ Ego Fremiot Torres Oliver, ep. Poncensis (Aloisius Aponte Martinez, ep. S. Ioannis Portoricensis).
✠ Ego Vincentius de Araújo Matos, ep. Cratensis (Aurelianus Matos, ep. Limociensis).
✠ Ego Daniel Chinnayan Arulswami, ep. Kumbakonamensis (Petrus Francia, ep. tit. Arabissenus).
✠ Ego Carolus Garret Maloney, ep. tit. Capsitanus (Ioannes Alexander Floersh, arch. Ludovicopolitanus).
✠ Ego Hubertus Newell, ep. Cheyennensis (Bernardinus Sullivan, ep. tit. Alicarnessensis).
✠ Ego Andreas Collini, ep. tit. Zephyriensis (Ioannes B. Llosa, ep. Adiacensis).
✠ Ego Virgilius Copas, ep. tit. Bennefensis (Ioannes Franciscus Doyle, ep. tit. Onuphitanus).
✠ Ego Iacobus Flores Martin, ep. Barbastrensis (Linus Rodrigo Ruesca, ep. Oscensis).
✠ Ego Ioannes Villelmus Comber, ep. tit. Foratianensis (Eduardus McGurken, ep. Shinyangaensis).
✠ Ego Caelestinus Bezmalinović, ep. tit. Hadrumetinus (Michael Pušić, arch. ep. Pharensis).
✠ Ego Hieronymus Mazzarotto, ep. tit. Arsinoitanus (Emmanuel da Silva d'Elboux, arch. Curitabensis).
✠ Ego Ioseph de Aquino Pereira, ep. Prudentipolitanus (Rudericus Serra, ep. S. Caroli in Brasilia).
✠ Ego Augustinus Rodriguez, ep. Villaricensis (Timotheus Georgius Raymondos, ep. tit. Chariopolitanus).
✠ Ego Cyrillus Vogel, ep. Salinensis (Romeus Roy Blanchette, ep. tit. Massitensis).
✠ Ego Iacobus Martin Hayes, ep. tit. Reperitanus (Ioseph Geraldus Berry, arch. Halifaxiensis).

Ianuarius Paul, ordinarius Chanda (Matthaeus Kavukatt, arch. Changanacherrensis.

Clementinus a Vlissingen, min. gen. ofmcap (Matthaeus Brans, ep. tit. Cornensis).
Thomas Tobin (Eduardus Howard, arch. Portlandensis in Oregon).
Dionysius Marini (Aegidius Aloisius Lanza, ep. Salutiarum).
Hugo Richter (Isidorus Marcus Emanuel, ep. Spirensis).
Camillus Gil Sotrio (Michael Nóvoa Fuente, ep. tit. Chytriensis).
Ioannes M. Salgredo (Ioannes Ludovicus Collignon, ep. Caiesensis).
Antonius McDevitt (Thomas Ioseph Toolen, arch. Mobiliensis-Birminghamensis).
Petrus Rutten (Petrus Marinus Arntz, ep. Bandungensis).
Aloisius Sfeir (Genadius Adem, abb. sup. gen. Ord. Alepp. Maronitarum).
Ioseph Guérin (Ioannes B. Boivin, arch. tit. Viminiacensis).
Ioseph Guérin (Villelmus Thomas Porter, arch. tit. Lemnensis).
Hermes Peeters (Prosper Durand, ep. tit. Girensis).
Lucianus Anné (Anscharius Joliet, ep. Constantiensis in Arabia).
Petrus Abellán (Zeno Aramburu, ep. Uhuvensis).

Ego Ioseph Rossi
Ss. Concilii Notarius
Ego Franciscus Hannibal Ferretti
Ss. Concilii Notarius
Ego Pericles Felici
arch. tit. Samosatensis
Ss. Concilii Secretarius Generalis

9

Approbatio et proclamatio decretorum

Postquam paramenta Missae deposuit, Summus Pontifex pluviale et mitram induit et, comitantibus Em.mis D.nis Cardinalibus diaconis Alfrido Ottaviani et Arcadio Larraona, ad sedem eminentem ante altare papale erectam venit et sedet.

Exc.mus D. Pericles Felici, secretarius generalis Concilii, comitantibus duobus Protonotariis de numero, scil. rev.mo P. D. Francisco Hannibale Ferretti, Decano, et exc.mo D. Iosepho Rossi, ep. tit. Palmirensi, et duobus Advocatis Sacri Consistorii, accedit ad Summum Pontificem ut Ei referat de exitu lationis suffragiorum, quod genuflexus coram Pontifice facit his verbis:

Secretarius generalis.

Beatissime Pater, super decreto *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*

suffragati sunt Patres praesentes	2.322
ex quibus dixerunt *placet*	2.319
non placet	2
et dedit suffragium nullum	1

[*Plausus*].

Super decreto *de accommodata renovatione vitae religiosae*:

suffragati sunt Patres praesentes 2.325
ex quibus dixerunt *placet* 2.321
non placet 4

[*Plausus*]

Super decreto *de institutione sacerdotali*:

suffragati sunt Patres praesentes 2.321
Dixerunt *placet* 2.318
non placet 3

[*Plausus*]

Super declaratione *de educatione christiana*:

suffragati sunt Patres praesentes 2.325
Dixerunt *placet* 2.290
non placet 35

[*Plausus*]

Super declaratione *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas*:

suffragati sunt Patres praesentes 2.312
ex quibus dixerunt *placet* 2.221
non placet 88
placet iuxta modum (nulla) . 2
Suffragium nullum 1

[*Plausus*]

Summus Pontifex:

In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Decreta: *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia; de accommodata renovatione vitae religiosae; de institutione sacerdotali;* et Declarationes: *de educatione christiana; de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas,* quae in hac Sacrosancta et Universali Synodo Vaticana Secunda legitime congregata modo lecta sunt, placuerunt Patribus.

Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus, et ea quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus. [*Plausus*]

Secretarius generalis: Beatissimus Pater, pro novis legibus in modo promulgatis decretis contentis, statuit vacationem usque ad diem vigesimam nonam mensis iunii anni 1966, nempe usque ad festum Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum anni proximi.

Interea Summus Pontifex normas edet ad praedictas leges exsequendas.

D. Ioannes Ferrata, advocatus consistorialis: Rogantur Protonotarii Apostolici hic praesentes, ut velint super Decreta et Declarationes nuper lecta et a Beatissimo Papa nostro Paulo VI adprobata una cum Venerabilibus Concilii Patribus, unum vel plura instrumentum vel instrumenta conficere ad perpetuam rei memoriam.

Rev.mus D. Franciscus Hannibal Ferretti, decanus Collegii Protonotariorum Apostolicorum: Conficiemus, vobis testibus.

10

Sessionis conclusio

Tunc Summus Pontifex omnibus praesentibus Apostolicam Benedictionem impertitur:

Summus Pontifex: Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Summus Pontifex: Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.

Summus Pontifex: Benedicat vos Omnipotens Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus.
℟. Amen.

[*Plausus*]

Post repositionem Sacrosancti Evangelii ab exc.mo D. Pericle Felici, secretario generali, factam, Summus Pontifex, assumptis mitra et baculo, de sede descendit et comitantibus DD. Cardinalibus et concelebrantibus e basilica vaticana egreditur, dum chorus Cappellae Sixtinae cantat *Tu es Petrus,* 7 vocibus, auctore Bartolucci.

CONGREGATIO GENERALIS CLV

29 octobris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLV

29 octobris 1965

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, ep. tit. Prienensis, *Ss. Concilii subsecretarius* (ante Missae celebrationem): Faveant Patres audire! Fratres venerabiles, antequam dispersi fuerimus, precibus nostris commendantur plures Patres ac periti qui diversis morbis, quibusdam gravibus, affliguntur.

Precemur etiam hodie pro omnibus peregrinantibus et iter facientibus.

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Patres venerabiles, congregationem generalem 155 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Imprimis, communico mortem piissimam exc.morum DD. Leonis Taylor, iam arch. Lagosiensis (Lagos) in Nigeria, et Friderici Perez Silva, arch. Truxillensis in Peruvia. Oremus pro eis!

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te, Domine* ... [et prosequitur alternatim cum Patribus].

Oremus. Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos Leonem et Fridericum ...

Secretarius generalis: Patres venerabiles, quemadmodum promisimus, hodie distribuentur numismata commemorativa quartae periodi; at ea non ante horam 11 distribui poterunt, secus implicarentur et impedirentur suffragationes. Ceterum in officio mechanographico sunt antea complendae operationes ad distributionem expeditius peragendam.

Numisma commemorativum, in una facie, refert Summum Pontificem qui, deposita in terris tiara, adorat divinum Crucifixum; et super eum fere volitat angelus qui defert Evangelium cum mitra, symbolum clarissimum Concilii Oecumenici. In altera facie, refert claves decussatas insertas cum baculo pastorali; et fingitur etiam ramus olivae. Significatio — mihi videtur — est clara: est coniunctio inter Summum Pontificem et alios Pontifices in hoc opus pacis promovendum, hodie maxime

necessarium. In prima facie, habetur inscriptio: « Vobiscum sum omnibus diebus » (ubi refertur imago crucifixi); in altera facie habetur inscriptio: « Concilium Oecumenicum Vaticanum II - Sessio IV ».

Hoc numisma dabitur vobis, ut dixi, versus horam 11.

Nunc, Patres, communico vobis exitum reliquarum suffragationum circa schema *de libertate religiosa*:

Suffragatio 414:

Inter praesentes votantes	2.238
Dixerunt *placet*	1.979
et *non placet*	254
placet iuxta modum (sed nullum est votum)	2
Suffragia nulla	3

Suffragatio 415:

Patres praesentes votantes	2.239
Dixerunt *placet*	2.107
non placet, vero	127
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	4

Suffragatio 416:

Patres praesentes votantes	2.236
Dixerunt *placet*	1.751
non placet	60
placet iuxta modum	417
Suffragia nulla	8

Suffragatio 417 et ultima:

Patres praesentes et suffragantes	2.202
Dixerunt *placet*	1.843
non placet	47
placet iuxta modum	307
Suffragia nulla	5

Ergo, Patres venerabiles, cum omnes suffragationes exitum habuerint positivum, schema in congregatione generali probatum habendum est. Attamen Modi qui dati sunt, ut moris est et *Ordo* praescribit, exa-

minabuntur a secretariatu competenti et novus textus iterum deferetur in hanc congregationem pro suffragandis Modis et textu definitivo.

Alias communicationes, Patres, dabo in intervallis. Immo in intervallo, quod opportunius videbitur, audiemus etiam Chorum Sancti Ioannis Damasceni, qui cantus russicos exsequetur in honorem Patrum. [*Plausus*]

SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE DIVINA REVELATIONE

MODI

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE DOCTRINALI EXAMINATI *

PROOEMIUM ET CAPUT I [3]

(*De ipsa Revelatione*)

EXITUS SUFFRAGATIONUM DE PROOEMIO ET CAPITE I

(die 20 sept. 1965)

	Praes. votantes	Placet	Non placet	Vota nulla
Suffr. I, par. 1-2:	2.199	2.175	19	5
Suffr. II, par. 3-4:	2.183	2.180	—	3
Suffr. III, par. 5-6:	2.071	2.094	20	2

Suffr. IV, de integro Capite:

Votantes	2.079
Placet	1.822
Non placet	3
Placet iuxta modum	248
Vota nulla	6

Integrum ergo Caput I, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatum est. Omnes Modi, a Patribus introducti, praevie

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus est in congregatione generali 152, die 25 octobris 1965.

[3] ordinati sunt a Commissione technica, Praeside Exc.mo Charue, delegato a Praeside Commissionis Doctrinalis, E.mo Florit, Relatore primae partis Schematis et Secretariis Commissionis Doctrinalis.

Ipsa Commissio Doctrinalis statuit sequentes responsiones.

AD NUM. 1 (Prooemium).

1 — Pag. 3, linn. 1-2: Duo Patres proponunt ut loco « verbis S. Ioannis obsequitur », scribatur: *verba S. Ioannis in memoriam revocat,* quia haec verba de solis Apostolis valent. — Plures Patres petunt aliud « incipit », quod non coincideret cum aliis Constitutionibus, et contentum huius Constitutionis iam indicaret.

R. — Primum non videtur necessarium, quia Concilium haec verba non proprie « sua facit ». – Scribatur in initio: « *Dei verbum religiose audiens et fidenter proclamans,* Sacrosancta Synodus... ».

[4] 2 — Pag. 3, lin. 8: Petunt 175 Patres ut scribatur: « ... Concili*orum Tridentini et* Vaticani I inhaerens vestigiis... ».

R. — Licet res non videatur necessaria, tamen admittitur.

3 — Pag. 3, lin. 11: Quinque Patres proponunt additionem duorum verborum: « ... ut *salutis praeconio* mundus universus audiendo credat... ».

R. — Admittitur.

AD NUM. 2 (De Revelationis natura et obiecto).

4 — Modus generalis: Decem Patres petunt *formalem definitionem* Revelationis, sicut fecit Vaticanum I.

R. — Textus Schematis non agit tantum de revelatione formali obiectiva, sed etiam de revelatione activa seu de ipso Deo sese revelante et de tota oeconomia salutis. Quae docuit Vaticanum I de revelatione obiectiva evidenter intacta remanent, ut ceterum asseritur explicite sub num. 1.

5 — Pag. 3, lin. 14: Unus Pater proponit ut scribatur: « ... *libera* bonitate et *summa* sapientia... ».

R. — Formula simplicior, quae est ipsius Vaticani I, Denz. 1785 (3004), sufficit.

6 — Pag. 3, lin. 15: Duo Patres, loco « et notum facere », proponunt: *notum faciendo.*

R. — Non videtur necessarium.

7 — Pag. 3, lin. 15: Unus Pater petit ut loco « sacramentum » scribatur: *mysterium*. [4]
R. — Remaneat expressio Vulgatae, ex qua nulla exoritur confusio.

8 — Pag. 2, lin. 20: Unus Pater longam proponit *additionem* de munere trium Personarum in revelatione.
R. — Huiusmodi additio non concordat cum normis generalibus.

9 — Pag. 3, linn. 23-24: Duo Patres ad « amicos » volunt addere: *et filios*.
R. — Non videtur necessarium.

10 — Pag. 3, lin. 25: Unus Pater proponit ut ad verbum « secum » addatur: *et Filio et Spiritu Sancto*. [5]
R. — Non videtur necessarium, spectata etiam linea 7.

11 — Pag. 4, lin. 1: Unus Pater scribere proponit: « Haec *salutifera* revelationis oeconomia ».
R. — Non videtur necessarium.

12 — Pag. 4, linn. 1-6: 139 Patres proponunt novam redactionem: « Haec revelationis oeconomia fit gestis verbisque intrinsece inter se connexis, ita ut sensus operum in historia salutis a Deo patratorum, per verba ipsius Dei, nobis factus sit manifestus ».

Ratio principalis est quod Revelatio per gesta interpretationem a Deo *verbis* factam exigit, ut verbum Dei dici et qua tale credi possit.

R. — Consideratio allata valet, si agitur de sola revelatione formali. Sed textus Schematis agit non tantum de sola revelatione formali sed *de tota oeconomia revelationis*, ut dictum est ad Modum 4. « Opera » in textu non solum indicant miracula, sed *omnia facta salutaria*. Unde stet textus.

13 — Pag. 4, linn. 3-6: Viginti septem Patres scribere proponunt: « *mysterium beneplaciti divini* manifestent », supprimendo voces « *et corroborent* ». Quinque alii Patres idem proponunt cum lectionibus paululum variantibus.
R. — Servetur « *doctrinam et res* », quia intentum praecise est exponere intrinsecam relationem inter doctrinam et res; « res » autem comprehendit consilium Dei et facta salutaria. Non admittitur ergo suppressio vocis « *doctrinae* », neque vocis « *et corroborent* ».

14 — Pag. 4, lin. 7: Septem Patres, loco *autem*, scribere volunt: *ergo*.
R. — Sequentia non proponuntur ut stricta conclusio: introducunt enim *novum elementum*, nempe de revelatione *in Christo Mediatore*.

[5] 15 — Pag. 4, linn. 9-10: Decem Patres proponunt *mutationem stylisticam*: « qui Mediator *simul* et plenitudo totius revelationis exsistit ».

R. — Admittitur.

[6] 16 — In Nota 2, octo Patres petunt ut addatur referentia ad *Mt.* 11, 27 et extendatur referentia ad *Eph.* 1, 3-14, loco 3-8.

R. — Admittitur.

AD NUM 3 (De evangelicae revelationis praeparatione).

17 — Pag. 4, lin. 13: Unus Pater proponit: « Deus *enim,* qui... », ad indicandam connexionem.

R. — Quae sequuntur non sunt *demonstratio* praecedentium. Unde non admittitur.

18 — Pag. 4, linn. 13-18: Septem Patres proponunt: « Deus, per Verbum omnia *creans* (cf. *Io.* 1, 3), perenne sui testimonium in rerum creatarum natura hominibus *ostendit* et viam salutis supernae aperire intendens (cf. *Rom.* 1, 19-20; 2, 10-11), ab initio protoparentibus *personali locutione* sese manifestavit ». *Ratio* est ut clarius appareat distinctio inter testimonium creationis et formalem revelationem.

Sex alii Patres proponunt lectionem paulo variantem, cum referentia ad *Act.* 14, 15-17; *Col.* 1, 16-17; *Hebr.* 1, 2-3.

R. — Ratio videtur fundata. Scribatur: « Deus, per Verbum omnia *creans* (cf. *Io.* 1, 3) *et conservans, in rebus creatis* perenne sui testimonium hominibus *praebet* (cf. *Rom.* 1, 19-20) et, viam salutis supernae aperire intendens, *insuper* protoparentibus inde ab initio *semetipsum* manifestavit ».

Non inseruntur ergo referentiae ad *Col.* 1, 16-17; *Act.* 14, 15-17 et *Heb.* 1, 2-3, de quarum opportunitate controvertitur. Non servatur « *personali* locutione », quia res in sequentibus innuitur, et hic sufficienter exprimitur dicendo: « *insuper ... semetipsum* manifestavit ».

19 — Pag. 4, lin. 18: Quinque Patres, loco « protoparentibus », proponunt ut scribatur *primis hominibus.*

R. — Stet textus, secundum illa quae dicuntur in Relatione, pag. 10, sub littera A.

20 — Pag. 4, linn. 19 ss.: Octo Patres plura minora postulant:

a) incisa « *redemptione promissa* » in linea praecedenti inseratur;

b) lin. 20 addatur: « ut Dei gratia salutem consequi possint »; [6]

c) addantur *plures referentiae,* v. g. *Sap.* 10, 1-2; *Act.* 14, 16; 17, 13;

d) loco « *ab indeque* », scribatur: *ac deinceps;* [7]

e) fiat mentio de *redemptione cosmica* secundum *Rom.* 8, 23 et 21.

R. — Ad quaesita:

a) admittitur transpositio incisae « *redemptione promissa* »;

b) additio de re tam manifesta non videtur necessaria;

c) similiter *novae referentiae* non sunt necessariae;

d) loco « ab indeque » scribatur simpliciter « *et* », deleta indicatione temporali;

e) de *redemptione cosmica* pluries agitur in Constitutione de Ecclesia.

Textus ergo erit: « Post eorum autem lapsum eos, *redemptione promissa,* in spem salutis erexit (cf. *Gen.* 3, 15) *et* sine intermissione generis humani curam egit... ».

21 — Pag. 4, lin. 21: Unus Pater, loco « quaerunt », proponit: *quaererent.*

R. — In illa incisa, inter virgulas posita, significatur factum; unde stare potest indicativus.

22 — Pag. 4, lin. 24: Unus Pater suggerit *referentias* ad *Gen.* 4-11 et *Rom.* 5, 20.

R. — Prima referentia non est necessaria; altera non est ad rem.

23 — Pag. 4, linn. 26-27: Duo Patres rogant ut *extendatur citatio Gen.* 12,2-3: « in quo benedicentur universae cognationes terrae ». Alii duo ad « prophetas » adiungere volunt: *sapientesque.*

R. — Scribatur: « ... ut faceret eum in *gentem magnam* (cf. *Gen.* 12, 2-3), *quam...* ». *Additio* « et sapientes » non placet: « Moyses et prophetae » et expressio classica et comprehensiva.

AD NUM. 4 (De Christo revelationis consummatore).

24 — Pag. 4, lin. 33: Unus Pater scribere vult: « Postquam *vero* multifariam... ».

R. — Admittitur.

25 — Pag. 4, linn. 38-39: Novem Patres, loco « intima Dei », proponunt *vitam* Dei, secundum *1 Io.* 1, 2-3.

R. — Servetur *intima,* secundum *Io.* 1, 18. Citatio *1 Io.* 1, 2-3 iam occurrit sub n. 1, lin. 7.

[8] 26 — Pag. 5, linn. 1-13: Plures Patres correctiones minores petunt:

a) Septem rogant ut verba ponantur *in tempore perfecto,* ut melius exprimantur facta historica.

b) Duo, lin. 2, volunt delere *salutare.*

c) Sexdecim volunt ponere voces « *suiipsius praesentia...* » in initio.

d) Tres, lin. 11, complere volunt: « ... Deum nempe *in Ipso* nobiscum esse » et duo volunt supprimere vocem *nempe.* Undecim addere volunt: « ... nobiscum esse *et inter nos conversatum esse* ».

e) Duo, loco « sui ipsius praesentia », postulant: *tota sua persona.*

f) Duodecim, linn. 11-13, volunt *uniformitatem* in modo dicendi pro vocibus « nos » et « homines ».

g) Lin. 10, proponitur ut scribatur: « testimonio divino *ut credibilem* confirmat ».

R. — Ad quaesita:

a) *Adhibetur praesens historicus,* ut sermo sit vividior.

b) Servetur vox *salutare,* utpote omnia comprehendens.

c) Admittitur transpositio.

d) Additio *in Ipso* non est necessaria, quia totus textus est christologicus. Vox *nempe* servetur, ad indicandam ideam centralem.

Additio « et inter nos conversatum esse » videtur superflua.

e) Non placet vox *persona,* secundum illa quae dicuntur in Relatione, pag. 11, sub littera D, et pag. 44.

f) Admittitur *unificatio,* et scribatur: « Quapropter Ipse, quem qui videt, videt et Patrem (cf. *Io.* 14, 9), *tota suiipsius praesentia ac manifestatione,* verbis et operibus, signis et miraculis, praesertim autem morte sua et gloriosa ex mortuis resurrectione, misso tandem Spiritu veritatis, revelationem complendo perficit ac testimonio divino confirmat, Deum nempe nobiscum esse ad *nos* ex peccati mortisque tenebris liberandos *et* in aeternam vitam resuscitandos ».

g) Additio proposita: « testimonio divino *ut credibilem* confirmat », non inseritur, quia res ex contextu, praesertim de « signis et miraculis », sufficienter constat.

27 — Pag. 5, linn. 14-15: Duodecim Patres, loco « foedus novissimum et definitivum », scribere postulant: *novum et aeternum.* Accedunt alii quinque pro voce *novum,* quia etsi tempora dicuntur *novissima,* foedus non dicitur nisi *novum.*

R. — Vocabulum *definitivum* consulto appositum est. Admittitur *novum*. Pro *nempe* scribatur: *utpote* foedus novum et definitivum. [9]

28 — Pag. 5, lin. 16: Unus Pater, loco « publica », scribere praefert: *ad eius perfectionem essentialem pertinent*. Alius *addere* vult: « quia revelatio cum Apostolis clausa est ».

R. — Additiones non sunt necessariae et rem complicarent, ut dicitur in Relatione sub littera E, pagg. 11-12.

29 — Pag. 5, lin. 17: Septem Patres, loco « finalem revelationem », volunt *gloriosam manifestationem*, additis referentiis *1 Tim*. 6, 14 et *Tit*. 2, 13.

R. — Admittitur. Vox « revelatio », linn. 16 et 17, alio et alio sensu adhibita, creare posset confusionem. In lin. 17 correspondet voci graecae « epiphaneia ».

AD NUM. 5 (De revelatione fide suscipienda).

30 — Pag. 5, lin. 22: Unus Pater proponit ut dicatur: « Deo *ergo* revelanti... ». Alius addere vult: « *qui nec falli nec fallere potest* », ut motivum obsequii nostri explicite indicetur.

R. — Neutrum est necessarium. Non proponitur tractatus completus de fide.

31 — Pag. 5, linn. 24-27: Unus Pater aestimat *fidem formatam* in textu nimis extolli, dum etiam fides informis est fides.

Patres autem 116 omittere volunt verba « qua homo se totum libere Deo committit », quia si vocabulum « fides » apud S. Paulum saepe totum motum conversionis hominis ad Deum indicat, habet tamen apud eum etiam sensum strictiorem, qui in traditione factus est technicus. Insuper si « per fidem homo se totum libere Deo committit », quid ulterius facit per spem et caritatem?

Unus denique Pater, loco « et praestat ... assentiens », proponit: *praestando ... et assentiendo*.

R. — Non negatur quod fides informis sit fides; cf. Vat. I, Denz. 1789 (3008) ss. Fides tamen connectitur cum spe, *Heb*. 11, 1, et cum caritate, *Gal*. 5, 6.

Incisa « qua homo se totum libere Deo committit », addita est secundum petitionem plurium Patrum, ut praebeatur descriptio fidei magis biblica et magis personalistica, sicut dicitur in Relatione, pag. 12 sub littera B. Latior acceptio vocis, quae **[10]** apud Paulum occurrit, non est reiicienda. Tractatus completus de fide explicitius etiam de fide informi agere deberet, sed talis

[10] tractatus, uti dictum est, hic non instituitur. In fide autem formata spes et caritas includuntur; ergo non sunt supervacaneae.

Admittitur modificatio: « praestando ... et assentiendo », deleto *et* in fine lineae 24.

Ibidem, e contra, sex Patres rogant ut *omittantur* verba « voluntarie veritati ab eo revelatae assentiens », quia idea iam implicite habetur in « intellectus obsequio », et quia veritas hic intelligeretur sensu scholastico. Unus Pater praeterea, loco « voluntarie » scribere proponit *scienter.*

R. — Verba de voluntario assensu ad veritatem *consulto apposita* sunt, ne praetereatur aspectus intellectualis fidei. Vox autem *veritas* in hoc textu adhibetur in eodem sensu ac in n. 2, pag. 4, lin. 8. Non vero admittitur « scienter », quia agitur de *libero* assensu.

32 — Pag. 5, lin. 27: Unus Pater amplificat sententiam in hunc modum: « ... veritati, *quae ipse est Deus, a Christo* revelatae assentiens ». Tres autem alii scribere proponunt: « *revelationi* ab eo *datae* », ut servetur unicitas subiecti logici totius incisae, scilicet *Dei.*

R. — *Additio* non videtur necessaria.

Modificatio « revelationi ab Eo datae » admittitur.

33 — Pag. 5, linn. 28-29: Quinque Patres scribere volunt: « praeveniente et adiuvante gratia Dei *seu* (loco: *et*) internis Spiritus Sancti auxiliis », quia ageretur de una eademque re.

R. — Melius est ut servetur textus; admittuntur enim in *praeambulis* fidei tum criteria interna, tum criteria externa.

34 — Pag. 5, linn. 30-31: Unus Pater *invertere vult ordinem* inter motionem cordis et apertionem oculorum, quia illuminatio praecedit motionem.

R. — Servari potest ordo in textu statutus, quia *variis modis* homo adducitur ad assensum fidei.

— *Ibidem,* unus Pater explicite loqui vult etiam *de auxiliis externis,* quia haec a nonnullis theologis modernis plus aequo negliguntur.

R. — Non est necessarium, quia hic agitur de fide, et *non de praeambulis fidei,* de quibus loquitur Vaticanum I, et quae etiam in textu nostro tanguntur in corpore numeri 4.

[11] AD NUM. 6 (De veritatibus revelatis).

35 — Pag. 5, lin. 36: Unus Pater petit ut scribatur: « Divina *porro* revelatione... ». Alius sermonem facere vult *de revelatione natu-*

rali, tamquam fundamento philosophico religionum non christianarum. [11]

R. — Additio vocis *porro* non est necessaria. De « *revelatione naturali* » agitur in altera parte huius paragraphi. Ceterae quaestiones hic tractari non debent.

36 — Pag. 5, lin. 38: Plures Patres explicitare volunt: « ... circa *supernam* hominum salutem », dum unus proponit: « ... circa hominum salutem *in Christo* ».

R. — Salus de se intelligitur *supernaturalis.* De mentione *in Christo* iam provisum est alibi pluries.

37 — Pag. 5, linn. 39-40: Duo Patres, loco « ad participanda scilicet bona divina », petunt ut scribatur: « *ut homo* scilicet participare *posset* bonis divinis... », ne altera pars periodi egeret suo subiecto.

R. — Remaneat *citatio* Vaticani I ad litteram.

38 — Pag. 6, linn. 2-5: 24 Patres delere volunt mentionem de *naturali cognitione Dei,* de qua iam actum est sub n. 3. Tres alii vitare volunt *solemnitatem* affirmationis: « Confitetur Sacra Synodus... » vel eam per vocem *Praeterea* introducere; vel eam magis cum altera affirmatione (inde a linea 6) colligare.

R. — Redactio consulto ita facta est ut *duplex affirmatio* Concilii Vaticani I simul appareat. *Solemnior forma* commendatur ex necessitate agendi contra atheismum. Vox *Praeterea* non est necessaria.

39 — Pag. 6, lin. 5: Unus Pater, loco « eius revelationi », scribere proponit: *divinae* vero revelationi..., claritatis causa.

R. — Textus ut iacet est satis clarus.

CORRECTIONES ADMISSAE [12]

in Prooemio et Capite I

Num. 1

Pag. 3, lin. 1: *Dei verbum religiose audiens et fidenter proclamans,* Sacrosancta Synodus verbis S. Ioannis obsequitur dicentis...

Pag. 3, lin. 8: Propterea Concil*iorum Tridentini et* Vaticani I inhaerens vestigiis...

Pag. 3, lin. 11: « ... proponere intendit, ut *salutis praeconio* mundus universus audiendo credat, credendo speret, sperando amet (1).

[12] *Num.* 2

Pag. 4, linn. 8-10: ... veritas nobis in Christo illucescit, qui mediator *simul* et plenitudo totius revelationis exsistit.

Num. 3

Pag. 4, linn. 13-22: Deus, per Verbum omnia *creans* (cf. *Io.* 1, 3) *et conservans, in rebus creatis* perenne sui testimonium hominibus praebet (cf. *Rom.* 1, 19-20), et viam salutis supernae aperire intendens, *insuper* protoparentibus inde ab initio *semetipsum* manifestavit. Post eorum autem lapsum eos, *redemptione promissa,* in spem salutis erexit (cf. *Gen.* 3, 15) *et* sine intermissione generis humani curam egit.

Pag. 4, linn. 25-26: Suo autem tempore Abraham vocavit, ut faceret eum in *gentem magnam* (cf. *Gen.* 12, 2-3) *quam* ... erudivit...

Num. 4

Pag. 4, lin. 33: Postquam *vero* multifariam multisque modis Deus...

Pag. 5, linn. 4-19: Quapropter Ipse, quem qui videt, videt et Patrem (cf. *Io.* 14, 9), *tota suiipsius praesentia ac manifestatione,* verbis et operibus, signis et miraculis, praesertim autem morte sua et
[13] gloriosa ex mortuis resurrectione, misso tandem Spiritu veritatis, revelationem complendo perficit ac testimonio divino confirmat, Deum nempe nobiscum esse ad *nos* ex peccati mortisque tenebris liberandos *et* in aeternam vitam resuscitandos.

Oeconomia ergo christiana, *utpote* foedus *novum* et definitivum nunquam praeteribit, et nulla iam nova revelatio publica expectanda est ante *gloriosam manifestationem* Domini nostri Iesu Christi (cf. *1 Tim.* 6, 14 et *Tit.* 2, 13).

Num. 5

Pag. 5, linn. 24-27: ... oboeditio fidei... qua homo se totum libere Deo committit, « plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium » *praestando et* voluntarie *revelationi ab Eo datae assentiendo.*

NOTAE

Ad n. 2.

(2) Cf. *Mt.* 11, 27; *Io.* 1, 14 et 17; 14, 6; 17, 1-3; *2 Cor.* 3, 16; 4, 6; *Eph.* 1, 3-14.

QUAESITUM [13]

An placeat expensio facta a Commisione Doctrinali circa Modos, Prooemium et Caput I Schematis de divina Revelatione respicientes, cum correctionibus supra indicatis

CAPUT II [15]

(De divinae Revelationis transmissione)

EXITUS SUFFRAGATIONUM
(20-21 sept. 1965)

	Praes. votantes	Placet	Non placet	Vota nulla
Suffr. V, de n. 7:	2.068	2.049	15	4
Suffr. VI, de n. 8:	2.122	2.071	49	2
Suffr. VII, de nn. 9-10:	2.253	2.214	34	5

Suffr. VIII, de integro capite:

Votantes	2.246
Placet	1.874
Non placet	9
Placet iuxta modum	354
Vota nulla	9

Integrum ergo Caput II, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatum est. Vide p. 3.

AD TITULUM

1 — Unus Pater proponit ut scribatur «*De Traditione*».
R. — Materia exposita latius patet.

AD NUM. 7 (Apostoli eorumque successores, praecones Evangelii).

2 — Pag. 14, lin. 2: Unus Pater suggerit: «Quae *misericors* Deus ad salutem...».
R. — Plura huiusmodi addi possunt, sed non videntur necessaria.

[15] 3 — Pag. 14, lin. 6: Duo Patres, loco « Ideo », scribere volunt *enim,* quia consilium Dei nobis in Christo manifestatur.

R. — Ordo idearum in contextu exigit *Ideo,* quia agitur de exsecutione consilii divini.

[16] 4 — Pag. 14, lin. 10: Unus Pater, post « Ipse » addere vult: « *singulari modo a Patre Spiritu Sancto unctus* (cf. *Act.* 10, 38; *Lc.* 4, 18), ad insistendum super munus Spiritus Sancti.

R. — Agitur in contextu *de facto* promulgationis; unde eius adiuncta non necessario exponi debent.

5 — Pag. 14, lin. 11: Unus Pater in formula « omnis et salutaris veritatis », vult delere particulam *et;* alius vult supprimere *et salutaris.*

R. — Servetur simpliciter *formula Tridentini,* cum nota correspondente 1.

6 — Pag. 14, lin. 12: Unus Pater, post « omnibus praedicarent », addere postulat referentiam ad *Mt.* 28, 19-20 et *Mc.* 16, 15.

R. — Referentiae addantur in Nota 1.

7 — Pag. 14, lin. 13: Unus Pater affirmat quod Apostoli, *ut praecones,* non communicant nisi Evangelium; alia dona divina communicantur per administrationem sacramentorum, etc.

R. — Apostoli, cum dono Evangelii, communicant etiam alia dona et charismata, *quae cum Evangelio connectuntur.*

8 — Pag. 14, linn. 13-16: Duo Patres plura aequivoca vel falsa hic affirmari censent. Non clare liqueret in textu quod *etiam Apostoli* quasdam Scripturas confecerint. Non appareret utrum omnes et singuli Apostoli, omnes et singuli viri apostolici, *an quidam tantum,* Scripturas confecerint. Suggeritur, aiunt, institutionem Episcoporum esse *tantum iuris apostolici.* Praedicatio Evangelii non debet dici aliquid iam « factum », quia est aliquid usque in finem saeculi *faciendum.* Episcopi non solum praedicare Evangelium debent, sed etiam *baptizare et regere.*

R. — Difficultates non videntur fundatae. « Apostoli et viri apostolici » sumuntur hic sermone vulgato et ordinario de quibusdam Apostolis et quibusdam viris apostolicis, qui scilicet fuerunt auctores Scripturae. Cf. correctionem admissam infra sub Modo 12. – Linn. 24-26 dicitur, cum verbis S. Irenaei, quod Apostoli successoribus suis Episcopis suum magisterium tradiderunt, utique secundum voluntatem Domini, ut in Constitutione *De Ecclesia* docetur. Patet igitur quod munus illud hierarchicum *continuatur*

in Ecclesia. In praedicatione Evangelii comprehenduntur omnia munera Episcoporum: hic autem ex professo agitur de transmissione revelationis. [16]

9 — Pag. 14, linn. 13-18: 142 Patres proponunt ut potius scribatur: « Quod quidem fideliter factum est ab Apostolis, qui *et praedicationem Christi nobis transmiserunt, et eius opera, Spiritu Sancto suggerente, sunt interpretati...* ». Ratio praecipua est quod, ut interpretatio ab Apostolis facta credi possit fide divina, opus est cuiusdam *revelationis Dei.* Dicatur solum, aiunt, quod certum est. [17]

R. — Non affirmatur in textu nisi *quod certum est* ex Novo Testamento. Textus in quaestiones controversas nullo modo intrat. Minime negat revelationem *per verba* de operibus Christi; e contra explicite eam affirmat sub n. 2, pag. 4, linn. 5-6.

10 — Pag. 14, linn. 13-21: Duo Patres *novam redactionem* proponunt: « Quod quidem Apostoli, sive quae ex ore, conversatione et operibus Christi acceperant, sive quae Spiritu Sancto *dictante* dedicerant, fideliter tradentes adimpleverunt, nuntium illum salutis tum praedicatione orali necnon exemplis et institutionibus, tum scriptis per se vel per alios apostolicos viros exaratis transmittendo ».

R. — Nova redactio *non videtur clarior* quam antiqua. Pro voce « dictante », textus consulto posuit vocabulum *suggerente,* secundum Scripturam. Textus novus praeterea insufficienter effert *inspirationem* Scripturae. Cf. etiam Modus 12.

11 — Pag. 14, lin. 18: Unus Pater, post verba « Spiritu Sancto suggerente », addere vult « *omnia quae Christus dixisset* », secundum *Io.* 14, 26.

R. — Additio non est necessaria.

12 — Pag. 14, linn. 18-19: Plures Patres, loco « ab ipsis virisque apostolicis », proponunt sive « ab *iisdem* virisque apostolicis », sive « a *quibusdam ex ipsis* virisque apostolicis », sive suppressionem verborum *ab ipsis,* ne intretur in quaestionem de origine proprie dicta apostolica Evangeliorum.

R. — Affirmatio, ut dictum est ad Modum 8, est *generalis* et non applicatur omnibus et singulis Apostolis. Quidquid sit de Evangeliis (de quibus sub n. 18), agitur etiam *de aliis scriptis apostolicis* praeter Evangelia. Scribatur autem: « ... tum ab *illis Apostolis* virisque apostolicis, qui... ».

[17] 13 — Pag. 14, lin. 19: Unus Pater difficultatem movet contra « *virisque apostolicis* », ne nimium extendatur tempus revelationis publicae.

[18] R. — Timor videtur *infundatus*: omnes enim norunt agi de Marco, Luca, etc. Restrictio explicite apparet ex correctione introducta in Modo praecedenti.

14 — Pag. 14, linn. 23-26: Duo Patres ad magisterium Episcoporum explicite addere volunt: *munus eorum constituendi Ecclesias,* etc.

R. — Sententia textus est affirmativa, *non exclusiva.* Contextus ex professo de transmissione revelationis agit. Ceterum in illo munere apostolico multa alia implicantur.

15 — *Ibidem,* unus Pater addere desiderat: « *Spiritu Sancto ut principio unitatis Ecclesiae operante* ». Duo alii, quod *ipse Christus* Episcopos ut successores Apostolorum excitat usque in finem temporum. Alius suggerit additionem: « ... Episcopos, *positos a Spiritu Sancto* (cf. *Act.* 20, 28) ».

R. — Plurima huiusmodi addi possent. Haec autem materia fuse tractatur in Constitutione *De Ecclesia.*

16 — Pag. 14, lin. 26: Plures proponuntur lectiones variantes: « Sacra *vivaque Traditio* ». Vel: « *Viva continuaque* Traditio ». Vel: « *Sancta Traditio* ». Vel: « *Haec Traditio* » (ut clarius appareat agi de Traditione apostolica).

R. — Scribatur: « *Haec* igitur Sacra Traditio et *Sacra* utriusque Testamenti Scriptura ».

17 — Pag. 14, linn. 27-29: Unus Pater, potius quam de « speculo » loqui vult de *sensibili praesentia* Dei per Scripturam et Traditionem, addita parva explicatione. Iam ipsae creaturae sunt speculum: Scriptura et Traditio aliquid plus dicunt.

R. — Idea, quae iam alibi tangitur, hic inutiliter oneraret sententiam.

18 — *Ibidem.* Duo Patres ad « contemplatur Deum » addere volunt: « *Eiusque in mundo hoc visibili salutaria opera sapientiae et potentiae* », ne scilicet suggeratur idea de mera contemplatione abstracta.

R. — Etiam haec additio *oneraret sententiam.* Contemplatio mere abstracta excluditur per vocem *accipit,* lin. 30, ut explicatur in Relatione priori, pag. 21, sub litt. H.

19 — *Ibidem.* Duo Patres addere volunt referentiam ad *1 Cor.* 13, 12, propter vocem « facie ad faciem ».

[19] R. — Ut dicitur in Relatione, pag. 18, sub litt. C, *consulto omissa* est haec referentia, quia vox « speculum » ibi alio sensu sumitur.

20 — Pag. 14, lin. 32: Unus Pater sat amplam proponit *additionem* [19]
de successione Episcoporum in quibusdam iuribus Apostolorum, super quos fundantur.

R. — De hac quaestione agitur in Constitutione *De Ecclesia.*

AD NUM. 8 (De Sacra Traditione).

21 — Pag. 14, linn. 33 ss.: Unus Pater, loco « praedicatio apostolica », proponit: « *Veritates quae viva voce Apostolis revelantur et tamen in libris scriptis non asservantur, per Traditionem nobis pervenerunt* ». Unus alius, loco « praedicatio », vult *Divina Traditio.*

R. — Vox « praedicatio » quae ex connexione cum praecedentibus requiritur, *omnia comprehendit.* Ceterum de *extensione respectiva* Scripturae et Traditionis, hic non est agendum.

De *ipsa Traditione* divino-apostolica, agitur in alinea sequenti, linn. 16 ss. Cf. Relatio, pag. 45.

22 — *Ibidem.* Unus Pater, loco « praedicatio apostolica », scribere vult: praedicatio *evangelica,* quia praedicatio Apostolorum latius pateret. Ita etiam duo alii Patres. Insuper deleri vult « *speciali modo* », quia tum Traditio tum Scriptura sunt originis et dignitatis divinae. Quattuor alii Patres scribere volunt « speciali *ratione* », quia « modus » de sola quantitate intelligeretur. Alius in lin. 34 addere vult: « quae *postea* inspiratis libris... ».

R. — Ratio allata contra praedicationem *apostolicam* non videtur stringens. Incisa « *speciali modo* » evidenter refertur ad inspirationem. *Modus* iam in latinitate classica intelligitur etiam qualitative. Additio vocis *postea* est inutilis.

23 — Pag. 15, lin. 2: Unus Pater addere vult: « *integra et salva* conservari debebat ».

R. — De hac quaestione agitur infra, sub n. 9, pag. 16, linn. 10 ss.

24 — Pag. 15, lin. 3: Unus Pater, post verba « conservari debebat » petit ut inseratur *longa sententia de munere Spiritus Sancti* apud Episcopos et in Ecclesia in genere. Etiam lin. 3 et 9 addere vult mentionem Spiritus Sancti.

R. — *Longior additio* non concordat cum normis. De Spiritu Sancto [20]
sermo fit sub n. 9, pag. 16, linn. 11 ss.

25 — Pag. 15, linn. 3-9: Quindecim Patres petunt *formulationem stylistice clariorem*: « Unde Apostoli, tradentes quod viderunt et audierunt (cf. *1 Io.* 1, 3) aut et ipsi acceperunt (cf. *1 Cor.* 11,

[20] 23; 15, 3), fideles monent ut teneant traditiones quas sive per sermonem sive per epistulam didicerunt (cf. *2 Thess.* 2, 15), utque pro semel sibi tradita fide decertent (cf. *Iud.* 3)». Octo alii lectiones paulo variantes proponunt.

R. — Scribatur *adhuc simplicius*: « Unde Apostoli, *tradentes* quod et ipsi acceperunt, fideles *monent* ut teneant traditiones quas sive per sermonem sive per epistulam *didicerint* (cf. *2 Thess.* 2, 15), *utque pro* semel sibi tradita fide decertent (cf. *Iud.* 3) ». « Quod et ipsi acceperunt » correspondet cum n. 7, pag. 14, lin. 17. Delentur vero referentiae, quia citatio *1 Io.* 1, 3 iam in initio Schematis occurrit; citationes autem ex *1 Cor.* rem ad solum Paulum reducerent.

26 — Pag. 15, lin. 9: Unus Pater petit ut in nota 4 addatur referentia ad Conc. Nicaenum II, Denz. 303 (602).

R. — Admittitur.

27 — Pag. 15, linn. 11-12: Duo Patres *invertere* volunt ordinem inter « vitam sanctam » et « fidem », quia fides praecedit.

R. — Agitur de fide *augenda,* quod augmentum post vitam sanctam venire potest.

28 — Pag. 15, lin. 16: Octo Patres petunt ut restituatur vox « *Viva* Traditio », quae erat in priori textu.

R. — Mutatio iustificatur in Relatione pag. 19, sub litt. C, quia agitur de ipsa apostolica Traditione. Ceterum quod viva est Traditio patet ex eo quod « *proficit* » (lin. 17).

29 — Pag. 15, linn. 16-17: 175 Patres rogant ut profectus affirmetur non de Traditione, sed de eius *intelligentia* vel *cognitione;* et insuper ut insistatur super munus Magisterii, allatis citationibus ex *S. Irenaeo,* Adv. Haer. IV, 26, 2 et III, 1, necnon *Vinc. Lirinensi,* Common. I, 23. Tres addere volunt « sancte *et incolumiter custoditur,* crescit *vero...* ». Alii suadent ut dicatur: « Sacra doctrina super Revelationem fundata in Ecclesia proficit... », et unus postulat ut tota phrasis sub n. 10 ponatur, quia tum Traditionem tum Scripturam respicit.

[21] R. — Profectus Traditionis explicite ad penitiorem intelligentiam reducitur verbis sequentibus: « crescit enim *traditorum perceptio* ». - Admittitur insistentia super Magisterium, addendo in lin. 23: « ... intelligentia, *tum ex praeconio eorum qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt* ». Sic alluditur ad verba S. Irenaei, *Adv. Haer.* IV, 26, 2: *PG* 7, 1053. Altera

citatio S. Irenaei iam occurrit pag. 14, linn. 25-26. Interpretatio autem Vinc. Lirin. controvertitur. – « Fidelis custodia » memoratur sub n. 9. – Transpositio phraseos ad aliam paragraphum non leves suscitaret difficultates. [21]

30 — *Ibidem.* Duo Patres dolent quod « Traditio » sumatur nunc sensu *activo* tunc sensu *passivo;* unde timent confusionem.

R. — Duae acceptiones intime inter se connectuntur; significatio ex contextu determinari debet. Inde a lin. 10 acceptio est passiva, scilicet de *illo quod traditur;* cf. linn. 16 et 27.

31 — *Ibidem.* 129 Patres delere vellent *rerum* traditarum perceptionem, quia nonnisi *veritates* proprie percipiuntur.

R. — Traditio etiam patet in ritibus et institutionibus, quae absque dubio indigent interpretatione, Apostolorum testimonio fundata.

32 — Pag. 15, linn. 21 ss.: Plures Patres postulant, praeter mentionem Magisterii, de quo sub Modo 29, *varias additiones*: « tum ex supernaturalibus scientiae ac sapientiae donis ». Vel: « tum ex insita spiritualium rerum sapientia ». Vel: « ex studio doctorum intellectum fidei quaerentium, ex charismatibus a Deo populo suo collatis, ex donis Spiritus Sancti quibus experientia quaedam rerum *divinarum* obtinetur ». Vel: « ex fidei sensu », etc.

Plures alii redire volunt ad textum priorem: « tum ex intima rerum spiritualium *experientia* », cum *additione*: « sub actione donorum scientiae et sapientiae », vel: « sub afflatu Spiritus Sancti, ab Ecclesia recognito ». Etiam pro lin. 24 proponuntur *lectiones variantes*: « ad plenitudinem acquirendam et manifestandam ». Vel: « ad manifestam plenitudinem ». Vel: « ad plenam veritatis intelligentiam ». Vel: « ad plenitudinem cognitionis et fruitionis Veritatis divinae », etc.

Denique, pro *fine phraseos,* proponuntur variantes: « donec consummentur verba Dei in futura civitate ». Vel: « in Ecclesia caelesti ». Vel: « in adventu gloriae Salvatoris nostri » (cf. *Tit.* 2, 13). Vel proponitur pro claritate ut, loco « in ea » scribatur: *in ipsa* et deleantur referentiae *1 Cor.* 13, 10 et *Apoc.* 17, 17, [22]
quae non sunt perfecte ad rem.

R. — Additiones *de donis Spiritus Sancti* non videntur necessariae, quia influxus Spiritus Sancti memoratur in initio phraseos et ad totum se extendit. Ponitur ceterum « *spiritualium* rerum », et non « divinarum », praecise propter Spiritum Sanctum. Textus vero plene iustificatur in Relatione, pag. 19 sub litt. D.

[22] Servanda videtur *simplicior lectio*: « ad plenitudinem divinae veritatis iugiter tendit ». Et in fine phraseos ponatur: « donec in ipsa consummentur verba Dei », *deletis referentiis*. Tota enim paragraphus agit de Veritate, de Revelatione, de Verbo Dei, et non directe de gloria.

33 — Pag. 15, linn. 27 ss.: Unus Pater observat quod vix sustineri posset *omnem* penitiorem S. Scripturae intelligentiam ex Traditione provenire.

R. — In textu affirmatur factum, et sententia non intelligitur sensu exclusivo.

34 — Pag. 15, linn. 30-32: Plura observantur: *a*) Canon nequit dici *ex Traditione innotescere,* quia Orientales, qui Traditionem admittunt, alium habent canonem; *b*) addi debet quod *etiam inspiratio* ex *Traditione innotescit; c*) dicendum esset Canonem per Traditionem *absoluta certitudine statui; d*) datur *inconcinnitas,* quia antea de verbo Dei scripto et tradito agebatur, nunc autem de *sola traditione orali.* Proponitur insuper ut sententia ad n. 10 transferatur.

R. — *a*) *Orientales seiuncti* non agnoscunt definitionem *Magisterii* de canone. *b*) Canonicitas *supponit* inspirationem ab Ecclesia agnitam. *c*) Canonicitas *innotescit* per Traditionem, sed cum absoluta certitudine a Magisterio *statuitur. d*) Etiam in antecedentibus agitur de Traditione orali, i. e. de praedicatione non in quantum divinitus *inspirata. Transpositio* sententiae ordinem expositionis turbaret; cf. Modus 29.

35 — Pag. 15, linn. 30-40: Unus Pater *delere* vult verba « et indesinenter actuosae redduntur », quia hoc munus *potius a Magisterio Ecclesiae exercetur* et rursus proponit *translationem* ultimae phraseos ad n. 10.

R. — *Magisterium* quidem authentice Canonem *proclamat,* sed ad actuositatem Scripturarum conferunt etiam alia elementa traditionalia, quae summatim referuntur linn. 18 ss. – De translatione iam dictum est.

[23] 36 — Pag. 15, lin. 34: 154 Patres *addere* volunt: « atque eae veritates quae per solam Scripturam cognosci non possent, ut verbum Dei nobis innotescunt ». Octo proponunt *formulam longiorem*: « Per eandem Traditionem quaedam veritates revelatae, quae in Sacra Scriptura vel expresse non leguntur, vel ex ea per se sola, etiam adhibita interpretatione ex traditione desumpta, probari ac erui

non possunt, quamvis forsan in ea fundamentum habeant, immo et ipsae Sacrae Litterae absoluta certitudine Ecclesiae innotescunt ». [23]

R. — Respondebitur postea. Cf. Modus 40 et 56.

37 — Pag. 15, lin. 39: Novem Patres petunt ut restituatur *referentia ad Io.* 16, 13. Alius vero suppressionem approbat, sed timet ne vox « credentes » exclusive de individuis fidelibus intelligeretur.

R. — Suppressio referentiae ad *Io.* 16, 13 iustificatur in Relatione, pag. 19, sub litt. G, propter interpretationem controversam. Vox « credentes » intelligitur *in genere,* non de omnibus et singulis fidelibus, despecta communitate.

AD NUM. 9 (S. Traditionis et S. Scripturae mutua relatio).

38 — Pag. 16, lin. 2: Unus Pater proponit ut dicatur: « Sacra *autem* Traditio... ».

R. — Additio est inutilis.

39 — Pag. 16, lin. 3: Duo Patres, post verbum « communicant » *addere* volunt: « Scriptura enim primum a Sacra Traditione nascitur; deinde Sacram Traditionem in *praedicatione* sacra et in *liturgia* aliisque modis nutrit et locupletat ». Connexio enim, ex eadem scaturigine, etiam in historia manifestari debet.

R. — De istis ideis agitur infra, in Cap. VI.

40 — Pag. 16, linn. 3-13:

A) Octo Patres sequentem lectionem proponunt: « Nam ambae ex eadem scaturigine *divinae revelationis* promanantes, in unum quodammodo coalescunt et in eundem finem tendunt. Etenim *Sacra* Scriptura est locutio Dei quatenus divino afflante Spiritu scripto consignata *est; Sacra* autem Traditio *revelationem divinam* a Christo Domino et a Spiritu Sancto Apostolis concreditam, successoribus eorum, *praelucente spiritu veritatis,* integre transmittit, ut illud praeconio suo fideliter servent... ». Ratio est:

a) Melius effertur Scripturam et Traditionem ex eodem fonte *divinae Revelationis* promanare. [24]

b) « *consignata est* » ponitur ob claritatem.

c) Dicitur Traditio *Revelationem divinam* Apostolis concredere, non vero « verbum Dei », quia haec vox forsan de sola Scriptura intelligeretur.

d) Incisa « praelucente Spiritu Sancto » paulo antea in

[24] phrasi collocatur, ut *etiam transmissio* ad Spiritum Sanctum referatur.

Plures Patres proponunt *varias lectiones* quae in eundem scopum tendunt.

B) Tres Patres observant vocem *scaturigo* ab antiquis nonnisi sub forma plurali adhiberi. – Unus addere vult: « ... scaturigine, *divino nempe Spiritu* ». – Duo suadent ut, lin. 7, post verba « divino afflante Spiritu », addatur « *ab hagiographis* », ut non taceatur elementum humanum. – Quattuor, lin. 10, scribere volunt: « ... a Spiritu Sancto *Ecclesiae in initio* concreditum, *in posterum* integre transmittit », ne taceatur de Ecclesiae communitate. – Alius denique clarius distinguere vult inter Apostolos *et successores* eorum.

C) Duo Patres dolent quod non satis effertur munus Traditionis, *prout a Scriptura distinguitur.* Paradosis apostolica enim tum praedicationem oralem tum Scripturam transmittit. Textum tamen non proponunt.

D) Tandem 111 Patres, sub formulis paulo diversis, proponunt additionem, lin. 13: « *quo fit ut non omnis doctrina catholica ex* (*sola*) *Scriptura* (*directe*) *probari queat* ».

R. — *Ad A*) Non admittitur additio, lin. 4: « ex eadem scaturigine *divinae revelationis* ». – Loco « consignata *est* », scribatur: consigna*tur*. – Servatur textus: « *Sacra* autem Traditio *verbum Dei*... transmittit ». – Non admittitur *transpositio* incisae « praelucente Spiritu Sancto », ut servetur littera citationis Vaticani I, et ne bis idem de Spiritu Sancto *transmittente* dicatur.

Ad B) Vox *scaturigo* etiam in singulari adhiberi potest. – Repetitio « *divino nempe Spiritu* » redundat. – De *hagiographis* agitur postea. – Non oportet hic agere de *communitate* fidelium, quia hic sermo fit de « praeconio episcoporum », lin. 12, et quia, de tota plebe Dei agitur infra, lin. 19. – De Episcopis relate ad Apostolos agitur in Constitutione *De Ecclesia,* et etiam hic, sub n. 7, et rursus de eorum Magisterio, sub n. 10.

Ad C) De paradosi apostolica in genere actum est explicite sub n. 7. Traditio et Scriptura variis modis inter se implicantur, neque in subtilitates hic intrare oportet.

[25] *Ad D*) Admittitur additio sub hac forma: « *quo fit ut Ecclesia certitudinem suam de omnibus revelatis non per solam Sacram Scripturam hauriat* ».

41 — Pag. 16, linn. 13-15: 15 Patres, loco: « pari pietatis affectu »,

proponunt: « *uno* pietatis affectu », vel: « *pio* », vel: « *devoto* affectu ». [25]

R. — Expressio Tridentini « *pari* affectu » aptius indicat, Traditionem et Scripturam eandem habere divinam originem, sed non easdem esse quoad communicationem, scilicet inspiratam vel non. Praeterea non praeiudicat quaestionem de earum respectivo contento.

42 — Pag. 16, lin. 15: Duo Patres in fine *addere* volunt: « quamvis Scriptura sub respectu inspirationis omnino praeemineat ». Tres alii verba adiicere volunt de vero et proprio *duplici fonte* fidei et revelationis.

R. — Primum satis patet ex toto contextu. Alterum addere non videtur opportunum.

AD NUM. 10 (Utriusque relatio ad totam Ecclesiam et Magisterium).

43 — Pag. 16, lin. 17: Unus Pater suggerit ut in antecessum explicetur indoles *Magisterii,* utque hic *transponantur* plura ex alineis 2 et 3 paragraphi 8.

R. — De *Magisterio* ex professo agitur in Constitutione *De Ecclesia,* n. 25. De *transpositione* provisum est antea.

44 — Pag. 16, lin. 17: Unus Pater proponit: « Sacra *enim* Traditio... ».

R. — Non videtur opportunum.

45 — Pag. 16, lin. 18: Tres Patres proponunt ut post « constituunt » addatur *observandum.* Tota enim Ecclesia « *observat* », dum Magisterium « *conservat* » depositum.

R. — Non expedit. Tum Magisterium tum tota Ecclesia depositum conservant et observant. De *relatione* inter Magisterium et *Populum* agitur in alinea altera, lin. 19.

46 — Pag. 16, lin. 19: Unus Pater, loco « commissum », ponere vult *traditum,* quae vox a Vaticano I adhibetur, Denz. 1800 (3020).

R. — Servetur *commissum,* quia hic agitur de toto deposito. Contextus Vaticani I est differens.

47 — Pag. 16, lin. 20: Unus Pater, pro « sacerdotibus », postulat « *pastoribus* », quia « sacerdotes » de solis presbyteris intelligi possent. [26]

R. — Admittitur, et proponitur ut in Nota 7 exscribatur *textus S. Cypriani,* ad quem alluditur: « Ecclesia plebs Sacerdoti adunata et Pastori suo grex adhaerens », *Epist.* 66, 8: *Hartel,* III B, pag. 733.

[26] 48 — Pag. 16, lin. 26: Octo Patres, loco « scriptum *vel* traditum », scribere volunt « scriptum *et* traditum ». Ratio: authentica *interpretatio* utrumque respicit; pro credendis sufficit indicatio ex alterutro.

R. — Concilium Vaticanum I utramque expressionem adhibet. Commissio Mixta die 1 Mart. 1963, statuit scribere *vel.* Utraque expressio ceterum in idem redit, quia credenda proponuntur a Magisterio, secundum Vaticanum I, Denz. 1792 (3011).

Proponitur tamen ut pro claritate scribatur, mutato simpliciter ordine verborum: « Munus autem *authentice interpretandi* verbum Dei scriptum vel traditum... ».

49 — Pag. 16, lin. 17: Quattuor Patres, loco « interpretandi », volunt verbum *docendi,* quod latius est, et lin. 35, post « exponit », addere desiderant: *et interpretatur.* Insuper insistere volunt super *distinctionem* inter Apostolos et Magisterium Episcoporum.

R. — Vox *docendi* minus accurata videtur, quia Magisterium a deposito pendet. De origine Magisterii agitur in Constitutione *De Ecclesia.*

50 — Pag. 16, lin. 27: Unus Pater addere vult: « soli vivo et *infallibili* Ecclesiae Magisterio... ».

R. — Respiciendum est etiam Magisterium ordinarium *authenticum.*

51 — Pag. 16, lin. 29: Tres Patres addere volunt: « cuius *suprema* auctoritas... ».

R. — Non expedit: etiam singuli Episcopi pro suis fidelibus in nomine Christi docere possunt.

52 — Pag. 16, linn. 30-31: 14 Patres, quibus accedunt duo alii, praeferunt *formulam positivam*: « quod quidem Magisterium (plene) *subest verbo Dei,* eique (fideliter) ministrat ».

[27] R. — Servetur textus, qui conscriptus est *ut praecaveatur obiectio* seiunctorum. Uberiores explicationes exstant in Constitutione *De Ecclesia,* sub altera parte numeri 22.

53 — Pag. 16, lin. 34: Duo Patres, loco « pie *audit* », scribere volunt « pie *recipit* ».

R. — Vox *audire* consulto adhibita est, tum propter instantiam seiunctorum, tum quia textus etiam sub n.8, pag. 15, linn. 36-38, loquitur de *viva voce* et de *resonantia* Evangelii.

54 — Pag. 16, lin. 35: Septem Patres, post « fideliter exponit », fere iisdem verbis *addere* desiderant: « ea quoque illustrando et enucleando quae in fidei deposito *nonnisi obscure et veluti im-*

plicite continentur ». Quod esset, aiunt, praecipua forsan functio Magisterii. [27]

R. — Ratio allata *non videtur stringens*. Commissio antea consulto omisit haec verba. Ceterum adlaborare ad locos obscuros explicandos, non uni competit Magisterio.

55 — Pag. 16, linn. 35-36: Unus Pater timet ne obiectum Magisterii *ad sola credenda* restringatur.

R. — In textu *duo* affirmantur: Magisterium custodit et exponit, atque credenda proponit. Extensio obiecti Magisterii in Constitutione *De Ecclesia* ex professo exponitur, sub n. 25.

56 — Pag. 16, lin. 37: Tres Patres proponunt ut, post « credenda proponit », *addatur*: « non autem omnis doctrina catholica ex sola Sacra Scriptura demonstrari potest ».

R. — Provisum sub Modo 40.

57 — Pag. 16, linn. 37-38: Octo Patres Sacram Scripturam *ante* Sacram Traditionem inducere volunt.

R. — Sacra Traditio hic *primo loco* ponitur, quia est obiectum principale totius Capitis, et sententia indicata totam expositionem summatim refert. Idem fit lin. 17.

58 — Pag. 16, linn. 37 ss.: Unus Pater totam sententiam delere vult, quia Traditio et Scriptura *non in eodem ordine* poni possunt cum Magisterio.

R. — Diversitas ordinis patet ex incisa: « *singula suo modo* », pag. 17, lin. 1, et ex eo quod lin. 31 Magisterium dicitur verbo Dei *ministrare*. [28]

59 — Pag. 16, lin. 40: Unus Pater loco « unum sine aliis non consistat », scribere praefert: « ... unum contra alia *consistere nequeat* », quia Traditio et Magisterium existebant ante completam Scripturam.

R. — Ut notatur in priori Relatione, pag. 25, sub litt. I, agitur hic non de *possibilitate*, sed de *facto*, seu de reali oeconomia.

60 — *Ibidem*: Unus Pater *ampliationem de Spiritu Sancto* proponit sic: « Pater igitur S. Traditionem, S. Scripturam et Ecclesiae Magisterium... ita inter se... consociari, quod *unus et idem Spiritus Christi, vel transmittens, vel inspirans, vel assistens in iis operatur*: propterea unum sine aliis non *consistit*, omniaque... *conferunt* ».

R. — Haec sat ampla additio *expositionem oneraret*. In fine tamen scribatur: « ... omniaque simul, singula suo modo *sub actione unius Spiritus Sancti*, ad animarum salutem efficaciter conferant ».

[29]

CORRECTIONES ADMISSAE
IN CAPITE II

Num. 7

Pag. 14, linn. 18-21: Quod quidem fideliter factum est, tum ab Apostolis qui ... ea tradiderunt quae sive ... acceperant, sive ... didicerant, tum ab *illis Apostolis* virisque apostolocis qui, sub inspiratione eiusdem Spiritus Sancti, nuntium salutis scriptis mandaverunt (2).

Pag. 14, lin. 26: *Haec* igitur *Sacra* Traditio et *Sacra* utriusque Testamenti Scriptura velut speculum sunt...

Num. 8

Pag. 15, linn. 3-9: Unde Apostoli, *tradentes* quod et ipsi acceperunt, fideles *monent* ut teneant traditiones quas sive per sermonem sive per epistulam *didicerint* (cf. *2 Thess.* 2, 15), *utque pro* semel sibi tradita fide *decertent* (cf. *Iud.* 3) (4).

Pag. 15, linn. 16-26: Haec quae est ab Apostolis Traditio sub assistentia Spiritus Sancti in Ecclesia proficit: crescit enim tam rerum quam verborum traditorum perceptio, tum ex contemplatione et studio credentium, qui ea conferunt in corde suo (cf. *Lc.* 2, 19 et 51), tum ex intima spiritualium rerum quam experiuntur intelligentia, *tum ex praeconio eorum qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt.* Ecclesia scilicet, volventibus saeculis, ad plenitudinem divinae veritatis iugiter tendit, donec *in ipsa* consummentur verba Dei.

Num. 9

Pag. 16, lin. 2: *Sacra* Traditio ergo et *Sacra* Scriptura arcte inter se connectuntur atque communicant.

Pag. 16, linn. 6 ss.: Etenim *Sacra* Scriptura est locutio Dei quatenus divino afflante Spiritu *consignatur; Sacra* autem Traditio verbum Dei, a Christo Domino et a Spiritu Sancto Apostolis con-
[30] creditum, successoribus eorum integre transmittit, ut illud, praelucente Spiritu veritatis, praeconio suo fideliter servent,

exponant atque diffundant; *quo fit ut Ecclesia certitudinem suam de omnibus revelatis non per solam Sacram Scripturam hauriat.* Quapropter ... [30]

Num. 10

Pag. 16, lin. 20: ... tota plebs sancta *pastoribus* suis adunata...

Pag. 16, linn. 26-28: Munus autem *authentice interpretandi* verbum Dei scriptum vel traditum soli vivo Ecclesiae Magisterio concreditum est.

Pag. 16, linn. 37 ss.: Patet igitur *Sacram* Traditionem, *Sacram* Scripturam et Ecclesiae Magisterium, iuxta sapientissimum Dei consilium, ita inter se connecti et consociari, ut unum sine aliis non consistat, omniaque simul, singula suo modo *sub actione unius Spiritus Sancti,* ad animarum salutem efficaciter conferant.

NOTAE

Ad n. 7.

(1) Cf. *Mt.* 28, 19-20 et *Mc.* 16, 15. CONC. TRID., Sess. IV, decr. *De canonicis Scripturis*: DENZ. 783 (1501).

Ad n. 8.

(4) Cf. *Conc. Nicaenum II*: DENZ. 303 (602). CONC. CONSTANT. IV, Sess. X, can. 1: DENZ. 336 (650-652).

Ad n. 10.

(7) (Addatur). Cf. Verba S. CYPRIANI: « Ecclesia plebs Sacerdoti adunata et Pastori suo grex adhaerens », *Epist.* 66, 8: HARTEL, III, B, p. 733.

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione Doctrinali circa Modos, Caput II Schematis de divina Revelatione respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

[31]

CAPUT III

(De Sacrae Scripturae divina inspiratione et de eius interpretatione)

EXITUS SUFFRAGATIONUM

(21 sept. 1965)

	Praes. votantes	Placet	Non placet	Vota nulla
Suffr. X, de n. 11:	2.241	2.179	56	6
Suffr. XI, de nn. 12-13:	2.064	2.029	28	7

Suffr. XI, de integro Capite:

Votantes	2.109
Placet	1.777
Non placet	6
Placet iuxta modum	324
Vota nulla	2

Integrum ergo Caput III, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatum est.

Omnes Modi, a Patribus introducti, praevie ordinati sunt a Commissione technica, Praeside Exc.mo Charue, delegato a Praeside Commissionis Doctrinalis, Exc.mo van Dodewaard, Relatore alterius partis Schematis (cap. III-VI), et Secretariis Commissionis Doctrinalis.

AD NUM. 11 (Statuitur factum inspirationis et veritatis Sacrae Scripturae).

1 — *Modi generales.* Unus Pater rogat ut *indoles historica* S. Scripturae in tuto praeservetur; ut manifestius invocetur Enc. *Providentissimus;* ut *abusivae interpretationes* textus conciliaris praecaveantur et simul *iusta facultas* exegetis servetur ad S. Scripturam perscrutandam. Textum autem non proponit.

Alius Pater, *contra inspirationem stricte dictam,* explicat inspirationem per evolutionem cognitionis religiosae, quam auctores et Ecclesia primitiva cum fidelitate erga opus et mentem Christi referunt, sub Dei providentia scribentes.

[32] R. — Rationes a primo Patre inductae *in textu observantur.* Expli-

catio quae inspirationem ad solam divinam Providentiam reducit [32]
nequit admitti.

2 — Pag. 21, lin. 2: Ne « Divinitus revelata » de *omnibus* veritatibus revelatis intelligatur, quinque Patres proponunt ut scribatur « *Illa* divinitus revelata »; alius auferre vult virgulam post « revelata »; duo proponunt ut, loco « quae » scribatur *quatenus,* vel *prout.*

R. — Melior claritas obtinetur *invertendo ordinem phraseos.* Scribatur ergo: « Divinitus revelata, quae in Sacra Scriptura continentur et prostant, Spiritu Sancto afflante litteris consignata sunt. Libros enim *integros* tam Veteris quam Novi Testamenti, *cum omnibus eorum partibus,* sancta Mater Ecclesia ... pro sanctis et canonicis habet... ». Cf. Modus 9.

3 — Pag. 21, lin. 9: Duo Patres, post verba « Spiritu Sancto inspirante », addere volunt referentiam ad *2 Pt.* 1, 21.

R. — In linea 7 scribatur: *2 Pt.* 1, 19-21.

4 — Pag. 21, lin. 11: Unus Pater, post « traditi sunt », addere vult (1) cum Nota: *Conc. Flor., Decr. pro Iacobitis*: Denz. 706 (1334 s.) et *Conc. Trid., Decr. de libris sacris*: Denz. 783 (1501-1503).

R. — Conc. *Florentinum* agit de unitate Dei antiqui et Novi Testamenti; Conc. *Tridentinum* agit de Scriptura et Traditione. Citetur potius: *Conc. Vat. I*: Denz. 1787 (3006).

5 — Pag. 21, lin. 12: Unus Pater proponit ut, post vocem « elegit », addatur: *modo singulari vel sociali.*

R. — In hanc considerationem hic non videtur intrandum.

6 — Pag. 21, lin. 15: Tres Patres *expungere* volunt verba « ut veri auctores », quia hagiographi non sunt nisi instrumenta. Aliunde proponitur *additio*: « pro sua quisque natura et ingenio ».

R. — Quia hagiographi *veri auctores* sunt, haec verba consulto apposita fuerunt. Additio non videtur necessaria.

7 — Pag. 21, lin. 16: Unus Pater proponit ut, loco « omne id quod auctor inspiratus ... asserit », scribatur: « omne id quod *Sacra Scriptura* ... asserit », quia *in interpretatione theologica* S. Scripturae praevalenter respiciendum est ad eius *totalitatem.* Ceterum
pro uno libro intervenire possunt *plures auctores.* – Praeterea [33]
proponitur suppressio vocis *omne,* quae exaggerata videtur, et loco « asserit ... assertum », suggeritur: *dicit ... dictum.*

[33] R. — Agitur hic de sensu *litterali*: de sensu theologico ex professo agitur pag. 22, inde a lin. 25. Propter tamen quaestionem de unicitate vel pluralitate auctorum, scribatur: « *omne id, quod auctores inspirati seu hagiographi asserunt* ». Servantur ergo voces *omne* atque *asseruntur* ... *assertum*.

8 — Pag. 21, linn. 19-20: Multi Patres difficultatem movent contra expressionem « veritatem *salutarem* », quia, contra documenta Magisterii, inerrantiam *ad res fidei et morum restringere* videtur: quid ergo de inerrantia aliarum assertionum Scripturae?

Varias proponunt solutiones: 184 Patres proponunt ut vox *salutarem* deleatur; 76 eam substituere volunt per aliam formulam, vel: *veritatem exhibere* dicendi sunt, *diversimode tamen pro qualitate affirmationis hagiographi*. Vel: *veritatem exprimere* quam Deus, *nostrae salutis causa, libris sacris consignare voluit*. Vel: *omnia quae Deus nobis communicare intenderit*, ita 73 Patres. Vel: *veritatem divinam*. Vel: *veritatem a Deo manifestatam, edoctam, vel assertam*. Vel: « veritatem salutarem *necnon facta historica quibus haec veritas innititur* », ita 10 Patres. Vel: « veritatem *super omnia* salutarem », etc.

Alii Patres, expressionem « veritatem salutarem » approbantes, *addere volunt in Nota verba S. Augustini*: « Spiritum Dei, qui, per illos loquebatur, noluisse ista (scilicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, *nulli saluti profutura* » (De Gen. ad litt. 2, 9; PL 34, 270; CSEL 28, 46), additis referentiis ad documenta ecclesiastica, quae eadem verba citant, nempe Leo XIII, Enc. *Providentissimus*, 18 nov. 1893: Denz. 1947 (3288); EB 121, et Pius XII, Enc. *Divino Afflante*, 30 sept. 1943: EB 539. Conc. Trid. Evangelium vocat « fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae », quae veritas et disciplina continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus: Denz. 783 (1501).

R. — Voce « *salutaris* » nullo modo suggeritur S. Scripturam non esse integraliter inspiratam et verbum Dei: cf. ea quae dicuntur in textu, linn. 16-21, ad mentem Enc. *Prov.*: EB 127: « ... Deum ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse ». Non potest fieri ut « Verbum Veritatis, evangelium salutis vestrae » (*Eph.* 1, 13; cf. *2 Cor.* 4, 2, etc.) non doceat « veritatem salutarem ». Ut autem omnis abusus in interpretatione praecaveatur, admittit Commissio
[34] emendationem a 73 Patribus propositam, ita ut textus sit: « Cum ergo omne id quod *auctores inspirati* seu *hagiographi asserunt*,

retineri debeat assertum a Spiritu Sancto, inde Scripturae libri [34]
veritatem, *quam Deus nostrae salutis causa litteris sacris consignari voluit, firmiter,* fideliter et sine errore docere profitendi sunt ». Notam 5 sequenti modo complendam esse statuit:

(5) Cf. S. AUGUSTINUS, *Gen. ad litt.* 2, 9, 20: *PL* 34, 270-271; *Epist.* 82, 3: *PL* 33, 277; *CSEL* 34, 2, p. 354. - S. THOMAS, *De Ver.* q. 12, a. 2, C. - CONC. TRIDENTINUM, Sess. IV, Decr. *de Canonicis Scripturis*: DENZ. 783 (1501). - LEO XIII, Enc. *Providentissimus*: *EB* 121, 124, 126-127. - PIUS XII, Enc. *Divino Afflante*: *EB* 539.

9 — Pag. 21, lin. 20: Pro verbis « inconcusse et fideliter integre et sine errore docere », plures proponuntur mutationes. 151 Patres postulant ut addatur: « sine *ullo errore* ». 35 Patres quaedam auferre desiderant, delendo scilicet *sine errore,* vel delendo *inconcusse,* quae vox pertinet ad illum qui librum legit, non ad ipsum librum; vel etiam delendo *integre,* quia haec vox suggerere posset integram revelationem in sola Scriptura contineri. Pro « docere » vero proponunt *exprimere,* sed propter rationes diversas, scilicet vel quia vox *docere* habet connotationem mere didacticam, vel quia haec vox videtur inerrantiam restringere.

R. — Loco « inconcusse » ponatur *firmiter* et tollatur vox *integre.* – Expressio *sine errore,* quae est absoluta, sufficit. – Servetur vox *docere,* quae agit de illis quae proprie *asseruntur.*

Quia vero verba: *integri* (*libri*) *cum omnibus suis partibus* translata sunt ad linn. 5-6, ubi aptiorem locum inveniunt, sententia hoc modo legatur: « Cum ergo omne id, quod auctor*es* inspira*ti* seu hagiogra*phi* asser*unt,* retineri debeat assertum a Spiritu Sancto, inde Scripturae libri veritatem salutarem *firmiter,* fideliter et sine errore docere profitendi sunt », cum ampliatione Notae 5, de qua in Modo praecedenti.

10 — Pag. 21, lin. 21: Unus Pater exoptat ut, praeter veritatem, asseratur etiam *absoluta honestas* Scripturarum.

R. — Idea in hoc loco non est ad rem.

11 — Pag. 21, lin. 22: Unus Pater proponit ut textus Pauli (*2 Tim.* 3, 16-17) sic citetur: « ... divinitus inspirata *est et* utilis... ».

R. — Citetur ad litteram secundum graecum: « ... divinitus inspirata *et* utilis... » (*2 Tim.* 3, 16-17 *gr.*). In ulteriores quaestiones technicas exegeseos hic non intratur.

[35] AD NUM. 12 (Quomodo S. Scriptura sit interpretanda).

12 — Pag. 21, lin. 29: Duo Patres petunt ut addatur: « per homines, more hominum *et hominibus* locutus sit... ».

R. — Additio inutilis, quia res de se patet.

13 — Pag. 21, lin. 31: Unus Pater petit, latinitatis causa, ut scribatur: « Ipse nobis*cum* communicare voluerit ».

R. — Admittitur.

14 — Pag. 22, lin. 1: Duo Patres, loco « significare », proponunt *asserere,* sicut in lin. 15.

R. — Praeplacet *significare.*

15 — Pag. 22, lin. 2: Tredecim Patres petunt ut, loco *et,* scribatur *quidque,* ut appareat quaestionem *de sensu pleniore* non dirimi.

R. — Omnes concordant de non dirimenda hac quaestione. Si scribitur *quidque,* quaestio in sensum positivum dirimeretur. Expressio *et* est neutralis.

16 — Pag. 22, lin. 4: Unus Pater proponit: « Ad hagiographorum *vero* intentionem... ».

R. — Non necessarium. Constitutio non est Epistula neque expositio scholaris.

17 — Pag. 22, lin. 5: Tres Patres difficultatem movent contra expressionem: *genera litteraria,* vel quia est nimis technica, vel quia est nimis stricta.

R. — Vox *iam in usu est,* etiam in documentis Magisterii. Ceterum infra latius explicatur: cf. Modus 25.

18 — Pag. 22, lin. 6: Duo Patres proponunt, claritatis gratia: « Aliter enim veritas in textibus vario modo historicis *vel* propheticis, *aliter* in textibus poëticis vel in aliis dicendi generibus proponitur... ».

R. — Ne videantur duae categoriae institui, scribatur: « *Aliter enim atque aliter* veritas in textibus... ».

19 — Pag. 22, lin. 7: Duo Patres explicite addere volunt *et iuridicis.*

R. — Non oportet, quia « iuridica » in aliis dicendi generibus comprehenduntur.

[36] 20 — Pag. 22, lin. 9: Unus Pater, loco « porro » postulat: *ergo.* Alius delere optat totam sententiam linn. 9-13.

R. — Quia inducitur *nova idea* de variis adiunctis conscriptionis li-

brorum, servandum est *porro*. Suppressio sententiae non correspondet normis. [36]

21 — Pag. 22, lin. 11: Unus Pater addere proponit: « pro sui temporis *et suae culturae* condicione... ».

R. — Admittitur.

22 — Pag. 22, lin. 13: Unus Pater rogat ut loco « exprimere intenderit et expresserit », scribatur: « *reapse* expresserit ». Quatuor alii, e contra: « exprimere intenderit et *reapse* expresserit ». « Reapse » invenitur in Enc. *Divino afflante*: EB 558.

R. — Textus est satis clarus. In Encyclica *reapse* occurrit in alio contextu.

23 — Pag. 22, linn. 14-15: Tres Patres petunt ut dicatur: « *Id* (delendo: veritas seu) enim *quod* sacer auctor scripto *significare* (loco: asserere) voluit... », quia « veritas » nimis intellectualistice sonaret, et quia « asserere » esset nimis strictum.

R. — Licet « Veritas » intelligatur sensu biblico, non philosophico, hic tamen illud vocabulum expungatur, ne propter structuram phraseos vox ad intentionem *subiectivam* auctoris restringatur. « *Asserere* » valet pro omni genere litterario explicando.

24 — Pag. 22, lin. 15: Unus Pater postulat ut dicatur: « ... *saepe* non recte intelligitur... ».

R. — Scribatur modo positivo: « *ad recte enim intelligendum* id quod sacer auctor scripto asserere *voluerit,* rite attendendum est... ».

25 — Pag. 22, linn. 14-20: Septem Patres proponunt ut clarius distinguantur illa quae ad *genera litteraria* pertinent ab illis quae ad *mutuum hominum commercium* respiciunt. Varias suggerunt *additiones,* v. g. « dicendi *scribendive* modos... *in arte litteraria...* ad *expressiones* quae... »; etc. Unus vocabulo « sentiendi », substituere vult *cogitandi.*

R. — Scribatur: « *rite attendendum est tum* ad suetos illos nativos sentiendi, dicendi, narrandive modos, qui temporibus hagiographi vigebant, *tum ad illos* qui *hoc aevo* in mutuo hominum commercio passim adhiberi solebant ».

Additiones ergo non admittuntur, et servatur vocabulum *sentiendi,* quod latius est quam « cogitandi ». [37]

26 — Pag. 22, lin. 20: Unus Pater proponit *restitutionem textus prioris,* qui ex Enc. *Divino afflante,* EB 560, desumptus erat.

R. — Textus ille *consulto* omissus est, quia, licet utilis pro schola, hic non videtur necessarius.

[37] 27 — Pag. 22, lin. 25: Octo Patres proponunt additionem hoc modo: « Sed, *cum S. Scriptura eodem Spiritu quo scripta est etiam legenda et interpretanda sit,* ad recte... ».

R. — Admittitur, *addita referentia* in Nota: cf. Benedictus XV, Enc. *Spiritus Paraclitus,* 15 Sept. 1920, EB 469. *S. Hieronymus, In Gal.* 5, 19-31: PL 26, 417 A.

28 — Pag. 22, lin. 26: 150 Patres petunt ut, loco « etiam » ponatur *praesertim,* vel *ante omnia* quia ante omnia ad sensum *totius* scripturae est respiciendum.

R. — Scribatur *non minus diligenter,* secundum expressionem ab Encyclica adhibitam.

29 — Pag. 22, lin. 27: Unus Pater, loco « totius Scripturae », petit ut dicatur « unitatem *utriusque Testamenti* ».

R. — Non admittitur, quia intentio textus latius patet.

30 — Pag. 22, linn. 28-29: 13 Patres petunt ut scribatur *Traditio* cum maiuscula quia non agitur tantum de traditionibus ecclesiasticis. Insuper addere volunt *Magisterium* et *sensum fidei Populi Dei.* Alius vult citari *Patres Ecclesiae.* Unus denique Pater proponit *longiorem additionem* de normis quae imperant exegesi ut disciplinae *theologicae.*

R. — Scribatur: « ... vivae *totius* Ecclesiae *Traditionis* et analogiae fidei ». Ita in totius Ecclesiae Traditione iam cointelliguntur *Patres* et *sensus fidei.* Linea autem 34 servetur « Ecclesiae iudicio ». Longior additio, cum normis technicis, hic non est necessaria. Ceterum iam addita est, in Modo 27, incisa *de Spiritu exegeseos.* De Patribus, cf. etiam infra dicenda sub n. 23. Ita omnibus provisum est.

31 — Pag. 22, lin. 30: Plures Patres postulant ut *munus exegetarum* modo *magis completo* exhibeatur. Propterea suggerunt ut scribatur: « ad Sacrae Scripturae *sensum* penitius intelligendum *et*
[38] *exponendum* ». Alius proponit: « ... *investigandum, proponendum et explicandum* ». Novem autem petunt *additionem* de locis Scripturae *adhuc obscuris,* secundum *Providentissimus,* EB 109.

R. — Admittitur prima correctio: « *sensum ... et exponendum* ». Aliae additiones sunt magis technicae, hic non necessariae.

32 — Pag. 22, linn. 29-36: Unus Pater proponit ut hic textus *substituatur* per alium, in quo dicatur exegetas non posse sensui ab Ecclesia statuto, neque unanimi consensui Patrum contradicere.

R. — Haec omnia iam *positivo modo* dicta sunt.

33 — Pag. 22, lin. 34: Septem Patres, loco « *Ecclesiae iudicio* », volunt « *Magisterii* iudicio ». [38]

R. — Iam provisum in Modo 30.

34 — Pag. 22, lin. 37: Unus Pater proponit additionem de reverentia erga *Magisterium* et *Sanctos Patres*. Non nimis, ait, extolli debet critica hermeneutica rationalis, siquidem primaria criteria sunt doctrina SS. Patrum, Magisterium, sensus Ecclesiae et analogia fidei.

R. — Omnibus his requisitis in lineis 4-36 provisum est.

AD NUM. 13 (Dei condescensio).

35 — Pag. 22, linn. 37-38: Unus Pater petit *ut restituatur textus prior*: « Quae omnia, *salva semper Dei veritate et sanctitate,* manifestam statuunt... ».

R. — Delectum est « Quae omnia », quia nova paragraphus non immediate ad praecedentem adhaeret. *Alia verba* restituantur: « salva semper Dei veritate et sanctitate ».

36 — Pag. 22, lin. 39: Unus Pater, loco « condescensio », elegantius scribere proponit: *Dignatio,* quae vox iam apud Tertullianum et S. Cyprianum, necnon in Liturgia (Exsultet), occurrit.

R. — Enc. *Divino afflante*: EB 559 loquitur expresse de « synkatabasi seu *condescensione* », secundum S. Io. Chrysostomum.

37 — Pag. 23, lin. 2: Unus Pater postulat ut expungantur verba « *quod omnia* ». Praeterea petit ut mutetur verbum « infirmitatis », in linn. 3-4, quia etiam de infirmitate morali intelligi posset.

R. — Auferantur verba *quoad omnia* tum lin. 2, tum lin. 5, quia parallelismus non nimis stringendus est. – « Humanae infirmitatis *caro* » evidenter intelligitur de natura passibili. [39]

38 — Pag. 23, linn. 3-6: 14 Patres rogant ut in primo membro addatur: *absque errore,* dum 19 Patres postulant ut in altero membro addatur *absque peccato,* vel praeterea ut addatur: « salva semper Dei veritate et sanctitate »; cf. *Hebr.* 2, 17 et 4, 15.

R. — Admissa *solutione simpliciore* Modi praecedentis, his propositionibus iam provisum est.

[40]

CORRECTIONES ADMISSAE
IN CAPITE III

Num. 11

Pag. 21, linn. 2-11: Divinitus revelata, *quae* in Sacra Scriptura litteris continentur et prostant, Spiritu Sancto afflante consignata sunt. Libros enim *integros* tam Veteris quam Novi Testamenti, *cum omnibus eorum partibus,* sancta Mater Ecclesia ex apostolica fide pro sacris et canonicis habet, propterea quod, Spiritu Sancto inspirante conscripti (cf. *Io.* 20, 31; *2 Tim.* 3, 16; *2 Pt.* 1, 19-21; 3, 15-16) Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt (1).

Pag. 21, linn. 16-26: Cum ergo omne id, quod *auctores inspirati seu hagiographi asserunt,* retineri debeat assertum a Spiritu Sancto, inde Scripturae libri veritatem, *quam Deus nostrae salutis causa litteris sacris consignari voluit, firmiter,* fideliter et sine errore docere profitendi sunt (5). Itaque « omnis Scriptura divinitus inspirata *et* utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus » (*2 Tim.* 3, 16-17, *gr.*).

Num. 12

Pag. 21, lin. 31: ... ut perspiciat, quid Ipse nobis*cum* communicare voluerit...

Pag. 22, linn. 6-32: Aliter *enim atque aliter* veritas in textibus vario modo historicis, vel propheticis, vel poeticis, vel in aliis dicendi generibus proponitur et exprimitur. Oportet porro ut interpres sensum inquirat, quem in determinatis adiunctis hagiographus, pro sui temporis *et suae culturae* condicione ope generum litterariorum illo tempore adhibitorum exprimere intenderit et expresserit (7). *Ad recte enim intelligendum* id quod sacer auctor scripto asserere *voluerit,* rite attendendum est tum ad suetos illos nativos sentiendi, dicendi, narrandive modos, qui temporibus hagiographi vigebant, *tum ad illos* qui *hoc aevo* in mutuo hominum commercio adhiberi solebant (8).

Sed, *cum Sacra Scriptura eodem Spiritu quo scripta est etiam legenda et interpretanda sit* (9), ad recte sacrorum textuum sensum eruendum, *non minus diligenter* respiciendum est ad contentum et unitatem totius Scripturae, ratione habita vivae *totius* Ecclesiae Traditionis et analogiae fidei. Exegetarum autem est secundum has regulas adlaborare ad Sacrae Scripturae *sensum* penitus intelligendum *et exponendum,* ut quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur... [41]

Num. 13

Pag. 22, linn. 37-39: In Sacra Scriptura ergo manifestatur, *salva semper Dei veritate et sanctitate,* aeternae Sapientiae admirabilis condescensio...

Pag. 23, linn. 1-6: Dei enim verba, humanis linguis expressa, humano sermoni assimilia facta sunt, sicut olim Aeterni Patris Verbum, humanae infirmitatis assumpta carne, hominibus simile factum est.

NOTAE

Ad num. 11.

(1) Cf. CONC. VATICANUM I, Const. *Dei Filius,* cap. 2: DENZ. 1787 (3006). *Comm. Biblica,* Decr. 18 iunii 1915: DENZ. 2180 (3629); *EB* 420; S. C. S. OFFICII, *Epist.* 22 dec. 1923: *EB* 499.

Nota (1) fit (2).

Nota (2) fit (3).

Nota (3) fit (4).

Nota (4) supprimitur.

(5) Cf. S. AUGUSTINUS, *Gen. ad litt.* 2, 9, 20: *PL* 34, 270-271; *Epist.* 82, 3: *PL* 33, 277; CSEL 34, 2, p. 354. - S. THOMAS, *De Ver.* q. 12, a. 2, C. - CONC. TRIDENTINUM, Sess. IV, *de canonicis Scripturis*: DENZ. 783 (1501). - LEO XIII, Enc. *Providentissimus*: *EB* 121, 124, 126-127. - PIUS XII, Enc. *Divino Afflante*: *EB* 539.

Notae 6, 7 et 8 remanent immutatae.

(9) Cf. BENEDICTUS XV, Enc. *Spiritus Paraclitus,* 15 sept. 1920: *EB* 469. - S. HIERONYMUS, *In Gal.* 5, 19-31: *PL* 26, 417 A.

Nota (9) fit (10).

Nota (10) fit (11).

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione Doctrinali circa Modos, Caput III respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

[43] CAPUT IV

(De Vetere Testamento)

EXITUS SUFFRAGATIONIS

(22 sept. 1965)

Suffr. XII, de nn. 14-16 seu integro capite:

votantes	2.233
placet	2.183
non placet	——
placet iuxta modum	47
vota nulla	3

Integrum ergo Caput IV, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatum est. Vide pag. 31.

AD NUM. 14 (Historia salutis in libris V. T. consignata).

1 — Pag. 28, linn. 3-4: Novem Patres proponunt *additionem*: « totius humani generis salutem sollicite intendens *atque ubique terrarum* (cf. *Gen.* 4-11) praeparans, singulari dispensatione... ».

R. — De universalitate salutis iam dicitur sub n. 3, pag. 4, lin. 21. Potest tamen admitti brevior additio: ... intendens *et praeparans*.

2 — Pag. 28, lin. 5: Unus Pater proponit sat longam *additionem de Messianismo,* ad extollendam universalitatem et gratuitatem salutis omnibus gentibus promissae.

R. — *Messianismus* infra, linn. 25-30, concrete describitur. Cf. insuper Modus 8.

3 — Pag. 28, linn. 6-8: Duo Patres accuratius scribere vellent: « Foedere enim *in promissione* cum Abraham, et *in re* cum plebe Israel per Moysen inito... ».

R. — Non est necessarium in has distinctiones intrare.

[44] 4 — Pag. 28, lin. 9: Unus Pater, latinitatis causa, scribere vult: « verbis *rebusque gestis* ». Alius vult « gestis ac verbis ».

R. — Potest stare textus.

5 — Pag. 28, linn. 10-13: Unus Pater proponit ut claritatis causa

dicatur: « ut Israel, *quae* divin*a essent erga* homin*es consilia* experiretur, eaque... clarius in dies intellig*eret* ». [44]

R. — Ne perdatur expressio de *viis* Domini, scribatur potius: « ut Israel, *quae* divin*ae essent* cum hominibus *viae* experiretur, easque... clarius in dies intellig*eret* ».

6 — Pag. 28, lin. 15: Duo Patres proponunt ut dicatur: « *Quae* oeconomia salutis... ».

R. — Quia hic inducitur alia consideratio, servetur: « Oeconomia *autem* salutis... ».

7 — Pag. 28, lin. 19: Quattuor Patres contra « *vim et auctoritatem perennem* » Veteris Testamenti, observant multa, praesertim ritualia, non servari. Suadent ergo ut haec verba *omittantur,* vel ut scribatur: « auctoritatem *ad docendum* », vel: « auctoritatem *historicam et doctrinalem* ».

R. — Accuratius scribatur: *perennem valorem* servant.

AD NUM. 15 (De momento V. T. pro Christifidelibus).

8 — Pag. 28, lin. 27: Loco *Eiusque,* scribatur: « *Regnique messianici* adventum... », ut explicite significetur « Messias ».

R. — Admittitur.

9 — Pag. 29, lin. 1: Duo Patres, post « manifestant » petunt ut *addatur*: « hominisque divinae gratiae expertis miseram conditionem et promissi Redemptoris necessitudinem plane ostendunt ».

R. — Provisum ubi de universalitate salutis.

10. — Pag. 29, linn. 2-4: Quidam Patres difficultatem experiuntur circa *imperfecta* quae in Vetere Testamento dicuntur occurrere. Quam difficultatem variis modis solvere conantur, vel *supprimendo verbum,* vel ei *substituendo*: « incompleta », vel « perficienda », vel « nondum perfecta respectu habito ad Novum Testamentum ». Vel imperfectionem referunt ad populum erudiendum, vel eam hagiographis imputant. Alii *insistere* volunt [45] super « scholam orationis et doctrinam de vita religiosa ».

R. — Ne lis instituatur de extensione istarum imperfectionum, scribatur: « Qui libri *quamvis etiam* imperfecta et temporaria contineant ». Res autem ipsa in dubium vocari nequit, spectato etiam Sermone Montano et affirmatione Domini de matrimonio, *Mt.* 19, 8 etc. Latinitatis causa scribatur, lin. 3: « veram tamen ». Additiones propositae, spectatis lineis 6-7, non sunt necessariae.

11 — Pag. 29, linn. 4-8: Quinque Patres proponunt aliam redactio-

[45] nem: « *Eidem libri* qui *sensum Dei vivi* exprimunt, *in quibus* sublimes de Deo doctrinae ac salutaris de vita hominis sapientia mirabilesque precum thesauri reconduntur, *in quibus tandem latet mysterium salutis nostrae,* a Christifidelibus devote accipiendi sunt ».

Variae etiam proponuntur locutiones: « sensum *sanctissimi et clementissimi* Dei », vel « sensum *sanctitatis et clementiae* Dei », vel « sensum Dei *in humanis narrandis* ».

R. — Admittitur prima propositio, cum *addito* de « nostro salutis mysterio », quod alludit ad Messianismum. Servetur tamen: *vivum sensum Dei,* quod consulto ita positum fuit.

12 — Pag. 29, lin. 8: Quattuor Patres *additionem* proponunt: « ... atque ita legendi sunt ut per legem et prophetas ad Christum perveniatur (cf. S. Hieronymus, Tract. in *Mc.*: CC 78, pag. 484) ».

R. — Idea exprimitur in n. 16.

AD NUM. 16 (De unitate utriusque Testamenti).

13 — Pag. 29, lin. 10: Quattuor Patres expungunt *igitur,* quia deest nexus cum praecedentibus.

R. — Servetur *igitur,* quia inducit conclusionem generalem.

14 — Pag. 29, lin. 14: Unus Pater proponit additionem: « Christus... Novum Foedus condiderit, *prius veterans* (cf. *Hebr.* 8, 13)... ».

R. — Non videtur necessarium.

15 — Pag. 29, lin. 16: Unus Pater addere vult: « libri V. T. in praeconio evangelico assumpti, *utpote pars unius revelationis* ». Iam enim in V. T. incipit Dei adventus.

R. — Additio non est necessaria.

[46] 16 — Pag. 29, lin. 17: Tres Patres rogant ut clarius scribatur: « in Novo *Testamento* significationem suam completam acquirunt ».

R. — Admittitur.

17 — Pag. 29, lin. 18: Tres Patres petunt ut referentiae *2 Cor.* 3, 14, *addantur aliae tres, nempe*: *Mt.* 5, 17; *Lc.* 24, 27; *Rom.* 16, 25-26.

R. — Admittitur.

18 — Pag. 29, lin. 19: Tres Patres proponunt ut, loco « illustrant », ponatur: *illuminant et explicant,* tum ut duobus verbis « acquirunt et ostendunt », contraponantur duo alia; tum ut insistatur super hoc quod Christus ex Scripturis Veteris Testamenti intelligitur: cf. *Lc.* 24, 27 et *Act.* 2, 25-36.

R. — Admittitur.

CORRECTIONES ADMISSAE [47]

IN CAPITE IV

Num. 14

Pag. 28, linn. 2-5: Amantissimus Deus, totius humani generis salutem sollicite intendens *et praeparans,* singulari dispensatione populum sibi elegit, cum promissiones concrederet.

Pag. 28, linn. 10-13: ...ut Israel, *quae divinae essent* cum hominibus *viae* experiretur easque, ipso Deo per os prophetarum loquente, penitius et clarius in dies *intelligeret* atque latius in gentes exhiberet...

Pag. 28, linn. 18-20: ...quapropter hi libri divinitus inspirati *perennem valorem* servant...

Num. 15

Pag. 28, linn. 25-28: Veteris Testamenti oeconomia ad hoc potissimum disposita erat, ut Christi universorum redemptoris *Regnique messianici* adventum praepararet...

Pag. 29, linn. 1-8: Qui libri, *quamvis etiam* imperfecta et temporaria contineant, *veram tamen* paedagogiam divinam demonstrant (1). Unde *iidem libri,* qui vivum sensum Dei exprimunt, *in quibus* sublimes de Deo doctrinae ac salutaris de vita hominis sapientia mirabilesque precum thesauri reconduntur, *in quibus tandem latet mysterium salutis nostrae, a Christifidelibus* devote accipiendi sunt.

Num. 16

Pag. 29, linn. 15-19: ...libri tamen Veteris Testamenti integri in praeconio evangelico assumpti (3), in Novo *Testamento* significationem suam completam acquirunt et ostendunt (cf. *Mt.* 5, 17; *Lc.* 24, 27; *Rom.* 16, 25-26; *2 Cor.* 3, 14-16), illudque vicissim *illuminant et explicant.*

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione Doctrinali circa Modos, Caput IV respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

[49]

CAPUT V

(De Novo Testamento)

EXITUS SUFFRAGATIONUM

(22 sept. 1965)

	Praes. votantes	Placet	Non placet	Vota nulla
Suffr. XIII, nn. 17-18:	2.230	2.211	15	4
Suffr. XIV, n. 19:	2.233	2.162	61	10
Suffr. XV, n. 20:	2.231	2.219	6	6

Suffr. XVI, de integro capite:

Votantes	2.170
Placet	1.850
Placet iuxta modum	313
Vota nulla	3

Integrum ergo Caput V, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatum est. Vide pag. 31.

AD NUM. 17 (Novi Testamenti excellentia).

1 — Pag. 32, lin. 1: Unus Pater observat quod « *Verbum* Dei » hic intelligitur de *sermone* Dei; linea vero 6 de *Filio* Dei. Quod esset inconveniens.

R. — Sensus patet utrobique ex ipso textu.

2 — Pag. 32, lin. 4: Unus Pater *delere* vult « praecellenti modo », ne Traditio relate ad Scripturam minoretur.

R. — « Praecellenti modo » iustificatur *ex inspiratione*; cf. sub n. 4, pag. 14, lin. 34 s.: « speciali modo ». Non instituitur hic explicita comparatio cum Traditione.

3 — Pag. 32, lin. 9: 21 Patres, loco « factis et signis », praeferunt: « factis *et verbis* ». Duo volunt: « fastis, *signis et verbis* »; alius:
[50] « factis, signis *et miraculis* ». Unus ad « instauravit » addere vult « *per fundationem Ecclesiae* ».

Novem Patres, pro « instauravit », proponunt: « inauguravit »; unus vero « proclamavit ».

R. — Scribatur ut antea: « factis et *verbis* ». Cetera remaneant immutata. Additio de fundatione Ecclesiae non est necessaria. [50]

4 — Pag. 32, linn. 9-10: Unus Pater petit ut, post « Patrem suum », addatur: *et nostrum*.

R. — Non est necessarium.

5 — Pag. 32, lin. 14: Undecim Patres difficultatem movent contra: « *utpote* solus verba vitae aeternae habens », quia Christus omnes attrahit per exaltationem in cruce, et non tantum per verba. Unde unus totam incisam *delere* proponit; alius proponit ut, loco *utpote*, scribatur simpliciter: *et*. Alii varias redactiones et referentias suggerunt.

R. — Scribatur: ...*Ipse qui* solus verba vitae divinae *habet*...

6 — Pag. 32, lin. 15 ss.: Unus Pater obiicit quod revelatio *non solis Apostolis* facta est. Alii, quod vox « Prophetae » in textu interpretatur de prophetis *Novi Testamenti*; quod non constaret.

R. — Simpliciter refertur textus Pauli, *Eph.* 3, 4-6. Quaestio de *prophetis* in textu nostro non solvitur: vis textus, apud Paulum, est in praedicatione Apostolorum. Post citationem (*Eph.* 3, 4-6 gr.) ponatur comma. Addatur lin. 16: ...non est patefactum, *sicut nunc* revelatum est... Lin. 18 tollatur vox *ipsi*.

7 — *Ibidem*: Tres Patres, loco « Quod *autem* aliis generationibus non est patefactum... », petunt ut scribatur: « Quod *igitur* », vel « *Sic igitur* », ne oboriatur idea de *nova* revelatione.

R. — Scribatur: « *Hoc autem mysterium* ... ».

8 — Pag. 32, lin. 17: Duo Patres postulant ut, secundum litteram Pauli, restituatur: « Apostolis *Eius* et prophetis ».

R. — Admittitur.

9 — Pag. 32, linn. 18-20: Unus Pater proponit ut scribatur: « ut ipsi Evangelium praedi*cantes,* fidem in Iesum Christum ac Dominum excitarent, *viam vitae ostenderent* et Ecclesiam congregarent », ut scilicet cum Evangelio etiam apparerent Sacramenta, etc.

R. — Non est necessarium, quia *fides* complectitur vitam et Sacramenta. [51]

10 — Pag. 32, lin. 22: Unus Pater ad « testimonium », vult addere *et documentum,* quod vocabulum aliquid plus exprimeret.

R. — Sufficit « testimonium », quod hic intelligitur etiam *scriptum*.

[51] AD NUM. 18 (Evangeliorum origo apostolica).

11 — Pag. 32, lin. 24: Unus Pater proponit ut dicatur: « Neminem *autem* fugit... »; et similiter, lin. 29: « Quatuor *siquidem* Evangelia... ».

R. — Iam pluries solutum.

12 — Pag. 32, lin. 25: Duo Patres volunt *virgulam* post « Scripturas ».

R. — Potius deleatur virgula in lin. 24, post « omnes ».

13 — Pag. 32, lin. 26: Unus Pater observat Evangelia potius testimonium *praebere* quam *esse.*

R. — Servetur *esse,* quod consulto positum est pro testimonio scripto.

14 — Pag. 32, lin. 27: Unus Pater ad vitam Christi addere vult eius *mortem et resurrectionem,* et ad doctrinam addere *personam.*

R. — Idea iam saepius exprimitur, v. g. eadem pagina, lin. 10.

15 — Pag. 32, lin. 31 - pag. 33, lin. 2: Quidam Patres variis afficiuntur timoribus, v. g. *facta* in Evangeliis narrata non esse obiectum inspirationis; vel e contra *omnia* facta et dicta Iesu in Evangeliis exstare; vel Apostolos *in praedicatione sua* non esse sub influxu Spiritus Sancti; vel proponunt ut scribatur, lin. 33: « ipsi *vel* apostolici viri », vel: « ipsi *seu* apostolici viri », ne dirimatur quaestio de auctoribus I et IV Evangelii.

R. — Timores non videntur fundati. Apostoli certo etiam praedicabant *facta,* quae tamen *non omnia* in Evangeliis consignata sunt, cf. *Io.* 21, 25. De « Apostolis *et* apostolicis viris » sensus patet ex contextu. Ideo stet textus, addita in Nota, pro « quadriformi Evangelio », *referentia ad S. Irenaeum,* Adv. Haer. III, 11, 8; *PG* 7, 885; ed. Sagnard, pag. 194.

[52] AD NUM. 19 (Evangeliorum indoles historica).

16 — Pag. 33, linn. 3-8: Plures Patres contra primam phrasim difficultatem movent:

a) loco « tenuit ac tenet », volunt *credidit ac credit*; quia agitur de veritate quae actu fidei in Ecclesia semper credita est.

b) Evangelia continent etiam illa quae *Iesus ante* vitam publicam et *post* resurrectionem suam fecit, necnon plura quae *alii* fecerunt, et quae non directe *ad vitam aeternam* spectant.

c) Necessario inducendum est vocabulum *historicum,* quod a Magisterio saepius adhibitum est, ut refrenetur audacia exe-

getica. Ideo 174 Patres petunt additionem: « *iuxta veritatem fidemque historicam* tradere *omnia facta et dicta quae in ipsis continentur* ». [52]

Duo Patres *insuper* addere proponunt: « quae *unusquisque* (evangelistarum) *iuxta proprium modum scribendi tamquam facta vel dicta asserit* ».

d) Alii *emendationes minores* proponunt. Tredecim petunt ut, loco « vere » (quod intelligi posset ut *reapse*), scribatur *fideliter,* in concordantia cum pag. 21, lin. 20. Alius, lin. 8, post « vitam inter homines degens », addere postulat: *moriens atque gloriose vivens.* Alius denique ut, post verba « ad aeternam eorum salutem », addatur: *adque vitae divinae revelationem.*

R. — *a*) Commissio scripsit « *tenuit ac tenet* », quia sic melius exprimitur hanc historicitatem teneri fide *et ratione,* et non tantum fide.

b) Evangelia plura alia contineri patet: omnia autem summatim continentur in verbis *Act.* 1, 1-2. Quapropter compleatur haec citatio in hunc modum: « ... fecit et docuit *usque in diem qua assumptus est* (cf. *Act.* 1, 1-2) ». His verbis ipse Lucas indicat totum contentum sui Evangelii.

c) De usu vocis *historicum,* certum est quod saepius ab anterioribus Magisterii documentis adhibita est, v. g. *EB* 560. Hodie tamen vox « historia » a pluribus sensu multo latiore adhibetur, v. g. etiam pro rebus « supramundanis », quae « fide » apprehenduntur. Vox « historia » vel per « *Geschichte* », vel per « *Histoire* » verti posset. Quapropter praeferendum visum est *realitatem factorum seu eventuum modo concreto affirmare,* addendo in lin. 5 vocem « historicitatis », quae ambiguitati non exponitur: « Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet quattuor recensita Evangelia, *quorum historicitatem incunctanter affirmat, fideliter* tradere... ». Additio *iuxta proprium modum scribendi* singulorum Evangelistarum non vi- [53]
detur necessaria, spectatis etiam quae dicuntur lineis 16-20.

d) Admittitur *fideliter,* loco *vere.* De Christo *post resurrectionem* iam provisum est sub B. *Additio finalis* « ad vitae divinae revelationem » videtur superflua.

17 — Pag. 33, linn. 8-13: Quatuordecim Patres *emendationes stylisticas* proponunt: « Apostoli quidem post mortem Domini, *illa* quae Ipse dixerat et fecerat, auditoribus ea pleniore intelligentia tradiderunt, qua ipsi, *verbis et gestis* Christi *gloriosi* (loco: eventibus gloriosis Christi) instructi et lumine Spiritus verita-

[53] tis (1) edocti, fruebantur ». Duo alii Patres ad « Apostolos » addere volunt verba: *quos Iesus elegit ut essent cum Ipso* (cf. *Mc.* 3, 14), ut confirmetur valor testimonii Apostolorum. Alius denique observat referentiam *Io.* 11, 51-52 in Nota 2, pag. 34, non esse ad rem.

R. — Loco « post mortem Domini », scribatur: post *ascensionem* Domini. Admittitur emendatio de additione vocis *illa,* cum meliore punctuatione totius phraseos. Servetur expressio de « *eventibus gloriosis Christi* », quia praecise illis *eventibus* Apostoli ad intellectionem pervenerunt. Additio de *electione* Apostolorum hic non videtur necessaria; cf. *De Ecclesia,* n. 19. *Deleatur* in Nota 2 (nunc 3) referentia ad *Io.* 11, 51-52.

18 — Pag. 33, linn. 13-20: Ut melius in tuto ponatur *historicitas* Evangeliorum, plures fiunt propositiones:

a) 158 Patres petunt: « vera et sincera *de historia Iesu* », vel: *vere historicam narrationem.* 85 Patres petunt additionem: « *ita tamen ut, quoad factorum historicitatem, obiectivam veritatem semper communicarent* ». Duo alii: « *non fictam sed obiectivam veritatem* ». Quatuor autem redeuntes ad textum priorem: « *non ficta, ex creatrice potentia primaevae communitatis promanantia* ».

Ratio est quod non sufficit dicere « *vera et sincera* ». *Veritas* enim, secundum Schema pag. 22, lin. 14 s., est « id quod auctor asserere voluit », quod posset esse aliquid non reale. *Sinceritas* autem seu absentia doli posset adesse etiam in narratione phantastica. Neque sufficit dicere « *de Iesu* », quia quaedam etiam alios respiciunt, v. g. B. Mariam ut Virginem.

b) Unus Pater, lin. 18, delere vult: « *formam denique praeconii retinentes* », vel eam debilitare per additionem vocis *saepe,* vel *generatim,* vel *aliquando,* ne verba ipsius Christi explanationi Evangelistarum adscribantur.

R. — *a*) Agitur evidenter de « *factis et dictis Iesu* », quibus verbis, ut ad Modum 15 dictum est, ipse Lucas totum contentum sui

[54] Evangelii exprimit; quae verba initio huius paragraphi, linn. 6-8, citantur. Ad Modum 15 etiam dictum est curnam usus vocis *historicum* hic non obtineret intentum suum. *Vera* autem dicitur de illis quorum affirmatio cum realitate facti concordat: veritas enim est adaequatio rei et intellectus. Confusio quae oriri poterat ex pag. 22, lin. 14 « veritas *seu* id quod auctor asserere voluit », ibidem ablata est. *Sincera* autem complet *vera,* tamquam elementum subiectivum complens elementum obiectivum.

b) De *forma praeconii*: haec non intelligitur de pia quadam exhortatione, sed de vera *praedicatione*, quae evidenter etiam proclamat eventus. Cf. Cap. I, Modus 3. Praeterea, haec incisa, sicut ceterae omnes in eadem phrasi, *assertive*, non exclusive sumitur, ut legenti patet. Verba illa desumpta sunt ex *Instructione Commissionis Biblicae*, quae in Nota 3 (nunc 4) refertur. [54]

19 — Pag. 32, linn. 21-25: 155 Patres scribere postulant: « Illa enim intentione scripserunt, sive ex *suae propriae experientiae* memoria et recordatione, sive ex testimonio illorum..., ut cognoscamus eorum verborum de quibus eruditi sumus *firmitatem* ». Unus alius in hanc ultimam correctionem consentit; alius denique vellet *veritatem* (sine uncis).

R. — *Propria memoria et recordatio* evidenter supponit « experientiam ». Haec autem vox pluribus non placet. *Veritas* ponitur inter uncos, ut pateat sensus biblicus vocis, qua sub termino *asphaleia* intelligitur securitas in veritate obiectiva.

— *Ibidem*, lin. 25: Duo Patres proponunt sat longam *additionem de resurrectione Christi*, non solum ut mysterio, sed etiam ut *facto historico* quod vestigia humana reliquit, i. a. in sepulchro vacuo, apparitionibus, etc. Unus alius Pater, quoad rem, idem proponit.

R. — Observationi illi, evidenter fundatae, provisum est supra, ad Modum 16, ubi resurrectio Christi infertur verbis *Act.* 1, 1-2: « usque in diem qua assumptus est », necnon in Modo 17, ubi scribitur: post *ascensionem* Domini ».

AD NUM. 20 (De ceteris scriptis Novi Testamenti).

20 — Pag. 33, lin. 30 ss.: Unus Pater petit *enumerationem* omnium librorum Novi Testamenti. Alius rogat ut *omittatur* specialis mentio Epistularum Pauli, vel ut etiam alia scripta apostolica enumerentur. Alius proponit ut scribatur: « epistulas *apostolicas*, sancti Pauli *praesertim* ». [55]

R. — Enumeratio omnium librorum Novi Testamenti, quae exstat in Tridentino: Denz. 784 (1503) et in Vat. I in memoriam revocatur: Denz. 1809 (3029), hic non est repetenda. De cetero stet textus, quia in *scriptis apostolicis* epistulae aliorum Apostolorum cointelliguntur. Epistulae autem S. Pauli specialem mentionem merentur.

[55] 21 — Pag. 33, lin. 31: Novem Patres, post verbum « inspirante », petunt restitutionem vocis *exarata,* quae per mendum excidit.

R. — Evidenter admittitur.

22 — Pag. 33, lin. 37: Unus Pater, loco « revelatur », postulat *nuntiatur,* quia gloriosa consummatio *futura* est et nondum revelata.

R. — Scribatur: *praenuntiatur.*

23 — Pag. 34, lin. 2: Unus Pater postulat *additionem*: « ... qui (Spiritus) eos in plenitudinem veritatis *et testimonii* induceret *ad aeternam humani generis salutem* ».

R. — Additio, quae ceterum referentiam ad *Io.* 16, 13 oneraret, inutilis est.

24 — Pag. 34, lin. 2: Unus Pater *additionem* petit, secundum textum priorem: « ... veritatem *in aevum servandam* induceret ».

R. — Ablata sunt haec verba, ut dicitur in Relatione, pag. 36, litt. C, propter citationem Ioannis, et ut affirmatio sit simplicior et solemnior.

[56]

CORRECTIONES ADMISSAE IN CAPITE V

Num. 17

Pag. 32, linn. 8-15: Christus Regnum Dei in terris instauravit, factis et *verbis* Patrem suum ac Seipsum manifestavit, atque morte, resurrectione et gloriosa ascensione missioneque Spiritus Sancti opus suum complevit. Exaltatus a terra omnes ad Seipsum trahit (cf. *Io.* 12, 32, gr.), *Ipse qui* solus verba vitae aeternae *habet* (cf. *Io.* 6, 68). *Hoc* autem *mysterium* aliis generationibus non est patefactum, *sicut nunc* revelatum est sanctis Apostolis *Eius* et Prophetis in Spiritu Sancto (cf. *Eph.* 3, 4-6, gr.), ut Evangelium praedicarent...

Num. 18

Pag. 33, lin. 2: ... secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem (1).

Num. 19

Pag. 33, linn. 3-13: Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet quattuor recensita Evangelia, *quorum historicitatem incunctanter affirmat, fideliter* tradere quae Iesus

Dei Filius, vitam inter homines degens, ad aeternam eorum salutem reapse fecit et docuit, *usque in diem qua assumptus est* (cf. *Act.* 1, 1-2). Apostoli quidem post *ascensionem* Domini, *illa* quae Ipse dixerat et fecerat, auditoribus ea pleniore intelligentia tradiderunt, qua ipsi, eventibus gloriosis Christi instructi et lumine Spiritus veritatis (2) edocti, fruebantur (3). [56]

Num. 20

Pag. 33, linn. 29-37: Novi Testamenti Canon praeter quattuor Evangelia etiam epistulas sancti Pauli aliaque scripta apostolica Spiritu Sancto inspirante *exarata* continet, quibus, ex sapienti Dei consilio, ea quae sunt de Christo Domino confirmantur, genuina *Eius* doctrina magis magisque declaratur, salutifera virtus divini operis Christi praedicatur, Ecclesiae initia ac [57] admirabilis diffusio narrantur eiusque consummatio gloriosa *praenuntiatur*.

NOTAE

(1) Cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 11, 8: *PG* 7, 885; ed. SAGNARD, p. 194.

Nota (1) fit (2).

Nota (2) fit (3): *Io.* 2, 22; 12, 16; cf. 14, 26; 16, 12-13; 7, 39.

Nota (3) fit (4).

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione Doctrinali circa Modos, Caput V respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

CAPUT VI [59]

(De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae)

EXITUS SUFFRAGATIONUM

(22 Sept. 1965)

	Praes. votantes	Placet	Non placet	Vota nulla
Suffr. XVII, de nn. 21-22:	2.040	2.029	8	3
Suffr. XVIII, de nn. 23-24:	2.012	1.988	21	3
Suffr. XIX, de nn. 25-26:	2.057	2.041	9	7

[59] Suffr. XX, de integro Capite:

Votantes	2.132
Placet	1.915
Non placet	1
Placet iuxta modum	212
Vota nulla	4

Integrum ergo Caput VI, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatum est. Vide supra pag. 31.

1 — *Modi generales*: Quidam Patres postulant ut in hoc capite *magis explicite de Traditione* fiat mentio, vel etiam ut Traditio *in titulo* Capitis memoretur. *Ordinem articulorum* etiam mutare volunt, scilicet: nn. 21, 24, 23, 25, 22, 26.

R. — Obiectum formale huius Capitis est *S. Scriptura,* non solum quia inspirata est, sed etiam quia pro vita Ecclesiae est magis accessibilis: invenitur enim in uno volumine, dum scripta Patrum super plura et varia opera diffunduntur et non ita facile ad ea pervenitur; ipsa Scriptura ceterum nos ad Traditionem et Magisterium ducit. *De Traditione* ex professo actum est sub n. 8, et ipsa hic iam linea 6 citatur et infra pluries citabitur. *Inversio ordinis* inter articulos totam expositionem turbaret.

[60] AD NUM. 21 (Ecclesia Sacras Scripturas veneratur).

2 — Pag. 37, linn. 1-6: Plures Patres existimant textum nimis *assimilare mensam verbi Dei et Corpus Domini,* cum hodie, consequenter ad quorundam theorias, praesentia eucharistica ad symbolismum reduci posset.

Quare quattuor Patres proponunt ut lineae 1-6 *deleantur.* Alius suggerit ut saltem verba « velut ipsum corpus dominicum » deleantur, et scribatur eorum loco simpliciter: *diligentissime.*

Alii diversas formulas proponunt, vel: « *una cum* sanctissimo Corpore *Domini* ». Vel: « *Quodammodo* ut ipsum Corpus... ». Vel addendo: « *cum non desit similitudo inter mensam verbi Dei fidem nutrientis et Corpus Christi, panem vitae aeternae* ».

Tres postulant additionem: « *praesertim in S. Liturgia* ».

R. — Scribatur: « Divinas Scripturas *sicut et* ipsum Corpus dominicum semper venerata est Ecclesia, cum, *maxime in sacra Liturgia,* non desinat ex mensa tam verbi Dei quam Corporis Christi panem vitae sumere atque fidelibus porrigere ». Idea non tantum

invenitur in *Imitatione Christi,* sed est patristica: cf. *S. Hieronymus,* Comm. in Eccles. 3, 13: PL 23, 1039. *S. Augustinus,* Serm. 56, 10: PL 38, 381; ib. 57, 7: col. 389; ib. 58, IV, 5: col. 395; 59, III: col. 401. Plura testimonia exstant apud *H. de Lubac,* Exégèse mediévale, I, 523. Patet in S. Missa lectiones Scripturae cum Sacrificio eucharistico coniungi. [60]

3 — *Ibidem:* Quidam rogant ut *textus S. Irenaei,* III, 1, 1, restituatur. Alius proponit ut deinde *addatur:* « *Praedicationis ergo apostolicae testimonium eximium, verbum scilicet Dei scriptum et traditum,* "quod potens est aedificare et dare hereditatem in sanctificatis omnibus" (*Act.* 20, 32; cf. *1 Thess.* 2, 13), *Ecclesia pari pietatis affectu ac reverentia accipit et veneratur, cum utrumque vim eandem habeat ad pietatem* (cf. *S. Basilius, De Spir. S.: PG 27, 66*) ».

R. — *Citatio S. Irenaei* ablata est, quia non tam clara et de solis Evangeliis agens. *Additiones* propositae redeunt ad illa quae alibi iam explicite dicuntur.

4 — Pag. 37, linn. 6-12: Plura petuntur:

a) Sex Patres postulant ut addatur, lin. 6: « Eas (Scripturas), *ex quibus tamen non omnes veritates revelatae erui vel probari possunt,* una cum Traditione... ».

b) Unus petit: *Traditione apostolica;* alius: « *in viva* Traditione ». [61]

c) Unus petit, lin. 7: « tamquam regulam habuit et *habet* ».

d) Alius, ut lin. 12, post « Spiritus Sancti », addatur: « *in sacra praecipue liturgica actione* ».

e) Unus *novum textum* proponit: « *Sacram Traditionem* sacrasque Scripturas sicut *unam eamque* supremam fidei suae regulam habuit *et habet, cuius auctoritate* omnis praedicatio ecclesiastica sicut ipsa religio christiana *regatur et iudicetur oportet. Sacris autem Scripturis id peculiare agnoscit,* quod ipsius Dei verbum, *cum* a Deo inspiratae sint, impertiant atquae in verbis Prophetarum Apostolorumque vocem Spiritus Sancti personare faciant, et insuper immutabilitatis indolem *clarius* prae se ferant ».

R. — *a*) iam provisum in Capite II, sub Modo 56.

b) Scribatur: « Eas una cum *Sacra* Traditione... ».

c) Admittitur additio: « *et habet* ».

d) Iam provisum in Modo 2.

e) Scribatur ad claritatem: « Eas una cum *Sacra* Traditione

[61] semper *ut* supremam fidei suae regulam habuit *et habet,* cum a Deo inspiratae et *semel pro semper litteris consignatae,* verbum ipsius Dei *immutabiliter* impertiant, atque in verbis Prophetarum Apostolorumque vocem Spiritus Sancti personare faciant ».

5 — Pag. 38, linn. 12-14: Unus Pater petit additionem: « Omnis ergo praedicatio ecclesiastica sicut ipsa religio christiana *ad Sacram Scripturam* semper respicere debet *tamquam ad verbum Dei,* quo semper, *Spiritu Sancto movente,* nutritur, *regitur et iudicatur* ». Alius: « nutriatur *et regatur oportet* ». Rursus alius: « *eique tanquam normae et auctoritati referatur* ». Quatuor alias parvas variantes proponunt. Unus denique in fine *addere* petit: « *eo quidem sensu intellecta quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia* ».

R. — Quae addi proponuntur iam alibi dicta sunt. Scribatur autem: « nutriatur *et regatur* oportet ».

6 — Pag. 37, lin. 17: Unus Pater, post « confert », *addere* proponit quaedam pulchra *de cooperatione Spiritus Sancti,* qui est nexus unitatis tum Personarum divinarum, tum Ecclesiae.

R. — Haec *longior additio* potius spectat ad doctrinam de gratia. Cf. interea quae addita sunt de Spiritu Sancto in Cap. III, Modo 27.

[62] 7 — Pag. 37, lin. 19: Unus Pater petit ut post « cibus », addatur « *propriae cuiusque* vitae spiritualis fons *purus et perennis* exstet ».

R. — Lin. 20, loco « reapse », scribatur: « *purus et perennis* ».

8 — Pag. 37, linn. 20-23: Unus Pater observat citationes biblicas allatas non solum de Scripturis valere, sed *etiam de sermone ore prolatum.*

R. — Ante citationes addatur: *Unde de Sacra Scriptura excellenter valent dicta*: « Vivus... ».

AD NUM. 22 (Commendantur accuratae versiones).

9 — Pag. 38, linn. 3-4: Unus Pater, loco « iam ab origine sua », postulat ut dicatur: « *inde ab initiis* ».

R. — Scribatur: « Qua de causa Ecclesia *inde ab initiis...* ».

10 — Pag. 38, lin. 4: Unus Pater delere vellet verba: « *illam antiquissimam* », alii saltem vocem *illam.* Alius e contra petit: « illam *omnium* antiquissimam ».

R. — Stet textus.

11 — Pag. 38, linn. 7-8: Undecim Patres, prae oculis habentes valorem « Veteris Latinae », scribere postulant: « alias vero versiones orientales *et latinas, praecipue illam* quam Vulgatam vocant... ». [62]

R. — Scribatur: « ... versiones orientales et *versiones* latinas, *praecipue illam* quam Vulgatam vocant ».

12 — *Ibidem*: Unus Pater postulat ut dicatur *Vulgatam esse emendandam*.

R. — Res non hic est dicenda.

13 — Pag. 38, lin. 12: Undecim Patres petunt ut, loco « etiam », ponatur: *praesertim,* quia versiones ex primigeniis textibus non sunt tantum tolerandae sed commendandae.

R. — Admittitur.

14 — Pag. 38, linn. 12-13: Octo Patres petunt ut, post verbum « versiones », vel in fine phraseos addatur: « *ad usum liturgicum atque catecheticum necnon pro lectione fidelium* ».

R. — Haec infra dicuntur sub n. 24, pag. 39, linn. 9 ss.

15 — Pag. 38, lin. 13: Unus Pater postulat ut, post « versiones... ex primigeniis textibus », addatur: « *quae opportuno tempore, a competente auctoritate ecclesiastica, etiam pro usu liturgico necnon pastorali-catechetico approbari possint* », ut adaptetur Decretum Tridentinum, Denz. 785 (1506). [63]

R. — Haec commendatio ad nostrum Schema non spectat.

16 — Pag. 38, linn. 13-17: Tres Patres petunt ut haec phrasis *omittatur*. Alius petit ut, post « quae si », dicatur: *annuente Conferentia Episcopali territoriali.* Alius rursus ut in fine phraseos addatur: « *necessariis ac* vere sufficientibus explicationibus appositis ». Alius denique aestimat « ex opportunitate » sapere opportunismum, et proponit: « *data* opportunitate », vel: *si fieri potest.*

R. — Phrasim delere non liceret. Scribatur autem: « Quae si, *data* opportunitate *et* annuente Ecclesiae auctoritate, conficiantur... ». Ulterior determinatio auctoritatis competentis ad Schema nostrum non pertinet.

AD NUM. 23 (Doctorum catholicorum officium apostolicum).

17 — Pag. 38, lin. 19: Unus Pater petit ut auferatur incisa: *Verbi incarnati Sponsa,* utpote superflua.

R. — Iustificatur haec incisa *ex munere materno* Ecclesiae erga *filios suos,* qui nominantur in lin. 22.

[63] 18 — Pag. 38, linn. 21-23: Quidam Patres, loco « Scripturarum Sacrarum », proponunt: « divinae Revelationis », poscunt ut in fine, post « pascat », addatur: *Quapropter studium Sacrae Traditionis in suis monumentis, praesertim in Patribus sive Orientis sive Occidentis et in sacris Liturgiis, rite fovet.* Alius proponit ut omittatur indicatio: *in dies,* lin. 21, utque, loco « procedit », lin. 22, scribatur: *procedere satagit,* quia progressus non est semper continuus, et cum sensu historico melius intellecto non semper procedit intellectus spiritualis.

R. — Servetur indicatio: « ... Sacrarum Scripturarum », quia Scriptura est obiectum directum huius capitis. De *Traditione* iam dictum est sub n. 12, pag. 22, linn. 25 ss. Quia tamen studium Traditionis etiam cognitioni Scripturarum favet, admittitur additio proposita, abbreviando, ita ut textus sit: « Verbi incarnati Sponsa, Ecclesia nempe, a Spiritu Sancto edocta, ad profundiorem Scrip-
[64] turarum Sacrarum intelligentiam assequendam *procedere satagit,* ut filios suos divinis eloquiis indesinenter pascat; *quapropter etiam studium sanctorum Patrum tum Orientis tum Occidentis et sacrarum Liturgiarum rite fovet.* Exegetae autem... ».

19 — Pag. 38, linn. 23 ss.: Octo Patres observant subiectum primae partis phraseos esse *Exegetae,* subiectum vero alterius partis: *divini Verbi administri;* quod non bene cohaeret. Unde proponunt ut haec altera pars ita incipiat: « *Quo etiam fiet* ut... »; vel: « *Ex hac eorum industria sperandum est fore* ut... ». Alius, loco *et,* suggerit ut scribatur: *ita ut...* Tres Patres postulant ut ad verbum « investigent » addatur verbum: *et proponant,* quia secundum Enc. *Divino Afflante* (EB 546), etiam « proponere » pertinet ad munus illorum virorum. Duo denique, post « investigent », addere desiderant: *et ostendant potissimum quae sit singulorum librorum vel textuum theologica doctrina de rebus fidei et morum* (cf. Enc. *Divino Afflante*: EB 551, 553, 567).

R. — Scribatur linn. 27-28: « ... divinas Litteras *ita* investigent *et proponant, ut* quam plurimi divini Verbi administri *possint* plebi Dei Scripturarum pabulum fructuose suppe*ditare,* quod mentem illuminet... ». Quae in additione finali proponuntur iam adsunt in textu, ubi de pabulo, etc. *Referentiae* ad *Divino Afflante* ponantur in Nota 1. Supprimantur in lin. 26 verba « *Patrum vestigia sequentes* », propter additionem factam in Modo praecedenti.

20 — *Ibidem*: Quidam Patres petunt minora: Unus ut, loco « sub *vigilantia* Magisterii », denuo ponatur: « sub *ductu* Magiste-

rii »; alius ut dicatur: « aptis *scientiae* subsidiis », ne cogitetur de pecuniis; tertius ut deleatur *fructuose,* utpote superfluum. [64]

R. — Commissio consulto scripsit « *vigilantia* », quia agitur de labore proprie scientifico. Etiam aliae propositiones non videntur opportunae.

Scribatur autem: « *sacri* Magisterii ».

21 — Pag. 38, linn. 32-35: Patres 119 petunt ut restituatur textus prior cum incisa, ex *Divino Afflante* desumpta: « quotquot devoti sunt Ecclesiae filii... », quia non includit odium contra exegetas non-catholicos, et quia necessarium est inculcare fidelitatem erga Ecclesiam. Unus Pater petit additionem monitionis de *historica veritate Evangeliorum.*

R. — Scribatur in fine: « ... omni studio *secundum sensus Ecclesiae* exsequi pergant ». De veritate Evangeliorum actum est supra, et implicite etiam in Modo praecedenti.

AD NUM. 24 (De momento S. Scripturae pro Theologia). [65]

22 — *Modus generalis*: Unus Pater censet quod uberius loquendum fuisset de *Christocentrismo* in Biblia et Theologia; quod est maioris momenti quam Apologetica. Textum autem non proponit.

R. — Pag. 39, linn. 3-4 expresse agitur *de mysterio Christi,* fide perscrutando.

23 — Pag. 38, lin. 40: Patres 144 petunt ut restituatur textus prior de verbo Dei scripto *et tradito,* quia ille textus vitat controversias, et quia munus Traditionis reduci nequit ad explicationem Scripturae. Unus petit Traditionem, cum maiuscula. Alius insuper petit additionem: « in verbo Dei scripto *et tradito, iuxta sensum Ecclesiae et Sanctorum Patrum consensum explicando* ». Tres vero: « ... sub luce Traditionis *et vitae Ecclesiae* explicando ». Tres denique: « ... *una cum verbo Dei in Traditione contento et ab Ecclesia fideliter custodito* ».

R. — Verba « sub luce traditionis explicando », uti patet, *assertive,* non exclusive afferuntur. Quia vero subiectum in hoc capite tractatum est Sacra Scriptura, scribatur: « Sacra Theologia in verbo Dei scripto, *una cum Sacra Traditione,* tamquam in perenni fundamento innititur... ». *Additiones* continent ideas iam saepius in textu expositas. Pag. 49, lin. 1, loco « quo verbo », scribatur propter rationem stylisticam: *in eoque.*

[65] 24 — Pag. 39, linn. 4-8: Unus Pater scribere vellet: « Sacrae autem Scripturae verbum Dei *scriptum* continent... ». Alius sequentem redactionem proponit: « *Sacra enim Traditio* et Sacra Scriptura vere, *sua quaeque peculiari ratione,* verbum Dei sunt; ideoque *utriusque* studium sit veluti anima sacrae Theologiae. Eodem autem *verbo Dei* (loco « verbo Scripturae ») etiam ministerium verbi... salubriter nutritur ».

R. — Prima propositio *bis* idem dicit. Alteri vero *iam provisum* est in antecedentibus... Citentur in Nota 3 documenta pontificia quae Scripturam proponunt ut animam theologiae.

AD NUM. 25 (Lectio S. Scripturae commendatur).

25 — Pag. 39, lin. 21: Unus Pater addere postulat: « ne quis eorum *ob ignorantiam Scripturarum ignoratione Christi laboret sicque* fiat verbi Dei extrinsecus praedicator... ».

[66] R. — Haec verba S. Hieronymi *explicite citantur* paulo infra, linn. 29-30.

26 — Pag. 39, linn. 24-26: Patres 51 petunt ut phrasis sic incipiat: « *Licet autem Ecclesia docuerit et doceat lectionem totius S. Scripturae non omnibus et singulis necessariam esse, nihilominus* Sancta Synodus christifideles *cunctos,* praesertim sodales religiosos...». Ecclesia enim pro lectione S. Scripturae quasdam *cautelas* posuit, quae etiam pag. 40, linn. 1-10 in memoriam revocantur. Tres alii Patres similem additionem proponunt, sive in fine pag. 39, sive in initio pag. 40, addito insuper: « ... *immo integram lectionem omni in casu utilem* (non) esse ». Alius, e contra, suggerit pro lin. 24: « pariter S. Synodus, *quibusdam praescriptis anteacti temporis abrogatis,* ... ». Haec omnia, ne miratio acatholicorum excitetur.

R. — Propositiones restrictivae cum citatione S. Hieronymi vix cohaererent. Pag. 40, linn. 1-10 exprimuntur prudentia consilia de modo legendi. Iam a multo tempore documenta pontificia lectionem Scripturae omnibus commendant, ita ut nulla miratio timenda sit. Cf. BENEDICTUS XV, Enc. *Spiritus Paraclitus,* EB 475-480; PIUS XII, Enc. *Divino Afflante*: EB 544. Documenta citentur in Nota 5.

27 — *Ibidem*: Unus Pater proponit ut deleatur *omnes,* quia vox illa nimis universaliter sonat. Alius aestimat mentionem *Religiosorum* non esse opportunam, dum alius e contra explicite no-

minare vellet religiosos, addendo: *sive clericales sive laicales, sive viros sive mulieres, necnon seminariorum alumnos atque membra institutorum saecularium.* [66]

R. — Spectatis documentis pontificiis supra citatis, stet textus.

28 — Pag. 39, lin. 30: Unus Pater, loco « libenter », vult *ferventer,* vel *diligenter.*

R. — Non datur ratio mutandi.

29 — Pag. 39, linn. 35-36: Unus Pater, loco « comprobante et curante Ecclesia », proponit: « quae comprobantibus et curantibus *Pastoribus* Ecclesiae ».

R. — In Relatione, pag. 43 sub litt. U, dicitur rem ad totam Ecclesiam pertinere. Quia tamen res speciatim ad auctoritatem pertinet, scribatur: « ... *approbantibus et curantibus Pastoribus Ecclesiae* ». Instituta autem et subsidia *fidelium* iam in linn. 33-34 nominantur.

30 — Pag. 39, linn. 36-41: Unus Pater postulat *omissionem* huius phraseos, quia idea iam in « *pia* lectione » continetur. [67]

R. — Servetur phrasis praedicta.

31 — Pag. 40, lin. 10: Unus Pater proponit *additionem* de edendis *florilegiis* biblicis, in quibus loci difficiliores intellectu et facta infirmioribus minus apta *omitterentur.*

R. — Res modo positivo iam dicitur in textu.

AD NUM. 26 (Epilogus).

32 — Pag. 40, lin. 18: Unus Pater petit, ut post « Sacrorum librorum », addatur: *necnon et Sacrae Traditionis cognitione,* ita ut *Epilogus* ad totum Schema respiciat.

R. — Epilogus ad totum Schema referri non potest quin totaliter reficiatur: respicit enim caput VI tantum.

33 — Pag. 40, linn. 21 ss. Unus Pater servare vellet vocem « *cultus* » secundum textum priorem.

R. — Servetur textus emendatus: nam « *frequentatio* mysterii eucharistici » evidenter est cultualis et exprimit venerationem.

[68]

CORRECTIONES ADMISSAE
IN CAPITE VI

Num. 21

Pag. 37, linn. 2-24: Divinas Scripturas *sicut et* ipsum *Corpus* dominicum semper venerata est Ecclesia, cum *maxime in sacra Liturgia,* non desinat ex mensa tam verbi Dei quam *Corporis* Christi panem vitae sumere atque fidelibus porrigere. Eas una cum *Sacra* Traditione semper *ut* supremam fidei suae regulam habuit *et habet,* cum a Deo inspiratae *et semel pro semper litteris consignatae,* verbum ipsius Dei *immutabiliter* impertiant, atque in verbis Prophetarum Apostolorumque vocem Spiritus Sancti personare faciant. Omnis ergo praedicatio ecclesiastica sicut ipsa religio christiana Sacra Scriptura nutriatur *et regatur* oportet. In sacris enim libris Pater qui in caelis est filiis suis peramanter occurrit et cum eis sermonem confert; tanta autem verbo Dei vis ac virtus inest, ut Ecclesiae sustentaculum ac vigor, et Ecclesiae filiis fidei robur, animae cibus, vitae spiritualis fons *purus et perennis* exstet. *Unde de Sacra Scriptura excellenter valent dicta*: « Vivus enim est sermo Dei et efficax » (*Heb.* 4, 12), « qui potens est aedificare et dare haereditatem in sanctificatis omnibus » (*Act.* 20, 32; cf. *1 Thess.* 2, 13).

Num. 22

Pag. 38, linn. 2-17: Christifidelibus aditus ad Sacram Scripturam late pateat oportet. Qua de causa Ecclesia *inde ab initiis* graecam illam antiquissimam Veteris Testamenti versionem a LXX viris nuncupatam ut suam suscepit; alias vero versiones orientales et *versiones* latinas, *praecipue illam* quam Vulgatam vocant, semper in honore habet. Cum autem verbum Dei omnibus temporibus praesto esse debeat, Ecclesia materna sollicitudine curat, ut aptae ac rectae exarentur in varias linguas versiones, *praesertim* ex primigeniis sacrorum librorum textibus. Quae si, *data* opportunitate *et* annuente Ecclesiae auctoritate, conficiantur communi etiam cum fratribus seiunctis nisu, ab omnibus christianis adhiberi poterunt.

Num. 23 [69]

Pag. 38, linn. 19-35: Verbi incarnati Sponsa, Ecclesia nempe a Sancto Spiritu edocta ad profundiorem Scripturarum Sacrarum intelligentiam assequendam *accedere satagit,* ut filios suos divinis eloquiis indesinenter pascat; *quapropter etiam studium sanctorum Patrum tum Orientis tum Occidentis et sacrarum Liturgiarum rite fovet.* Exegetae autem catholici, aliique Sacrae Theologiae cultores, collatis sedulo viribus, operam dent oportet, ut sub vigilantia *Sacri* Magisterii, aptis subsidiis divinas litteras ita investigent *et proponant, ut* quam plurimi divini verbi administri *possint* plebi Dei Scripturarum pabulum fructuose *suppeditare,* quod mentem illuminet, firmet voluntates, hominum corda ad Dei amorem accendat (1). Sacra Synodus Ecclesiae filiis biblicarum rerum cultoribus, animum addit, ut opus feliciter susceptum, renovatis in dies viribus, omni studio *secundum sensum Ecclesiae* exsequi pergant (2).

Num. 24

Pag. 38, linn. 39 ss.: Sacra Theologia in verbo Dei scripto, *una cum Sacra Traditione,* tamquam in perenni fundamento innititur, *in eoque* ipsa firmissime roboratur semperque iuvenescit, ...

Pag. 39, lin. 8, post verba « veluti anima Sacrae Theologiae », addatur (3), pro *Nota* cum referentiis ad documenta pontificia.

Num. 25

Pag. 39, linn. 30-36: Libenter igitur ad sacrum textum ipsum accedant sive per sacram liturgiam divinis eloquiis confertam, sive per piam lectionem, sive per institutiones ad id aptas aliaque subsidia, quae *approbantibus et curantibus Pastoribus Ecclesiae* ubique nostro tempore laudabiliter diffunduntur.

NOTAE

(Caput VI)

Ad num. 23.

(1) Cf. Pius XII, Enc. *Divino Afflante*: *EB* 551, 553, 567. - Pont. Comm. Biblica, *Instructio de Scriptura in Clericorum Seminariis et Religiosorum Collegiis recte docenda,* 13 maii 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 495-505.

(2) Cf. Pius XII: *EB* 569.

[70] *Ad num. 24.*

(3) Cf. LEO XIII, Enc. *Providentissimus*: *EB* 114; BENEDICTUS XV, Enc. *Spiritus Paraclitus*: *EB* 483.

Ad num. 25.

(4) S. AUGUSTINUS, *Serm.* 179, 1: *PL* 38, 966.

(5) S. HIERONYMUS, *Comm. in Is.* Prol.: *PL* 24, 17. - Cf. BENEDICTUS XV, Enc. *Spiritus Paraclitus*: *EB* 475-480; PIUS XII, Enc. *Divino Afflante*: *EB* 544.

Nota (5) fit (6).

Nota (6) fit (7).

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Commissione Doctrinali circa Modos Caput VI respicientes, cum correctionibus supra indicatis?

Moderator: Rogatur nunc em.mus ac rev.mus D. card. Hermenegildus Florit, arch. Florentinus, relator, legere relationem priorem de Modis a Patribus propositis et a commissione doctrinali expensis circa prooemium et duo priora capita schematis constitutionis dogmaticae *de divina revelatione*.

[71]

RELATIONES

I

EM.MUS P. D. HERMENEGILDUS FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

DE MODIS A PATRIBUS PROPOSITIS ET A COMMISSIONE DOCTRINALI EXPENSIS CIRCA PROOEMIUM ET DUO PRIORA CAPITA

Venerabiles Patres,

Modos, qui a non paucis vestrum circa Prooemium et duo priora Capita Constitutionis dogmaticae *De divina Revelatione* propositi sunt, Commissio doctrinalis sedula expendit cura. Exinde factum est ut textus notabiliter perficeretur atque in meliorem formam redigeretur. Quamobrem ...[1] grates omnibus rependendae sunt, qui suis cuiusque generis suggestionibus ad reflexionem nos adduxerunt profundiorem.

Quod ad munus mihi commissum spectat, pauca eaque potiora vobis consideranda sinatis ut proponam.

Ad Prooemium et Caput I [71]

Num. 1

Pag. 3, lin. 1: Verba praeponuntur « Dei verbum religiose audiens et fidenter proclamans » (cf. *Act.* 4, 31), quibus Constitutionis obiectum iam a limine praenuntiatur, ipsique apta assignatur denominatio; quae erit: « Constitutio dogmatica *Dei verbum* ».

Pag. 3, lin. 8: Praeter Concilium Vaticanum I, etiam Tridentinum nominatur, ut pateat Constitutionem nostram utriusque Concilii doctrinam repetere intendere eamque complere.

Num. 3

Pag. 4, linn. 13-18: Clarior distinctio inducitur inter revelationem naturalem, quae ex testimonio creationis provenit, et revelationem supernaturalem quae actum proprium Dei ad id intentum importat, ratione cuius ipse *semetipsum* manifestat.

Pag. 4, lin. 19: ...[2] Mentio de redemptionis promissione anteponitur, uti fundamentum spei salutis in quam Deus protoparentes erexit.

Num. 4

Pag. 5, lin. 5: Anticipantur ex lin. 8 verba « tota suiipsius praesentia ac manifestatione », ut, iuxta ea quae dicta sunt pag. 4 linn. 9-10, inculcetur ipsam Verbi incarnationem plenitudinem constituere revelationis.

Ad Caput II [72]

Caput II, quod maiorem suffragiorum numerum *placet iuxta modum* obtinuit, non tot subiit immutationes quot forsan a nonnullis expectabantur. Ad rationem, in Modis expendendis adhibitam, plene significandam, primum de petitionibus non acceptatis dicam, deinde de immutationibus introductis referam.

I – Inter petitiones non acceptatas, una aliqualem meretur attentionem, cum a pluribus Patribus facta fuerit (cf. Mod. 29 et 32). Qui quidem Patres petiverunt: ut sermo fieret non de progressu ipsius Traditionis, sed tantum intelligentiae eiusdem ...[3] (cf. pag. 15 linn. 16-17); et, quod in idem cedit, ut diceretur Ecclesiam iugiter tendere ad plenitudinem cognitionis potiusquam ad plenitudinem ipsius divinae veritatis (cf. pag. 15 linn. 23-25).

[72] Huiusmodi petitio acceptata non est hac una de causa: quia haud valido videtur fulciri fundamento, dummodo textus ipse attente perpendatur. Nullo enim modo ibidem admittitur progressus obiectivus Traditionis, eo nempe sensu quod aliquid substanitaliter novum eidem addi possit, ut patet ex verbis: « crescit enim tam rerum quam verborum traditorum perceptio » (pag. 15 linn. 18-19). Progressus igitur in eo est ut quod obscure et implicite in ea continetur ad claram et explicitam expressionem deducatur. Agitur nempe de progressu interno qui proprius est cuiusque realitatis vivae, quique substantiam rei progredientis non mutat, et nihilominus ipsam vere perficit. Maior enim tam rerum quam verborum traditorum perceptio non manet eisdem ...[4] extranea, immo vero ipsorum fit proprium elementum. Ex hoc consequitur Ecclesiam reapse tendere ad plenitudinem ipsius revelatae veritatis, eamque assequi iuxta mensuram qua Traditio suum internum assequitur progressum. Quod autem Ecclesia ad veritatis plenitudinem non ex abrupto perveniat, ex hoc patet quod integrum revelationis depositum insimul exprimere et proclamare non valeat, ut dogmatum testatur et testabitur historia.

II – Quod attinet autem introductas immutationes, praeter illas quae tantum ad meliorem verbalem dictionem conferunt, duae praesertim notabiles attendendae sunt additiones:

1) Prima additio facta est in n. 8, pag. 15, lin. 23. Agitur de mentione magisterii, inter Traditionis progressus causas (cf. Mod. 29). Qua quidem explicita mentio ...[5] pulcherrimis fit S. Irenaei verbis (*Adv. Haer.* IV, 26, 2: *PG* 7, 1053 C), eius tamen reticito nomine, ne Concilium assumere videatur unam e pluribus interpretationibus quae de illis verbis dari possunt.

2) Altera additio facta est in n. 9, pag. 16, lin. 13, hisce verbis: « *quo fit ut Ecclesia certitudinem suam de omnibus revelatis non per*
[73] *solam sacram Scripturam hauriat* » (cf. Mod. 36, 40-D, 56). Quoad huius additionis significationem, ...[6] haec tria adnotanda sunt:

a) Attento integro n. 9 contextu, ubi agitur de mutua inter Scripturam et Traditionem relatione, per addita verba duo obtinentur, nempe: ex una parte, aliqua datur explicatio verborum quibus paulo ante dicitur Traditionem verbum Dei *integre transmittere* (cf. pag. 16 linn. 8-11); ex altera autem parte, ulterior praebetur iustificatio verborum quae immediate sequuntur, quibus affirmatur Scripturam et Traditionem pari pietatis affectu ac reverentia suscipiendas et venerandas esse (cf. pag. 16 linn. 13-15).

b) In tuto ponitur doctrina catholica, constanti Ecclesiae praxi

sancita, iuxta quam Ecclesia certitudinem suam de revelatis haurit per sacram Scripturam nonnisi cum Traditione coniunctam; quapropter, ubi ad illam certitudinem assequendam Scriptura sola non sufficit, Traditio decisivum afferre potest argumentum. [73]

c) Sensus huiusmodi affirmationis ulterius diiudicandus est atque circumscribendus ex Schematis tenore. Ex quo quidem patet: nec Traditionem praesentari veluti quantitativum S. Scripturae supplementum; nec S. Scripturam praesentari veluti integrae revelationis codificationem. Patet igitur textum schematis immutatum manere quoad substantiam, perfici autem quoad expressionem.

Hisce adnotatis, Commissio nostra hunc textum, nuper emendatum, Congregationi generali suffragandum tota fiducia submittit illumque enixe commendat; nihilque tantopere cupit nisi ut unanimi consensione idem firmetur.

Venerabiles Patres!

Ante oculos habetis exiguae quidem molis documentum, at simul momenti doctrinalis summi. Ipsum relationem plerumque directam dicit cum omnibus ab hoc Concilio pertractatis quaestionibus; nosque ponit in corde ipso mysterii Ecclesiae et in epicentro problematis oecumenismi.

Faxit Deus ut, per suffragium vestrum, illa adimpleantur verba quae unus e relatoribus Deputationis fidei Concilii Vaticani I, in hac vaticana basilica, die 13 aprilis 1870, protulit: « re peracta, Constitutionem ipsam inspiciens unusquisque vestrum, opus suum consideret » (L. E. Pie, episcopus Pictaviensis: MANSI 52, 36 B).

In oratione: [1] debitas. [2] Velitis, Patres venerabiles, prae oculis habere textum. [3] i. e. penetrationis. [4] sive rebus sive verbis. [5] tantopere petita a pluribus Patribus. [6] venerabiles Patres.

Moderator: Gratias plurimas agimus em.mo relatori necnon universae commissioni. Nunc loquatur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Proponitur suffragatio 423, quae est prima circa Modos huius schematis *de divina revelatione*.

Necesse non est, Patres, ut legam omnes correctiones admissas, cum em.mus relator iam eas clare enuntiaverit et enucleaverit.

In hac congregatione, Patres, fient septem suffragationes: et quidem, sex super singula capita, et septima super integrum textum. Cum haec ultima suffragatio per se non necessaria sit, statuerunt em.mi moderato-

res eam esse faciendam « si et quatenus », nempe si praecedentes suffragationes exitum dederint positivum et hoc, ut potestis iam suspicari, ob angustiam temporis.

Lego igitur primam suffragationem [*cf. pag. 691*]: « An placeat expensio facta a commissione doctrinali circa Modos, prooemium et cap. I schematis *de divina revelatione* respicientes, cum correctionibus supra indicatis? ». *Placet* an *non placet*?

Interea chorus cantabit *Pater noster* lingua slavica.

Chorus S. Ioannis Damasceni cantat: *Otce nas* (Pater noster), liturgiae n. 2, auctore Alexandro Grečanínov. [*Plausus*].

Secretarius generalis: Mente tranquilla proponitur quaesitum alterum, nempe est suffragatio 424 [*cf. pag. 705*]: « An placeat expensio facta a commissione doctrinali circa Modos, cap. II schematis *de divina revelatione* respicientes, una cum correctionibus supra indicatis? ». *Placet* an *non placet*?

Chorus S. Ioannis Damasceni cantat: *Voskeiknite Gospodevi* (Iubilate Deo omnis terra), auctore Alexandro Grečanínov. [*Plausus*].

Moderator: Rogatur nunc exc.mus ac rev.mus D. Ioannes van Dodewaard, ep. Haarlemensis, relator, legere relationem alteram, nempe de Modis a Patribus propositis et a commissione doctrinali expensis circa capita a tertio ad sextum eiusdem schematis.

Alteram relationem faveat legere exc.mus ac rev.mus D. Andreas Charue, ep. Namurcensis.

[74] II

EXC.MUS P. D. IOANNES VAN DODEWAARD
Episcopus Haarlemensis

DE MODIS A PATRIBUS PROPOSITIS ET A COMMISSIONE DOCTRINALI EXPENSIS CIRCA CAPITA 3-6

Venerabiles Patres,

Habent sua fata libelli ac fatum nostri schematis vos omnes perbene nostis. Post laborem circiter quattuor annorum suffragationibus ultimo mense septembris peractis omnia capita schematis nostri a Congregatione Generali approbata sunt, ita tamen ut expensio modorum Commissioni

nostrae Doctrinali remaneret. Prius in subcommissione modi omnes maxima cum cura examinati sunt, deinde in variis sessionibus totius Commissionis Doctrinalis integer textus iterum discussioni subiectus fuit. Maxima cum cura attendimus ne modus quidam sensum textus iam approbati substantialiter mutaret aut aequivocum redderet, quia commissionis conciliaris est: fideliter sequi et servire Concilium. Omnibus bene perpensis sequentes principaliores mutationes in textu iam approbato vestro iudicio proponimus. [74]

In Capite III

Num. 11

Pag. 21, linn. 2-11: Ordinem phraseos invertimus ne verba « Divinitus revelata » de *omnibus* veritatibus revelatis intelligerentur; hic enim tantummodo de S. Scriptura agitur. Item verba quae dicebantur linn. 18-19 « Scripturae libri integri cum omnibus suis partibus » in initio capitis transtulimus ubi aptiorem locum habent.

Pag. 21, linn. 16-26 loco « auctor inspiratus seu hagiographus asserit » proponimus ut legatur: « auctor*es* inspira*ti* seu hagiogra*phi* asse*runt* », in plurali igitur, propter quaestiones de unicitate vel pluralitate auctorum alicuius libri. Loco « inconcusso » proponimus « firmiter », ac vox « integre » deleatur, quia iam locum obtinuit in modo praecedenti.

Pag. 21, linn. 19-20: vox « salutarem » omittatur, quia multi Patres id postulaverunt et quia haec formula non satis in Concilii Aula disputata videbatur. Legatur autem linn. 19-21: « veritatem, quam Deus salutis nostrae causa litteris sacris consignare voluit, fideliter et sine errore docere profitendi sunt ».

Num. 12 [75]

Quaedam tantummodo ratione latinitatis aut claritatis mutata sunt.

In pag. 21, linn. 14-15 initium phraseos mutatum est delendo vocem « veritas », ut clarius pateret non agi tantum de intentione subiectiva auctoris. Addita est citatio S. Hieronymi, lin. 24, de Sacra Scriptura legenda et interpretanda eodem Spiritu quo scripta est.

Num. 13

Pag. 23 deleta sunt verba « quoad omnia » tum lin. 2, tum lin. 5, quia parallelismus aliter nimis stringeretur.

[75] ## In Capite IV

Num. 14

Pag. 28, lin. 4 proponitur ut addatur « et praeparans » post verba « totius humani generis salutem sollicite intendens ». Ratio est ut non tantum de functione populi electi sermo fiat, sed etiam aliquomodo de praeparatione evangelica ubique terrarum.

Pag. 28, linn. 10-13 phrasis tantummodo claritatis causa aliquomodo mutata est sub specie latinitatis.

Pag. 28, lin. 19 loco « vim et auctoritatem suam perenniter servant » proponitur: « quapropter hi libri divinitus inspirati *perennem valorem servant* ». Ratio est, quod multa, praesertim ritualia « vim et auctoritatem » non servant, sed tamen valorem perennem habent.

Num. 15

Pag. 28, lin. 28 duo verba addita sunt, ut etiam mentio fiat de *regno messianico.*

Pag. 29, linn. 1-8 proponitur ut rectius de libris Veteris Testamenti diceretur quod « *quamvis etiam* imperfecta et temporanea contineant, veram tamen paedagogiam divinam demonstrant ». Porro sententia sequens propter claritatem et latinitatem tantummodo stylistice mutata est.

Num. 16

Pag. 29, linn. 15-19 phrasis aliquomodo clarior et elegantior facta est, dum etiam aliquae referentiae ad S. Scripturam additae sunt.

In Capite V

Num. 17

Pag. 32, lin. 9 proponitur ut loco « factis et signis » dicatur de « factis *et verbis* », sicut alibi fit.

Pag. 32, linn. 14-15: secunda pars phraseos ita legatur: « Ipse qui solus verba vitae aeternae hab*et* (cf. *Io.* 6, 68) », quia Christus omnes ad Se attrahit non tantum per verba, sed etiam per suam exaltationem in cruce.

[76] Pag. 32, lin. 15: ut phrasis clarior fiat et citatio ex *Eph.* 3, 4-6 melius quadret sequentem mutationem proponimus: « Hoc autem *mysterium* aliis generationibus non est patefactum, *sicut nunc* revelatum est sanctis apostolis *Eius* et Prophetis in Spiritu Sancto (cf. *Eph.* 3, 4-6 gr.), ut Evangelium praedicarent, etc. ».

Num. 19 [76]

Pag. 33, lin. 5: post « quattuor recensita Evangelia » iuxta quaesitum multorum Patrum addatur: « ... *quorum historicitatem incunctanter affirmat, fideliter* tradere... » ...[1]

Pag. 33, lin. 8 post « fecit et docuit » addatur: « *usque in diem qua assumptus est* (cf. *Act.* 1, 1-2) », quia Evangelia etiam illa, quae Iesus post resurrectionem suam fecit, continent. In lin. 9 scribatur loco « mortem Domini »: « post *ascensionem* Domini ».

Num. 20

Pag. 33, lin. 37 proponimus ut loco « revelatur » legatur « *praenuntiatur* », quia Christi gloriosa consummatio tandem aliquando in parousia finali « revelatur ».

In Capite VI

Num. 21

Pag. 37, lin. 2 legatur: « Divinas Scripturas *sicut et* ipsum corpus dominicum...», quia vox « velut » nimis fortis putabatur.

Ib., lin. 3 addatur: « maxime in Sacra Liturgia ».

Ib., linn. 6-12 alio modo redacta est, ut clarius formuletur quid cum illa « immutabilitas » S. Scripturae intenditur.

Ib., lin. 14 proponitur ut dicatur: « nutriatur *et regatur* ».

Ib., lin. 20 loco « reapse » legatur « *purus et perennis* ».

Ib., lin. 20 post vocem « exstet » nova sententia ita incipiat: « *Unde de Sacra Scriptura excellenter valent dicta*: Vivus... », quia citatio ex *Hebr.* 4, 12 non solum de S. Scriptura valet, sed etiam de sermone ore prolato.

Num. 22

Tantum mutationes parvulas proponimus; principalior est, quod praeter Vulgatam etiam aliae versiones latinae nominantur.

Num. 23

Pag. 38, lin. 23 proponitur additio *de studio Patrum.* Consequenter lin. 26 verba « Patrum vestigia sequentes » deleta sunt.

Ib., lin. 35 ultima verba sonent: « omni studio *secundum sensum* [77]
Ecclesiae exsequi pergant ».

Ib., linn. 49-50: ut Traditio magis honoraretur initium sententiae ita sonet: « Sacra Theologia in verbo Dei scripto, *una cum Sacra Traditione,* tamquam in perenni fundamento innititur, *in eoque...* ».

[77] Pag. 39, linn. 34-35 proponimus ut loco « quae comprobante et curante Ecclesia ubique nostro tempore laudabiliter diffunduntur » dicatur: « approbantibus et curantibus *Pastoribus* Ecclesiae », quia res speciatim ad auctoritatem Ecclesiae pertinet.

Venerabiles Patres!

Finis laboris omnium nostrum circa hoc schema Constitutionis « De Divina Revelatione » iamiam instat. Commissio doctrinalis vobis omnibus gratias agit pro vestris suggestionibus, emendationibus atque modis. Speramus expensionem modorum, de qua relationem nuper feci, vobis ita placere, ut cum gaudio laborem nostrum circa hoc schema concludere possimus « Dei verbum religiose audientes et fidenter proclamantes ». Gratias, dixi. ...[2].

In oratione exc.mi P. D. Charue: [1] Ita, ergo, textus clare loquitur de historicitate. [2] Ita relator; ita ego etiam.

Moderator: Et relatori et lectori gratias agimus necnon universae commissioni pro labore tam arduo usque tandem completo. Et nunc loquatur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Proponitur quaesitum. Suffragatio 425. Videatis pag. 41 [*cf. pag. 715*]: « An placeat expensio facta a commissione doctrinali circa Modos, cap. III respicientes, cum correctionibus supra indicatis? ». *Placet* an *non placet*?

Patres venerabiles, in hoc intervallo aliquas communicationes do.

Imprimis aliqui Patres conquesti sunt quod heri vitam S. Caroli non receperint. Sint tranquilli ii Patres, nam — hodie non est possibile propter multiplicem distributionem —, sed post ferias iisdem haec vita dabitur.

Hodie numismata distribuentur tantum Patribus; aliis, nempe Dominis Observatoribus, Auditoribus, Peritis, Officialibus, etc., Cantoribus et aliis, qui operam praestant in hoc Concilio, numismata dabuntur post ferias.

Patres venerabiles, possum etiam hodie annuntiare kalendarium mensis novembris.

Post ferias, die 9 novembris habebitur congregatio generalis, sed initium congregationis, ob diminutum laborem, erit hora nona cum dimidio. In illa congregatione, suffragationi subicientur Modi quoad schema decreti *de apostolatu laicorum*. In illa pariter congregatione, distribuetur, si spes nos non fallit (hucusque commissiones non solum spem non

fefellerunt, sed maxime compleverunt), textus suffragandus schematis *de missionibus* et *de ministerio et vita sacerdotum.* Circa hos textus, fient suffragationes sequentibus diebus.

Die 10 novembris, erit congregatio generalis, et Missa, quae celebrabitur, erit in suffragium em.morum DD. cardinalium et aliorum Patrum conciliarium, qui elapso anno demortui sint. Adsistet huic celebrationi, quae est Missa conciliaris, Summus Pontifex. Semper hora nona cum dimidio.

Versus diem 11 novembris, speramus fore ut distribui possit textus suffragandus schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* qui, sequentibus diebus, suffragationi supponetur. Etiam circa hos dies, speramus fore ut vobis distribuatur fasciculus continens Modos circa schema *de libertate religiosa,* speramus et rogamus secretariatum ut nobis adsistat, ita ut statim postea fieri possint circa hos Modos suffragationes.

Die 18 novembris, ut dictum est, in festo dedicationis basilicarum Sanctorum Petri et Pauli, habebitur publica sessio. Postea, prosequentur congregationes generales.

Praevidetur, Patres venerabiles, aliqua periodus, non dico feriarum, sed quasi, post diem 22 vel 23 novembris usque ad exitum mensis.

Postea, habebuntur ceterae suffragationes in congregationibus, quae sequentur, circa Modos schematis *de praesentia Ecclesiae in mundo huius temporis, de vita et ministerio sacerdotum, de missionibus,* et in finem properabitur.

Haec dicere possum; cetera non possum. Sed, Patres venerabiles, aliqui anxii sunt de defectu loquentium in his congregationibus. Etiam huic difficultati providebitur quantum possumus, nam Summus Pontifex concessit ut eae relationes, quae fiunt circa aliquas quaestiones propositas praesidibus conferentiarum episcopalium, non seorsim a Concilio sed in ipsa aula conciliari legantur.

Quapropter, inde a die 9 mensis novembris, post relationem factam ab em.mo card. Ferdinando Cento, audientur relationes praesidum conferentiarum episcopalium circa materiam de Sacrarum Indulgentiarum recognitione. Et concessit pariter Summus Pontifex ut *Positio* daretur, sub secreto cum aliqua reservatione, uti patet, omnibus Patribus conciliaribus eo vel magis quia in illa *Positione* habentur studia et propositiones, quae utilitati esse possunt omnibus Patribus conciliaribus. Haec *Positio* distribuetur vobis initio relationis, nempe die 9 novembris. Rogantur propterea praesides conferentiarum episcopalium ut suas relationes praesto habeant pro illa die, non pro die decima prima novembris uti communicatum est, pro die 9 novembris. Et nunc satis!

Lego aliam suffragationem, quae est 426, pag. 47 [*cf. pag. 719*]: « An placeat expensio facta a commissione doctrinali circa Modos, cap. IV respicientes, cum correctionibus supra indicatis? ». *Placet* an *non placet*?

Chorus S. Ioannis Damasceni cantat: *Chvalite Gospoda s nebes* (Laudate Dominus de caelis), ex liturgia dominicali, auctore Sergio Rachmaninov.

Secretarius generalis: Suffragatio 427. Videatis pag. 57 [*cf. pag. 727*]: « An placeat expensio facta a commissione doctrinali circa Modos, cap. V respicientes, cum correctionibus supra indicatis? ». *Placet* an *non placet*?

Chorus S. Ioannis Damasceni cantat: *Veličaem,* hymnum festi Dormitionis Virginis, auctore Alexandro Kastaljskij.

Secretarius generalis: Suffragatio 428. Pag. 70 [*cf. pag. 738*]: « An placeat expensio facta a commissione doctrinali circa Modos, cap. VI respicientes, cum correctionibus supra indicatis? ». *Placet* an *non placet*?

Postea prosequemur cum suffragatione de integro. Interim respondeatis ad hanc quaestionem.

Chorus S. Ioannis Damasceni cantat: *Priidite Poklonimaja* (Venite adoremus et procidamus), Invitatorium Vesperarum festivarum, auctore Sergio Rachmaninov; *Bogorodice Devo* (Ave Maria), ex Vesperis, auctore Sergio Rachmaninov.

Moderator: Gratias ac plurimas agimus Choro, qui laetificavit congregationem nostram! Nunc autem proponitur ultima suffragatio de integro prout dictum est, « si et quatenus ».

Secretarius generalis: Communico antea exitum suffragationis 423, quae est prima huius diei:

Patres praesentes et votantes	2.194
Dixerunt *placet*	2.169
non placet	23
placet iuxta modum (sed nullum) . . .	1
Suffragium nullum	1

Patres venerabiles, lego textum cum modis introductis per principium et finem uniuscuiusque partis...

Videatis pag. 3 textus: non Modorum, *textus*:

DE DIVINA REVELATIONE

[*Cf. vol. IV, pars I, pag. 336 ss.*].

« *Dei verbum religiose audiens et fidenter proclamans,** Sacrosancta Synodus verbis S. Ioannis obsequitur dicentis: "Annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo". Propterea, Conciliorum Tridentini et Vaticani I inhaerens vestigiis, genuinam de divina revelatione ac de eius transmissione doctrinam proponere intendit, ut *salutis praeconio* mundus universus audiendo credat, credendo speret, sperando amet ».

Caput I. « Placuit Deo in sua bonitate et sapientia Seipsum revelare et notum facere sacramentum voluntatis suae, quo homines per Christum, Verbum carnem factum, in Spiritu Sancto accessum habent ad Patrem et divinae naturae consortes efficiuntur »... Et reliqua, usque ad pag. 6, his verbis [*cf. vol. IV, pars I, pag. 339*]:

« Confitetur Sacra Synodus, "Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse"; eius vero revelationi tribuendum esse docet, "ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint" ».

Caput II. De divinae revelationis transmissione (pag. 14) [*cf. vol. IV, pars I, pag. 348*]:

« Quae Deus ad salutem cunctarum gentium revelaverat, eadem benignissime disposuit ut in aevum integra permanerent omnibusque generationibus transmitterentur. Ideo Christus Dominus, in quo summi Dei tota revelatio consummatur, mandatum dedit Apostolis ut Evangelium, quod promissum ante per Prophetas Ipse adimplevit et proprio ore promulgavit, tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omnibus praedicarent, eis dona divina communicantes. Quod quidem fideliter factum est, tum ab Apostolis, qui in praedicatione orali, exemplis et institutionibus ea tradiderunt quae sive ex ore, conversatione et operibus Christi acceperant, sive a Spiritu Sancto suggerente

* Litteris inclinatis indicantur variationes in textum introductae post Modorum suffragationem.

didicerant, tum ab *illis Apostolis* virisque apostolicis, qui, sub inspiratione eiusdem Spiritus Sancti, nuntium salutis scriptis mandaverunt ».

Et reliqua usque ad verba pag. 16 [*cf. vol. IV, pars I, pag. 350*]: « Quod quidem Magisterium non supra verbum Dei est, sed eidem ministrat, docens nonnisi quod traditum est, quatenus illud, ex divino mandato et Spiritu Sancto assistente, pie audit, sancte custodit et fideliter exponit, ac ea omnia ex hoc uno fidei deposito haurit quae tamquam divinitus revelata credenda proponit. Patet igitur Sacram Traditionem, Sacram Scripturam et Ecclesiae Magisterium, iuxta sapientissimum Dei consilium, ita inter se connecti et consociari, ut unum sine aliis non consistat, omniaque simul, singula suo modo *sub actione unius Spiritus Sancti,* ad animarum salutem efficaciter conferant ».

Caput III. De Sacrae Scripturae divina inspiratione et de eius interpretatione (pag. 21) [*cf. vol. IV, pars I, pag. 355*].

« Divinitus revelata, quae *in Sacra Scriptura litteris continentur et prostant, Spiritu Sancto afflante consignata sunt.* Libros enim *integros* tam Veteris quam Novi Testamenti, *cum omnibus eorum partibus,* sancta Mater Ecclesia ex apostolica fide pro sacris et canonicis habet, propterea quod, Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt. In sacris vero libris conficiendis Deus homines elegit, quos facultatibus ac viribus suis utentes adhibuit, ut Ipso in illis et per illos agente, ea omnia eaque sola, quae Ipse vellet, ut veri auctores scripto traderent ».

Et reliqua, usque ad verba pag. 23 [*cf. vol. IV, pars I, pag. 357*]: « Dei enim verba, humanis linguis expressa, humano sermoni assimilia facta sunt, sicut olim Aeterni Patris Verbum, humanae infirmitatis assumpta carne, hominibus simile factum est ».

Caput IV. *De Vetere testamento* (pag 28) [*cf. vol. IV, pars I, pag. 362*]: « Amantissimus Deus totius humani generis salutem sollicite intendens *et praeparans,* singulari dispensatione populum sibi elegit, cui promissiones concrederet ».

Et reliqua, usque ad verba pag. 29 [*cf. vol. IV, pars I, pag. 363*]: « Deus igitur librorum utriusque Testamenti inspirator et auctor, ita sapienter disposuit, ut Novum in Vetere lateret et in Novo Vetus pateret. Nam, etsi Christus in sanguine suo Novum Foedus condiderit, libri tamen Veteris Testamenti integri in praeconio evangelico assumpti, in Novo Testamento significationem suam completam acquirunt et ostendunt, illudque vicissim *illuminant et explicant* ».

Caput V. De Novo Testamento [*cf. vol. IV, pars I, pag. 366*]: « Verbum Dei, quod virtus Dei est in salutem omni credenti, in scriptis

Novi Testamenti praecellenti modo praesentatur et vim suam exhibet. Ubi enim venit plenitudo temporis, Verbum caro factum est et habitavit in nobis plenum gratiae et veritatis. Christus Regnum Dei in terris instauravit, factis et verbis Patrem suum ac Seipsum manifestavit, atque morte, resurrectione et gloriosa ascensione missioneque Spiritus Sancti opus suum complevit ».

Et reliqua, usque ad pag. 33 [*cf. vol. IV, pars I, pag. 368*] in his verbis: « Apostolis enim suis Dominus Iesus sicut promiserat affuit et iis Paraclitum Spiritum misit, qui eos in plenitudinem veritatis induceret ».

Caput VI (pag. 37) [*cf. vol. IV, pars I, pag. 371*]: « Divinas Scripturas *sicut et* ipsum Corpus dominicum semper venerata est Ecclesia, cum, *maxime in sacra Liturgia,* non desinat ex mensa tam verbi Dei quam corporis Christi panem vitae sumere atque fidelibus porrigere. Eas una cum *Sacra* Traditione semper ut supremam fidei suae regulam habuit *et habet,* cum a Deo inspiratae *et semel pro semper litteris consignatae verbum ipsius Dei immutabiliter impertiant,* atque in verbis Prophetarum Apostolorumque vocem Spiritus Sancti personare faciant. Omnis ergo praedicatio ecclesiastica sicut ipsa religio christiana Sacra Scriptura nutriatur *et regatur* oportet ».

Et reliqua, usque ad finem, pag. 40 [*cf. vol. IV, pars I, pag. 374*]: « Ita ergo lectione et studio Sacrorum Librorum "sermo Dei currat et clarificetur", thesaurusque revelationis, Ecclesiae concreditus, magis magisque corda hominum impleat. Sicut ex assidua frequentatione mysterii Eucharistici Ecclesiae vita incrementum suscipit, ita novum spiritualis vitae impulsum sperare licet ex adaucta veneratione verbi Dei, quod "manet in aeternum" ».

Patres venerabiles, hic textus schematis *de divina revelatione,* qui pro integro lectus habendus est cum omnibus Modis approbatis introductis, *placet*ne vobis an *non placet*?

Interea, lego vobis, dum votum exprimitis, exitum alterius suffragationis hodie factae, quae est circa Modos cap. II respicientes:

Praesentes votantes sunt		2.185
Dixerunt	*placet*	2.123
	non placet	55
	placet iuxta modum (nullum ergo)	1
Suffragia nulla sunt		6

Post hanc suffragationem, vobis Patribus dabuntur numismata.

Patres venerabiles, ut numismata commode possint distribui, faveatis stare vestris locis!

Lego, Patres, exitum tertiae suffragationis, respicientis Modos capitis III:

Praesentes votantes		2.189
Dixerunt	*placet*	2.154
	non placet	31
	placet iuxta modum (extra chorum igitur)	2
Vota nulla sunt		2

Patres venerabiles, exitus aliarum suffragationum publicabuntur hodie in ephemeride *L'Osservatore Romano* [1] et haec communicatio habenda est tamquam si in aula conciliari sit facta.

Nunc solvitur congregatio. Patres, qui nondum numisma receperunt, velint postea suis locis manere ut operatio compleatur.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit die nona proximi novembris, hora nona cum dimidio.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

* * *

Suffragatio 426 (circa Modos cap. IV respicientes):

Patres votantes		2.188
Dixerunt	*placet*	2.178
	non placet	8
Suffragia nulla		2

Suffragatio 427 (circa Modos cap. V respicientes):

Patres votantes		2.139
Dixerunt	*placet*	2.115
	non placet	19
Suffragia nulla		5

[1] Cf. N° 251, sabato 30 ottobre 1965, p. 1.

Suffragatio 428 (circa Modos cap. VI respicientes):

Patres votantes		2.146
Dixerunt	*placet*	2.126
	non placet	14
	placet iuxta modum	2
Suffragia nulla		4

Suffragatio 429 (de integro schemate *de divina revelatione*):

Patres votantes		2.115
Dixerunt	*placet*	2.081
	non placet	27
	placet iuxta modum	1
Suffragia nulla		6

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis CLI

Congregatio Generalis CLII

CONGREGATIO GENERALIS CLIII

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DECRETI DE MINISTERIO ET VITA PRESBYTERORUM

CONGREGATIO GENERALIS CLIV

SESSIO PUBLICA VII

CONGREGATIO GENERALIS CLV